BB FA 10

~~BB-SL-113-11~~
~~IV-2-11~~

RAYMUNDI LULLI OPERUM

BIBLIOTECA BALEAR
DE LES ILLES CORALS

BEATI
RAYMUNDI
LULLI
DOCTORIS ILLUMINATI
ET
MARTYRIS
OPERUM
TOMUS II.

In quo continentur ſequentes Tractatus:

Liber de Gentili & tribus Sapientibus.
Liber de Sancto Spiritu.
Liber de quinque Sapientibus.
Liber Mirandarum Demonſtrationũ.
Liber de XIV. Articulis Fidei.



MISSIONARII SS. CC. IMP. STÆ MARIÆ DE MEDIA

BIBLIOTECA BALEAR. M.ᵗᵉ DE LOS SS. CORAZONES

Cum Privilegio Sacræ Cæſareæ Majeſtatis, & Permiſſu Superiorum.
Anno Salutis Domini M DCC XXII.

MOGUNTIÆ,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA MAYERIANA,
Per JOANNEM GEORGIUM HÄFFNER.

Censura Ordinarii.

SEcundus hic Tomus, qui quasi fluvius cœlestis Sapientiæ & sacratioris Doctrinæ ex primo Tomo velut ex immenso & inexhausto mari primitivæ universalissimæ Veritatis profluit, & ad demonstrandas Veritates supernaturales Sacrosanctæ Fidei sese salubriter diffundit, Operum purâ Veritate ac Sapientiâ affluentium B. Raymundi Lulli Doctoris verè Catholici, hoc est, universalis, cœlitùs Illuminati in prima Censura primi Tomi quidem prælaudati, nunquam tamen ob Sublimitatem & Veritatem cœlestis Doctrinæ, & quàm universalem tam admirabilem Methodum docendi & movendi, & ob Sanctitatem Vitæ, quæ in omnibus suis Libris clarissimè elucet, satis deprædicandi, exhibet primò solidam, & ad evertenda plurium præjudicia circa Possibilitatem demonstrandi Articulos Fidei necessariam Præfationem præclarissimi & eruditissimi Editoris Discipuli Principiis Beati Magistri sui conformiter scribentis, in qua Beati Doctoris sui cum mente SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ circa sensum de Possibilitate demonstrandi Articulos Fidei concordantiam manifestè ostendit, & adversùs opinionem oppositam Doctorum, quà absolutè negant, Veritates Fidei in hac vita per donum S. Spiritûs posse intelligi & demonstrari, ex coadunatis & coacervatis gravissimis Authoritatibus SS. Patrum maximè augustissimi Ecclesiæ Doctoris S. Augustini & S. Anselmi, junctis etiam ac mixtis Rationibus necessariis ex Scriptis SS. Patrum transumptis, & in generalibus Principiis B. Raymundi fundatis (ut vis unita esset fortior) multis modis irrefragabiliter demonstrat, quòd nempe à prima & suprema Veritate universali increata nobis revelati Articuli, Mysteria, Objecta & Testimonia credibilia facta nimis Sacrosanctæ Orthodoxæ Fidei nostræ Catholicæ non Solùm possint ac debeant liberè credi simpliciter per donum simplex Fidei à rudioribus & simplicioribus & omnibus iis, qui Demonstrationes nec habent, nec capiunt, sed & à magis illuminatis & sapientioribus per donum sapientiæ & intelligentiæ compositum cum dono Fidei purgato mentis contemplativæ oculo & veraciter credi, & subtiliter possint intelligi, ac demonstrari per causas altissimas & Rationes necessarias, quas dum legis à B. Doctore variis in locis appellari naturales, intellige tales esse hoc sensu, quia & cum purè naturalibus concordant, quæ supernaturalibus non contradicunt, & connaturalius est intellectui intelligere quàm credere, prout in terminis manifestè patet: quem lapidem offensionis multorum sibi erroneè persuadentium, quòd S. Doctor sentiat & doceat, solâ ratione naturali innixâ solo lumine naturali, secluso lumine supernaturali gratiæ, Mysteria Sanctæ Fidei nostræ Catholicæ cognosci & demonstrari posse, removendum esse duxi: non enim hoc, quod ipsi falsò affingitur & imponitur, sed toties tot in Libris docens, clamat, quòd non nisi suppositâ Fide per gratiam DEI valeant intelligi, & per Rationes necessarias demonstrari. Quæ Sententia cùm sit SS. Patrum & Doctorum Ecclesiæ fundatissima, in sacris Scripturis, potissimùm in illo Isaiæ: *Nisi credideritis, non intelligetis*, neque dona Spiritûs Sancti, donum Scientiæ, Intellectûs & Sapientiæ circa Articulos Fidei evacuet, sed magis commendet & exaltet, eam omninò recipiendam esse censeo, maximè autem à Doctoribus sacratioris Disciplinæ, ut innumera hæresum & errorum monstra præterita, præsentia & futura, quæ duram cervicem, caput & cornu superbiæ suæ erigunt adversùs Sanctam Fidem & Ecclesiam Sanctam DEI & Imperium Christi ejus in duplici lumine Fidei ac Sapientiæ, cui non possint resistere omnes adversarii nostri, geminatâ armorum fortitudine præcincti & à dextris & à sinistris circummuniti per gratiam DEI velociùs valeant exterminare. Quem in finem Doctor Illuminatus verè Catholicus infatigabili fortitudine Spiritûs calamo scribæ velociter scribentis operosissimè conscripsit tot tamque profunda Volumina de Articulis Fidei nostræ Catholicæ, pro veritate eorum demonstranda, Rationes necessarias extrahendo ex Arte Generali & Compendiosa, & ejusdem primitiva, altissima, universalissima & maximè necessaria Principia in primo Tomo tradita in hoc secundo Tomo stupendo sanè artificio infallibiliter applicando, Articulorum Fidei verissimam intelligibilitatem ac demonstrabilitatem in hac vita suppositâ Fide per gratiam DEI & lumen sapientiæ ineluctabiliter in generali demonstrat, & eosdem in particulari adductis Rationibus necessariis mirabiliter corroborat. Quod utrumque summo Zelo

desi-

desiderans efficacissimè perfecit & assecutus est in præsentis Tomi secundi quinque Tractatibus, verè validissimo & copiosissimo Armamentario necessariarum Rationum expugnantium omnes errores mundi. Primus est Liber intitulatus de Gentili & tribus Sapientibus, divisus in quatuor Libros, in quorum maximè tertio contra Gentiles, Judæos & Saracenos nervosissimè disputando controversos Articulos Fidei nostræ Catholicæ Rationibus necessariis nec contemnendis, nec unquam contemptis ab aliis, nisi non intelligentibus concatenatam Artis Generalis demonstrandi profunditatem invictè, catholicè & divinè demonstrat. Secundus est Liber de Spiritu Sancto, in quo fidelis Latinus contra Græcos coram Saracenonecessitatem Processionis Spiritûs Sancti à Patre & Filio verè ostendit. Tertius est de quinque Sapientibus, Latino, Græco, Nestorino, Jacobino & Saraceno, divisus in quatuor partes, & demonstrat primò, Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio simul & æqualiter contra Græcos: secundò, unicam esse tantùm Personam in Christo contra Nestorinos: tertiò, duas distinctas & inconfusas in eodem esse Naturas contra Jacobinos: quartò, Sanctissimam Trinitatem & Incarnationem Filii DEI contra Saracenos & Mahometanos. Quartus est verè admirabilis Liber MirandarumDemonstrationum, subdivisus in quatuor Libros, in quorum primo verissimam Articulorum Fidei Demonstrabilitatem per gratiam DEI demonstrat: in secundo probat per necessarias & supra modum admirandas Rationes Existentiam DEI: in tertio Sanctissimam Trinitatem: in quarto Incarnationem Domini nostri JESU Christi. Quintus denique est de quatuordecim Articulis Fidei, quos more suo profundissimè demonstrat & elucidat. Propter quas pluresque alias rationes satis graves ac urgentes secundum hunc Tomum probè examinatum, utpote fortissimum Sacrosanctæ Fidei nostræ Catholicæ Propugnaculum, ex quo pendent tot clypei, quod offert Rationes necessarias, sicut & primum secundi Principium & Fundamentum, ex eadem Facultate & Authoritate post præmissum tantò rigorosius examen, quantò periculosius est Fidei argumentum, omni Approbatione, & mediante typo in universum mundum evulgatione & omnium eruditorum, maximè autem Filiorum & Doctorum Ecclesiæ & sacratiorum Scholarum usu, lectione ac studio salutari quàm dignissimum esse censeo, ut mediante hoc Instrumento & Organo Spiritûs Sancti ad sanitatem sive conversionem omnium Gentium præordinato citò fiat unus Pastor & unum Ovile, ac præmuniamur per duplicem armaturam illuminatæ Fidei & Sapientiæ ab hora ventura Tentationis Anti-Christianæ, & ante illam priùs ad Dominum DEUM Creatorem suum, atque ad sanctam Matrem Ecclesiam Universalem Romanam convertantur omnes extra illam existentes, & Tri-Uni DEO ac Uni Salvatori JESU Christo & Uni Ecclesiæ in Una Fide ac Religione subjecti serviant omnes Populi, Linguæ, Tribus ac Nationes ad Laudem & majorem Gloriam omnipotentis DEI, qui Sacratissimæ & Altissimæ Artis, Scientiæ ac Sapientiæ Lullianæ est primum universalissimum Principium & ultimus Finis. Ita censeo

Moguntiæ 17timâ Septembris 1722.

Franciscus Philippus Wolff, Seminarii Electoral. Moguntini Studiorum Director ac Censor Librorum Ordinarius.

PRÆFATIO

Discipuli ad Lectorem.

POstquam in primo Tomo Rudimenta Theoricæ hujus sacræ Artis & Scientiæ Generalis te posuisse spero, L. B., tempus est, ut in hoc secundo Tomo introducam te in Practicam, præmonstrando tibi formas quasdam generales practicandi in omni materia specifica, latentes sub formis hisce specificis ab Illuminato nostro Doctore nobis copiosissimè subministratis: miraberis forsan, & rationem à me deposces, quare inter cæteras particulares Scientias Theologiam & materias theologicas selegerim, utpote & ratione suæ sublimitatis & ratione debilitatis intellectûs humani vix attingibiles, & potiùs credibiles, quàm demonstrabiles, paucis insuper, illis nempe, qui professione suâ Studio Theologico sunt addicti, gratas & utiles futuras.

Rationem igitur redditurus mei propositi, humiliter te rogo, legas attento animo, & solo amore veri boni te movente, ea, quæ sequuntur, nec patiaris, nobilem tuam Mentem succumbere jugo servitutis (si quæ forsan in te hactenus fuit) aut amoris proprii, aut cupiditatis vanæ gloriæ, aut obstinationis, aut opinionis oppositæ, sed illam liberam & humilem (quæ est vera libertas Servorum Christi) in sede colloca, quam illi jam præparo, ut ipsamet judicium ferat: & sicut hæc, quæ scribimus, & quæ in toto hoc Tomo continentur, non solùm Judicio supremo, quod in terra agnoscimus, sed etiam tuo & cujuslibet Hominis sapientis submittimus, sic rogamus, ut & tu tuum judicium credas esse fallibile, & submittas superiori judicio in judicando hoc Opus; *apposui tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manû tuam*, Eccl. cap. 15. v. 17.

Finis, ad quem collimo in sequenti Discursu, est, ut tibi demonstrem per ipsam praxin Divi mei Magistri, dari veram & genuinam Methodum demonstrandi, quæ sit altior, certior & infallibilior omnibus aliis hucusque notis & possibilibus, quæque sit Regula & Norma demonstrandi omnibus aliis inferioribus, ita, ut sinè hac omnes aliæ inferiores sint imperfectæ, & hâc solâ ultimum gradum perfectionis in hac mortali vita possibilem adipiscantur: ad quod rectè peragendum *tria* erunt necessaria; quorum

Primum est, quòd, postquam in primo Tomo de Revelatione Secretorum Artis sufficienter per necessarias Rationes demonstravi, dari Artem & Scientiam verè & propriè demonstrativam de omni objecto intelligibili, in quo intellectus noster attingere potest rationem vel formam *Necessitatis*, nunc per Authoritates hoc ipsum probem, cùm hìc mihi sermo sit ad Christianos & Catholicos, qui fidem tribuunt SS. Literis, & Sanctorum Patrum innituntur Authoritati. *Secundum*, quòd Sancti Patres habuerint eadem Principia demonstrandi, quæ habuit Illuminatus Doctor. *Tertium*, quòd habuerint eundem Modum operandi: quæ tria involvunt tria sequentia; quorum

Primum, quòd supremæ Demonstrationes non possint fieri nisi de supremis Principiis; & licèt suprema ista Principia realia, quæ sunt ipsæ Dignitates DEI, sint supra intellectum humanum, hoc non obstante dictus intellectus per illorum influxum talìter habilitetur, ut cum illis habeat sufficientes vires ad faciendas dictas Demonstrationes. *Secundum* est, quòd Modus, per quem pervenitur ad hunc supremum Gradum demonstrandi, non sit alius, nisi ascensus de infimo gradu per medium ad summum, & quam vim habeat hæc Ars in quolibet gradu. *Tertium* est, quòd supremus Gradus in descensu perficiat omnes gradus inferiores Demonstrationum, sed non è converso: *vide Prologum Artis Mixtivæ Phil. & Theol.:* unde sequitur, quòd id, quod uni est demonstratum, alteri, qui est in inferiori gradu, possit videri tantùm probabile, vel dubium, vel omninò falsum.

Magna semper fuit concertatio inter Discipulos Doctoris Illuminati, quos Lullistas nominant, & alios Doctores Theologos, præsertim verò recentiores, utràque parte bonâ & laudabili intentione suam Sententiam propugnante, & alterius impugnante, dum de Arcanis Fidei nostræ Catholicæ intelligendis & demonstrandis disputant.

Putant enim hi ultimi cũ Doctore Angelico *Sum. Th. p. 1. q. 32. ar. 1. concl. f. 64.* non tantùm non esse possibile, ullam dari posse Demonstrationem de Articulis Fidei, præsertim verò de incomprehensibili & ineffabili Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, sed potiùs per tales putatitias (ut ajunt) demonstrationes multùm derogari nostræ Sanctæ Fidei, illamque risui & contemptui Infidelium & Incredulorum exponi: sunt porrò adeò persuasi de hac sua opinione, ut unanimem hanc esse mentem Sanctorum Patrum quidam illorum dictitare soleant.

E contra verò primi non minùs fortiter instant, censentque, non solùm possibile, sed summopere necessarium esse, dari in Ecclesia sanctaCatholica & Apostolica Romana tales Rationes pro demonstranda & defendenda Sancta Fide nostra ejusque singulis partibus, ut nullis aliis oppositis rationibus possint convelli & destrui; sive igitur tales rationes dicantur demonstrationes sive persuasiones, de nomine non est curandũ, *quia propter nostrum affirmare vel negare nihil mutatur in re*, ût loquitur Doctor Illum. in Lib. Conv. Fid. & Intell. in Objecto: nec tales Demonstrationes quidquam derogant Mysteriis Fidei, imò magis exaltant, ût postea videbitur, nec Fidem risui & contemptui Infidelium exponunt, sed potiùs impossibilitas probandi: quis enim Fidem non contemnat & respuat, quæ nullâ certâ & infallibili ratione probari potest, aut quæ objectiones & argumenta contraria nesciat efficaciter refutare, licèt non à quovis rudi probari vel intelligi valeat: unde Doctor Illum. in *Lib. de Trinitate in Unitate pura*, ait, „ quòd Infideles deridentChristianos, quia „ credunt, quòd in Essentia DEI sit Pater & Filius „ & Spiritus Sanctus: causam verò hujus irrisionis exponit in *Libro de Convenientia, quam habent Fides & Intellectus in Objecto* statim ab initio, „ quia infamiam esse (ait) ab Infidelibus ad Fideles, qui dicunt, quòd Fides Sancta Catholica non debet „ probari: & in *Lib. de min. Loco ad maj.* „ cùm „ sint aliqui, qui dicunt, quòd Fides Sancta Catholica non potest probari &c., disponunt Infideles, quòd diffidunt & blasphemant nomen Do-

„mini, divinam Trinitatem & Incarnationem „esse, qui sunt Articuli majores, & hoc est peccatum.

Quapropter cùm inter alios fines, quare hæc divina Ars & Scientia à DEO data est Illuminato Doctori & Magistro nostro B. Raymundo, præcipuum locum habeat, ut gloriosum nomen Domini DEI nostri per universum mundum agnoscatur, ametur & glorificetur in una sancta Fide salvifica, sinè qua nemo DEO placere, eumque æternaliter agnoscere, amare & glorificare valeat, & inter omnes Artes & Scientias nulla sit, quæ nobilitate, necessitate & utilitate Scientiam Vitæ æternæ antecellat, quâ finis supradictus obtinetur, meritò hanc cæteris omnibus anteferendam censui; præsertim quia eum ordinem mihi à B. Magistro meo præscriptum reperi, ût patet ex Art. Univ. D. 1. f. 5. §. *Per princ.* Tō. 1.

Ut autem clariùs pateat, cuinam harum duarum oppositarum Partium Sancti Doctores & Patres Ecclesiæ magis faveant, adducam in medium eos, quos ipsemet B. Raymundus Doctor Illum. allegat, suprà in primo Tomo & contextu Sententiæ definitivæ jam memoratos, quosque videtur insinuare in *Tractatu de Articulis Fidei*, non illo, qui in hoc secundo Tomo continetur, sed illo, quem vulgò *Apostrophen* vocant, in cujus Introductione sic loquitur. „ Nos Magister Raymundus Lull hanc schedulam legamus Religiosis & Sæcularibus sapientibus & discretis, ut videant, ac diligentissimè perscrutentur prædicta, ac etiam utrùm infrascripta „consequentia de necessitate contineat veritatem, „videlicet quòd aliqui Magistri in Theologia asserunt, seu testantur, quòd quæcunque objectio „proposita contra Fidem Catholicam Sacrosanctam „potest solvi per necessarias Rationes; scilicet intelligendo ipsarum rationum consequentias; manifestè sequitur ergò, quòd Sancta Fides Catholica „possit juxta eorum testimonium probari per Rationes necessarias, & hoc per modum intelligendi, „non tantùm per modum credendi: si quis autem „dixerit, hujusmodi consequentiam, quam facimus, non attingere veritatem, cogitur dicere, „quòd prædicta Magistrorum ratio sit inanis &c.

Hos verò explicitè nominat in *Lib. 1. Mir. Demon.* hujus Tomi *cap. 14.*, ubi citat *S. Anselmum* & *Richardum à S. Victore:* item in supracitato *Lib. de Conv. Fid. & Intell. in Obj.* citat *S. Petrum in Epist. 1., S. Augustinum* & *S. Thomam de Aq.* Pro confirmanda sua Sententia allegat ex Epist. 1. S. Petri cap. 3. v. 15. ubi sic habet: *Estote parati ad satisfactionem semper omni poscenti vos dare Rationem de ea, quæ in vobis est, Fide & Spe:* circa quem textum observet L., illum in recentioribus editionibus Bibliorum non sic haberi, sed in antiquioribus, scilicet in illa impressa per Bernardum Sachon A. 1511. & in alia impressa Lugduni in Officina Gilberti de Villiers Anno 1524., & Basileæ per Thomam Guarinum A. 1578.: simile, quid habet Interpretatio Syriaca, quæ sic sonat: *Et estote parati ad depromendum Spiritum (ad satisfaciendum) omni poscenti vos Rationem de Spe Fidei:* hæc ideo addidi, ne fortè Lectori accidat, quod mihi, quando inquirens hunc textum, & non inveniens, suspicatus sum, illum fuisse depravatum.

Ad majorem igitur Elucidationem hujus textûs & manifestam probationem, quòd Sancti Patres & Doctores Ecclesiæ potiùs stent pro Illum. Doctore nostro, quàm pro parte adversa, duos præcipuè ad vitandam prolixitatem afferre libet; qui, cùm asserant, eandem esse mentem aliorum Patrum & Doctorum, sufficientem nobis exhibebunt Authoritatem.

Sed antequam ipsos SS. Patres de Possibilitate & Modo probandi Mysteria Fidei percipiamus, majoris distinctionis gratiâ notare quædam convenit, ne in ipso progressu investigationis dubia suboriantur, quæ producere possent erroneum judicium de modo agendi circa res Fidei: in quod quosdam Recentiorum incurrisse animadverti, dum Libros Antiquorum non sufficienter lustrantes pronunciarunt, hunc vel illum Authorem solâ ratione naturali voluisse demonstrare Articulos Fidei.

Notandum igitur *primò*, SS. Patres & Doctores quandoque disputationem suam de rebus Fidei instituisse contra Infideles seu Gentiles, aut per rationes illis demonstrando Articulos Fidei, aut per rationes illorum objectiones contra Articulos Fidei factas refutando: sic S. Thomas scripsit Librum contra Gentiles, & S. Anselmus pariter contra Gentiles duos Libros, quos, *Cur DEUS Homo*, nominavit; „quorum prior quidem Infidelium re„spuentium Christianam Fidem, quia putant, ra„tioni illam repugnare, continet objectiones, & „Fidelium responsiones: *ac tandem remoto Christo (quasi nunquam aliquid fuerit de illo) probat Rationibus necessariis, esse impossibile, ullum hominem salvari sinè illo: in secundo autem Libro similiter, quasi nihil sciatur de Christo, monstratur non minùs aperta ratione & veritate, naturam humanam ad hoc institutam esse, ut aliquando immortalitate beatâ totus homo, id est, in corpore & in anima frueretur; ac necesse esse, ut hoc fiat de homine, propter quod factus est; sed non nisi per Hominem DEUM: atque ex necessitate omnia, quæ de Christo credimus, fieri oportere.* Hæc ex S. Anselmo ejusque Præfatione in dictos duos Libros.

Ex quibus dictis constat, hunc S. Doctorem taliter cum Gentilibus egisse in hac sua Disputatione, *quatenus Authoritate Scripturæ penitus nihil in ea persuaderetur; sed quidquid per singulas investigationes finis assereret, id ita esse, plano stylo & vulgaribus argumentis simplicique disputatione & rationis necessitas breviter cogeret, & veritatis claritatem patenter ostenderet:* idem S. Anselmus in Præfat. Monol.

Notandum secundò, quandoque illos egisse de rebus Fidei cum Fidelibus, *non ut per rationem ad Fidem accedant, sed ut eorum, quæ credunt intellectu, & delectentur contemplatione, & ut sint, quantum possunt, parati semper ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea, quæ in nobis est, Spe.* S. Anselmus in Lib. Cur DEUS Homo. cap. 1.

Notandum tertiò, quòd sive Fidelibus sive Infidelibus dederint Rationes de Fide, nunquam id attentarint nisi suppositâ Fide, utpote sinè qua Veritates Fidei nec intelligere nec infallibiliter demonstrare potuissent: unde idem S. Anselmus in cap. 1. Prosol. circa finem: *Non tento Domine penetrare altitudinem tuam, quia nullatenus comparo illi intellectum meum; sed desidero aliquatenus intelligere veritatem tuam, quam credit & amat cor meum: neque enim quæro intelligere, ut credam, sed credo, ut intelligam; nam & hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam.*

Notandum quartò, quòd, quando SS. Patres conati sunt nobis dare rationes de rebus supernaturalibus & divinis, hoc fecerint *duplici viâ*, aut enim sumebant Dignitates creaturarum, quas considerabant tanquam *Similitudines* vel *Significationes* Dignitatum DEI, ex quibus secundùm *comparationem* & *proportionem* formabant Demonstrationes de Divinis: & hoc iterum dupliciter, nam vel illæ dignitates & proprietates creaturarum erant sensu, imaginatione & intellectu attingibiles, vel intellectu tantùm, ût infrà videbitur in exemplis S. Anselmi & S. Augustini, aut sumebant Dignitates ipsius DEI, non quatenus sunt in se ipsis, sed quatenus sunt in dignitatibus creaturarum tanquam in quodam speculo repræsentatæ, ab intellectu viatoris tanquam per medium attingibiles; & hunc modum attingendi nominabant *Modum cognoscendi per speculum & in ænigmate*, ût infrà patebit, & Illum. Doctor in cap. 4. Revel. Secret. præcedentis Tomi monstravit.

Notandum quintò, Rationes, Argumenta & Demonstrationes ex his Dignitatibus à SS. Patribus efformatas ratione suæ certitudinis & evidentiæ debere dupliciter considerari. *Primò* quoad se ipsas sinè relatione ad dantem vel recipientem; & tali modo una potest esse major alterâ, incipiendo à minima desumpta à rebus sensualibus usque ad maximam desumptam à rebus intellectualibus supremis, quæ sunt ipsæ Dignitates DEI. *Secundò* quoad dantem vel recipientem & dispositionem utriusque in suis gradibus, nam eadem demonstratio à duobus, qui sunt in inæqualibus gradibus, inæqualiter recipitur: v. g. si dans est in Fide supernaturali, & recipiens in Fide naturali tantùm, vel si uterque est in Fide supernaturali, & unus est in theoria & speculatione tantùm, & alter in practica & experimento: unde cùm hæc inæqualitas sit multiplex secundùm multiplices modos habilitatis vel inhabilitatis utentium hâc Arte demonstrandi, non est mirum, quòd multoties suboriatur contrarietas inter disputantes de rebus Fidei, uno affirmante se demonstrare, & altero negante, & hujusmodi demonstrationes cavillante, vel omninò explodente: de quibus differentibus gradibus digna habet S. Anselmus in Lib. de Incar. Verbi cap. 1. quæ hic adducantur, quibus egregiè ostendit, qui sint habiles vel inhabiles ad Mysteria Fidei intelligenda vel demonstranda, & *quòd Fidei quæstiones, quas disputamus & rimamur* (sunt verba illius) *non quilibet dialectici, sed in Scripturis sacris experti suscipere humiliter debent.* Sic itaque S. Doctor dicto capite secundo loquitur.

„ Sed priusquam de quæstione differam, ali„quid præmittam ad compescendam eorum præ„sumptionem, qui nefandâ temeritate audent dis„putare contra aliquid eorum, quæ Fides Chri„stiana confitetur, quoniam id intellectu capere „nequeunt, & potiùs insipienti superbiâ judicant, „nullatenus posse esse, quod nequeunt intellige„re, quàm humili sapientiâ fateantur, esse mul„ta, quæ ipsi non valent comprehendere: (videatur 13. Modus Art. Comp.) „ nullus quippe Chri„stianus debet disputare, quod Catholica Ecclesia „corde credit, & ore confitetur, quomodo non „sit, sed semper eandem Fidem indubitanter te„nendo, amando, & secundum illam vivendo, „*humiliter*, quantùm potest, *quærere Rationem, „quomodo sit:* si potest intelligere, DEO gratias „agat; si non potest, non immittat cornua ad ven„tilandum, sed submittat caput ad venerandum, „&c. Solent enim quidam, cùm ceperint quasi „cornua confidentiæ sibi scientiæ producere, ne„scientes, quòd, si quis æstimat, se scire aliquid, „nondum cognovit, quemadmodum oporteat „eum scire, antequam habeant per soliditatem Fi„dei alas spirituales, præsumendo in altissimas de „Fide quæstiones assurgere: *unde fit, ut, dum ad „illa, quæ priùs Fidei Scalam exigunt (sicut scriptum „est, nisi credideritis, non intelligetis) præposterè priùs „per intellectum conantur ascendere, in multimodos „errores per defectum intellectûs cogantur descendere:* „palam namque est, quia illi non habent Fidei fir„mitatem, qui, quoniam, quod credunt, intelligere „non possunt, disputant contra ejusdem Fidei à „Sanctis Patribus confirmatam veritatem: velut si „vespertiliones & noctuæ, non nisi in nocte cœ„lum videntes, de meridianis solis radiis disceptent contra aquilas, solem ipsum irreverberato „visu intuentes. *Priùs ergo Fide mundandum est cor,* „sicut dicitur de DEO: *Fide mundans corda eorum* „Act. 15., *& priùs præceptorum Domini custodiâ illu„minandi sunt oculi; quia præceptum Domini lucidum, „illuminans oculos*, Psal. 18.; & priùs per humilem „obedientiam testimoniorum DEI debemus fieri „parvuli, ut discamus sapientiam, quam dat te„stimonium Domini fidele sapientiam præstans „parvulis: unde Dominus: *Confiteor tibi Domine „Pater cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus „& prudentibus, & revelasti ea parvulis*, Joan. 18. „Math. 2. Priùs, inquam, ea, quæ carnis sunt, „postponentes, secundùm spiritum vivamus, quàm „profunda Fidei dijudicando discutiamus; nam, „qui secundùm carnem vivit, carnalis sive animalis est, de quo dicitur: *animalis homo non percipit „ea, quæ sunt Spiritûs DEI*, 1. Cor. 2.; qui verò spiritu facta carnis mortificat, spiritualis efficitur; „de quo legitur, *quia spiritualis omnia judicat, & „ipse a nemine judicatur*, ibid.: verum enim est, quia „quantò opulentiùs nutrimur in sacra Scriptura ex „his, quæ per obedientiam pascunt, tanto subti„liùs provehimur ad ea, quæ per intellectum sa„tiant; frustra quippe conatur dicere: *super omnes „docentes me intellexi*, qui proferre non audet: *quia „testimonia tua meditatio mea est*, Psal. 118.; & men„daciter pronunciat: *super senes intellexi*, cui „non est familiare, quod sequitur: *quia mandata „tua quæsivi*, ibid.: nimirum hoc ipsum, quod „dico, qui non crediderit, non intelliget; *nam „qui non crediderit, non experietur, & qui exvertus „non fuerit, non intelliget; nam quantùm experien„tia superat auditum rei, tantùm scientia experientis „incit cognitionem audientis &c.* Concludit S. Doctor: „Hæc dixi, ne quis antequam sit ido„neus, altissimas de Fide quæstiones præsumat „discutere; aut si præsumpserit, nulla difficultas „aut impossibilitas intelligendi valeat illum à veri„tate, cui per Fidem adhæsit, excutere.

His mirabiliter consonant ea, quæ Venerabilis Thaulerus habet in Paupere Vita Christi, Editionis Antverpiensis sub Anno 1645. cap. 28. n. 102., ubi sic ait: „*duo sunt Modi* intelligendi, *primo* indigemus ad Fidem, *secundus* est in Fide. *Primus* est, „ut homo cognoscat Articulos Fidei & Doctrinam „Christi; & qui Doctrinam cognoscit, & secun„dùm illam vivit, in illo revelatur fructus Doctri„næ, per quem cognoscitur; ex fructu enim cog„noscitur arbor: & quando homo pervenit ad ag„nitionem, tunc incipit primò credere, & est pri„mò securus, quòd sua Fides sit recta: illi verò ho„mines, qui secundùm Doctrinam Christi non ita „vixerunt, non noscunt fructum suæ Doctrinæ; & „ideo nesciunt, an bene vel malè credant; & hoc „tantùm sciunt ex auditu, & ideo illorum Fides non „est perfecta; & tales homines possunt facilè cadere „in errorem in Fide: & sicut illorum Fides est im„perfecta, sic etiam illorum amor est imperfectus. „*Secundus* modus intelligendi est, quem perfecti

„ homines habent, qui est idem cum Fide, hoc est, „ quando homo Doctrinam Christi percurrit vitâ, „ & omnia in unum redigit, & in unum sursum in- „ tendit simplici agnitione in lumine Fidei, in uni- „ cum unum, quod est ipse DEUS; & ubi Fides „ oritur ex credere, & supra intelligere in abscon- „ ditam obscuritatem nudæ divinæ Essentiæ, tunc „ intellectus est in passione, & Fides cum DEO in „ actione, & Fides in DEO tangit intellectum fer- „ venti amore, & intellectus sentit amorem; & „ *hoc sentire est suum intelligere, & quod est supra sen-* „ *tire, hoc est recta Fides*; & tunc homo est genui- „ nus & perfectus Christianus, & non antè, & „ qui non ita introducitur per Doctrinam Christi & „ per omnes virtutes, ut perveniat cum omni diffe- „ rentia in unum, non potest habere simplicem Fi- „ dem &c. Et eod. cap. n. 101. ait: „ homo non habet „ plus genuinæ Fidei (de Fide vivâ, formatâ & per- „ fectâ utique hæc omnia, quæ de Fide loquitur, ac- „ cipienda, ût ex contextu patet) nisi tantum, quan- „ tum est illuminatus divino amore, & cui adhuc „ deficit lumen, huic etiam deficit Fides; & qui ma- „ ximè omnium divinam veritatem intelligunt, hi „ maximè omnium habent rectam Fidem &c.

Horum elucidationi multùm servient, quæ idem Thaulerus habet cap. 24. Lib. 1. dictæ Vitæ n. 150. & 151. de Puritate Animæ & de Lumine naturali & supernaturali ac de Modo illud acquirendi. Item cap. 31. & ultimo dicti Libri primi n. 180. de eodem Lumine naturali & supernaturali, & Modo distinguendi unum ab altero, nec non de incertitudine & fallibilitate unius, ac de certitudine & infallibilitate alterius.

Compara dicta & Doctrinam horum duorum Doctorum cum dictis & Doctrina Doctoris Illuminati, quam invenies in *Lib. Disput. Fidei & Intell.*, ubi agit de *Lumine Gratiæ* seu *supernaturali*, & in *Lib. Mir. Dem.*, qui habetur hoc Tomo *Lib. 1. cap. 29. & Lib. 2. cap 33. & cap. 27. & cap. 40. n. 11. & Lib. 4. cap. 13.* Et quia suprà facta est mentio de scala Fidei per D. Anselmum, videantur ea, quæ habet Doctor Illum. de hac Scala & ejus Gradibus *Lib. 5. Contempl. cap. 358.* & per totum hunc quintum Librum in multis Capitibus.

Notandum sextò & ultimò, quòd, cùm Scientia Theologiæ secundùm mentem Illum. Doctoris sit Scientia propriè dicta (ût infrà audiemus) & fundamentum, supra quod tota hæc scientia est fundata, sit Attributum *divinæ Necessitatis*, quo fundantur omnes Demonstrationes de Articulis Fidei tam Sanctorum Patrum infrà adducendæ, quàm Illuminati Doctoris, & hoc attributum multum fecerit negotii Doctoribus Theologiæ posteris tam aliarum Scholarum, quàm quibusdam Scholæ Lullianæ, ratione suæ apparentis oppositionis cum alio Attributo *divinæ Libertatis*, quam divinam Libertatem putabant, se salvare non posse, si dicerent v. g. DEUM necessariò incarnatum, passum, mortuum & cætera similia, quæ DEUS operatus est ad extra, ideo hic clariùs per Rationem & Authoritatem exponemus, quæ de hoc Attributo Necessitatis sciendа sunt, ut omnis difficultas, quæ circa modum demonstrandi in Theologia posset occurrere, & quæ contra Argumenta Sanctorum Patrum & Illuminati Doctoris posset objici, removeatur.

Igitur fuerunt quidam celebres Doctores, qui legentes in Libris S. Augustini & aliorum Patrum: *Quòd DEUS necessariò semper agat id, quod est perfectius vel rationabilius*, h. e. quod est magis conforme vel magìs simile suæ *perfectioni* vel *sapientiæ*, & per consequens: *Quòd non possit contra id, quod est perfectius vel rationabilius*, credebant, hos modos loquendi esse duros, & impugnare divinam Libertatem: unde ad illos mitigandos confugerunt ad Decretum divinum, & dixerunt, intentionem SS. Patrum fuisse talem, scilicet, *Quòd DEUS quidem fuerit necessitatus ad semper volendum id, quod est rationabilius*, non tamen ex alio capite, *nisi quia ab æterno sic decreverit.*

Et hoc est etiam judicium R. P. Joannis Rieræ Ord. S. Francisci Theologi & Syndici Causæ Lullianæ in Curia Romana: sic enim habet in suo *Transumpto Memoriali* fol. 8. „ Ratio, ob quam sit Lul- „ lus intelligendus loqui implicitè de potentia ordi- „ nata, cùm ait, *DEUM non posse contra id, quod* „ *rationabilius est, & quod ab æterno decrevit*, est u- „ niversalis suppositio Principiorum Artis, quâ in „ sua Arte & in omni Volumine præsupponit, „ DEI Decretum æternum circa quidquid rationa- „ bilius est, ratione cujus Suppositionis dicuntur „ bonitas, magnitudo &c., quoad extrà, esse in „ DEI Decreto cum rationabiliori majoritate. Profectò si se res sic haberet cum Arte Lulliana, ût R. P. Riera hic sentit, ruerent omnes Demonstrationes SS. Patrum, ruerent omnes Illum. Doctoris nostri, imò caderet tota Ars; quid enim facilius esset opponenti & excipienti contra tales demonstrationes, quàm negare Suppositum hujus Decreti divini in iis operationibus ad extrà, de quibus nobis vel nondum constat, veletiam in iis, quas per Fidem credimus, ût est Incarnatio, quam Infidelis opponens negat?

Sciendum ergò, *tres* esse *Modos* demonstrandi Illum. Doctoris, ût passim docet in suis Libris, quorum ultimus ab ipso inventus vocatur *per Æquiparantiam*, & est omnium fortissimus, quia supremus: vocatur autem *per Æquiparantiam*, quia fit per æqualitatem divinarum Dignitatum & Actuum earum, *taliter, ut nulla Dignitas vel Operatio Dignitatis sit contraria alteri, nulla sit major vel minor alterâ, nulla sit magis vel minus perfecta quàm altera, sed omnes insimul concordent in infinita perfectione:* & hoc manifestè apparebit in Conditionibus sequentium Librorum hujus Tomi, præsertim in Conditionibus Libri Gentilis & trium Sapientum: ex quo infertur, quòd nunquam ex una sola Dignitate sinè combinatione vel consideratione aliarum Dignitatum perfecta Demonstratio formari possit, ût satis clarè in præcedenti Tomo *de Revel. Secret. Artis cap. 3. fol. 88.* §. *Viso Modo* in Logica ostendimus *ex Lib. 5. Contemp. Dist. 40. cap. 363.*; & hoc est ideo, quia intellectus humanus, cùm sit limitatus in suo intelligere, nunquam in hac vita est sinè decimo tertio Modo Artis Compendiosæ, h. e. in scientia sinè ignorantia: unde quando attingit unum Attributum divinum, intelligit unam simplicem perfectionem tantùm, & secundùm illam vel per illam affirmat vel negat particulare, circa quod versatur; & quando per illam perfectionem circa illud particulare sic agit explicitè, tunc vel explicitè vel implicitè agit oppositum per aliam perfectionem alterius Attributi, quod ratione suæ altitudinis & infinitatis, & debilitatis ac limitationis intellectûs videtur illi esse contrarium priori Attributo: & ideo affirmat prius, & negat posterius, vel negat prius, & affirmat posterius, donec se in se reflectens, & considerans ac cognoscens impotentiam & imperfectionem sui attingere ex una parte, & potestatem ac perfectionem

nem sui objecti ex altera parte, compellitur per majoritatem realitatis dicti objecti transcendere minoritatem rationis potentiæ suæ attingentis, per *Regulam octavam Artis Inventivæ*, & applicare *Figuram quartam Theologiæ* additam tribus Figuris Logicæ à divo nostro Magistro, quam superiùs citavimus ex primo Tomo de Revelatione Secretorum Logicæ; & tunc propriè utitur Methodo demonstrandi per Æquiparantiam seu Æqualitatem Attributorum divinorum, comparando & concordando perfectionem unius cum perfectione alterius in summa æqualitate: quod nunc monstrabo per exemplum.

In *Arte Compendiosa inv. Verit.* præcedentis Tomi *fol. 9. & 10.* dat Doctor Illum. Exemplum de *Sapientia & Justitia DEI*, apparenter sibi mutuò oppositis circa Prædestinationem & liberum Arbitrium, ubi in applicatione quatuor figurarum Figuræ X. ostendit, quomodo intellectus in prima figura verè affirmat sapientiam, & falsè negat justitiam, sed in secunda figura verè affirmat justitiam, & falsè negat sapientiam; ex qua negatione & affirmatione postea format tertiam figuram dubitationis, donec in quarta figura hoc disquilibrium transmutat in æquilibrium, determinando se cum æqualitate perfectionis horum duorum Attributorum ad veram affirmationem utriusque: solutioni autem hujus quæstionis maximè serviunt Modi 8. 9. 10. 13. & 16. Hoc idem exemplum affert Doctor Illum. in *Arte Univers. Dist. 1. de Fig. X. fol. 16.*

Idem Exemplum adducit in *Libro octavo de Mirabilibus Orbis cap. 58.*, quod, quia multam lucem præbet huic difficultati, & simul præbet aliud exemplum apparentis oppositionis inter *potestatem* cum *voluntate* & *sapientia* DEI, fideliùs translatum ex ipso Catalano referemus: sic itaque ait Doctor Illum. *dicto cap.*

N. 6. „ Quidam Scholaris quæsivit à suo Ma- „ gistro, an DEUS possit creare mille mundos, „ cum non creaverit nisi unum? & an potuisset mun- „ dum non creare? Magister respondit & dixit, „ quòd potestas DEI absolutè possit facere omnia, „ cùm sit infinita; sed quia sapientia sciebat, quòd „ DEUS non esset creaturus nisi unum mundum, „ & sciebat, quòd voluntas vellet illum creare, ideo „ potestas, quæ est unum & idem cum sapientia, „ non poterat creare mille mundos, neque poterat „ creare plures nisi unum: & hæc non potestas se „ habet respectu sapientiæ & voluntatis, & non re- „ spectu sui ipsius; & ideo convenit, quòd homo „ credat & affirmet, quòd DEUS possit quoad po- „ testatem absolutam, & quòd non possit quoad po „ testatem ordinatam ad sapientiam & voluntatem; „ & ex hoc non sequitur contradictio; quoniam si „ sequeretur, sequeretur defectus vel in potestate, „ vel in sapientia & voluntate, qui defectus est im- „ possibilis.

N. 7. „ Longo tempore consideravit Felix si- „ militudinem, quam Eremita illi fecerat, & val- „ de miratus est, dicens hæc verba: Domine, nun- „ quam audivi verba, de quibus homo tantùm pos- „ set mirari, quantùm de his verbis, quæ dicis, „ quia intellectus humanus non potest illa compre- „ hendere, secundùm quòd mihi videtur; quia di- „ cis, quòd DEUS possit facere id, quod sapientia „ scit, quòd non faciet, & quod voluntas vult, „ quòd non faciat; & dicis, quòd hoc non possit „ facere, eò quòd sapientia sciat, quòd voluntas „ non velit, quòd hoc faciat; & sic DEUS potest & „ non potest; & hoc considerare est valde mirabile.

N. 8. „ Fili, dixit Eremita, DEUS vult, quòd „ homo fateatur, quòd possit facere id, quòd sapientia „ scit, se non facturũ; & hoc est ideo affirmabile, quia „ in *potestate* DEI est *magnitudo*, & est *bonitas* & *liber-* „ *tas*; & si tantùm faceret id, quod facit, ita, quòd a- „ liud non posset facere, sua potestas esset limitata & „ coacta ad sequendum id, quod scit *sapientia*, & id, „ quod vult *voluntas*, & sapientia & voluntas es- „ sent in majori magnitudine, nobilitate & bonita- „ te, quàm potestas; quæ majoritas est impossibi- „ lis: & si DEUS posset facere id, quod sapientia „ scit, quòd non faciet, & quod voluntas vult, „ quòd non faciat, sequeretur, quòd actus, hoc „ est, opus potestatis posset plus, & esset in majori „ magnitudine, quàm actus, hoc est, opus sapien- „ tiæ & voluntatis; & potestas esset nobilior, me- „ lior & major, quàm sapientia & voluntas; & hoc „ est impossibile: propter quam impossibilitatem „ convenit, quòd homo dicat & affirmet, quòd „ DEUS possit, quantùm ad potestatem, & quòd „ non possit, quantùm ad sapientiam & voluntа- „ tem, hoc, quod non faciet, & hoc, quod non „ fecit, & quòd non sequatur ullum inconveniens „ vel contradictio.

N. 9. „ Postquam Felix valde fuit miratus de „ similitudine, elevavit suum intellectum, quan- „ tùm potuit, ut intelligeret, & rogavit DEUM, „ ut illi daret gratiam, quòd posset intelligere; & „ tunc intellexit, quòd sicut convenit affirmare, „ quòd DEUS possit facere id, quod non faciet, & „ hoc non possit facere, eò quòd sapientia scit, quòd „ non faciet, neque voluntas vult, quòd faciat, sic „ homo est prædestinatus, eò quòd sapientia hoc „ scit; & quòd ille homo possit damnari, eò quòd „ justitia illi dedit liberum arbitrium: & sic conve- „ nit, quòd omnis homo, sive sit prædestinatus si- „ ve præscitus, possit salvari vel damnari, absque „ eo, quòd inde sequatur contradictio.

Idem Exemplum habet Doctor Illum. *in Arte Invent. Dist. 3. Reg. 5. de Contradictione fol. 43.*, ubi mirabile aperit Secretum solutionis harum & similium difficultatum, quæ oriuntur ex apparentia contradictionis Attributorum DEI.; sine notitia intima cujus secreti est impossibile percipere vim Demonstrationum per Æquiparantiam: sic igitur ibi loquitur Doctor Illum.

„ Secundus verò Modus Contradictionis est „ secundùm rationem potentiæ, & non secundùm „ realitatem objecti; & per hoc causantur puncta „ transcendentia: est autem punctus transcendens „ altitudo seu difficultas realitatis objecti implicans „ in potentia contradictionem, eò quòd ipsa po- „ tentia de natura sui eam penitùs attingere non po- „ test (ût in 8. Regula dicetur) ideo sumitur contra- „ dictio punctûs transcendentis in DEO de aliquibus „ divinis conditionibus imperfectè attinctis ab in- „ tellectu, & consimili modo de DEO in creatura, „ & è converso; & in creatura simpliciter ex secre- „ tis conditionibus realitatis, educentibus effectus „ suos usque ad rationem intellectûs.

„ Si sit in DEO, sic est: dum intellectus inve- „ stigat, utrùm DEUS possit facere id, quod ipse „ vult impossibile fieri; vel utrùm velit, se posse face- „ re id, quod non potest fieri; nam adhoc concludit „ ratio intellectûs (ne potestas & voluntas limitentur „ in DEO) quòd potest & non potest, vult & non „ vult; quod videtur contradictio, quæ tamen se- „ cundùm realitatem nulla est: nam ex hoc, quòd „ intellectus ex natura suæ receptionis recipit prædi- „ ctas dignitates differentes, quæ in realitate quoad

„ſe non differunt, ſed inconfusè ſunt unum &
„idem, quam identitatem totalem ex qualibet ea-
„rum de natura ſuî non poteſt attingere, ideo facit
„contradictionem ſecundùm naturam ſuî: & niſi
„iſta contradictio eſſet in ratione intellectûs, ita,
„quòd non in realitate objecti, eſſet utique in
„realitate objecti ita, quòd non in ratione in-
„tellectûs; & ſic eſſet in tertio modo contra-
„dictionis: nam ſicut intellectus prædictam non
„contradictionem, id eſt, prædictam identitatem
„ipſarum Dignitatum non poteſt attingere ſinè
„contradictione propter earum altitudinem, ita
„nec ſinè oppoſito contradictionis poſſet attingere
„earum contradictionem (ſi eſſet in eis) propter
„earum altitudinem contradicendi. Hoc idem eſt
„de prædeſtinatione & libero arbitrio, & de aliis,
„quæ ſunt de DEO ad creaturam, cùm dicitur:
„ſapientia DEI eſt perfecta & imperfecta ratione
„prædeſtinationis & liberi arbitrii, & ſimiliter ju-
„ſtitia perfecta & imperfecta &c.

Ex quo Exemplo per diverſa loca & textus Illum. Doctoris illuſtrato ſequentia eliciemus.

Primò, verum eſſe, quod ſuprà *nota 6. §. Sciendum ergò* dixi, ſcilicet in Demonſtratione per æquiparantiam nullam dignitatem vel actum illius debere eſſe contrariam alteri, nullam debere eſſe majorem alterâ, nullâ minùs vel magìs perfectâ alterâ.

Secundo, quòd, ſicut Attributum ſapientiæ non tollit nec minuit Attributum juſtitiæ, & è converſo, nec attributum poteſtatis Attributum ſapientiæ, & è converſo, ſic nec Attributum *neceſſitatis* tollat vel minuat Attributum *libertatis*, & è converſo, ût patet ſuprà n. 8.: unde demonſtratio retinet ſemper ſuum vigorem.

Tertiò, quòd, ſicut unum Attributum refertur ad alterum, ut cognoſcatur, quænam exinde reſultet & ſignificetur proprietas ratione ordinationis unius ad alterum, ſic alterum è converſo referatur ad ipſum, ut hoc idem faciat: & hoc eſt dicere, eſſe *ordinatum* & *abſolutum*, non ſicut putabat R.P. Riera: nam in quantum Attributa ſe mutuò reſpiciunt per æqualem finalitatem, unum dicitur ordinari ad finem alterius; & ſic, *quod* ordinatur, dicitur *ordinatum*, & illud, *ad quod* ordinatur, dicitur *abſolutum*, & è converſo, ne unum ſit majus altero, quod eſſet, ſi verum eſſet, quod aſſeruit R.P. Riera, nempe totam neceſſitatem demonſtrationis exiſtentiæ rerum refundi à Doctore Illum. in univerſalem ſuppoſitionem Decreti divini; ſic enim neceſſitas ſemper eſſet ratione voluntatis, & ordinaretur ad voluntatem, & nunquam voluntas eſſet ratione neceſſitatis, vel ordinaretur ad neceſſitatem; unde ſemper voluntas ſe haberet, ût cauſa finalis (ſic loquendo) & neceſſitas ût medium ad finem: ex quo ſequeretur neceſſariò, quòd voluntas eſſet major, quàm neceſſitas, & quòd in voluntate eſſet perfectio, & in neceſſitate defectus; quod eſt abſurdum & impoſſibile.

Quartò, quòd ex uno particulari eliciatur alterum particulare, ût videre eſt n. 9., ubi ex apparentia oppoſitionis inter poteſtatem & voluntatem, vel poteſtatem & ſapientiam elicitur apparentia oppoſitionis inter ſapientiam & juſtitiam: unde cùm nullum ſit Attributum divinum, quod relatum ad alterum, non det ſignificationem apparentis oppoſitionis, ex hoc uno exemplo monſtratur modus generalis, quomodo in alia quacunque materia ſolvenda ſit apparens contradictio: v.g. inter *Libertatem* & *Neceſſitatem* DEI ad ſe mutuò relatas, & actus earum, tam ad intra quàm ad extra, quod prolixum eſſet exemplificare: exempla innumera tibi occurrent in hoc Tomo, ſi attentus eris L.B., & menti tuæ inſederint formæ generales, quas in *Arte Univerſali* ejusque *Diſt. 3.* à principio uſque ad finem didiciſti in primo Tomo, ex quibus formæ particulares in hoc Tomo ſunt extractæ. Applica Regulæ hìc monſtratæ Attributa *Identitatis* & *Diſtinctionis*, & intellige ea, quæ Doctor Illum. per hæc duo demonſtrat de Eſſentia & Perſonalitatibus in Divinis, & compara cum iis, quæ alii Doctores recentiores de hoc profundiſſimo Myſterio ſcripſerunt, poſtea te confer ad Doctores antiquos & SS. Patres, quos infrà citabo, & videbis concordantiam exactiſſimam Doctoris Illum. cum SS. Patribus; videbis inſuper fontem, ex quo illi ſuas Demonſtrationes hauſerunt.

Quintò, ad plenariam intelligentiam principii demonſtrandi, quo perpetuò utitur Illum. Doctor in hoc Tomo & in omnibus ſuis Libris, ſcilicet *Neceſſitatis*, quamvis tam ex textu Libri de Mirabilibus Orbis, quàm ex textu Artis Inventivæ ſuprà allatis videatur ſufficienter poſſe ſalvari apparens contradictio inter *Neceſſitatem* & *Libertatem*, per diſtinctionem *abſoluti* & *ordinati*; ſed quia hæc duo attributa realiter ſunt idem, & tota diſtinctio, quam intellectus inter illa facit, non ſit niſi rationis, non videtur, quomodo intellectus poſſit excuſare contradictionem realem horum Attributorum; ſi enim nulla demonſtratio fieri poteſt, niſi inferatur ex Attributo Neceſſitatis, & hoc ipſum Attributum ſit idem cum Attributo Libertatis, quotieſcunque concludam, & affirmabo, v.g. Incarnationem eſſe neceſſariam, tu negabis, illam eſſe neceſſariam, & affirmabis, eſſe liberam, cùm libertas & neceſſitas ſint idem, & ratione ſuæ æqualitatis & æqualis perfectionis tam verum debeat eſſe, illam eſſe liberam, quàm verum eſt, illam eſſe neceſſariam: ergò, dices, erit neceſſaria & non neceſſaria, libera & non libera; quæ eſt manifeſta contradictio non apparens, ſed realis. Ad hoc igitur reſpondeo, verum eſſe, quòd, niſi in DEO eſſet Trinitas, non haberetur fundamentum ſolvendi hanc difficultatem, nec ulla ratio evitandi veram contradictionem: unde ſi à me petis, quid Trinitas faciat ad tollendam oppoſitionem realem inter *Neceſſitatem* & *Libertatem* DEI? dico, in Trinitate fundari *Diſtinctionem* realem, ſicut in Unitate *Identitatem* realem; in reali verò diſtinctione latere medium evitandi realem contradictionem, quæ eſſet in Divinis, ſi realis diſtinctio non eſſet: ſi hoc reſponſo nondum es contentus, conſulo tibi, ut legas oculis terſis Librum Mirandarum Demonſtrationum, præſertim tertium; non enim convenit, te poſſidere ſinè omni labore lapidem angularem, cui inſiſtit ædificium totius Artis demonſtrandi.

At forſan non deerit, qui dubitabit vel omninò negabit, *Neceſſitatem* eſſe unum ex Attributis DEI: à quo quæro, utrùm DEUS ſit bonus? & ſi concedit, DEUM eſſe bonum, iterum quæro, utrùm DEUS ſit neceſſariò bonus? concedet utique & hoc: ſi igitur DEUS neceſſariò bonus, & adeò neceſſariò bonus, ut nullo modo poſſit eſſe malus, erit infinitè neceſſariò bonus, ergò erit in illo infinita neceſſitas bonitatis; eſſe autem in DEO infinitam neceſſitatem, eſt eſſe in illo infinitam perfectionem: unde deſumitur Regula facilis & expedita dignoſcendi, utrùm aliquod prædicatum ſit numerandum inter Attributa DEI; *nam omne prædicatum, cui competit infinitas, neceſſariò eſt infinitè perfectum, ergò unum ex Attributis DEI.*

Eſt etiam alia Regula non minùs facilis, ſcilicet *ut à quacunque perfectione, quæ reperitur in creatura, ſubtrahatur per intellectum, aſcendendo de gradu in gradum, defectus, donec nullus remaneat, nam tunc illa perfectio erit infinita, & per conſequens erit unum ex attributis DEI:* v.g. ſumantur in creatura *Vita*, *Largitas*, *Generatio*, *Patientia*, *Humilitas*, *Concordantia*, *Differentia*, *Æqualitas* &c., qui termini omnes per has duas Regulas ſtatim evehuntur ad dignitatem Attributorum divinorum: & eſt mirum, quantum Viri docti propter ignorantiam vel inobſervantiam harum duarum Regularum quandoque impegerint, quod facilè monſtrarem, niſi exempla eſſent odioſa.

His ſuppoſitis accedamus nunc ad probandam ipſam Poſſibilitatem & Modum demonſtrandi Articulos Fidei per Authoritates Sanctorum Patrum, quorum Primus ſit

Sanctus Anſelmus „famam non ſolùm Mira-
„culorum & Sanctitatis &c. aſſecutus, ſed etiam
„Doctrinæ, quam ad Defenſionem Chriſtianæ
„Religionis, animarum profectum & omnium
„Theologorum, qui ſacras Literas ſcholaſticâ me-
„thodo tradiderunt, normam cœlitùs hauſiſſe ex
„ejus Libris omnibus apparet, prout teſtatur S.
„Mater noſtra Eccleſia in feſto ipſius. Hic Doctor incomparabilis, Decus & Gloria Ordinis S. Benedicti inter alia inſignia Volumina ſcripſit ſequentes Libros, quorum ſuffragio utar ad probandum aſſumptum, videlicet *Monologium*, *Proſologium*, *Librum contra Inſipientem*, *Librum de Incarnatione Verbi*, *& Librum*, *Cur DEUS Homo.*

Hic itaque S. Doctor de Poſſibilitate inveſtigandi, intelligendi & per Rationes demonſtrandi Myſteria Fidei ſic loquitur in *Præfat. Lib.* de Incarn. Verbi. „Quamvis poſt Apoſtolos Sancti Patres &
„Doctores noſtri multi tot & tanta de Fidei noſtræ
„ratione dicunt ad confutandam inſipientiam &
„frangendam duritiem Infidelium, & ad paſcen-
„dum eos, qui corde jam Fide mundato ejusdem
„Fidei ratione (quam poſt ejus certitudinem debe-
„mus eſurire) delectantur, ut nec noſtris nec futu-
„ris temporibus ullum illis parem in veritatis con-
„templatione ſperemus, nullum tamen reprehen-
„dendum arbitror, ſi Fide ſtabilitus in rationis ejus
„indagine ſe voluerit exercere, nam & illi (quia
„breves dies hominis ſunt) non omnia, quæ pos-
„ſent, ſi diutiùs vixiſſent, dicere potuerunt, &
„veritatis ratio tam ampla tamque profunda eſt,
„ut à mortalibus nequeat exhauriri, & Dominus
„in Eccleſia ſua, cum qua ſe eſſe uſque ad conſuma-
„tionem ſæculi promittit, gratiæ ſuæ dona non
„deſinit impertiri. Et ut alia taceam, quibus ſa-
„cra Pagina nos ad inveſtigandam rationem invi-
„tat, ubi dicit: *niſi crediderit is, non intelligetis*,
„apertè monet, intentionem ad intellectum ex-
„tendere, cùm docet, qualiter ad illum debeamus
„proficere. Denique quoniam inter *fidem* & *ſpe-*
„*ciem intellectum*, quem in hac vita capimus, es-
„ſe *medium* intelligo, quantò aliquis ad illum pro-
„ficit, tantò eum propinquare ſpeciei, ad quam
„omnes anhelamus, exiſtimo.

Idem Sanctus Doctor capite 62. Monol. agens de Poſſibilitate vel Impoſſibilitate demonſtrandi Myſterium Sanctæ Trinitatis, „videtur mihi
„(inquit) hujus tam ſublimis rei ſecretum trans-
„cendere omnem aciem humani intellectûs; &
„idcirco conatum explicandi, qualiter hoc ſit,
„continendum puto; ſufficere namque debere
„exiſtimo rem incomprehenſibilem indaganti,
„ſi ad hoc rationando pervenerit, ut eam cer-
„tiſſimè eſſe cognoſcat, etiamſi penetrare nequeat
„intellectu, quomodo ita ſit &c.: quapropter ſi
„ea, quæ de ſumma Eſſentia hactenus diſputata
„ſunt, *neceſſariis Rationibus* ſunt aſſerta, quamvis
„ſic intellectu penetrari non poſſint, ut & verbis
„valeant explicari, nullatenus tamen certitudinis
„eorum nutat ſoliditas: nam ſi ſuperior conſide-
„ratio rationabiliter comprehendit, incompre-
„henſibile eſſe, quomodo eadem ſummaSapientia
„ſciat ea, quæ fecit, de quibus tam multa nos ſci-
„re neceſſe eſt, quis explicet, quomodo ſciat aut
„dicat ſe ipſam? de qua aut nihil aut vix aliquid
„ab homine ſciri poſſibile eſt: ergò ſi in eo, quòd
„ſe ipſam dicit, generat Pater, & generatur Filius,
„generationem ejus quis enarrabit? ſed rurſum ſi
„ita ſe ratio ineffabilitatis illius habet, imò quia ſic
„eſt, quomodo ſtabit, quidquid de illa ſubſtantia
„ſecundùm Patris & Filii & Procedentis habitudi-
„nem diſputatum eſt? nam ſi verâ illud ratione ex-
„plicitum eſt, qualiter eſt illa ineffabilis? aut ſi
„illa ineffabilis eſt, quomodo eſt ita, ſicut diſpu-
„tatum eſt, aut quadantenus de illa potuit explica-
„ri? & ideo nihil prohibet, eſſe verum, quod di-
„ſputatum eſt; ſed quia non potuit penitus com-
„prehendi, ideirco eſt ineffabilis.

„Sed ad illud quid reſponderi poterit, quod
„jam ſuprà in hac ipſa diſputatione conſtitit, quia
„ſic eſt ſumma Eſſentia ſupra & extra omnem aliam
„naturam, ut, ſi quando de illa dicitur aliquid
„verbis, quæ communia ſunt aliis naturis, ſenſus
„nullatenus ſit communis; quem enim ſenſum in
„omnibus his verbis, quæ cogitavi, intellexi, ni-
„ſi communem & uſitatum? ſi ergò uſitatus ſenſus
„verborum alienus eſt ab illa, quidquid ratiocina-
„tus ſum, non pertinet ad illam, quomodo igi-
„tur verum inventum eſt eſſe aliquid de ſumma Es-
„ſentia, ſi, quod inventum eſt, longè diverſum
„eſt ab illa? quid ergò? an quodammodo inven-
„tũ eſt aliquid de incomprehenſibili re, & quodam-
„modo nihil perſpectum eſt de ea? ſæpè namque
„multa dicimus, quæ propriè, ſicut ſunt, non
„exprimimus, ſed per aliud ſignificamus id, quod
„propriè aut volumus aut non poſſumus deprome-
„re; ût cùm per ænigmata loquimur; & ſæpè vi-
„demus aliquid non propriè, quemadmodum res
„ipſa eſt, ſed per aliquam ſimilitudinem aut ima-
„ginem; ût cùm vultum cujuſquam conſideramus
„in ſpeculo: ſic quippe unam eandémque rem di-
„cimus & non dicimus, videmus & non videmus;
„dicimus & videmus per aliud, non dicimus &
„non videmus per ſuam proprietatem.

Pergit ibidem cap. 63. „Hâc itaque ratione
„nihil prohibet, & verum eſſe, quod diſputatum
„eſt hactenus de ſumma Naturâ, & ipſam tamen
„nihilominus ineffabilem perſiſtere, ſi nequaquam
„illa putetur per Eſſentiæ ſuæ proprietatem expres-
„ſa, ſed utcúnque per aliud deſignata: nam quæ-
„cunque nomina de illa Natura dici poſſe videntur,
„non tam mihi eam oſtendunt per proprietatem,
„quàm per aliquam mihi innuunt ſimilitudinem;
„etenim cùm earundem vocum ſignificationes co-
„gito, familiariùs concipio mente, quod in rebus
„factis conſpicio, quàm id, quod omnem huma-
„num intellectum tranſcendere intelligo; nam
„valde minus aliquid, imò longè aliud in mente
„mea ſuâ ſignificatione conſtituunt, quàm ſit illud,
„ad quod intelligendum per hanc tenuem ſignifica-
„tio-

„tionem mens ipsa mea conatur proficere: nam „nec nomen sapientiæ mihi sufficit ostendere illud, „per quod omnia facta sunt de nihilo, & servantur „à nihilo; nec nomen essentiæ mihi valet exprime„re illud, quod per singularem altitudinem longè „est supra omnia, & per naturalem proprietatem „valde est extra omnia. Sic ergò illa Natura & in„effabilis est, quia per verba, sicuti est, nullate„nus valet intimari, & falsum non est, si quid ra„tione docente de illa per aliud velut *in ænigmate* „potest æstimari.

Hucusque explicavit Sanctus Doctor, quomodo sit possibile & quomodo non sit possibile intelligere, significare & demonstrare Mysteria Fidei, & simul ostendit *Modum in generali*; in sequentibus verò monstrat *Modum in speciali*; igitur capite 64. ait: „ Cùm igitur pateat, quòd „nihil de hac Natura possit percipi per suam pro„prietatem, sed per aliud, certum est, quia per il„lud magis ad ejus cognitionem acceditur, quod illi „magis per similitudinem propinquat; quidquid „enim inter creata constat illi esse similius, id, ne„cesse est, esse naturâ præstantius: quapropter id „& per majorem similitudinem plùs juvat mentem „indagantem summæ veritati propinquare, & per „excellentiorem creatam essentiam plus docet, „quid de creante mens ipsa debeat æstimare: pro„cul dubio itaque tantò altiùs creatrix Essentia cog„noscitur, quantò per propinquiorem sibi creatu„ram indagatur; nam, quòd omnis essentia, in quan„tum est, in tantum sit similis summæ Essentiæ, „ratio jam suprà considerata dubitare non permit„tit. Patet itaque, quia, sicut sola est mens ra„tionalis inter omnes creaturas, quæ ad ejus inve„stigationem assurgere valeat, ita nihilominùs ea„dem sola est, per quam maximè ipsamet ad ejus„dem inventionem proficere queat: nam jam cog„nitum est, quia hæc illi maximè per naturalis es„sentiæ propinquat similitudinem. Quid igitur „apertius, quàm quia mens rationalis, quantò „studiosiùs ad se discendum intendit, tantò effica„ciùs ad illius cognitionem *ascendit*; & quantò se „ipsam intueri negligit, tantò ab ejus speculatione „*descendit*.

Cap. 65. „Aptissimè igitur ipsa sibimet esse „velut *speculum* dici potest, in quo speculetur (ût „ita dicam) imaginem ejus, quam facie ad faciem „videre nequit: nam si mens ipsa sola ex omnibus, „quæ facta sunt, sui memor & intelligens & amans „esse potest, non video, cur negetur, esse in illa „vera imago illius Essentiæ, quæ per sui memoriam „& intelligentiam & amorem in Trinitate ineffa„bili consistit: at certè inde veriùs esse illius se pro„bat imaginem, quia illius potest esse memor, il„lam intelligere, & amare; in quo enim major „est, & illi similior, in eo verior illius esse imago „cognoscitur: omninò autem cogitari non potest, „rationali creaturæ naturaliter esse datum aliquid „tam præcipuum, tâmque simile summæ Sapien„tiæ, quàm hoc, quia potest reminisci & intelli„gere & amare id, quod est optimum & maximum „omnium: nihil igitur aliud est inditum alicui „creaturæ, quod sic præferat imaginem Creatoris; „consequi itaque videtur, quòd rationalis creatura „nihil tantùm debet studere, quàm hanc imagi„nem sibi per naturalem potentiam impressam per „voluntarium effectum (affectum) exprimere; et„enim præter hoc, quòd creanti se debet hoc ip„sum, quod est, huic quoque, quia nihil tam „præcipuum cognoscitur, quàm posse reminisci & „intelligere & amare summum Bonum, nimirum „nihil tam præcipuè debere velle convincitur: quis „enim neget, quæcunque meliora sunt in potesta„te, ea magis esse debere in voluntate? denique „rationali naturæ non est aliud esse rationalem, „quàm posse discernere justum à non justo, verum „à non vero, bonum à non bono, majus bonum „à minus bono; hoc autem posse omnino inutile „est illi & supervacuum, nisi, quod discernit, a„met, vel reprobet secundùm judicium veræ dis„cretionis.

Cap. 66. „*Hinc itaque satis patenter videtur, „omne rationale ad hoc existere, ut, sicut ratione dis„cretionis aliquid majus vel minus bonum sive non bo„num judicat, ita magis aut minùs id amet aut respuat*; „nihil enim aptius, quàm rationalem creaturam „ad hoc esse factam, ut summam Essentiam amet „super omnia bona, sicut ipsum est summum Bo„num; imò ut nihil amet nisi illam, quia illa est „bona per se, & nihil aliud est bonum nisi per il„lam; amare autem eam nequit, nisi ejus remi„nisci & eam studuerit intelligere: clarum est er„gò, rationalem creaturam totum suum velle & „posse ad memorandum & intelligendum & aman„dum summum Bonum impendere debere, ad „quod ipsum suum esse se cognoscit habere.

Denique cap. 68. circa finem: „ Nihil ergò „verius, quàm omnis anima rationalis, si, quem„admodum debet, studeat amando desiderare „summam beatitudinem, aliquando illam ad fru„endum percipiat, *ut, quod nunc videt quasi per speculum & in ænigmate, tunc videat facie ad faciem.*

Hucusque S. Anselmus in suo Monologio: quæ, licèt prolixa videantur, non tamen sunt superflua, nam continent in se substantiam totius, quod S. Augustinus in quindecim libris de S. Trinitate tractat: præterea, si quis hanc auream & divinam Glossam super textum S. Pauli 1. ad Cor. 13. v. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum*, contulerit cum iis, quæ Illum. Doctor noster capite 4. Revel. Secret. in præcedenti Tomo, & in præsenti Tomo in Lib. 2. Mirand. Dem. cap. 27. n. 1. & seqq. & c. 40. n. 11. & Lib. 3. c. 15. n. 5. c. 35. n. 1. & seqq. c. 40. n. 5. & pluribus aliis locis hujus Libri demonstrat, tantam conformitatem Doctrinæ inveniet, quasi ex uno ore profluxerit.

Quoniam in duobus vel tribus Testibus stat omne verbum, audiamus nunc, quale Testimonium perhibeat Doctor & Lumen Ecclesiæ S. Augustinus de Possibilitate & Modo demonstrandi Mysteria Fidei. Hic igitur S. Doctor statim in Exordio quindecim Librorum, quos scripsit de S. Trinitate Libro 1. caput primum sic auspicatur.

„ Lecturus hæc, quæ de Trinitate disserimus, „prius oportet, ut noverit, stylum nostrum ad„versus eorum vigilare calumnias, qui Fidei con„temnentes initium, immaturo & perverso ratio„nis amore falluntur &c. Postea recenset triplex genus errantium & erroris, in quod incurrunt, qui solâ ratione confisi aggrediuntur Dogmata Fidei, quorum primum errat *per inordinatam applicationem rerum sensualium* ad res intellectuales; secundum *per inordinatam applicationem rerum intellectualium finitarum* ad res intellectuales infinitas; tertium *per privationem utriusque*, scilicet rerum sensualium & intellectualium decipitur: dein continuat. „ Ut ergò

„ergò ab hujusmodi falsitatibus humanus ani„mus purgaretur, Sancta Scriptura parvulis con„gruens nullius generis rerum verba vitavit, ex „quibus quasi *gradatim* ad divina atque sublimia „noster intellectus velut nutritus assurgeret: nam „& verbis ex rebus corporalibus sumptis usa est, „cùm de DEO loqueretur &c., & de spiritali crea„tura multa transtulit, quibus significaret illud, „quod ita non esset, sed ita dici opus esset &c.: de „rebus autem, quæ omninò non sunt, non traxit „aliqua vocabula, quibus vel figuraret locutiones, „vel spiraret ænigmata. Dein monstrans difficultatem versandi circa hæc sublimia ait:

„ Proinde Substantiam DEI sinè ulla suî com„mutatione mutabilia facientem, & sinè ullo suî „temporali motu temporalia creantem intueri & „plenè nosse difficile est; *& ideo est necessaria purga„tio mentis nostræ*, quâ illud ineffabile ineffabiliter „videri possit, quâ nondum prædicti *Fide* nutrimur, „& per quædam tolerabiliora itinera ducimur, ut „ad illud capiendum apti & habiles efficiamur &c.: quem sermonem quibusdam parùm gratum ostendit, dum prosequitur.

„Hoc cùm dicitur quibusdam, irascuntur, & „sibi contumeliosè dici putant; & plerumque ma„lunt credere, eos potiùs, à quibus hoc audiunt, „non habere, quod dicant, quàm se capere non „posse, quod dixerint: & aliquando afferimus eis „rationem, non quam petunt, cùm de DEO quæ„runt, quia nec ipsâ eam valent sumere, nec nos „fortasse vel apprehendere vel proferre; sed quâ „demonstretur eis, quàm sint inhabiles minimèque „idonei percipiendo, quod exigunt; sed quia non „audiunt, quod volunt, aut callidè nos agere pu„tant, ut nostram occultemus imperitiam, aut „malitiosè, quòd eis invideamus peritiam; atque „ita indignantes perturbatique discedunt.

Quapropter adjuvante Domino DEO nostro suscipiemus & eam ipsam, quam flagitant, quantùm possumus, reddere Rationem, quòd Trinitas sit unus DEUS & solus & verus, & quam rectè Pater & Filius & Spiritus Sanctus unius ejusdémque Substantiæ vel Essentiæ dicatur, credatur, intelligatur; „ut non quasi nostris „excusationibus illudantur, sed re ipsâ experiantur, „& esse illud summum Bonum, quod purgatissimis „mentibus cernitur, & à se propterea cerni com„prehendíque non posse, quia humanæ mentis a„cies invalida in tam excellenti luce non figitur, „nisi per justitiam Fidei nutrita vegetetur.

„Sed *primum secundùm Authoritatem* Scriptu„rarum Sanctarum, utrùm se ita Fides habeat, de„monstrandum est:

„ *Deindè* (si voluerit & adjuverit DEUS) istis „garrulis ratiocinatoribus elatioribus quàm capa„cioribus, atque ideo morbo periculosiore labo„rantibus, sic fortassè serviemus, *ut inveniant ali„quid, unde dubitare non possint*; & ob hoc in eo, „quod invenire nequiverint, de suis mentibus po„tiùs quàm de ipsa veritate vel de nostris disputa„tionibus conquerantur; atque ita, siquid eis erga „DEUM vel amoris est vel timoris, *ad initium Fi„dei & ordinem redeant*, jam sentientes, quàm sa„lubriter in Sancta Ecclesia medicina Fidelium „constituta sit, ut ad perceptionem incommuta„bilis veritatis imbecillem mentem observata pie„tas sanet, ne in opinionem noxiæ falsitatis temeri„tas inordinata præcipitet,

Multa perutilia scitu continentur in his dictis S. Patris, quæ summatim & per numeros recolligam. 1. Ad acquirendam intelligentiam rerum supernaturalium requiri *duas scalas*; quarum *prima* est in *Objecto*; & hanc suprà expositi in verbo *gradatim: secunda* est in *Potentia*, quam significat in verbo *nutritionis per Fidem & purgatione mentis*. 2. Ostendit, duplicem dari Modum demonstrandi Mysteria Fidei, quorum primus est *per Authoritatem S. Scripturæ*: secundus per *Rationes necessarias*, ût suprà §. *sed primum* & §. *quapropter* & §. *deinde*: quòd autem hæ Rationes sint necessariæ & non tantùm probabiles, exinde infertur, quia tales sunt, ut, qui illas percipiunt, *dubitare non possint*, quod non accideret, si non essent veræ demonstrationes. 3. Tria genera hominum recenset, quibus conatur his Rationibus satisfacere, primò, his, qui sunt extra Fidem, quos solâ ratione vult convincere: vid. §. *deinde*: secundò, his, qui sunt in Fide, *sed mente nondum purgatâ* accedunt ad intelligenda Arcana Fidei; & hos conatur *Fide nutrire*, & per quædam tolerabiliora itinera ducere, ut paulatim ad tam ardua & sublimia capienda fiant apti & habiles: ût habet §. *proinde*. Tertiò & ultimò, his, qui & Fidem tenent, & per Scalam Fidei & Rationis ad supremum verticem jam ascenderunt, quibus Librum 14. & 15. maximè convenire arbitror, in quibus S. Doctor agit de sapientia & imagine magis simili S. Trinitati: per omnes autem quindecim Libros omnia hæc supradicta tria genera hominum tanto ordine Authoritatis & Rationis ab infimo gradu usque ad summum evehit, ut, si illius Modus demonstrandi referatur ad Artem Illum. Doctoris, & Demonstrationes particulares illius ad Demonstrationes particulares hujus, nemo, nisi ultrò cæcutire amet, non sit visurus omnimodam & exactam utriusque concordantiam, quod infrà per exempla apparebit.

Quòd si post hæc omnia perspecta quidam Illum. Doctorem nostrum adhuc respuant, quia stylus ipsius non prorsus convenit cum stylo S. Augustini & aliorum SS. Patrum, licèt in Doctrina conveniat, audiant iterum S. Augustinum eodem Lib. 1. c. 3. de S. Trinit. se ipsum excusantem de hac objectione: „utile est (inquit) plures (libros) à pluri„bus fieri diverso stylo, non diversâ Fide, etiam de „quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa per„veniat, ad alios sic, ad alios autem sic

Non erit incongruum hoc loco, Authoritate tanti Doctoris monstrare, quòd eadem sors obtigerit Libris S. Augustini, quæ Libris B. Raymundi ob eandem scilicet sublimitatem doctrinæ non satis perceptam à suis Lectoribus. „ Arbitror sanè, (ait „S. Doctor dicto cap. 3. primi Lib. de Trinit.) non„nullos tardiores, in quibusdam locis Librorum „meorum opinaturos, me sensisse; quod non sen„si, aut non sensisse, quod sensi; quorum errorem „mihi tribui non debere, quis nesciat, si velut me „sequentes neque apprehendentes deviaverint in „aliquam falsitatem, dum cogor per quædam den„sa & opaca viam carpere, quandoquidem nec ip„sis sanctis divinorum Librorum Authoritatibus ul„lo modo quisquam rectè tribuerit tam multos & „varios errores hæreticorum, cùm omnes ex eis„dem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas „conentur defendere: admonet me planè, ac mi„hi jubet suavissimo imperio Lex Christi, h. e. cha„ritas, ut, cùm aliquid falsi in Libris meis me „sensisse homines putant, quod ego non sensi, „atque id ipsum falsum alteri displicet, alteri pla„cet, malim me reprehendi à reprehensore falsita-

„tis, quàm ab ejus laudatore laudari: ab illo enim, „quamvis ego non rectè, qui hoc non senserim, „error tamen ipse rectè vituperatur; ab hoc autem „nec ego rectè laudor, à quo existimor id sensisse, „quod vituperat veritas, nec ipsa sententia, quam „vituperat veritas.

Et utinam hi, qui Librorum horum profundissimorum vel S. Augustini vel aliorum SS. Patrum vel Beati Raymundi nostri Lectores, Interpretes & Judices esse præsumunt, id eâ formâ peragerent, quam idem S. Augustinus Lib. 3. de Trinit. cap. 1. præscribit sequentibus verbis. „Sanè cùm in omnibus Literis meis non solùm pium Lectorem sed „etiam liberum Correctorem desiderem, multò „maximè in his, ubi ipsa magnitudo quæstionis utinam tam multos inventores habere posset, quàm „multos contradictores habet: veruntamen sicut „Lectorem meum nolo mihi esse deditum, ita Corrector nolo sibi; ille me non amet ampliùs, quàm „CatholicamFidem, iste se non amet ampliùs, quàm „Catholicam Veritatem: sicut illi dico, noli meis „literis quasi scripturis canonicis inservire, sed in „illis, & quæ non credebas, cùm inveneris, inconcutanter crede; in istis autem, quod certum „non habebas, nisi certum intellexeris, noli „firmiter retinere, ita illi dico, noli meas literas „ex tua opinione vel contentione, sed ex divina „lectione vel inconcussa ratione corrigere: si quid „in eis veri comprehenderis, existendo non est me„um, at intelligendo & amando & tuum sit & meum; „si quid autem falsi conviceris, errando fuerit „meum, sed jam cavendo nec tuum sit nec meum.

Conferant hæc dicta S. August. cum iis B. Raymundi, quæ Tomo 1. antecedenti in Dedicatione ad DEUM ex cap. 366. Lib. 5. Contempl. & in Revel. Secret. Art. cap. 1. fol. 11. §. *Unde in hoc* ex cap. 365. ejusdem lib. 5. Contempl. attulimus, & offendent differentiam quidem verborum, sed concordantiam animorum utriusque Doctoris.

Redeamus, unde digressi sumus: quamvis in præcedenti Authoritate S. Augustini, quâ ostendit possibilitatem probandi Mysteria Fidei, simul revelet modum & media, in sequentibus tamen per plures alias ab ipso mutuatas sententias id ipsum confirmabo & lucidiùs exponam: ante omnia autem S. Pater exigit *Fidem* in quærente & investigante, unde

Lib. 9. de Trinit. statim ab initio sic ait: „Trinitatem certè quærimus, non quamlibet, sed il„lam Trinitatem, quæ DEUS est, verusque ac sum„mus ac solus DEUS: expecta ergò, quisquis hæc „audis, adhuc enim quærimus, & talia quærentem „nemo justè reprehendit, *si tamen in Fide firmissima „quærat*, quod aut nosse, aut eloqui difficillimum „est &c. Et paulò infrà: „tutissima est enim quæ„rentis intentio, donec apprehendatur illud, quò „tendimus, & quò extendimur; sed ea recta in„tentio est, quæ proficiscitur à fide; certa enim fi„des utcunque inchoat cognitionem, cognitio ve„rò certa non perficietur, nisi post hanc vitam, „cùm *videbimus facie ad faciem*. Ex quibus ultimis verbis forsan pars adversa sumet arma nos impugnandi, asserendo, nihil certi nos in hac vita de Trinitate posse cognoscere, nec per consequens demonstrare; sed aliam fuisse mentem D. Augustini tota praxis suorum quindecim Librorum de Trinitate convincit, quin ipsa verba (*videbimus facie ad faciem*) satis indicant, qualem certitudinem in hac vita velit excludere. Sed audiamus S. Doctorem se ipsum meliùs exponentem.

Lib. 1. Retract. cap. 14. „Item dixi (inquit:) „Duæ sunt enim personæ in Religione laudabi„les; una eorum, qui jam invenerunt, quos e„tiam beatissimos judicare necesse est; alia eorum, „qui studiosissimè & rectissimè inquirunt primi „ergò sunt jam in ipsa possessione, alteri in via, „quâ tamen certissimè pervenitur. In his verbis meis, „si illi, qui jam invenerunt, quos in ipsa possessio„ne esse jam diximus, sic accipiantur beatissimi, „ut non in hac vita, sed in ea, quam speramus, „& ad quam per fidei viam tenditmus, sint, non „habet iste sensus errorem; ipsi enim judicandi „sunt, quod quærendum est, invenisse, qui jam „ibi sunt, quò nos quærendo & credendo, id est, „viam fidei tenendo cupimus pervenire: si autem „in hac vita putantur isti esse vel fuisse, id verum „esse, non mihi videtur, NB. *non quia in hac vita nihil veri omnino inveniri potest, quod mente cernatur, non fide credatur, sed quia tantum est, quidquid est, ut non faciat beatissimos:* neque enim, quòd ait Apostolus: *videmus nunc per speculum in ænigmate*, „& „nunc cernitur ex parte, non cernitur mente; NB. „cernitur planè, sed beatissimos non facit; illud „enim beatissimos facit, quòd ait: *tunc autem facie ad faciem, & tunc cognoscam sicut & cognitus sum.* &c.

Nunc scire cuperem, quid secundùm mentem D. Augustini veri hoc esset, quod in hac vita mente cerni, non fide credi posset, & tamen sit visibile per speculum & in ænigmate? Lib. 5. de Trin. ab initio sic habet S. Doctor. „Hinc jam „exordiens ea dicere, quæ dici, ût cogitantur, „vel ab homine aliquo, vel certè à nobis non om„nimodo possunt; quamvis & ipsa nostra cogita„tio, cùm de DEI Trinitate cogitamus, longè se „illi, de quo cogitat, imparem sentiat, neque, „ût est, eum capiat, sed, ût scriptum est, etiam „tantis, quantus Paulus Apostolus hîc erat, *per „speculum & in ænigmate videatur.*

Adhuc clariùs in Lib. 6. de Trin. circa finem. *Oportet igitur, ut Creatorem per ea, quæ facta sunt, intellectu conspicientes Trinitatem intelligamus, cujus in creatura, quomodo dignum est, apparet vestigium:* „in illa enim Trinitate summa origo est rerum om„nium, & perfectissima pulchritudo & beatissima „delectatio: itaque illa tria & ad se invicem deter„minari videntur, & in se infinita sunt; sed hîc „in rebus corporeis non tantùm est res una, quan„tùm tres simul, & plus aliquid sunt duæ, quàm „una res: cæterùm in illa summa Trinitate tan„tum est una, quantum tres simul, nec plus ali„quid sunt duæ, quàm una, & in se infinita sunt, „ita & singula sunt in singulis, & omnia in singu„lis, & singula in omnibus, & omnia in omnibus, „& unum omnia. *Qui videt hoc vel ex parte vel per „speculum & in ænigmate, gaudeat cognoscens DEUM, „& sicut DEUM honoret & gratias agat*; qui autem „non videt, tendat per pietatem ad videndum, „non per cæcitatem ad calumniandum, quoniam „unus est DEUS sed tamen Trinitas &c. hæc S. Augustinus, ubi simul & modum & ordinem & dispositionem hujus visionis explicat, initiando à credere, & terminando in intelligere.

Et quamvis hoc loco quispiam me posset arguere de contradictione, cùm modò Fidem necessariam modò non necessariam ad intelligendam Trinitatem & alia Fidei Mysteria Authoritate S. Augustini videar probare, ita tamen non est, ût patet ex iis, quæ primo Tomo de Revel. Secr. Artis cap. 4. ex B. Raymundo Lullo Magistro nostro attulimus, quæ

quæ combinata cum præcedentibus ex S. Augustino allatis dubium omne tollent, & exactam utriusque monstrabunt concordantiam: sed de hac materia infrà ex professo tractabitur. Interim dico, cùm Illum. Doctor cum S. Augustino toties repetat illud Isaiæ: *nisi credideritis, non intelligetis*, & uterque asserat, Fidem esse lumen, quo mediante intellectus ea videre potest, quæ naturaliter videre non potest, quomodo subsisteret visio, si lumen ad videndum deficeret? legant ergò supradictos textus attentiùs, qui de illis dubitant, ut perfectiùs intelligant, quomodo sinè destructione Fidei verè dicatur: *mente cernitur, non Fide credatur.*

Plura habet S. Augustinus in Lib. de Utilitate credendi, quæ supradatum textum ex Lib. Retract. excerptum ampliùs elucidant: hic certè Liber est adeò excellens, & tam manifestis argumentis probat, *quòd & quomodo* ipsum credere debeat præcedere ipsum intelligere Mysteria Fidei, ut arbitrer, neminem sanâ ratione pollentem, cujuscunque demum sit sectæ vel religionis, modò illum tranquillo & non præoccupato legat judicio, non posse moveri & efficaciter trahi ad assensum illis præbendum: & cùm S. Doctor per totum hunc Librum (ût in aliis omnibus) perpetuò utatur modo demonstrandi regulato secundùm principia & Artem Doctoris Illuminati, tantò libentiùs contraxi totum Librum in summam, quantò & labor ipse mihi erat amœnior, & fructus laboris plurimis futurus utilior.

Sic igitur S. Doctor præfato Libro de Util. cred. cap. 11. fol. 41. „*Duæ* Personæ in religione sunt „laudabiles; una eorum, qui jam invenerunt, „quos etiam beatissimos judicare necesse est; alia „eorum, qui studiosissimè & rectissimè inquirunt: „primi ergò sunt etiam in ipsa possessione, alteri „in via, quâ tamen certissime pervenitur. *Tria* sunt „alia hominum genera profectò improbanda ac de„testanda; unum est opinantium, id est, eorum, „qui se opinantur scire, quod nesciunt; alterum „eorum, qui sentiunt quidem, se nescire, sed „non ita quærunt, ut invenire possint; tertium, „qui neque, se scire, existimant, nec quærere „volunt; *Tria* sunt item velut finitima in animis „hominum, distinctione dignissima, *intelligere*, „*credere*, *opinari*, quæ si per se ipsa considerentur, „*primum* semper sinè vitio est, *secundum* aliquando „cum vitio, *tertium* nunquam sinè vitio; & hoc ad „eandem beatitudinem referre debemus, in hac „enim vita, quantumcunque id sciatur, nondum „est beatissimum, quoniam incomparabiliter longè „est amplius, quod inde nescitur &c.: & paulò infrà eodem cap.

„Quod intelligimus igitur, debemus Rationi, „quod credimus, Authoritati, quod opinamur, er„rori: *sed intelligens omnis etiam credit*; credit om„nis, & qui opinatur; non omnis, qui credit in„telligit; nullus, qui opinatur intelligit. Hæc „ergò tria si ad illa quinque hominum genera, quæ „paulò antè commemoravimus, referantur, id „est, duo probanda, quæ priora posuimus, & tria „reliqua vitiosa, invenimus *primum Beatorum* ge„nus ipsi veritati credere; *secundum* autem studio„sorum amatorúmque veritatis authoritati; in qui„bus duobus generibus laudabiliter creditur: in „*primo* autem *vitiosorum*, id est, eorum, qui opi„nantur, se scire, quod nesciunt, est profectò vi„tiosa credulitas; cætera *duo* improbanda genera „nihil credunt, & illi, qui verum quærunt cum „desperatione inveniendi, & illi, qui omnino „non quærunt &c. Quare duo genera possunt es„se adversantium veritati; unum eorum, qui sci„entiam tantùm oppugnant, non Fidem, alterum „eorum, qui utrumque condemnant.

„Hæc dicta sunt, ut intelligeremus, nos re„tentâ Fide illarum etiam rerum, quas nondum „comprehendimus, à temeritate opinantium vin„dicari; nam qui dicunt, nihil esse credendum, „nisi quod scimus, id unum cavent nomen opina„tionis, quod fatendum est turpe ac miserrimum: „sed si quis diligenter consideret, plurimum inter„esse, utrùm se scire quis putet, an, quod nescire „se intelligit, credat aliquâ authoritate commo„tus, profectò erroris & inhumanitatis atque super„biæ crimen vitabit.

Jam, quomodo Fides Rationem, & non Ratio Fidem debeat præcedere, audi pulcherrimam Demonstrationem S. Doctoris, cujus tibi in antecessum pono curtam analysin: attende igitur ad sequentia Principia, videlicet *Sapientiam*, *Stultitiam*, *Scientiam*, *Ignorantiam*, *Virtutem*, *Vitium* vel *peccatum*, *Dominium*, *Servitutem*, *Veritatem*, *Falsitatem*, *Fidem*, *Rationem*, *credere*, *intelligere*, *agere*, *pati*, & alios terminos in simili oppositione constitutos; quos omnes pone in *quadratum primi Circuli Logicæ* c. 3. Rev. Secret., in primo Tomo contentum, & statim prodibunt habitudines & relationes unius ad alterum, quas in sequenti exemplo exhibeo.

Cap. 12. dicti Libri circa medium sic lego: „Cùm de religione, id est, cùm de colendo atque „intelligendo DEO agitur, ii minùs sequendi sunt „qui nos credere vetant, rationem promtissimè „pollicentes: nam nemini dubium est, omnes „homines aut *Stultos* aut *Sapientes* esse (*Nunc autem Sapientes voco, non cordatos & ingeniosos homines, sed eos, quibus inest, quanta inesse homini potest, ipsius hominis Deique firmissimè percepta cognitio, atque huic cognitioni vita moresque congruentes: cæteros autem cujusque modi artibus inertiisque affecti sint, quolibet victu probandi sive improbandi, stultorum in numero deputaverim*) quæ cùm ita sint, quis mediocriter in„telligens non planè viderit, stultis utilius atque „salubrius esse, præceptis obtemperare sapientium, „quàm suo judicio vitam degere? nam omne „factum, si rectè factum non est, *peccatum* est; „nec rectè factum esse ullo modo potest, quod non „à recta *ratione* proficiscitur: porrò recta ratio est „ipsa *virtus*; cui autem hominum virtus nisi sapi„entis animo præsto est? solus igitur sapiens non „peccat; stultus ergò omnis peccat, nisi in iis fa„ctis, in quibus sapienti obtemperaverit, à recta „enim ratione talia facta proficiscuntur, nec (ût ita „dicam) *dominus* sui facti stultus existimandus est, „cùm est tanquam instrumentum ministeriumque „sapientis: quare si omnibus hominibus non pec„care quàm peccare melius est, melius profectò „stulti omnes viverent, si *servi* possent esse sapien„tum &c. Nihil igitur nobis restare amodò vides, „quamdiu stulti sumus, si nobis vita optima & re„ligiosa cordi est, nisi ut quæramus sapientes, qui„bus obtemperando, *dominationem* stultitiæ neque „ita multum sentire, dum inest nobis, & evadere „aliquando possimus.

Cap. 13. ibid. „Hîc rursus oritur difficillima „quæstio, quonam enim modo stulti sapientem „invenire poterimus &c.? neque enim signis qui„buslibet cognoscere aliquid potest, nisi illud ip„sum, cujus ea signa sunt, noverit: atqui sapien-

„tiam ſtultus *ignorat* &c.: caret autem ſtultus ſa-
„pientiâ, non igitur *novit* ſapientiam; non enim
„oculis eam poſſet videre; non autem poteſt vide-
„re, & non habere, neque habere, ac ſtultus es-
„ſe: neſcit hanc igitur, & dum neſcit, in alio lo-
„co cognoſcere non poteſt; non ergò poteſt, quam-
„diu ſtultus eſt, quisquam certiſſimâ cognitione in-
„venire ſapientem, cui obtemperando, tanto ſtul-
„titiæ malo liberetur. Huic igitur tam immani
„difficultati, quoniam de Religione quærimus,
„DEUS ſolus mederi poteſt, quem niſi & eſſe, &
„humanis mentibus opitulari credimus, nec quæ-
„rere quidem ipſam veram Religionem debe-
„mus &c.

Cap. 14. „Rectè igitur Catholicæ diſciplinæ
„majeſtate inſtitutum eſt, ut accedentibus ad Re-
„ligionem *Fides* perſuadeatur ante omnia &c.: hos
„verò quis ferat, ad Chriſtum ſe pertinere, profi-
„teri, qui niſi apertiſſimam Rationem ſtultis de
„DEO protulerint, nihil *credendum* eſſe, conten-
„dunt? at ipſum videmus quantùm illa, cui &
„ipſi credunt, docet hiſtoria, nihil prius, neque
„fortius, quàm credi ſibi voluiſſe, cùm illi non-
„dum eſſent idonei, cum quibus ei res eſſet, ad
„divina percipienda Secreta; quid enim aliud a-
„gunt tanta & tam multa Miracula; ipſo etiam
„dicente, illa fieri non ob aliud, niſi ut ſibi crede-
„retur? Fide ille ſtultos ducebat, vos Ratione du-
„citis; clamabat ille, ut crederetur, vos recla-
„matis; laudabat credentes ille, vos objurgatis
„&c. Ergò ille afferens medicinam, quæ corrup-
„tiſſimos mores ſanatura eſſet, *Miraculis* concilia-
„vit Authoritatem, Authoritate meruit Fidem,
„Fide contraxit multitudinem, multitudine obti-
„nuit vetuſtatem, vetuſtate roboravit Religio-
„nem, quam non ſolùm hæreticorum ineptiſſima
„novitas fraudibus agens, ſed nec gentium qui-
„dem veternoſus error violenter adverſans, aliqua
„ex parte convelleret.

Cap. 15. „Quamobrem, tametſi docere non
„valeo, monere tamen non deſino, ut, quoniam
„multi ſapientes videri volunt, neque, utrùm
„ſint ſtulti, dignoſcere facilè eſt, omni intentio-
„ne votisque omnibus, gemitibus denique, vel
„etiam, ſi fieri poteſt, fletibus DEUM depreca-
„re, ut te ab erroris malo liberet, ſi tibi beata vita
„cordi eſt; quod faciliùs fiet, ſi præceptis ejus,
„quæ tantâ Eccleſiæ Catholicæ Authoritate firma-
„ta eſſe voluit, libens obtemperes: cùm enim ſa-
„piens ſit DEO ita mente conjunctus, ut nihil in-
„terponatur, quod ſeparet (DEUS enim eſt *veri-*
„*tas*) nec ullo pacto ſapiens quisquam eſt, ſi non
„veritatem mente contingat, negare non poſſu-
„mus, inter ſtultitiam hominis & ſinceriſſimam
„DEI veritatem *medium* quiddam interpoſitam eſſe
„hominis ſapientiam: ſapiens enim, quantum da-
„tum eſt, imitatur DEUM; homini autem ſtul-
„to ad imitandum ſalubriter nihil eſt homine ſapi-
„ente propinquius; quem quoniam (ût dictum eſt)
„*intelligere* ratione non facilè eſt, oportebat quæ-
„dam *Miracula* ipſis oculis admoveri, quibus utun-
„tur ſtulti multò quàm mente commodiùs, ut com-
„motorum authoritate hominum priùs vita mo-
„résque purgarentur, & ita *Rationi* accipiendæ ha-
„biles fierent.

„Cùm igitur & homo eſſet imitandus, & non
„in homine ſpes ponenda, quid potuit indulgen-
„tius & liberalius divinitùs fieri, quàm ut ipſa DEI
„ſincera, æterna, incommutabilisque ſapientia,
„cui nos hærere oportet, ſuſcipere hominem dig-
„naretur? qui non modò illa *faceret*, quibus ad
„ſequendum DEUM invitaremur, ſed etiam illa
„*pateretur*, quibus à ſequendo DEO deterreba-
„mur &c.

Cap. 16. „Hæc eſt, crede, ſaluberrima au-
„thoritas, hæc priùs mentis noſtræ à terrena inha-
„bitatione ſuſpenſio, hæc in DEUM verum ab hu-
„jus mundi amore converſio; ſola eſt *Authoritas*,
„quæ commovet ſtultos, ut ad ſapientiam feſti-
„nent &c. Hæc autem, ſepoſitâ ratione, quam
„ſinceram intelligere, ût ſæpè diximus, difficilli-
„mum ſtultis eſt, dupliciter nos movet, partim
„miraculis, partim ſequentium multitudine; ni-
„hil horum eſſe neceſſarium ſapienti, quis negat?
„ſed id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus,
„id eſt, inhærere *veritati*, quod profectò ſordidus
„animus non poteſt: ſunt autem ſordes animi (ut
„brevi explicem) amor quarumlibet rerum, præ-
„ter animum & DEUM; à quibus *ſordibus* quantò
„eſt quis *purgatior*, tantò verum faciliùs intuetur:
„*verum* igitur *videre* velle, ut animum *purges*, cùm
„ideo purgetur, ut videas, perverſum certè atque
„præpoſterum eſt: homini ergò non volenti verum
„intueri, ut ad id fiat idoneus, purgaríque ſe ſinat,
„authoritas præſto eſt, quam (ût paulò antè dixi)
„partim miraculis partim multitudine valere, ne-
„mo ambigit.

Cap. 18. „Cùm igitur tantum auxilium DEI,
„tantum profectum fructumque videamus, dubita-
„bimus nos ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ us-
„que ad confeſſionem generis humani ab Apoſto-
„lica Sede per Succeſſiones Epiſcoporum truſtra
„hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis
„ipſius judicio, partim Conciliorum gravitate, par-
„tim etiam miraculorum majeſtate damnatis, cul-
„men Authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare
„vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis
„arrogantiæ: nam ſi nulla certa ad ſapientiam ſa-
„lutemque animis via eſt, niſi cum eos *Rationi* præ-
„colit *Fides*, quid eſt aliud ingratum eſſe opi atque
„auxilio divino, quàm tanto labore præditæ au-
„thoritati velle reſiſtere? & ſi unaquæque diſcipli-
„na, quanquam vilis & facilis, ut percipi poſſit,
„doctorem aut magiſtrum requirit, quid temerariæ
„ſuperbiæ plenius, quàm divinorum Sacramento-
„rum Libros & ab Interpretibus ſuis nolle cogno-
„ſcere, & incognitos velle damnare?

Cap. 19. „Quamobrem, ſi quid te vel ratio
„vel oratio noſtra commovit, & ſi veram, ût cre-
„do, curam tuî geris, velim, me audias, & bo-
„nis Præceptoribus Catholicæ Chriſtianitatis te
„piâ Fide, alacri Spe, ſimplici Charitate commit-
„tas; DEUMque ipſum, cujus unius & bonitate
„facti ſumus & juſtitiâ pœnas luimus, & clemen-
„tiâ liberamur, orare non ceſſes; ita tibi neque
„præcepta & diſputationes doctiſſimorum homi-
„num & verè Chriſtianorum, neque libri, neque
„ſerenæ ipſæ cogitationes defuerint, quibus faci-
„lè, quod quæris, invenias. Hæc S. Doctor, quæ
ſi referas ad ea, quæ ſuprà ex S. Anſelmo adduxi-
mus, invenies eſſe compendium hujus compendii.

Veruntamen quia huic exemplo præpoſui in-
dicem analyſeos Artis, non erit inutile ſubjicere
indicem analyſeos doctrinæ, repetendo breviter,
quidquid per Authoritatem tanti Doctoris de Poſſi-
bilitate & Modo probandi credibilium ſcire nos
convenit. Duo eſſe genera hominum ex S. Do-
ctore cognovimus, *ſtultos* nempe & *ſapientes*; ſtul-
torum

torum iterum duo, ſcilicet *rudes* & *ingenioſos*: u-
trumque hoc genus iterum in duo genera dividitur,
aut enim ſunt *extra Fidem*, aut *in Fide*.

Qui ſunt *rudes*, & *extra Fidem*, plus vident
per oculos ſenſuales, quàm per oculos intellectua-
les, quos voluit ſapientia convincere per *Demon-
ſtrationes ſenſuales*, ſcilicet *per Miracula* & alia media
ſenſu attingibilia, ut crederent veritatem, quam
nondum poſſunt intelligere; *quia Miracula ſunt De-
monſtrationes neceſſaria intellectui*, ût ait Doctor Il-
lum. Lib. 1. Mir. Dem. cap. 14. fol. 6., qualis fuit
illa S. Thomæ facta à Chriſto afferente: *quia vi-
diſti me Thoma, credidiſti* Joan. 20. v. 29.

Qui ſunt *ingenioſi* & *extra Fidem*, vident per
oculos ſenſuales & intellectuales ſimul; ſed quia
nondum ſunt illuminati lumine ſupernaturali Fidei,
hos voluit ſapientia convincere per demonſtratio-
nes ſenſuales, ût priores, & inſuper per demon-
ſtrationes intellectuales fundatas ſuper principia lu-
mine naturali nota, quibus allicerentur ad Fidem:
talis eſt præcedens ex S. Auguſtino allata, cui ne-
mo, qui Artem & Principia, ex quibus eſt forma-
ta, intelligit, poteſt rationabiliter diſſentire, quam-
vis obſtinatâ voluntate poſſit reſiſtere. In hoc ge-
nere fuerunt ethnici Philoſophi præſertim Plato &
ejus Diſcipuli, inſiſtentes principiis Theologiæ na-
turalis, quos præ cæteris laudat S. Doctor, eosque
ſegregat à reliqua Sophiſtarum ſcilicet Stoicorum,
Epicureorum & Academicorum ſecta, velut me-
lioris notæ & purioris Philoſophiæ Magiſtros, ût vi-
dere eſt Lib. 3. contra Academicos circa finem fol.
195. ubi commendans Philoſophiam Platonis, *os*
(inquit) *Platonis, quod in Philoſophia purgatiſſimum
eſt & lucidiſſimum, dimotis nubibus erroris emicuit:*
& in Lib. 8. de Civit. DEI, per multa capita, præ-
cipuè cap. 5. ubi Theologiam Platonis præferens
Theologiæ fabuloſæ & civili, has ambas Platoni-
cis Philoſophis cedere aſſerit, ſed alios quoque Phi-
loſophos *tantis & tanti DEI cognitoribus viris cedere*
debere affirmavit: de his caput 6. mirabili diſcur-
ſu ad normam Artis noſtræ redacto implet lectu
digniſſimum, eosque capite 9. ſejungit à grege,
à quo cavere jubet Apoſtolus ad Rom. 1. *cavete, ne
quis vos deciptat per Philoſophiam & inanem ſeductio-
nem ſecundum elementa mundi:* „deinde (continuat S.
„Doctor, loquens de Chriſtiano) ne omnes tales eſſe
„arbitretur, audit ab eodem Apoſtolo dici de quibus-
dam; *quia quod notum eſt DEI, manifeſtum eſt in il-
lis; DEUS enim illis manifeſtavit, inviſibilia enim ejus
à conſtitutione mundi &c.*, quæ ſuperiùs quomodo à S.
Auguſtino de Philoſophis intelligantur, ſatis oſten-
di. Unde idem S. Doctor adhuc Catechumenus,
qualis ſcripſit libros tres contra Academicos, non
crimen eſſe ratus eſt Chriſtianæ Doctrinæ aſſociare
Doctrinam Platonicorum ad eruendam veritatem,
ſic enim habet Lib. 3. contra Acad. circa finem.
„Nulli autem dubium eſt, gemino pondere nos
„impelli ad diſcendum *Authoritatis* atque *Rationis*;
„mihi autem certum eſt nuſquam prorſus à Chriſti
„Authoritate diſcedere, non enim reperio valentio-
„rem: quòd autem ſubtiliſſimâ ratione perſequen-
„dum eſt, ita enim jam ſum affectus, ut, quid ſit
„verum, non credendo ſolùm, ſed etiam intelli-
„gendo apprehendere impatienter deſiderem, apud
„Platonicos me interim, quod ſacris noſtris non
„repugnet, reperturum eſſe confido.

Quæres forſan, cur iſta de antiquis Philoſo-
phis gentilibus hoc loco commemorem? Reſpon-
deo, quia miror, quomodo *ingenioſus extra Fidem*
ſecundùm mentem S. Auguſtini poſſit intelligere
vel docere alium ea, quæ ſunt Fidei, cùm ſuprà dic-
tum ſit, quòd credere debeat præcedere ipſum in-
telligere. At (regeres,) nunquid & hic Authorita-
tem præmittit Rationi? & ego, in ſe diſcente qui-
dem, ſed non in Platonico docente: unde ad li-
tem hanc paucis finiendam, convenit ſcire, quid
& quantum in homine *Fides naturalis* & *Ratio natu-
ralis* operari poſſit mediante divino influxu genera-
li, quem *concurſum generalem* in Schola vocant; &
quid *Fides ſupernaturalis* & *Ratio ſupernaturalis*, me-
diante divino influxu ſpeciali; quæ omnia expo-
nere brevitas hujus Præfationis non admittit: qua-
propter qui, quod quærit de hac materia, cupit
invenire, recurrat ad *Arborem Fidei & Rationis*,
quam Doctor Illum. ponit in Lib. 4. Diſt. 36. Vol.
3. Contempl., & mente ſerenâ perluſtret totam
arborem, incipiendo à Cap. 238. uſque ad Caput
244. incluſivè, quia illic talia & tanta inveniet,
qualia & quanta à nullo unquam Authore ſcripta
ſunt: ſed caveat, ne confundat ibi Fidem & Ra-
tionem naturales cum Fide & Ratione ſupernatura-
libus, ût fecit adverſarius Raymundi.

Cùm igitur DEUS tantam lucem dederit quibus-
dam antiquorum Philoſophorum, ſcilicet *ingenio-
ſis extra Fidem*, ut id, *quod notum eſt DEI, manife-
ſtatum ſit in illis, DEUS enim illis manifeſtavit*, non
aliâ ratione, niſi *quia inviſibilia ipſius à creatura mun-
di per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexerunt*, ita
ut ex unitate creaturæ ad Unitatem Creatoris, &
ex trinitate creaturæ ad Trinitatem Creatoris ali-
quatenus cognoſcendam & per rationes ex princi-
piis lumine naturæ notis exponendam potuerint aſ-
ſurgere, quis negabit, hoc ipſum à DEO datum
eſſe *ingenioſis & maximè purgatis in Fide*, imò multò
perfectiùs; nempe ut hæc & alia Myſteria Fidei ra-
tione ſuperiùs expoſitâ intelligere, & aliis tam in-
tra quàm extra Fidem exiſtentibus demonſtrare va-
leant, quantum ſufficit ad illos taliter convincen-
dos per Rationes neceſſarias, ut ſint inexcuſabi-
les, niſi credant.

Hæc interim ſatiare arbitror non inſatiabilem;
qui verò plura de Fide & Ratione ex Authoritate S.
Auguſtini deſiderat, legat ſequent. citat. *Tom. 10.
de Verbis Domini in Evang. ſecun. Joan. ſerm. 54. fol. 65.*
per totum. *Tom. 5. Lib. 9. c. 10. fol. 480. de Civ. DEI.
Tom. 8. fol. 562. in Pſal. 118. con. 18.* circa medium.
*Tom. 9. fol. 101. in Joan. tract. 29. de cap. 7. lit. a. Tom. 10.
Hom 32. fol. 181.* ſtatim à princ.: legant obſecro hanc
homiliam, qui & concordantiam Fidei cum Ra-
tione & modum operandi illarum percipere dele-
ctantur.

Ex quibus omnibus probè intellectis eluceſcent
ſex Modi ſimplices demonſtrandi, videlicet *Demon-
ſtratio ſenſualis, Demonſtratio intellectualis, Demon-
ſtratio naturalis, Demonſtratio ſupernaturalis, Demon-
ſtratio de re finita, Demonſtratio de re infinita*; quæ
iterum inter ſe combinatæ producent numerum
poſſibilem Demonſtrationum compoſitarum, qui-
bus è regione reſpondent totidem Authoritates:
præterea iis adjungenda ſunt tot genera Principio-
rum, ex quibus dictæ Demonſtrationes educuntur,
ſcilicet *ſenſualia, intellectualia, naturalia, ſupera-
turalia, de re finita, de re infinita*: quæ omnia par-
tim hoc Tomo in Libro *Mir. and. Demonſtr.* tam theo-
ricè quàm practicè, partim in *Primo Tomo, & Libro
4. Vol. 3. Contemp.* in quatuor Arboribus mirificè &
abundantiſſimè exponuntur.

Jam libet progredi ad ipſa particularia præmiſ-

sis universalibus, exhibendo scilicet particularia quædam specimina incomparabilis Artis Lullianæ demonstrandi ex suprà nominatorum duorum SS. Patrum Operibus excerpta, quibus ad oculum convincam adversarios, non aliam imò eandem prorsus Methodum demonstrandi fuisse adhibitam à SS. Patribus, quæ à B. Raymundo, eadem principia huic & illis fuisse, nec ullam inter illos esse differentiam, nisi quòd Illum. Doctor suas Demonstrationes clariores & ad modum geometricarum ordinatissimè quamlibet distinctam ab altera proferat, Sancti verò Patres suas obscuriores, & modo oratorio unam connectendo cum altera longâ illationum serie proponant: hic Artem & Usum Artis simul, illi autem solum Usum Artis tradiderint.

Revertamur itaque ad S. Anselmum, & videamus, quàm præclarè demonstret Mysteria Fidei per totum suum Monologium, ad amussim insistendo semitæ Artis Lullianæ; non autem transumam integras Demonstrationes ob vitandam prolixitatem, sed formas tantùm aliquas generales operandi & principia dictarum Demonstrationum monstrabo, remittendo Lectorem ad ipsum Librum deficientia suppleturum.

Cap. 1. dicti Monologii probat S. Doctor existentiam DEI per principia *Bonitatis*, *Magnitudinis*, *Potestatis*, *Justitiæ*, *DEI*, *Creaturæ*, *Operationis*, *Majoritatis*, *Æqualitatis*, *Minoritatis*, his positis sic oritur caput. „ Si quis unam naturam summam „omnium, quæ sunt, solam, sibi in æterna beatitudine sua sufficientem, omnibusque rebus aliis „hoc ipsum, quod aliquid sunt, aut quod aliquo „modo bene sunt, per omnipotentem bonitatem „suam dantem & facientem aliáque perplura, quæ „de DEO sive de ejus creatura necessariò credimus, „aut non audiendo aut non credendo ignorat, pu„te, quia ea ipsa ex magna parte, si vel mediocris „ingenii est, potest ipse sibi saltem *solâ Ratione* per„suadere: quod cùm multis modis facere possit, „*unum* ponam, quem illi æstimo esse promptissi„mum. (Audiamus ipsum, an fortè cùm Lullianis ad *aniles fabulas*, *ad frivola* & *nugas* sit relegandus à nostris Antilullistis.)

Sed antequam demonstrationem ipsam depromat, commendat S. Doctor suam humilitatem & modestiam sequentibus, „ in quo tamen (inqui„ens) si quid dixero, quod major non monstrat „Authoritas, sic volo accipi, ut quamvis ex Ratio„nibus, quæ mihi videbantur, quasi necessarium „concludatur, non ob hoc tamen omnino neces„sarium, sed tantùm sic interim videri posse, dicatur: quæ dicta sic accipienda sunt, non quòd ex Arte quid falsi vel incerti vel non necessarii inferri queat, sed quòd propter ignorantiam Artificis Arte non perfectè utentis error quandoque incidere possit; si enim in scientiis naturalibus v. g. Arithmetica & Geometria hoc non infrequenter solet contingere etiam summis Artificibus, quid ni in tam sublimi & alta scientia, quæ omnes alias longè superat, videlicet Theologia, posset accidere? unde meritò discipulos suos Illum. Doctor & S. Anselmus suis exemplis ad superiorem revocant Authoritatem, ne fallibilitate, quæ est in ipsis, & non in Arte, forsan decipiantur; quod eximiè insuper probat Doctor Illum. in pluribus locis suorum Librorum, præsertim in Comp. super Art. Dem. Dist. 3. de Quæ. Y. in primo modo solv. f. 126. Tō. 3.

„ Certissimum (pergit) quidem & omnibus „volentibus advertere est perspicuum, quia, quæ„cunque dicuntur aliquid ita, ut ad invicem *ma„gis* aut *minùs* aut *æqualiter* dicantur, per aliud di„cuntur, quod non aliud & aliud sed idem intelligi„tur in diversis, sive in illis æqualiter sive inæqualiter „consideretur: nam quæcunque justa dicuntur ad in„vicē sive pariter, sive magìs vel minùs, non possunt „intelligi justa, nisi per *justitiam*, quæ non est aliud „& aliud in diversis: ergò cùm certum sit, quòd „omnia bona, si ad invicem conferamus, aut æ„qualiter aut inæqualiter sint bona, necesse est, „omnia sint per aliquid bona, quod intelligitur „idem in diversis bonis &c. (en, quomodo ex æqualitate horum duorum Attributorum scilicet Justitiæ & Bonitatis infert unum ex altero) „ quis autem „dubitet, illud ipsum, per quod cuncta sunt bona, „esse *magnum bonum* &c.? at nullum bonum, quod „per aliud est, est *æquale* aut *majus* eo bono, quod „per se est bonum, illud itaque est summè bonum, „quod solum est per se bonum &c., sed quod est „summè bonum, est etiam summè magnum, est „igitur unum aliquid summè magnum & summè „bonum, id est, summum omnium, quæ sunt.

Quid deest huic Demonstrationi de Arte Lulliana? metire hanc ad illas, quas Lib. 2. Mir. Dem. invenies; eodem fundamento nititur Demonstratio secundi & tertii capitis: principia tertii capitis sunt, *Unitas*, *Pluralitas*, *per se*, *per aliud*; pone hos quatuor terminos in figuram X. & quadratum Logicæ, & videbis, totum caput tertium esse contextum ex ipsis: in capite quarto iisdem quatuor terminis addit triangulum croceum figuræ T. & procedit per 9. modum Art. Comp. inv. ver.: caput quintum formatur per quatuor principia secundæ Arboris Lib. 4. Contempl. & per secundum quadr. fig. X. mixta cum præcedentibus principiis: in fine hujus capitis affertur argumentum à proportione majoritatis & minoritatis, de qua vide Geometriam in Revel Secret. Artis cap. 3., quod sic sonat: „ Quem„admodum se habent ad invicem *lux* & *lucere* & *lu„cens*, sic sunt ad invicem, *essentia*, *esse* & *ens*, h. e. „existens sive subsistens, ergò *summa essentia* & „*summè esse*, & *summè ens*, id est, summè existens „sive summè subsistens non dissimiliter sibi conve„nient, quàm lux & lucere & lucens.

Totum Caput 6. 7. & 8. girat super duos polos *Esse* & *Privationis*, in sequentibus verò capitibus paulatim disponit intellectum ad intelligendum & demonstrandum Mysterium Trinitatis, quæ capita, si Artem nôris, facilè resolves in sua principia: unde ad dictam demonstrationem properans pauca delibo ex cap. 14. de oppositione terminorum tam necessariâ scitu ad faciendas demonstrationes more in Schola Lulliana argumentandi frequentissimo sinè tricis figurarum & modorum Aristotelicorum. Hoc ergò capite ait S. Doctor: „ Ipsum & non ip„sum, non aliud hic intelligo, quàm verum, non „verum, corpus, non corpus & his similia: me„lius quidem est omninò aliquid, quàm non ip„sum; út sapiens, quàm non sapiens; id est, me„lius est sapiens, quàm non sapiens; quamvis „enim justus non sapiens melior videatur, quàm „non justus sapiens, non tamen meliùs sim„pliciter est non sapiens, quàm sapiens; omne „enim non sapiens simpliciter, in quantum non „sapiens, est minus, quàm sapiens, quia omne „non sapiens melius esset, si esset sapiens: simili„ter omninò melius est verum, quàm non ipsum, „id est, quàm non verum, & justum, quàm non „justum, & vivit, quàm non vivit &c.

Ex

Ex hoc ipso principio *Esse* & *non esse*, seu *Esse* & *Privationis*, super quod tanquam oppositionem generalem supradictæ oppositiones speciales fundantur, in fine hujus capitis elicit demonstrationem existentiæ DEI, sic inferendo: „ quare necesse est, „esse eam viventem, sapientem, potentem, om„nipotentem, veram, justam, beatam, æternam, „& quidquid simpliciter absolutè melius, quàm „non ipsum; quid ergò quæratur amplius, quid „summa illa sit Natura, si manifestum est, quid „omnium sit, & quid non sit?

Per similes terminos oppositos incedunt sequentia capita, videlicet 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & sic continuò: in capite enim 15. dominium habent *quidditas* & *qualitas*, in 16. *simplicitas*, *compositio*, *unitas*, *pluralitas*: in sequentibus omnibus Principium *durationis* principatum obtinet: porrò trianguli figuræ T. singulis momentis apices suos ostendunt illi, qui non omninò expers est Artis, imò nulla Figura, Tabula vel Arbor in Arte reperitur, quæ non suam opem conferat dictis demonstrationibus (quas S. Doctor in ipso decursu toties necessarias & necessariò veras asserit) si quis in Arte peritus vel modicam attentionem præbeat:

At dices: quomodo S. Anselmus uti potuit Arte B. Raymundi, qui nec Raymundum nec Artem illius noverat, cùm illum tempore antecesserit? Respondeo, quemadmodum illi, qui in aliqua regione vel civitate, in qua politior lingua viget, sunt enutriti, comto loquuntur ore, & secundùm leges grammaticæ, licèt illam non didicerint, sic illi, qui in civitate nova Jerusalem, linguam novam, quam aliàs non audierunt, didicerunt, linguis loquuntur novis, nam hoc, quod continet omnia, etiam scientiam habet vocis: quid igitur prohibet, ab eodem Magistro, scilicet S. Spiritu, qui linguas infantium facit esse disertas, S. Anselmum didicisse bene & verè loqui, à quo B. Raymundus recepit Artem, quâ ipsemet didicit & alios docuit bene & verè loqui?

Secretum magnum, si non maximum, seu Clavem universalem demonstrandi hic suspendam, quâ non solùm omnes feras particulares, volo dicere, Libros omnium antiquorum Sapientum, sed omnia Capita Librorum dicti S. Anselmi, & S. Augustini uti & hujus Tomi facilè aperies; scito igitur & intellige, quòd *contra malum bonum est*, *& contra mortem vita*; *sic & contra virum justum peccator*: *& sic intuere NB. in omnia opera Altissimi*, *duo & duo*, *& unum contra unum*. Lib. Ecclesiast. cap. 33. v. 15. S. Augustinus Lib. 1. ad Simplic. quæ. 2. fol. 272. edit. Paris. col. 2. Lit. D. sic habet: *Et sic intuere omnia opera Altissimi*, *duo contra duo*, *unum contra unum*: ecce in tanta differentia multitudinis particularium quæ fecit naturæ Conditor, reperitur concordantia unitatis quatuor & duorum universalium, nempe *duo contra duo*, *& unum contra unum*: si quæris, quæ sint hæc? respondeo: *Esse*, *Privationem*, *Perfectionem*, *Defectum*: hæ sunt illæ quatuor rotæ unius currûs, quo vehitur humana Ratio per planum & securum iter investigationis ad inventionem veritatis: hæc sunt forma & materia universalis demonstrandi, facunda mater omnium formarum & materiarum particularium; nam sicut sinè dolore concepit omnes, sic sinè labore parit, quotquot cupis: quòd si dubitas, cape experimentum in hoc Tomo: & lege caput 27. Monol. S. Anselmi: quo finito

Ascendamus ad altiora, ad contemplandas nempe sublimes Demonstrationes S. Anselmi de Mysterio S. Trinitatis, & licèt versemur in *tertio gradu* Scalæ, videlicet *metaphoræ*, juvat tamen ea mente recondere, quæ in *primo* & *secundo* scilicet in *Arte significandi* & *demonstrandi* percepimus: abdita tibi pandentur de *Spiritu*, de *Verbo*, de *Amore*, de *Sapientia*, *Veritate*, *Duratione*, de *Memoria*, *Intellectu* & *Voluntate*, de *DEO*, *Creaturâ* & *Operatione*, de *Similitudine*, *Dissimilitudine*, de *Majoritate*, *Æqualitate* & *Minoritate*, & cæteris principiis Figuræ T., nihil tibi obveniet in omnibus sequentibus capitibus, quod non effluat ex dictis principiis mixtis cum superioribus quatuor.

Postquam S. Doctor in dicto cap. 27. probasset existentiam summi Spiritûs Creatoris omnium creaturarum per quatuor suprà nominata principia esse, perfectionis, privationis, defectûs, in cap. 28. probat, quòd verbum Spiritûs sit illi consubstantiale, cùm id, per quod facta est creatura, non possit esse creatura, & præter Creatorem & creaturam nihil sit.

In cap. 29. probat, unum spiritum simplicem non posse loqui nisi unum verbum simplex; dein à Verbo increato descendit ad verba creata comparando unum alteri per similitudinem & dissimilitudinem. „ Quid igitur (ait) tenendum est de Ver„bo, quo dicuntur, & per quod facta sunt omnia? „erit aut non erit similitudo eorum, quæ per ip„sum facta sunt? si enim ipsum est vera mutabilium „similitudo, non est consubstantiale summæ in„commutabilitati, quod falsum est; si autem non „est omninò vera, sed qualiscunque similitudo mu„tabilium est, non est Verbum summæ veritatis „omninò verum, quod absurdum est: at si nullam „mutabilium habet similitudinem, quomodo ad „illius exemplum facta sunt? verùm forsan nihil „hujusmodi remanebit ambiguitatis, si, quemad„modū in vivo homine veritas hominis esse dicitur, „in picto verò similitudo sive imago illius veritatis, „sic existendi veritas intelligitur in verbo, cujus „essentia sic summè est, ut quodammodò illa sola „sit; in his verò, quæ in ejus comparatione quo„dammodo non sunt, & tamen per illud facta sunt „aliquid, aliqua immutatio illius summæ Essentiæ „perpendatur: sic quippe Verbum summæ Veritatis, quod & ipsum cit summa veritas, nullum „augmentum vel detrimentum sentiet secundùm „hoc, quòd magìs vel minùs creaturis sit simile; „sed potiùs necesse erit, omne, quod creatum est, „tantò magis esse, & tantò esse præstantius, quan„tò similius est illi, quod summè est, & summè magnum est. (Jam attende ad sequentem scalam, quâ S. Doctor subtrahendo paulatim defectum à perfectione creaturæ illam assimilando approximat supremæ Perfectioni)

„ Hinc etenim fortassè, imò non fortassè, sed „pro certo, hinc omnis intellectus judicat, na„turas quolibet modo viventes præstare non viven„tibus, sentientes non sentientibus, rationales „non rationalibus; quoniam enim summa Natura „suo quodam modo singulari non solùm est, sed & „vivit, & sentit, & rationalis est, liquet, quoniam „omnia, quæ sunt, id, quod aliquo modo vivit, „magis est illi simile, quàm id, quod nullatenus „vivit; & quod modo quolibet vel corporeo sensu „cognoscit aliquid, magis est, quàm quod nihil „omninò sentit; & quod rationale est, magis, quàm „quod rationis capax non est: quoniam verò simi„li ratione quædam naturæ magis minúsve sunt, „quàm aliæ, perspicuum est; quemadmodum enim

natu-

„ naturâ illud præstantius est, quod per naturalem „ essentiam propinquius est præstantissimo, ita uti„ que illa natura magis est, cujus essentia similior „ est summæ Essentiæ.

Postea in scala *Esse* & *Privationis*, per *subtractionem perfectionis* ab *esse* reducit omne ens ad *privationem*, & per *additionem perfectionis* ad *esse* reducit omne ens ad *supremum Esse*, Arte scilicet Algebræ speciosæ Lullianæ: exemplum ibi vide: concludit postea. „ Satis itaque manifestum est in „ verbo, quo facta sunt omnia, non esse eorum si„ militudinem, sed veram simplicemque essentiam; „ in factis verò non esse simplicem absolutamque „ essentiam, sed veræ illius Essentiæ vix aliquam „ imitationem. Unde necesse est, non idem verbum „ secundùm rerum creatarum similitudinem magis „ vel minùs esse verum, sed omnem creatam natu„ ram eò altiori gradu essentiæ dignitatisque consi„ stere, quò magis illi propinquare videtur.

Quis non videt, quanta sit efficacia in allato argumento, & quot particularia lateant in illo facilè detegenda; nam & *Existentia DEI*, & *Trinitas* & plura alia facilè eruuntur ex illo; quòd si ambigis, lege subsequens caput 30. 31. & reliqua S. Anselmi, lege, quæ in præcedenti Tomo de Revel. Sect. Artis Cap. 3. de Arith. fol. 113. col. 1. §. Dis. *sed quare centrum:* si nondum conspicis, adhuc clariora dabo ex S. Anselmo.

Postquam S. Doctor per similitudines creaturarum intellectum humanum extulit usque ad se ipsum, jam orditur per considerationem mentis rationalis illi significare & demonstrare productionem in Divinis: „ nam nullâ ratione negari potest, cùm „ mens rationalis se ipsam cogitando intelligit, ima„ ginem ipsius nasci in sua cognitione, imò ipsam „ cogitationem esse suî imaginem ad suî similitudi„ nem tanquam ex ejus impressione formatam; „ quamcunque enim rem mens seu per corporis „ imaginationem seu per rationem cupit veraciter „ cogitare, ejus utique similitudinem, quantum „ valet, in ipsa sua cogitatione conatur exprimere; „ quod quantò verius facit, tantò rem ipsam verius „ cogitat &c.: habet igitur mens rationalis, cùm „ se cogitando intelligit, secum imaginem suam ex „ se natam, id est, cogitationem sui ad suam si„ militudinem quasi suâ impressione formatam, „ quamvis ipsa se à sua imagine non nisi ratione so„ lâ separare possit, quæ imago ejus verbum ejus „ est. (Dein pergit Capite 32.) Hocitaque modo „ quis neget, summam Sapientiam, cùm se di„ cendo intelligat, gignere consubstantialem sibi „ similitudinem suam, id est, verbum suum; „ quod verbum, licèt de re tam singulariter emi„ nenti propriè aliquid satis convenienter dici non „ possit, non tamen inconvenienter sicut simili„ tudo ita & imago & figura & character ejus dici „ potest.

Ulteriùs Cap. 46. probat, quomodo Filius sit *Intelligentia Intelligentiæ*, *Scientia Scientiæ*, *Sapientia Sapientiæ*, *Veritas Veritatis*, *Memoria Memoriæ* &c. resumendo eandem comparationem cum mente rationali: „ De memoria verò quid sentiendum „ est? an æstimandus est Filius intelligentia memo„ riæ, sive memoria Patris, aut memoria memo„ riæ? equidem cùm summa Sapientia sui memor „ esse, negari non possit, nihil competentius quàm „ in memoria Pater, sicut in verbo Filius, intelli„ gitur, quoniam de memoria nasci verbum vide„ tur, quod clariùs in nostra mente percipitur: „ quoniam namque mens humana non semper se „ cogitat, sicut sui semper meminit, liquet, cùm „ se cogitat, quòd verbum ejus nascitur de memo„ ria; unde apparet, quia si semper se cogitaret, „ semper verbum ejus de memoria nasceretur; rem „ etenim cogitare, cujus memoriam habemus, hoc „ est, mente eam dicere, verbum verò rei est ipsa „ cogitatio ad ejus similitudinem ex memoria for„ mata: hinc itaque liquidò animadverti potest de „ summa Sapientia, quæ sic semper se dicit, sicut „ semper sui memor est, quia de æterna Memoria „ cœternum Verbum nascitur &c. Et Cap. 47. „ Est igitur Filius memoria Patris, & memoria me„ moriæ, id est, memoria memor Patris, qui est „ memoria, sicut est Sapientia Patris, & Sapientia Sa„ pientiæ, id est, sapientia sapiens Patrem sapien„ tiam, & Filius quidem memoria nata de memoria, „ sicut sapientia nata de sapientia; Pater verò de „ nullo nata memoria vel sapientia.

Jam transit ad demonstrandam tertiam Personam in Divinis per *voluntatem* seu *amorem*, dum ait: „ sed ecce, dum hujus Patris Filiique proprietates „ communionemque delectabiliter intueor, nihil „ delectabilius in illis contemplandum inveni, quàm „ mutui amoris affectum; quoniam enim absurdè „ negatur summus Spiritus se amare, sicut sui me„ mor est, & se intelligit, cùm mens rationalis & „ se & illum amare posse convincatur, ex eo, quia „ sui & illius memor esse, & se & illum intelligere „ potest; otiosa namque & penitùs inutilis est me„ moria & intelligentia cujuslibet rei, nisi, prout „ ratio exigit, res ipsa ametur, aut reprobetur: a„ mat ergo se ipsum summus Spiritus, sicut sui memi„ nit & se intelligit. Palam certè (ait Cap. 48.) est ra„ tionem habenti, eum non idcirco sui memorem es„ se, aut se intelligere, quia se amat, sed ideo se ama„ re, quia sui meminit, & se intelligit; nec eum se pos„ se amare, si sui non sit memor, aut se non intelli„ git; nulla enim res amatur sinè ejus memoria & „ intelligentia, & multa tenentur memoriâ & in„ telligentiâ, quæ non amantur: patet igitur, amo„ rem summi Spiritûs ex eo procedere, quia sui me„ mor est, & se intelligit: quòd si in *memoria* sum„ mi *Spiritûs* intelligitur *Pater*, in *intelligentia Filius*, „ manifestum est, quia *à Patre* pariter & *à Filio* sum„ mi Spiritûs *amor* procedit.

Sufficiant hæc ex S. Anselmo: qui plura desiderat, per Capita hoc sequentia discurrat, & tot ac tanta de Arte Lulliana occurrent, quot fermè lineæ: notandum præ cæteris, quàm præclarè S. Doctor probet *Æqualitatem* inter dicta tria Capite 57.: finitâ hac lectione invito Lectorem ad legendum Caput 2. Libri primi Mirand. Demon., cujus Rubrica est *de Significatione S. Trinitatis in Anima*, quo lecto judicet ipsemet, an major æqualitas possit reperiri inter duas parallelas geometricas, quàm inter has theologicas: præterea revoco Lectorem ad ruminanda ea, quæ suprà fol. 8. hujus Præfationis §. Cap. 65. *aptissimè* ad præsens allegavi de *speculo*, in quo *videmus nunc in ænigmate*, quæ de DEO & Sanctissima Trinitate firmâ fide credimus, quæ ipsa nunc statim Authoritate Sancti Augustini ulteriùs roborabimus, postquam unum adhuc ingeniosissimum ac universalissimum argumentum demonstrandi omnia Arcana Fidei ex S. Anselmo protulerimus.

Oro, applicet Lector curiosus Perspicilia Theologica, ut videre queat, quæ aliqui putant prorsus invisibilia. In proœmio Prosologii sic fatur: „ Post-

„ Postquam opusculum quoddam velut exemplum „ meditandi *de Ratione Fidei*, cogentibus me preci„ bus quorundam Fratrum in persona alicujus taci„ tè secùm rationando, quæ nescìat, investigantis „ edidi, considerans, *illud esse contextum concate„ natione multorum argumentorum*, cæpi mecum quæ„ rere, si fortè posset inveniri *unum argumentum*, „ *quod nullo alio ad se probandum quàm se solo indigeret:* „ *& solum*, ad astruendum, quia DEUS verè est, „ & quia est summum bonum nullo alio indigens, „ & quo omnia indigent, ut sint, & bene sint, & „ *quæcunque credimus de divina substantia, sufficeret:* „ ad quod cùm sæpè studioséque cogitationes „ converterem, atque aliquando mihi videretur „ jam capi posse, quod quærebam, aliquando „ mentis aciem omninò fugeret, tandem despe„ rans volui cessare velut ab inquisitione rei, quam „ inveniri esset impossibile: sed cùm illam cogita„ tionem, ne mentem meam fruſtrà occupando ab „ aliis, in quibus proficere possem, impediret, pe„ nitùs à me vellem excludere, tunc magis ac ma„ gis volenti & defendenti se cœpit cum importuni„ tate quadam ingerere.

„ Quadam igitur die, cùm vehementer ejus „ importunitati resistendo fatigarer, in ipso cogita„ tionum conflictu sic se obtulit, quod desperave„ ram, ut studiosè cogitationem amplecterer, quam „ sollicitus repellebam: æstimans igitur, quod me „ gaudebam invenisse, si scriptum esset, alicui le„ genti placiturum, de hoc ipso & quibusdam aliis „ sub persona conantis erigere mentem suam ad „ contemplandum DEUM, *& quærentis intelligere*, „ *quod credit*, subditum scripsi opusculum. Hoc pulcherrimum inventum dedit ansam S. Doctori notandi Librum Prosologii titulo: *Fides quærens intellectum.*

Jam inspiciamus ipsum egregium inventum. Cap. 2. dicti Libri admirans S. Doctor, ait, quomodo *potuerit insipiens dicere in corde suo, non est DEUS:* „ sed certè idem ipse insipiens, cùm audit hoc ipsum, „ quod dico, aliquid intelligit, quo majus nihil „ cogitari potest, & quod intelligit, in ejus intel„ lectu est, etiamsi non intelligat aliud esse &c.: con„ vincitur ergò insipiens, esse vel in intellectu ali„ quid, quo nihil majus cogitari potest, quia hoc, „ cùm audit, intelligit, & quod intelligitur, in „ intellectu est: & certè id, quo majus cogitari ne„ quit, non potest esse in intellectu solo; si enim „ vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in „ re, quod majus est: si ergò id, quo majus cogi„ tari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, „ quo majus cogitari non potest, est, quo majus „ cogitari potest; sed certè hoc esse non potest: exi„ stit ergò procul dubio aliquid, quo majus cogita„ ri non valet, & in intellectu & in re. Et Cap. 3. circa finem. „ Cur itaque dixit insipiens in corde „ suo, non est DEUS? cùm causa in promptu sit „ rationali menti, te (Domine) maximè omnium „ esse, cur? nisi quia stultus & insipiens. Et in fine Cap. 4. *Gratias tibi bone Domine, gratias tibi, quia, quod priùs credidi te donante, jam sic intelligo te illuminante, ut, si, te esse nolim credere, non possim non intelligere.*

Quomodo sapit hoc argumentum Lullianum? certè ni reverentia tanti Doctoris coërceret adversarios nostros, nescio quo illud amandarent, proclamarent sophisticum, oppugnarent subitò per exempla ducentia ad absurdum; sed aurem paulisper commodate boni viri, consulite Artem Inventivam Illum. Doctoris, ejusque Dist. 4. Quæst. 6. *utrùm sit alta vita*, ibi in primo modo fol. legite §. 8. fol. 112., si ratio & authoritas illa vobis minus arridet, redite ad S. Anselmum, & *Librum pro Insipiente* pervolvite falsò ipsi S. Anselmo adscriptum, nam ab aliquo viro docto minùs valente penetrare hoc demonstrandi genus contra Anselmum est scriptus, illic enim vestras objectiones jam depictas, in Libro verò sequente hunc *contra Insipientem* ab ipso S. Anselmo ex asse solutas invenietis.

Ponamus, genuinam hanc esse demonstrationem (forsan dicetis) quid aliud ex illa infertur, quàm existentia DEI? quam & nos demonstrabilem esse asserimus, at ubi hìc unum verbum de Trinitate? & ego, jamne oblivione deletum, quod suprà S. Doctor asseruerat, hoc *solum argumentum sufficere ad probanda omnia, quæ credimus de divinâ substantia?* sed si nondum vobis patet modus ex hoc universali eliciendi particularia, iterum S. Doctorem auscultate Cap. 5. in fine sic loquentem: „ Tu es „ itaque justus, verax, beatus, *& quidquid melius* „ *est esse, quàm non esse*, melius namque est esse ju„ stum, quàm non justum, beatum, quàm non beatum: (& cur non etiam trinum, quàm non trinum?)

Perspiciliis Philosophicis me armavit in primo Tomo Doctor Illuminatus *Fidem & Rationem naturales* velut duo vitra pellucida illis inserens; in hoc Tomo *Perspiciliis Theologicis* me munivit, alia duo vitra magis diaphana & nobiliori luce radiantia illis immittendo, videlicet *Fidem & Rationem supernaturales*; his non contentus alia duo superaddidi, ad formandum integrum tubum quatuor lentibus instructum, ex authoritate nempe duorum præclarissimorum Ecclesiæ Luminum, quorum uno completo restat alterum, scilicet S. Augustini.

Adeò pleni sunt quindecim Libri de S. Trinitate multitudine demonstrationum & argumentorum hujus abditissimi Mysterii, ut, qui hoc in controversiam vocarit, non verear inculpare de neglectu vel oscitantia lectionis dictorum Librorum: nam incipiendo ab infimo gradu rerum sensualium & corporalium, ne has quidem præterit S. Doctor, quin in illis monstret *vestigium Trinitatis*; adeant *Librum* ipsius *undecimum*, si mihi fidem non habent, & primum saltem Caput transcurrant, si totam structuram sensuum *trinitate* tivi, bilis, & are subsistentium nolint ex reliquis capitibus hujus Libri percipere, quanquam pulchritudo ipsius Doctrinæ, præsertim *de gradibus specierum*, quam Cap. 9. ibidem mirificè Doctor explicat, deberet illos attrahere: porrò *Liber duodecimus* nectit sensualia intellectualibus non sinè nova Trinitatis imagine, quam *Libro decimo tertio* delineat: sed cùm hæc non sit perfectissima, quæ reperitur in creatura rationali, illam in Libro *decimo quarto* & *decimo quinto* figurat.

Circa quas duas imagines cùm nunc primariò laboremus (omissâ primâ brevitatis causâ) ut in illis appareat demonstratio Trinitatis, convenit aliqua ex S. Doctore præmittere, quæ harum explanationi meliori inservient. Sciendum igitur, *hominem* à S. Doctore dividi in *exteriorem* & *interiorem*, ût patet per omnes dictos Libros de S. Trin., singulariter autem per 11. & 12.: interiorem vocat *intelligentiâ*, exteriorem *sensu corporis* præditum: videatur init. 11mi: interiorem subdividit in *duas* partes, scilicet in *scientiam* & *sapientiam*: de quibus agit lib. 12. cap. 4. his verbis. „ Cùm igitur dis-

„ſerimus de natura mentis humanæ, de una quadam re diſſerimus, nec eam in hæc duo, quæ „comemoravi (ſcientiam & ſapientiam) niſi per of„ficia geminamus, itaque, cùm in ea quærimus Tri„nitatem, in tota quærimus non ſeparantes actio„nem rationalem in temporalibus à contemplatio„ne æternorum, ut tertium aliquid jam quæramus, „quo Trinitas impleatur. Hæc autem eſt prima & infima imago Trinitatis, quæ reperitur in homine, nec propriè imago, ſed *veſtigium* Trinitatis (uti & ſequens) à S. Doctore appellatur, & exoritur ex conſortio ſeu confinio hominis interioris & exterioris per medium *ſcientiæ*, pertinens ad *exteriorem hominem*, quam præterimus, *ſcientiam* autem & *ſapientiam* ſic inter ſe diſtinguit, *ut ad ſapientiam pertineat æternarum rerum cognitio intellectualis, ad ſcientiam verò temporalium rerum cognitio rationalis; quid cui præponendum ſive poſtponendum ſit*, Lib. 12. cap. ultimo: „ in hac differentia intelligendum eſt, „ad *Contemplationem* ſapientiam, ad *actionem* ſcien„tiam pertinere, ibid. cap. 14.

Scientiæ competere *Fidem*, demonſtrat toto Lib. 13. exhibendo in ipſa fide imaginem Trinitatis, quæ eſt *ſecunda imago*, & *prima* interioris hominis; ſapientiæ *Veritatem* tribuit; utramque videlicet ſcientiam & ſapientiam iterum diſtinguit in *duas*, quarum una eſt *in homine*, ût docet Lib. 14. ab initio; altera *in DEO* vel *Chriſto*, de qua Lib. 12. cap. 19. „Scientia ergò noſtra Chriſtus eſt, ſapien„tia quoque noſtra idem Chriſtus eſt, ipſe nobis „Fidem de rebus intemporalibus inſerit, ipſe de „ſempiternis exhibet veritatem, per ipſum pergi„mus ad ipſum, tendimus per ſcientiam ad ſapien„tiam, ab uno tamen eodemque Chriſto non re„cedimus.

Nunc ipſam dictam imaginem ſecundam Fidei in interiori homine formatam ita deſcribit Cap. 20. Lib. 13. „ Hìc autem ad diſtinguendam acti„vam ſcientiam à contemplativa ſapientia, placuit „quippe velut gradatim aſcendentibus in utraque „requirere apud interiorem hominem quandam ſui „cujusque generis Trinitatem, ſicut priùs apud ex„teriorem quæſivimus, ut ad illam Trinitatem, „quæ DEUS eſt, pro noſtro modulo, ſi tamen vel „hoc poſſumus, ſaltem *in ænigmate & per ſpeculum* „contuendam exercitatione in his inferioribus men„te veniamus. Quam imaginem ulteriùs ibi expoſitam invenies; ſed paucis in fine Capitis reſumit his verbis. „ Ex hac Fide & tali vita quæcunque „notiones ſunt in animo fidelis hominis, cùm *me„moria* continentur, & recordatione (*intellectu*) in„ſpiciuntur, & *voluntati* placent, reddunt quandam „ſui generis *Trinitatem*: ſed imago DEI &c. nondum „ in ipſa eſt: de qua nunc agam ex S. Doctore.

Sed priusquam ſupremam hanc imaginem creatam intueamur, adhuc ſemel lubet viſum inclinare ad inferiores in rebus corporeis & ſenſualibus expreſſas, & reddere rationem, quare Lulliſtæ auſi ſint cum ſuo Magiſtro etiam in his rebus ſignum ſeu veſtigium Trinitatis inveſtigare, cùm plurimi modernorum Doctorum tantâ libertate doceant, nihil in cæteris creaturis exceptâ Animâ rationali Trinitatem repræſentare, imò DEUM operando ad extra, licèt ſit unus & trinus, & unus ac trinus creaverit creaturam, non tamen operatum eſſe in creatura ſub ratione Trinitatis, ſed tantùm ſub ratione Unitatis, quorum Authorum nomina & libros citarem, niſi mihi animus eſſet oppugnare ſententiam & non perſonam; quæ quamvis per Artem noſtram ex *æqualitate Unitatis & Trinitatis & æquali perfectione* tam in eſſendo quàm in operando ad intra & extra facilè refutari poſſet, quia tamen hìc authoritate certamen ſemel aſſumſi, authoritate finiam.

Audiant ergò ſententiæ adverſæ Patroni circa hæc mentem S. Auguſtini, quam declarat Lib. 15. de Trin. cap. 2. „ Satis itaque (ait) rememorati „ſumus, in iis, quæ DEUS fecit, ut per ea cog„noſceretur ipſe, qui fecit; *inviſibilia enim, quæ à „creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta con„ſpiciuntur*: unde arguuntur in Libro Sapientiæ, qui „*de iis, quæ videntur bona, non potuerunt ſcire eum „qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt Artifi„cem* &c.: *à magnitudine enim ſpeciei & creaturæ cog„noſcibiliter poterit Creator videri.* Hæc de Libro „Sapientiæ propterea poſui, ne me Fidelium quis„piam fruſtra & inaniter exiſtimet in creatura priùs „per quasdam ſui generis trinitates quodammodo „*gradatim*, donec ad mentem hominis perveni„rem, quæſiſſe indicia ſummæ illius Trinitatis, „quam quærimus, cùm DEUM quærimus. En Sanctus Doctor etiam in infimis rebus Trinitatem quæſivit & invenit, & hi in ſummis nec quærendam nec inveniendam autumant; quin potiùs Lulliſtis iraſcuntur eosque repreſſendunt, ſi in rebus ſenſualibus & corporalibus ſimilitudines rerum intellectualium & ſpiritualium contemplantur, quibus homines intellectualibus & ſpirjtualibus inaſuetos ad illa erigant, & ad intelligenda ac amanda diſponant, contra id, quod ipſemet Salvator noſter in Evangelio nos docuit, & Sanctus Auguſtinus in Lib. 12. cap. 5. ſalubriter monet his verbis:

„ Si quæ dicuntur talia, ad quorum ſimilitu„dinem etiam iſta inferioris creaturæ genera, quam„vis longè remotiſſimè facta ſunt, non debent cu„jusquam ſobriam perturbare prudentiam, ne, „cùm vanum devitat horrorem, in pernicioſum in„currat errorem: aſueſcat in corporalibus ita ſpi„ritualium reperire veſtigia, ut, cùm inde ſurſum „verſùs duce ratione aſcendere cæperit, ut ad ip„ſam incommutabilem veritatem, per quam ſunt „facta iſta, perveniat; non ſecum ad ſumma per„trahat, quod contemnit in infimis: nec enim „erubuit quidam uxorem ſibi eligere ſapientiam, „quia nomen uxoris in prole gignenda corruptibi„lem concubitum ingerit cogitanti, aut verò ipſa „ſapientia ſexu fæminea eſt, quia fæminini gene„ris vocabulo & græcâ & latinâ linguâ enuntiatur &c. Quid aliud hìc S. Doctor demonſtrat, quàm, ut homo conſiderans generationem in creatura convenientem cum defectu ratione corruptionis, aſcendendo ad conſiderationem generationis in DEO removeat defectum, & dicat, in DEO eſt Generatio ſinè corruptione, ergò eſt perfectio ſinè defectu? & ſic de centenis & millenis aliis perfectionibus, quæ ſunt in creaturis, à quibus, quomodo defectus ſit abſtrahendus, partim ex Regula ſuperiùs data, partim ex alibi ab Illum. Doctore traditis concipi poteſt.

„ Volentes in rebus, quæ factæ ſunt, ad cog„noſcendum eum, à quo factæ ſunt, exercere Le„ctorem, S. Doctor Lib. 15. de Trinit. cap. 1. nunc „ad eam jam pervenimus diſputationem, ubi prin„cipale mentis humanæ, quo novit DEUM, vel „poteſt noſſe, conſiderandum ſuſcepimus, ut in „eo reperiamus imaginem DEI: quamvis enim „mens humana non ſit ejus naturæ, cujus eſt DEUS, „imago tamen naturæ ejus, quâ naturâ melior nul„la

„la eſt, ibi quærenda & invenienda eſt in nobis, „quo etiam natura noſtra nihil habet melius. Idem S. Doctor Lib. 14. de Trinit. cap. 8.: quod igitur ſuprà ex S. Anſelmo ſpeculum & imaginem jam ereximus, in quo humana mens in hac vita & ſe ipſam & ſupremum ſuum Objectum ſpeculatur & cognoscit, hoc ipſum nunc ex S. Auguſtino, ex quo & S. Anſelmus totum, quod de illo in ſuo Monologio ſcripſit, hauſit, reiterabo: cùm hoc ſpeculum ſit fons & origo totius Artis demonſtrandi hujus vitæ, quæ Ars eſt velut *medium* inter *Fidem* & *ſpeciem*, quam primitivam, veram & neceſſariam ſpeciem quia in hac vita videre non poſſumus, inſpicimus hoc ſpeculum, *ut primitivam, veram & neceſſariam illius ſimilitudinem intueri poſſimus*; & quamvis hæc ſimilitudo ſpeciei repræſentata in ſpeculo non tam intenſè videatur, ſicut ipſa ſpecies facietenus videbitur, eſt tamen tantâ claritate viſibilis in hoc ſpeculo intellectuali, quantâ ſimilitudo lilii in ſpeculo ſenſuali; quia ſi non, DEUS feciſſet majorem proportionem & diſpoſitionem inter objectum, ſpeculum & viſum ſenſualia, quàm inter ſe, ſpeculum & viſum intellectualia, quod eſt impoſſibile: ût Doctor Illum. demonſtrat in Lib. de Arte DEI Diſt. 5. p. 2. & in Lib. 2. Mir. Dem. Cap. 27. hoc Tomo, quod ſufficit ad faciendas demonſtrationes; quis enim erit adeò impudens, ut, viſâ formâ lilii in ſpeculo, neget ſe vidiſſe lilium, quamvis non eâ claritate viderit, quâ eſt viſibile extra ſpeculum & in ſe ipſo?

Et quoniam huic longo diſcurſui finem imponere ſatago, & finis cum perfectione convenit, cupio finem perficere, quantum valeo; quis autem dubitat, illum finem inter omnes fines eſſe perfectiſſimum, in quo principium & medium eſt ipſe finis, & medium & finis eſt ipſum principium, & principium & finis eſt ipſum medium, & Trinitas horum eſt in Unitate, & Unitas in Trinitate in ſumma differentia, concordantia & æqualitate? Aperiam igitur ultimum & finale Secretum, quod eſt *principium*, *medium* & *finis* totius methodi Lullianæ demonſtrandi à SS. Patribus ſingulariter verò à S. Auguſtino in quindecim hiſce Libris de S. Trinitate perpetuò adhibitæ: & eſt *Triangulus primus* in figura T. conſiſtens his tribus Principiis: *Unitas*, *Trinitas*, *Virtutes*, quas vocat Illum. Doctor Dignitates, formas, qualitates eſſentiales &c., communi verò nomine Attributa nominamus: de his tribus efforma imaginatione tuâ, vel, ſi placet, in charta figuram ſenſualem, qualis vulgò ſolet fieri, videlicet Circulum cum inſcripto triangulo æquiangulo: circulo inde nomen *Eſſentiæ*; Trianguli verò lateribus ſingulis adſcribe ſingulas virtutes, vel dignitates, vel attributa (ût vocavi) v. g. *memoriam*, *intellectum*, *voluntatem*, vel *poteſtatem*, *ſapientiam*, *amorem*, vel adhuc generaliùs, *tivum*, *bile*, *are*, (en, termini barbari, quos tamen non abhorruit S. Auguſtinus) inter hunc triangulum & circulum figura tetragonum, pentagonum, hexagonum &c., & ſic in infinitum uſque ad ipſam coincidentiam circumferentiæ circuli: ſingulis hiſce lateribus figurarum appone ſingulas virtutes: quo facto jam altiùs effer tuum intellectum, relictis deorſum ſenſu & imaginatione, ut aſcendere queas *à defectu* ad *perfectionem*; & mente concipe hanc Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate ſinè majoritate & minoritate, imò ſinè ulla quantitate, ſinè quibus figura ſenſualis, cùm ſit creatura, eſſe non poteſt, tunc enim, ſi ab unitate inceperis, per medium Virtutum deduceris in finem Trinitatis; ſi verò à Trinitate ſumes exordium, per idem medium Virtutum ad finem unitatis pervenies.

Fortaſſè regeres; quid vult ſemiverbius hìc dicere? Act. 17. v. 18. ne me arguas, palam loquar: igitur attende, ſi me vis capere.

Primò, quidquid Schola Lulliana vel SS. Patres demonſtrant, per Principia *Virtutum* vel *Dignitatum* DEI demonſtrant, non quatenus videntur in ſe & in ſe realiter ſunt, ſed quatenus in dicto ſpeculo mentis humanæ repræſentantur: ût jam ſuperiùs dictum; repræſentantur verò dupliciter, aut *mediatè*, aut *immediatè*; *mediatè* quidem per ſimiles dignitates, quæ reperiuntur in creaturis, ex quibus intellectus humanus abſtrahit ſpecies, vel quas ipſa mens formar de ſuis potentiis; & hic modus eſt dignitate & perfectione inferior ſequenti: *immediatè* autem, per ipſas Dignitates DEI, in mente expurgata omni ſorde creaturarum & ornata fide, virtutibus & donis, ſe ipſas *per lumen gratiæ* oſtendentes (dixi *immediatè*, non quaſi nullum omninò interſit medium, aliàs enim non viderentur in ſpeculo ſed in ſe ipſis, ſed ideo, quia non apparent in ſpeculo per dignitates creaturarum, quæ realiter ſunt diſtinctæ ab ipſis, ſed per ſe ipſas.)

Secundò, quia omnis Demonſtratio Lulliana debet conſtare *tribus*: videlicet *duobus extremis* & *medio* cum illis *eſſentialiter*, *naturaliter*, *realiter* & *neceſſariò* connexo, ideo,

Si aſſumatur *una Dignitas* tantùm, illa neceſſariò reſolvenda eſt in *tria*, h. e. in ſua tria eſſentialia concreta, quæ in Schola Lulliana ſunt *tivum* & *bile*, & medium cum utroque eſſentialiter connexum, videlicet *are*: cujus exemplum vide apud S. Auguſtinum Lib. 8. de Trinit. cap. 6. fol. 136, ubi S. Doctor aſſumit *Dignitatem* ſeu Attributum *Amoris* ſeu *Charitatis*, & reſolvit in dicta tria, ut hominem, qui videt charitatem, & non videt in ea Trinitatem, ad illam videndam illuminet: quem ſic loquentem inducit ibid.: „ at enim charitatem video, & quan„tum poſſum, eam mente conſpicio, & credo „Scripturæ dicenti, *quoniam DEUS Charitas eſt*, & „*qui manet in charitate, in DEO manet.* Joan. 6. cap. „16., ſed cùm illam video, non in ea video Trini„tatem: (cui reſpondet S. Doctor) imò verò vides „Trinitatem, ſi charitatem vides; ſed commone„bo, ſi potero, ut videre te videas &c. Quid eſt „autem dilectio vel charitas, quam tantopere Scrip„tura divina laudat & prædicat, niſi amor boni? „amor autem alicujus amantis eſt, & amore ali„quid amatur: *Ecce tria ſunt, amans, & quod ama„tur, & amor:* quid eſt ergò amor niſi quædam vi„ta duo aliqua copulans, vel copulare appetens, „amantem ſcilicet, & quod amatur: & hoc etiam „in extetnis carnalibusque amoribus ita eſt.

Si plura ſimilia exempla deſideras, conſulas Lib. 11. de Trinit., ubi S. Doctor in exteriore homine indagans veſtigium Trinitatis incipit à ſenſu viſûs, reſolvitque ipſum in ſuum *viſitivum viſibile & videre* tam *propinquum* quàm *remotum*; id ipſum valere, ait, de reliquis quatuor, dein tranſit à viſione externa ad viſionem internam iterum Unitate & Trinitate ſignatam, videlicet *memoriæ*, *intellectûs* & *voluntatis*, de quibus ſtatim infrà, quibus totum Librum 11. explet.

Si verò aſſumantur *tres Dignitates*, tunc ultimatò iterum reducuntur in unum; volens itaque S. Doctor nobis tradere exemplum ſupremæ Methodi demonſtrandi, propoſuit nobis Lib. 14. & 15. duas imagi-

imagines in unam cöalescentes, omnium reliquarum perfectiores, quarum tamen una perfectior alterâ. *Primam* exponit Lib. 14. cap. 8. §. *sed priùs mens ipsa considerandа est*; & ad hanc propriè tantùm pertinet *scientia: secundam* omnium perfectissimè explicat Lib. 15. cap. 4. §. *Jam ergo in ipsis rebus æternis incorporalibus & incommutabilibus, in quarum perfectâ contemplatione nobis beata, quæ non nisi æterna est, vita promittitur, Trinitatem, quæ DEUS est, inquiramus*, usque ad finem Libri; & huic propriè competit *sapientia*.

Sapienter itaque contemplari volumus, quâ viâ inquisiverit Doctor incomparabilis Trinitatem in rebus æternis. *Primò* colligit quotcunque numero dignitates ex creaturis, earumque oppositа, v. g. *vivens, non vivens; sentiens, non sentiens; intelligens, non intelligens; immortale, mortale; potens, impotens; justum, injustum; speciosum, deforme; bonum, malum; incorruptibile, corruptibile; immutabile, mutabile; invisibile, visibile; incorporeum, corporeum; beatum, miserum:* hæc omnia principia illic recensita ponit in speculo intellectuali, & relucet secunda imago, *mediatè* significans primam; quo facto mens illa considerans manifestè cernit, omnia mensurari *quadrato primo logico*, scilicet *perfectione, defectu, esse, privatione*; abstrahendo igitur defectum à perfectione ascendit à prima ad secundam imaginem in speculo contuendam, scilicet à Creatura ad DEUM, *ac per hoc* (sunt verba S. Doctoris) *quoniam rebus creatis Creatorem sinè dubitatione præponit, oportet, ut eum & summè vivere & cuncta sentire atque intelligere, & mori, corrumpi, mutarique non posse, nec corpus esse, sed spiritum omnium potentissimum, justissimum, speciosissimum, optimum beatissimumque fateatur.* Hæc omnia Unitati & Trinitati æqualiter convenire asserit, & ne quis putet, S. Patrem ex his dignitatibus solùm velle demonstrare *Existentiam & Unitatem DEI*, & non Trinitatem, ait: *si ergò hæc atque hujusmodi omnia & ipsa Trinitas, & in ea singuli dici possunt, ubi aut quomodo Trinitas apparebit?* (jam Perspicilia arripe) *redigamus itaque priùs hæc plurima ad aliquam paucitatem:* quam numero ter quaterno seu duodenario includit, qui est sequens: *æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis: vivus, sapiens, potens, speciosus: justus, bonus, beatus, spiritus:* ex singulis horum trium quaternorum iterum seligit unam dignitatem, & remanet desideratus ternarius: *æternus, sapiens, beatus. Nunc igitur cùm dicimus, æternus, sapiens, beatus, hæc tria sunt Trinitas, quæ appellatur DEUS*; hæc S. Augustinus: ast video vos ridere, ni fallor, Antilullistas hanc Demonstrationem Trinitatis: sed oro, cohibete parumper risum: „redegimus quidem illa duodecim „in istam paucitatem *trium*, sed eo modo forsitan „possumus & hæc tria in *unum* aliquod horum &c.: „quis itaque disputandi modus, quænam tandem „vis intelligendi atque potentia, quæ vivacitas ra„tionis, quæ acies cogitationis ostenderet &c. hoc „unum, quod *sapientia* dicitur DEUS, quomodo „sit Trinitas? an trinitates istas ad sensus nostros „vel ad animos pertinentes videmus potiùs quàm „credimus, DEUM verò esse Trinitatem credi„mus potiùs quàm videmus? quod si ita est, pro„fectò aut *invisibilia ejus per ea, quæ facta sunt, nul„la intellecta conspicimus*, aut si illa conspicimus, „non eis conspicimus Trinitatem &c.; cur itaque „ibi non agnoscimus Trinitatem? an hæc sapien„tia, quæ DEUS dicitur, non se intelligit, non „se diligit? quis hoc dixerit, &c.: quæ si dici sive „credi stultum & impium est, ecce ergò *Trinitas*, „*sapientia* scilicet, & *notitia sui*, & *dilectio sui*: sic „enim & in homine invenimus trinitatem, id est, „mentem & notitiam, quâ se novit, & dilectionem, „quâ se diligit, (S. Doctor l. 15. c. 6. lit. C. D.) & „maximè per rationalem vel intellectualem crea„turam, quæ *facta est ad imaginem DEI*, per quam „velut per speculum, quantum possent, si possent„qui rationem de rebus talibus poscunt, trinita„tem cernerent DEUM in nostra *memoria, intelli„gentia, voluntate* &c. (idem ibi cap. 20. lit. A.) „Et quid eis satis est, quibus hæc, quæ diximus, „satis non sunt? (cap. 19. lit. B. fol. 183.) nam ascendimus, descendimus, circulavimus per principia Artis usque ad fin.; si dicta non intelligis, lege hunc Tomum, lege Lib. 5. vol. 3. Contemp., & intelliges.

Finito hoc discursu statueram respondere ad Objectiones duorum Præclarissimorum Doctorum Theologiæ, nimirum RR. PP. Gabrielis Vasquez & Roderici de Arriaga S. J., duplici ratione motus, primò ne quis existimet, me latere, quid hi duo Authores pro vel contra Illum. Doctorem scripserint; secundò, ne arbitretur, discipulis Illuminati Magistri deesse rationes defendendi veritatem sui Doctoris: sed quia hìc ipse Magister loquitur, tacebunt discipuli volentes, dum satis reprimit hìc omnes obloquentes: hoc solùm noto, malè habere R. P. Vasquezium, *quòd discipuli Raymundi semper objiciant, eorum principia non penetrari à suis oppugnatoribus*, & hinc non videri efficacia in suis demonstrationibus; *unde mirari se, ait, ipsos vi solâ rationum perspicuas illi eas reddere nunquam potuisse, quod sibi argumento sit, ipsas in se demonstrationes non esse, sed huic doctrinæ nimium addictis adeò placere, ut videre eas sibi videantur*: Tom. 2. D. 133. c. 1. & seqq. f. 134. at veniam exoro, & dico, duplicem posse esse causam hujus inefficaciæ, aut illam, quam hìc allegat R. P. Vasquez, aut hanc, quam ego profero, quia laudatus Pater noluit recipere debitâ ratione, quod optimâ Lullistæ voluerunt dare, quidquid enim recipitur, per modum recipientis recipitur. Denique, si laude dignus Eximius P. Vasquezius, quia agnovit Spiritum DEI in Raymundo, quo dignus R. P. Arriaga, qui hunc illi conatur auferre? si ergò hi duo egregii Viri in uno contrarii, cur non & in altero?



Sculp. ad Heinrich I. Ostertag. et I. Holdenrieder. Monh.

A

Prima Conditio est, quòd quilibet semper debeat attribuere DEO, & in ipso agnoscere omnem majorem nobilitatem in Essentia & Virtutibus & in Operationibus.

Secunda Conditio est, quòd Flores hujus Arboris nullo modo sibi invicem opponantur, nec quidam eorum sint majores seu minores, quàm alii.

B

Prima Conditio est, quòd Virtutes creatæ sint tanto majores & nobiliores, quanto perfectius & fortius significant & demonstrant maximam nobilitatem & perfectionem Virtutum increatarum.

Secunda Conditio est, quòd Virtutes increatæ & creatæ nullo modo sibi invicem contrarientur.

C

Prima Conditio est, quòd Virtutes increatæ divinæ nullatenus cum vitiis concordent.

Secunda Conditio est, quòd conveniat affirmare omne illud, per quod divinæ Virtutes fortius ac melius demonstrantur humano intellectui per vitia, & quòd conveniat negare omne illud, quod sit contrarium prædictæ majori significationi, & quod fuiat virtutes & vitia minùs ad invicem contrariari, salvis tamen supradictis Conditionibus aliarum Arborum.

D

Prima Conditio est, quòd nulla istarum Virtutum aliquatenus altis adversetur.

Secunda Conditio est, quòd illud, in quo prædictæ Virtutes cum majori esse melius conveniunt, & illud, in quo homo per ipsas acquirit majus meritum, affirmetur, esse verum, & ejus contrarium esse falsum; salvis antedictis Conditionibus aliarum Arborum.

E

Prima Conditio est, quòd Virtutes & vitia aliquo modo ad invicem non concordent.

Secunda Conditio est, quòd Virtutes, quæ vitiis sunt magis contrariæ, magis & fortius diligantur; & vitiis, quæ magis opponuntur Virtutibus, major defectus & majus odium attribuantur.

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE GENTILI ET TRIBUS SAPIENTIBUS.

DEUS Excellentiſſime, cujus Imperium non menſuratur quantitate, nec tempore, cui nunquam deficit materia honoris, nec conſiſtit in termino, cum tua benedictione & gratia tuóque auxilio, intentione, quâ celſitudini tuæ Majeſtatis honor, dilectio & famulatus tribuantur, non ût meretur tua infinita Dignitas, ſed ût valet parvitas conſiderationis Creaturarum, incipit Liber de *Gentili & Tribus Sapientibus.*

DE PROLOGO.

CUm per participationem longi temporis converſationem infidelium & eorum falſas ac erroneas opiniones cognoverimus, ut ipſi excellentiſſimum Dominum Conditorem omnium valeant laudare & cognoſcere, & ad viam ſalutis æternæ pervenire, ego pauper homo, peccator culpabilis, & à mundanis gentibus vilipenſus, cujus nomen reor eſſe indignum, quòd in titulo hujus vel alterius libri exprimatur, ſequens *modum Libri Arabici de Gentili*, totis meis viribus volo conari (prout parvitas mei ingenii valuerit tolerare, confidens auxilio Summi Opificis adjuvari) ad inveſtigandum novum modum, & novas rationes, quibus errantes à ſemita erroris poſſent revocari, & infinitos labores effugere, ac conſequi gloriam ſinè fine.

Quælibet Ars aut facultas requirit appropriata vocabula, quibus melius manifeſtetur: *hæc autem ſcientia, cùm ſit demonſtrativa ac intellectualis, indigens inuſitatis & abſonis vocabulis*, quæ plebeji & vulgares homines non poſſent intelligere, cùm tamen deſiderem bonum commune, & diſponam hunc librum ſcribere tam laicis & rudibus, quàm ſubtilibus & provectis, idcirco in principio breviter & planis vocabulis proponam hanc ſcientiam, confidens

in gratia & misericordia illius, in cujus perfectione perficitur omne bonum, quòd hoc modo materiam hujus libri imposterum magis appropriatis vocabulis fusiùs possim explicare literatis hominibus, qui diligunt suos intellectus elevare ad apicem speculativæ scientiæ. Multùm derogaretur huic scientiæ, nisi demonstretur vocabulis sibi convenientibus, & speculativis rationibus, quibus clariùs elucescat.

Hic autem Liber dividitur in *quatuor Libros* partiales. In *primo* Libro demonstratur necessariis rationibus, Deum esse, & in eodem esse flores primæ Arboris, ac Resurrectionem esse futuram. In *secundo* verò Libro continentur persuasiones sapientis Judæi, qui conatur demonstrare, suam fidem esse meliorem sectâ Saracenorum ac fide Christianorum. In *tertio* autem Libro sunt rationes sapientis Christiani necessariò demonstrantes, fidem Christianorum esse meliorem sectâ Saracenorum & fide Judæorum. In *quarto* Libro continentur rationes sapientis Saraceni, quibus conatur demonstrare, suam fidem esse meliorem, quàm fidem Judæorum & Christianorum.

De Narratione.

DIvinâ Ordinatione contigit, quòd in quadam terra fuerit homo quidam Gentilis valde peritus in philosophicis scientiis, & semel considerans celsitudinem sui statûs & scientiam, cœpit etiam cogitare in morte & in opulentia bonorum delectabilium hujus mundi: iste verò Gentilis nullam notitiam habebat de Deo, nec de Resurrectione, nec etiam credebat, post mortem cujuslibet animalis aliud quid esse posse.

Dum Gentilis in hac consideratione existeret, obortis lachrymis oculorum de suo corde altè suspirans labitur in planctum, tristitiam & dolorem; tantum namque placebat Gentili muliebris delectatio vitæ mundanæ, & mors ei fuit tantum timorosa & horribilis (ideo maximè, quòd opinabatur, se nihil fore post mortem) quòd nec poterat se consolari, nec tristitiam sui cordis pellere, nec etiam lachrymas oculorum cohibere. Cùm Gentilis in labore hujus considerationis persisteret, intra se decrevit relinquere natale solum, & ad aliquas extraneas partes se transferre, si fortè posset invenire remedium suæ afflictionis; & existimavit ire *ad quoddam inhabitabile nemus, quod erat abundans multis formosis fontibus, & multis arboribus copiosè ferentibus diversos fructus, per quarum recreationem vita humani corporis posset prolongari*; hanc autem sylvam inhabitabant plurimæ aves diversorum generum, & multa sylvestria animalia diversarum specierum: itaque Gentilis opinabatur, in hac eremo odoratu florum & aspectu pulchrarum arborum, atque amœnitate fontium & fluviorum habere refrigerium & quietem suæ laboriosæ cogitationis, quæ suum corpus graviter affligebat. Cùm autem Gentilis existeret in prædicta eremo, inspexit locum delectabilibus ripariis, pratis & fontibus abundantem & ornatum arboribus, in quarum ramis plurimæ aves diversarum specierum dulcissimo sono decantabant; sub arboribus autem erant Apri, Damæ, Cervi, Ursi, Cirogrylli, Lepores & multæ aliæ bestiæ venationis, quarum aspectu plurimùm anima recreabatur, & spiritus corporis refloresebant; arbores etiam erant uberrimæ saporiferis fructibus, de quibus odor suavissimus emanabat. Dum autem Gentilis delectatione supradictorum nitebatur se consolari, & cœpit pellere tristitiam sui cordis, ipsum timorosa cogitatio mortis, & annihilatio sui esse apprehendebant, & multiplicabantur anxietas, dolor & tristitia sui cordis.

Cùm igitur Gentilis affligeretur ab angustiis hujus cogitationis, quibus multiplicabatur tristitia sui cordis, & suus spiritus dejiciebatur in mœrorem, cogitabat intra se in propriam terram remeare, multùm considerans, qualiter in pristinam cogitationem, & maximam afflictionem suum cor devenerat; propter quæ de prædicto nemore non exire poterat sinè aliquo juvamine seu fortuna: & ideo Gentilis constringebat suam voluntatem, ne in patriam rediret, & tanquam stolidus per eremum errabundus vagabatur de loco in locum, ac de fonte ad fontem, tentando, an actione seu aliquâ re placidâ, quam videret, posset à se abjicere laboriosam cogitationem & tristitiam, quam habebat: quantò verò plùs per nemus procedebat, & magis decora & amœna loca videbat, tantò fortiùs ejus cogitatio, dolor & tristitia cordis augebantur. Colligebat quidem Gentilis de floribus, & comedebat de fructibus illarum arborum, experiendo, an delectatio aromatici odoris

odoris florum & dulcis sapor fructuum suo dolori valerent exhibere aliquod remedium; quia tamen cogitabat, quòd necessariò haberet mori & corrumpi, ac tempus esset, quo suum esse annihilaretur, nec aliquid de eo post mortem existeret, tunc ejus cogitatio crescebat assiduè, & multiplicabantur in ipso dolor, tristitia & planctus.

Dum Gentilis staret in hac angustia, & non posset sibi consulere propter multitudinem gravium cogitationum, quæ ipsum fortiter affligebant, flexis in terram genibus, & manibus & oculis ad cœlum erectis, osculánsque terram profundis gemitibus ac suspiriis devotissimè protulit ista verba: ha miser, in quantum dolorem & tristitiam devenisti! quare fuisti generatus in tanta caligine tormentorum, quare fuisti productus in esse hujus sæculi, si non habeas remedium tuæ captivitatis & laboris, quem redemptorem exspectas! si est aliqua res, quæ in se tantum virtutis continet, quòd tibi possit exhibere juvamen, quare non compatitur tuo labori, & non removet tristem cogitationem tui cordis, quæ non cessat continuò multiplicari, & dissipat & corrumpit tuum corpus?

Cùm autem Gentilis hæc verba protulisset, ascendit in cor ejus, quòd illum locum relinqueret, & quòd tamdiu de uno loco in alterum pergeret, quousque posset invenire aliquod remedium. Dum Gentilis sic vagabatur per eremum de loco in locum, sicut homo positus extra sensum, devénit in quendam tramitem valde pulchrum, & proposuit in illo tramite progredi, quousque videret, ad quem finem labor suæ cogitationis posset terminari: contigit autem, quòd, dum Gentilis gradiebatur per illud iter, tres Sapientes obviaverint sibi invicem in exitu cujusdam civitatis nobilis ac valde magnæ; unus horum Sapientum erat *Judæus*, alter *Christianus*, tertius verò *Saracenus*. Cùm verò essent extra civitatem, videntes se mutuâ salutatione gratanter exceperunt, & se invicem comitabantur, & quilibet alterum interrogabat de suo statu & salute, & qualis esset sua voluntas seu propositum faciendi? & omnes tres concordaverunt, quòd tenderent ad aliquem locum, ubi anima cujuslibet eorum, quæ fatigata erat magno labore studii, in quo steterat, aliquâ recreatione posset resumere suas vires: tantùm verò quæsiverunt hi tres Sapientes, quilibet loquendo de fide, quam tenebat, & de scientia, quam docebat suos scholares, quousque devenerunt in illam sylvam, per quam suprà dictus Gentilis perturbatus oberrabat; tantúmque isti tres Sapientes per illam sylvam processerunt, quòd devenerint in quoddam pratum pulcherrimum, *ubi erat quidam fons valde decorus, cujus aqua rigabat quinque Arbores, quæ significantur per quinque Arbores, quæ depinguntur in principio hujus Libri.* Ad fontem fuit quædam Domina mirabilis pulchritudinis & formæ, pretiosissimis vestibus induta, equitans palafrenum quendam pulcherrimum, cui in prædicto fonte dabat potum: prædicti verò Sapientes, dum viderent illas quinque Arbores, quæ fuerunt valde placidæ ad videndum, & conspicerent Dominam, quam similiter aspicere erat oculis valde gratum, accesserunt ad fontem, & salutaverunt Dominam humiliter & devotè: Domina verò iterum verbis placidis dabat eis salutem: Sapientes autem interrogaverunt Dominam, quod esset ejus nomen? respondit eis Domina, quòd ipsa esset *Intelligentia:* quo audito, Sapientes deprecantur Dominam, quòd placeret ei docere ipsos naturam & proprietatem illarum Arborum, quid etiam significarent literæ, quæ erant scriptæ in floribus cujuslibet Arboris: Domina respondit eis dicens:

Prima Arbor, in qua videtis, *viginti & unum florem* existere, significat *Deum Creatorem omnium rerum*, & *ejus Virtutes essentiales increatas*, quæ sunt scriptæ in illis floribus, secundùm quòd potestis intueri: huic Arbori inter alias debent assignari *duæ speciales conditiones. Prima Conditio est, quòd quilibet semper debeat attribuere Deo, & in ipso agnoscere omnem majorem nobilitatem in essentia & virtutibus & in operationibus. Secunda Conditio* est, *quòd flores illius Arboris nullo modo sibi invicem opponantur, nec quidam eorum sint majores seu minores quàm alii:* sinè notitia prædictarum duarum conditionum nemo potest pervenire ad perfectam notitiam virtutum & operum primæ Arboris.

Secunda Arbor continet *quadraginta novem flores*, in quibus scribuntur *septem Virtutes increatæ primæ Arboris, & aliæ septem Virtutes creatæ*, per quarum acquisitionem benedicti sancti tendunt ad sempiternam gloriam Paradisi: huic verò Arbori inter alias debemus necessariò assignare *duas*

ſpeciales conditiones. Prima Conditio eſt, *quòd virtutes creatæ ſint tantò majores & nobiliores, quantò perfectiùs & fortiùs ſignificant & demonſtrant maximam nobilitatem & perfectionem virtutum increatarum. Secunda Conditio* eſt, *quòd virtutes increatæ & creatæ nullo modo ſibi invicem contrarientur.*

Tertia Arbor habet *quadraginta novem flores*, in quibus ſcribuntur *ſeptem Virtutes increatæ* primæ Arboris, & *ſeptem Vitia*, quæ ſunt ſeptem peccata mortalia, per quorum commiſſionem maledicti peccatores tendunt ad perpetuam condemnationem tormentorum inferni: hæc autem Arbor inter alias ſibi appropriat *duas ſpeciales conditiones. Prima Conditio iſtarum* eſt, *quòd virtutes increatæ divinæ nullatenus vitiis ſint concordes. Secunda Conditio* eſt, *quòd omne illud conveniat affirmare, per quod divinæ virtutes ſint fortiùs ac meliùs demonſtratæ humano intellectui per vitia, & quòd conveniat negare omne illud, quod ſit contrarium prædictæ majori ſignificationi, & quod faciat virtutes & vitia minùs ad invicem contrariari; ſalvis tamen ſupradictis conditionibus aliarum Arborum.*

Quarta Arbor continet *viginti & unum florem*, in quibus ſcribuntur *ſeptem Virtutes creatæ*; hæc autem Arbor inter alias ſibi appropriat *duas ſpeciales conditiones. Prima Conditio* eſt, *quòd nulla iſtarum virtutum aliquatenus aliis adverſetur. Secunda conditio* eſt, *quòd illud, in quo prædictæ virtutes cum majori eſſe meliùs conveniunt, & illud, in quo homo per ipſas acquirit majus meritum, affirmetur, eſſe verum, & ejus contrarium eſſe falſum; ſalvis antedictis conditionibus aliarum Arborum.*

Quinta Arbor continet *quadraginta novem flores*, quibus *ſeptem Virtutes creatæ* principales & *ſeptem Peccata mortalia* adſcribuntur. Huic autem Arbori inter alias *duæ ſpeciales conditiones* debent aſſignari. *Prima Conditio* eſt, *quòd virtutes & vitia aliquo modo ad invicem non concordent. Secunda Conditio* eſt, *quòd virtutes, quæ magis vitiis ſunt contrariæ, magis & fortiùs diligantur; & vitiis, quæ magis virtutibus opponuntur, major defectus & majus odium attribuantur.* Hæ prædictæ decem conditiones per *duas conditiones*, hoc eſt, per *duo principia* regulantur: unum Principium ſeu *Conditio* eſt, *quòd prædictæ decem conditiones ad unum principalem finem conveniant:* aliud Principium ſeu *Conditio* eſt, *quòd prædictæ conditiones ad iſtum finem conſequendum nullo modo ſibi invicem adverſentur.*

Finis autem, ad quem prædictæ conditiones debent dirigi, eſt, cognoſcere, Deum, & ipſum diligere, & timere, & ipſi præ cæteris rebus honorem, famulatum & ſervitium exhibere. Per ſuprà dictas conditiones regulantur illi flores, qui ſunt principium & doctrina ad dirigendum mentes hominum errantium, qui nullam notitiam habent de Deo, nec de ejus operibus; qui etiam in aliquo non cognoſcunt fidem, quam tenent: & per cognitionem iſtarum Arborum homo poteſt conſolari deſolatos, & laborantes à laboribus & triſtitiis perducere ad quietem: per has etiam Arbores homo mortificat tentationes vitiorum, & à culpis ac peccatis mundat peccatricem animam; per utilitatem verò Arborum ferentium fructus homo effugit infinitos labores tormentorum, & dirigitur ad ſempiternam requiem.

Ait ergò Sapientia: Modum inveſtigandi per has Arbores oportet eſſe talem, ſcilicet, quòd intellectus volens inveſtigare primò conſideret has quinque Arbores, & quomodo quælibet Arbor habeat ſuos proprios flores; & conſideret ſecundò, quòd quælibet Arbor ſingularis cum ſuis propriis floribus habeat duas conditiones proprias; quæ duæ conditiones propriæ debent regulare intellectum, qui per Arborem inveſtigat, ut ſciat cum illis conditionibus in ſuo propoſito flores illius Arboris, ſecundùm quòd vult inveſtigare, rectè & juſtè deducere ad concluſionem, quàm inquirit, affirmativè, vel negativè: & oportet ultrà, quòd viſis floribus alicujus Arboris & illis deductis per conditiones ſuæ propriæ Arboris intellectus ſemper reſpiciat ad duo principia, quæ ſunt præter Arbores in prædicta figura; quæ duo principia ſunt communia omnibus quinque Arboribus, & omnibus conditionibus illarum quinque Arborum: tali modo, inquam, reſpiciat intellectus, quòd nullatenus Arbor nec ejus flores nec ſimul ejus conditiones illis duobus exterioribus principiis contradicant, nec omnes conditiones Arborum in ſimul, nec aliquarum, nec quælibet per ſe; ſed flores omnium Arborum & eorum conditiones ad ſpeculum illorum duorum exteriorum principiorum reducantur, ita, quòd omnis deductio fiat & dirigatur per illa, & ad illa duo exteriora principia, & illa duo principia dirigantur ad finem principalem; ût patet in præhabita figura.

Cùm verò Domina dixiſſet illis tribus Sapientibus omnia ſuprà dicta, tunc accepit commeatum ab ipſis, & arripuit ſuum iter: remanſerunt autem illi tres Sapientes juxta fontem ſub illis quinque Arboribus; quorum unus fortiter ſuſpirans dixit aliis: ha Deus, quàm magnum bonum foret iſtud, ſi per ſcientiam iſtarum Arborum poſſemus eſſe in una lege & in una fide omnes, qui vivimus in hoc mundo, ita, quòd rancor & odium non eſſent inter homines, qui ſe invicem odiunt propter diverſas fides & contrarias leges diverſorum populorum, & quòd, ſicut eſt tantùm unus Deus, Pater & Dominus & Creator omnium rerum, ita omnes populi, qui ſunt poſiti ſub diverſitate, convenirent eſſe unus populus, & quòd ille eſſet in via ſalvationis perpetuæ, & ſic, quòd omnes haberemus unam fidem & legem, per quam poſſemus reddere gloriam & debitas laudes noſtro Domino Deo Creatori omnium bonorum: conſiderate Domini, dixit ille Sapiens ſuis ſociis, quot ſunt damna, quæ ſequuntur, eò quòd omnes homines non habent tantùm unam fidem, quot etiam ſunt bona, quæ forent, ſi omnes eandem legem concordanter teneremus.

Cùm hoc igitur ſit verum, ſi videretur vobis eſſe bonum, quòd federemus ſub iſtis Arboribus juxta iſtum fontem, & diſputaremus ſuper hoc, quod quilibet noſtrûm credit, ſecundùm quòd doctrina iſtorum florum nobis ſignificat, & ſecundùm conditiones ſuprà dictarum Arborum, *& eò quòd per authoritates non poſſumus convenire, tentaremus, utrùm poſſemus concordare demonſtrativis & neceſſariis rationibus.* Alii verò Sapientes conſentiunt prædicto Sapienti, & approbant hoc, quod dixit.

Conſederunt ergò Sapientes ſub illis Arboribus, & cœperunt intueri flores illarum arborum, & recolebant conditiones & verba, quæ eis Domina retulerat, & propoſuerunt in ſua Diſputatione proſequi modum & doctrinam, ſecundùm quòd per Dominam eis priùs erat demonſtratum.

Quamprimùm Sapientes voluerunt incipere ſibi invicem proponere quæſtiones, viderunt Gentilem venientem, qui per illam foreſtam errabat ût ſtolidus prolixâ barbâ, longis & incomptis crinibus; veniebat enim ſicut debilis homo diſcoloratâ facie, macilentâ habitudine propter laborem ſuarum cogitationum & longitudinem itineris, quod fecerat per foreſtam, à ſuis oculis quamplurimæ lachrymæ continuò emanabant, ſuum cor crebrò dabat ſuſpiria doloris, & ex ſuo ore non ceſſabat emittere planctus & gemitus, & propter maximum laborem ſuæ cogitationis ſitiebat, ac oportuit ipſum priùs in fonte bibere, quàm illis Sapientibus poſſet loqui.

Cùm verò Gentilis bibit in fonte, & vires ac anhelitus ſui pectoris aliquantulum virtutem reſumpſerunt ceſſante impetu ſpiritûs, tunc Gentilis illos tres Sapientes in ſuo idiomate ſalutat ſecundùm conſuetudinem ſuæ terræ. Sapientes autem reddentes ei ſalutes dixerunt, quòd ille Deus, qui eſſet Rex Gloriæ & Pater ac Dominus omnium, quæ ſunt, & creaverat totum mundum de nihilo, qui etiam reſuſcitabit bonos & malos, ei eſſet propitius, & conſolaretur eum, & ipſum in ſuis neceſſitatibus adjuvaret.

Cùm Gentilis audivit ſalutationem, quam ipſi reddiderant Sapientes, inſpexítque prædictas quinque Arbores, legit etiam in floribus Arborum, & vidit extraneum modum illorum Sapientum, & eorum extranea veſtimenta, tunc cogitans exterritus incepit admirari plurimùm de verbis, quæ à Sapientibus audierat, ac de his, quæ videbat in Arboribus, & in extraneo habitu Sapientum.

Unus verò illorum Sapientum ait Gentili: Amice, unde veniſtis? vel quod eſt veſtrum nomen? ſatis videtur veſtrum corpus deſolatum & afflictum propter aliqua, quæ patimini; vel quare veniſtis in hunc locum? exponatis nobis veſtrum factum, ſiqua cauſa eſt, in qua poſſimus conſolari vos, vel dare vobis aliquod remedium ſeu auxilium.

Gentilis verò reſpondit, dicens: quòd ipſe eſſet Gentilis, & veniret de longinquis partibus, & vagaretur per illam foreſtam, ſicut homo poſitus extra ſenſum, atque à fortuna in illum locum deveniſſet: refert itaque dolorem & tormenta, in quæ ipſum duxerat tentatio timoroſæ mortis: & cùm in ſalutatione, quam mihi reddidiſtis, audiverim vos dicentes, quòd ille Deus adjuvaret & conſolaretur me, qui creavit mundum, & reſuſcitabit omnes homines, propter hanc ſalutationem valde miror, & hujus meæ admirationis

causa est hæc: nam non recolo, quòd toto tempore meæ vitæ unquam aliquid audiverim de Deo, quem vos dicitis, nec audivi fieri mentionem de Resurrectione, quam dicitis; & qui mihi posset demonstrare Resurrectionem vivis & necessariis rationibus, bene posset removere à mea anima dolorem & tristitiam, quos patitur.

Alter verò Sapientum dixit Gentili: Amice, non creditis in Deum Patrem & Creatorem omnium, nec speratis, Resurrectionem fieri in futuro?

Gentilis autem respondit illi: Domine non; & si est aliqua res, per quam possitis mihi Deum demonstrare, & cujus demonstratione mea anima valeat inclinari ad notitiam Resurrectionis, deprecor, ut hoc velitis facere; nam firmiter vobis constet, quòd vobis verbo exprimere non valeam maximam afflictionem ac maximum dolorem, quem patior, pro eo, quòd videam, me quotidie morti appropinquare, & existimem, me nihil fore post mortem: tunc verò prædicti Sapientes audiverunt & intellexerunt erroneam opinionem, in qua Gentilis erat, & passionem, quam propter errorem sustinebat; propter quod pia devotio charitatis eos movebat: itaque ordinaverunt, qualiter prædicto Gentili demonstrarent, Deum esse, & in eodem Bonitatem, Magnitudinem, Æternitatem, Potestatem, Sapientiam, Amorem, Perfectionem existere; & quòd per illos flores, qui in illis quinque Arboribus continentur, probarent hæc omnia, ut ponerent ipsum in cognitione Dei & suarum virtutum, ac etiam in spe Resurrectionis; ut ejus cor reciperet gaudium, & ejus anima dirigeretur in viam salvationis ac gloriæ sempiternæ.

Unus autem illorum Sapientum dixit aliis: quem modum tenebimus in probando hæc omnia? melius consilium, quod nos habere intelligo, est, quòd sequamur doctrinam & modum, in quam *Domina Intelligentia* nos direxit: veruntamen, si per quemlibet florem hujusmodi res vellemus probare, sermones essent prolixi, & materia nimis longa; igitur videretur expedire, quòd aliquibus floribus investigare mus ac probaremus, Deum esse, & prædictas septem virtutes in eodem existere, atque Resurrectionem debere fieri in futuro, ita, quòd unus nostrûm à prima Arbore incipiat, probétque per ipsam, alius verò postea per secundam Arborem probet, & sic deinceps per has quinque Arbores per ordinem probemus & demonstremus Gentili hoc, ad quod sciendum necessariò est obligatus.

Duo verò Sapientes hoc, quod tertius dicebat, approbabant; unus autem illorum dixit aliis: quis nostrûm imprimis incipiet? quilibet enim Sapientum honorabat alios, alternatímque volebant sibi tradere prærogativam incipiendi: Gentilis autem videns, qualiter Sapientes inter se contendebant, & principium probandi differebant, deprecabatur alterum eorum, ut inciperet; nam multùm affligebatur ejus anima, eò quòd differebant incipere hoc, quod ipse ferventissimo desiderio cupiebat intelligere.

INCIPIT
LIBER PRIMUS

De DEO & Resurrectione.

PRIMA ARBOR

De Bonitate & Magnitudine.

AIt ergò Sapiens: manifestum est humano intellectui, quòd magnitudo & bonitas & esse conveniant insimul; quoniam, quantò majus est bonum, tantò melius concordat cum esse; malum autem & parvitas sive defectus, quæ bonitati & magnitudini opponuntur, conveniunt cum non esse; quod est, quia, quantò majus est malum, tantò plùs convenit cum minori esse, quàm cùm majori; quod si non ita esset, sed esset contrarium, sequeretur, quòd omnes homines plùs naturaliter appeterent non esse, quàm

quàm esse, & plùs malum, quàm bonum, plùs etiam per naturam appeterent minus bonum, quàm majus, & minus esse, quàm majus esse; hoc autem est impossibile, secundùm quòd vivâ ratione humano intellectui demonstratur: hoc etiam corporalis visus in visibilibus rebus manifestat.

Ait autem Sapiens Gentili: Domine, vos videtis, quòd omne bonum existens in plantis & vegetabilibus aliísque rebus viventibus & non viventibus est finitum, & consistit in certo termino: igitur si Deus non esset, sequeretur, quòd nullum bonum existeret in infinito esse, & quòd omne bonum, quod est in esse, consisteret inter finitos terminos, etiam infinitum esse & non esse insimul convenirent: veruntamen cùm bonum finitum conveniat cum minori esse, bonum autem infinitum conveniat cum majori; hoc autem est, quia infinitas & magnitudo conveniunt, finitas verò & defectus seu parvitas insimul sunt concordes: igitur hac demonstratione significatum est, quòd, si bonum finitum, quod est minus, & quod convenit cum non esse, est in esse, quantò magis absque omni comparatione necesse est, unum bonum infinitum existere in esse; quod bonum, charissime, est noster sublimis Dominus Deus, qui est supremum bonum omnium bonorum, sinè cujus esse sequerentur omnia supradicta inconvenientia.

De Magnitudine & Æternitate.

SI æternitas nihil esset, necessariò oporteret, quòd omne, quod est, haberet principium; & si omne, quod est, haberet principium, sequeretur, quòd quodlibet principium efficeret se ipsum; esset etiam principium sibi ipsi; in hoc autem, ût videtis Amice, inquit Sapiens Gentili, ratio non consentit; nam oportet, quòd omne, quod habet principium, sumat principium ab aliquo principio, quod careat principio, medio & fine; hoc autem est Deus Rex gloriæ, quem vobis intendimus significare istis verbis: Vos bene videtis, quòd Cœlum sit mobile, & in circuitu terræ nocte diéque volvatur motu circulari; omne autem mobile oportet esse finitum & terminatum in propria quantitate: idcirco videtis, quantitatem hujus mundi finitis terminis contineri.

Cùm ergò æternitas non conveniat cum principio, nec cum fine (nam si haberet principium & finem, jam æternitas minimè diceretur) ex his satis clarè patet, quòd æternitas multò meliùs conveniat cum infinita magnitudine, quàm cùm orbe, cujus quantitas intra finitos terminos est contenta: sicut verò quantitas orbis convenit cum terminatione & principio, sic etiam concordat cum fine, id est, cum non esse, nisi infinita & æterna magnitudo, quæ illi dedit principium, conservaret ipsam in esse. Igitur cùm hoc ita sit, manifestè declaratur, quòd æternitas, quæ meliùs convenit cum infinita magnitudine, quàm cum finitâ, sit perfectissimus Deus, quem nos his rationibus demonstramus.

De Æternitate & Potestate.

CErtum est, quòd Æternitas & Potestas insimul conveniant cum esse; nam si hoc, quod est æternum, non haberet potestatem essendi æternum, sequeretur, quòd propter defectum potestatis non esset æternum; & si æternitas per potestatem suî ipsius non esset æterna, sed sustentaretur per aliam potestatem principiatam seu non æternam, sequeretur, quòd esset major potestas in rebus habentibus principium, quàm in rebus carentibus principio & defectu, seu æternis; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, Deum esse, qui per potestatem suî ipsius est æternus, ex cujus potentia infunditur gratia & influentia Animabus rationalibus & Angelis, ut possint persistere in æterna duratione.

Gentilis autem respondit, dicens: quòd esset possibile, mundum esse æternum, ita, quòd haberet ex se ipso potestatem essendi æternus. Veruntamen Sapiens destruxit rationem Gentilis, dicens: quòd, sicut mundus per defectum suæ potestatis deficit ab infinita quantitate [cùm sua quantitas sit contenta finitis terminis] ita per defectum suæ potestatis sua finita & terminata quantitas non conveniat cum æternitate, quæ caret principio & fine.

De Potestate & Sapientia.

MAnifestum est, quòd Potestas & Sapientia conveniant cum esse; nam si sapientia non haberet suam potestatem, per quam posset existere in esse, sapientia nihil

nihil esset: sicut igitur sapientia & potestas conveniunt cum esse, ita eorum contraria, hoc est, defectus ipsius potestatis, & ignorantia conveniunt cum non esse; nam si convenirent cum esse, sequeretur, quòd sapientia & potestas simul concordarent cum non esse; quod si esset, sequeretur, quòd omnes res, quæ habent potestatem & sapientiam, naturaliter appeterent devenire in defectum ipsius potestatis ac in ignorantiam, ut possent existere in esse; hoc autem est manifestè falsum: igitur si defectus potestatis, ac ignorantia sunt in esse, cùm sit manifestum, quòd conveniant cum non esse, quantò meliùs convenit, quòd potestas & sapientia habeant esse in aliquo supposito, in quo nullo modo inveniatur defectus potestatis, & ignorantia; hoc autem supposítum est solus Deus; cùm in qualibet alia re inveniatur defectus perfectæ potestatis & perfectæ sapientiæ.

De Sapientia & Amore.

SApientia & Amor adinvicem conveniunt cum esse; nam esse, in quo sapientia plus scit existere, amor plùs potest diligere: alio autem modo sapientia & amor disconveniunt in esse; nam sapientia scit, esse aliquid, quod amor non diligit, imò odit: sapientia etiam scit tale quid, quod amor nollet, sapientiam scire: sapientia etiam scit aliquid, quod in se dignum est amari, & amor seu voluntas nihilominus odit illud: est iterum aliquid dignum amari, quod etiam diligitur ab amore: alio etiam modo sapientia & amor disconveniunt in esse; quoniam hoc, quod sapientia non potest scire, amor tamen potest diligere, cùm lumine fidei fuerit illustratus: Sapientia etiam per temperantiam voluntatis posset scire aliquam rem, quam non posset scire per paucitatem & nimium defectum voluntatis, seu etiam per ejusdem excessum & fervorem. Igitur cùm sapientia & amor conveniant cum esse, & in esse sibi invicem opponantur, si talis amor & sapientia habeant esse in humano esse, quantò magis absque omni comparatione convenit, quòd habeant esse in aliqua re, in qua adinvicem conveniant, & sibi nullo modo opponantur: hæc autem res est Deus omnipotens, qui si non esset, sequeretur, quòd sapientia & amor non meliùs convenirent cum esse in eo, in quo non possent contrariari, quàm in eo, in quo unus alteri posset contrariari; hoc autem constat esse impossibile: per quam impossibilitatem manifestè demonstratur, Deum esse.

De Amore & Perfectione.

AMor & Perfectio conveniunt cum esse; esse autem & perfectio conveniunt adinvicem, & eorum oppositа, scilicet non esse, seu privatio & defectus insimul concordant: si igitur non esse, seu privatio & defectus simul conveniant cum esse & perfectione in homine & aliis rebus existentibus in hoc mundo, quantò magis absque omni comparatione convenit, quòd esse & perfectio conveniant in esse alicujus suppositi, in quo nullo modo possint inveniri defectus & privatio, seu non esse: quia si hoc ita non esset, sequeretur, quòd esse & perfectio in aliqua re non possent existere, quin ibi essent sua contraria, videlicet privatio & defectus; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem humano intellectui manifestè demonstratur, Deum esse, in quo est esse & perfectio, non autem privatio nec defectus: in homine verò & etiam in omnibus aliis rebus est privatio, eò quòd fuit tempus, in quo non fuerunt: est etiam in eis defectus, eò quòd videamus, quòd nulla res habeat completam perfectionem, & etiam videamus, quòd in nulla re naturalis appetitus satietur: est etiam in omnibus rebus aliqua perfectio, in quantum existunt in esse, quod esse comparatum ad non esse potest dici perfectio.

Si non esset aliquod esse, in quo convenirent esse & perfectio sinè defectu & privatione, amor naturaliter tantùm diligeret defectum, quantùm perfectionem, eò quòd sinè defectu non posset esse in esse & perfectione; hoc autem non est verum: propter quod vobis est significatum, Deum esse, in quo amor, esse & perfectio insimul conveniunt sinè defectu & aliqua privatione, seu non esse; hoc autem, per quod amor & perfectio conveniunt in esse, in quo existunt defectus & privatio seu non esse, est propter influentiam, hoc est, propter abundantiam & perfectionem Dei, qui existit in esse & perfectione sinè aliqua privatione vel defectu.

Quòd sit Resurrectio.

PEr supradictos *sex flores* probavimus & significavimus, Deum esse; & probando, Deum esse, probatur etiam in eodem existere

existere supradictos flores, sinè quibus Deus non haberet aliquod esse: igitur cùm ipse sit, de necessitate sequitur, quòd flores sint in esse, hoc est, suæ virtutes, quæ essentialiter sunt in ipso. Sicut per supradictos flores probavimus, Deum esse, ita possemus ipsum probare per alios flores ejusdem arboris, si vellemus; veruntamen quia hunc librum volumus brevem facere, & etiam nobis restat probare Resurrectionem, idcirco non est necesse, quòd per alios flores hujus arboris demonstremus, Deum existere.

Per *quinque flores* hujus arboris volumus probare Resurrectionem, quam etiam possemus probare per omnes alios flores, qui in hac arbore continentur: nihilominùs intelligendum est, quòd non dicamus, quòd flores primæ arboris, in quantum sunt in Essentia Dei, in se habeant aliquam differentiam, imò dicimus, quòd sint idem essentialiter; veruntamen per relationem ad creaturas verum est, quòd nostro intellectui per differentiam operum variè demonstrentur.

De Bonitate & Æternitate.

BOnitas Dei est æterna; Æternitas Dei etiam est ejus bonitas; cùm igitur æternitas sit multò majus bonum, quàm hoc, quod æternaliter non existit, si Deus creavit corpus humanum, ut esset durabile in æternum, major bonitas est finis, videlicet causa, propter quam Deus creavit humanum corpus, quàm esset, si corpus humanum haberet finem, hoc est, non esse, ita, quòd postea nihil esset: unde cùm hoc ita sit, si corpus humanum habet resurgere, & post suam resurrectionem perpetuâ durationе existere, bonitas Dei & ejus æternitas creaturis intellectualibus demonstratæ erunt in majori nobilitate & majori operatione: *& quia secundùm supradictas conditiones Arborum convenit attribuere Deo majorem nobilitatem*, idcirco necessariò convenit, secundùm divinam influentiam æternitatis ordinatum esse, quòd per virtutem illius influentiæ humano corpori veniat gratia & benedictio, quibus habeat resurrectionem, & sit durabile in æternum.

De Magnitudine & Potestate.

MAgnitudo & Potestas conveniunt in natura; quia unum granum alicujus seminis per generationem naturaliter reiterat herbam seu arborem sui generis, nihilominùs non reiterat illam arborem numero, sed alteram in specie similem præcedenti: hoc idem sequitur de generatione hominum, bestiarum & avium; nam per naturam unus homo à masculo & fœmina generatur, & una bestia similiter generando procedit ab altera; non tamen ille homo generatus reiterat alterum hominem numero, qui jam est mortuus seu corruptus, nec una bestia similiter reiterat alteram; imò est alter homo, seu altera bestia priori similis, & non idem homo, nec eadem bestia: igitur si natura haberet tantam potestatem, quòd illum ipsum hominem, qui jam est mortuus, & illam ipsam bestiam, seu etiam illam ipsam arborem jam corruptam ad vitam reduceret, habuisset longè majorem ac nobiliorem potestatem, quàm nunc habet: ergò si Deus non resuscitaret illum eundem hominem, qui jam est mortuus, non demonstraret nobis, quòd sua potestas esset major, quàm potestas naturæ: veruntamen cùm constet, suam potestatem esse majorem, quàm potestatem naturæ, si non faceret hoc, per quod sua potestas intellectui demonstraretur major, quàm potestas naturæ, ejus amor & ejus perfectio & bonitas & sapientia & alii flores prædictarum Arborum essent contrarii suæ potestati; hoc autem est inconveniens: per quam inconvenientiam manifestatur, quòd erit resurrectio in futuro, & quòd tuum corpus & cujuscunque alterius hominis resuscitabitur, ad manifestandum, quòd Deus habeat majorem & nobiliorem potestatem, quàm natura.

Cùm Gentilis audisset hæc verba, & recoluisset alias supradictas probationes, ejus anima, quæ erat obumbrata nube ignorantiæ, incepit illuminari lumine veritatis, & ejus cor valde fortiter lætari; & idcirco interrogavit Sapientem, utrùm bestiæ ac aves etiam aliquando resuscitabuntur?

Sapiens verò respondens ait, quòd non; propter hoc, quòd bestiæ & aves non utantur ratione nec libero arbitrio; & si Deus resuscitaret ipsas, contradiceret suæ sapientiæ & justitiæ; hoc autem est contra supradictas conditiones Arborum.

De Æternitate & Sapientia.

SEcundùm quòd jam diximus, Æternitas & Potestas conveniunt, potestas autem & sapientia similiter insimul concordant; & ideo de necessitate convenit, quòd æternitas

nitas & sapientia conveniant; nam si contrariarentur in Deo, sequeretur, quòd æternitas esset contraria potestati, quæ concordat cum sapientia, & sapientia esset contraria æternitati, quæ convenit & concordat cum potestate; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem manifestum est, æternitatem & sapientiam insimul convenire; quâ convenientiâ demonstratur, quòd Deus sciat se ipsum æternaliter sapientem in justitia; quia si se sciret injustum, non posset se scire æternaliter sapientem: unde cùm sint multi mali homines, quos Deus in hoc mundo non punit, cùm etiam in hoç mundo sint multi sancti homines, qui ex amore Dei per opera charitatis & justitiæ & aliarum virtutum agunt pœnitentiam, & sustinent famem, sitim, calorem, frigus & alias paupertates & miserias, & multas afflictiones & mortem, & non remunerentur in hoc sæculo, idcirco nobis manifestè significatur resurrectio; quia, sicut illa res, quæ in hoc mundo bonum vel malum operatur, est homo, ita justitia debet remunerare, seu punire illam rem, quæ sit homo; hæc autem res non esset homo, si sinè humano corpore existeret: unde justitia non conveniret cum aliis floribus hujus Arboris, & flores sibi invicem contrariarentur, si resurrectio non esset.

De Potestate & Amore.

SApiens dixit Gentili: Domine, quantùm amor existens in homine potest velle, tantùm potest diligere; veruntamen amor tantùm non potest habere, quantùm potest velle: & ideo demonstratum est, quòd velle hominis plùs potest diligere quàm habere hoc, quod desiderat habere: unde si in homine potestas & amor insimul convenirent, ita, quòd omne, quod voluntas posset velle, posset habere, sequeretur, quòd esset major concordantia, major perfectio & major æqualitas in esse hominis, quàm nunc sit, quando voluntas non habet potestatem habendi omne illud, quod potest velle. Unde cùm major concordantia, major perfectio & major æqualitas melius conveniant cum esse, quàm minor concordantia, perfectio & æqualitas, sequitur, quòd, si minor concordantia, perfectio & æqualitas sunt in esse, multò meliùs major concordantia, perfectio & æqualitas sint in esse: quòd si non esset, sequeretur inconveniens inter esse & majoritatem; etiam minoritas, inæqualitas & defectus meliùs convenirent cum esse, quàm majoritas, æqualitas & perfectio; hoc autem est impossibile: nam si esset possibile, convenirent majoritas & non esse, & concordarent minoritas & esse; hoc autem est inconveniens: per quam inconvenientiam manifestè significatur, quòd necessariò conveniat, existere aliquam rem, in qua potestas & amor conveniant æqualiter, & quòd unus amor possit velle & habere omne id, quod ipsamet potestas potest velle: hanc autem rem convenit esse Deum tantùm; nam non est alia res, quæ habeat tantam potestatem, quantam voluntatem.

De Sapientia & Perfectione.

QUantò perfectior est aliqua operatio, tantò perfectiorem significat sapientiam sui artificis: igitur si Deus creavit hominem hac intentione, ut homo resurgat, & sit durabilis in æternum, Deus in creando hominem habuit nobiliorem intentionem, quàm habuisset, si creâsset ipsum cum intentione, ut homo non resurgeret, & non esset durabilis in æternum; sed quò nobilior est intentio, & quò majorem habet speculationem, eò majorem operationem demonstrat; & per majoritatem & nobilitatem operationis fortiùs demonstratur major sapientia in artifice: unde cùm secundùm conditionem primæ Arboris *homo debeat Deo attribuere majorem nobilitatem*, per majorem nobilitatem resurrectio vobis est demonstrata seu significata: idcirco probatur & demonstratur, resurrectionem fieri in futuro.

Postquam Sapiens probavit Gentili, Deum esse, & in se habere flores primæ Arboris, & probavit, resurrectionem necessariò esse, tunc alter Sapiens hoc idem per secundam Arborem incepit probare, & elegit aliquos flores ad probandum illud ipsum, quod primus Sapiens per primam Arborem jam probavit.

SECUNDA ARBOR

De Bonitate & Fide.

BOna & nobilis res est Fides; nam homo per fidem credit & diligit hoc, quod intellectus non potest intelligere; quòd si fides nihil esset, homo non amaret aliquid, ex quo illud non intelligeret: igitur cùm homo non

non possit intelligere omnes res, intellectus tamen sit dispositus per lumen fidei intelligere, per hoc, quòd homo per fidem diligit illud, quod intellectus non potest intelligere; & in eo, quòd homo diligit illud, quod non intelligit, per naturam appetit illud intelligere; & quia hoc appetit, citiùs illud intelligit, quàm intelligeret, si illud priùs non appeteret intelligere: idcirco declaratur, quòd bonitas & fides insimul concordent; & cùm infidelitas, quæ non credit veritatem, quam intellectus non potest intelligere, sit mala, per hoc, quòd contradicat fidei, quæ convenit cum bonitate, ideo significatur, quòd, si Deus est, fides, quæ ipsum credit, sit major, melior & nobilior, & infidelitas, quæ ipsum non credit, sit minor, pejor & ignobilior: major etiam est contrarietas inter fidem & infidelitatem, quàm esset, si divina Essentia nihil esset: unde cùm secundùm conditionem quintæ Arboris *major contrarietas, quæ sit inter virtutes & vitia, meliùs conveniat cum esse, quàm minor*, ad significandum majorem virtutem & majus vitium, ut plùs amentur virtutes, & plùs odiantur vitia, idcirco nobis manifestè significatur, quòd Deus est; quia si Deus nihil esset, sequeretur, quòd hoc, per quod virtutes & vitia minùs diversificantur & disconveniunt, meliùs conveniret cum esse, quàm hoc, per quod magis disconveniunt & sibi invicem contradicunt; hoc autem est impossibile: quia si sic esset, sequeretur, quòd virtutes non essent tantùm amabiles, nec vitia tantùm odibilia: igitur cùm hoc, per quod virtus sit plùs amabilis, & vitium plùs odibile, conveniat cum esse, & ejus contrarium cum non esse, idcirco Deus est manifestabilis humano intellectui, per cujus divinum esse fides & contrarium fidei magis inter se sunt contraria & diversa.

De Magnitudine & Spe.

QUantò majorem spem homo ponit in Deo, tantò magis sua spes significat, in Deo esse magnitudinem bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, perfectionis, misericordiæ, justitiæ & aliarum virtutum seu dignitatum, quæ conveniunt Deo; quia si in Deo non esset magnitudo prædictarum virtutum, in spe non esset multiplicata magnitudo, quæ poneret spem in supradictis virtutibus Dei; imò sequeretur potiùs, quòd, quantò majorem spem homo poneret in divinis dignitatibus, tantò magis sua spes esset dissimilis & magis contraria virtutibus Dei. Prætereà ex hoc sequeretur adhuc aliud inconveniens, videlicet, quòd spes meliùs conveniret cum majori quantitate per hoc, quod non est, & cum minori quantitate per hoc, quod est; hoc autem est impossibile: quâ impossibilitate manifestè demonstratur, quòd in Deo sit magnitudo, hoc est, infinitas bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, perfectionis, misericordiæ, justitiæ; & per magnitudinem significatur, has ipsas virtutes esse in Deo; nam sinè istis virtutibus in ipso supradicta magnitudo non posset existere.

De Æternitate & Charitate.

COnvenit, quòd homo habeat charitatem, hoc est, quòd diligat Deum propter hoc, quòd Deus est æternus: unde si homo debet resuscitari, & per influentiam divinæ æternitatis est durabilis æternaliter in gloria, æternitas Dei est magis amabilis per charitatem, quam homo habet ad Deum, quàm esset, si homo non deberet resuscitari, sed esset finitus: & quia major concordantia, quæ sit inter æternitatem & charitatem, convenit cum esse secundùm conditionem hujus Arboris, & minor concordantia contraria majori convenit cum non esse (esse autem & veritas conveniunt, & non esse & falsitas) igitur manifestatur, resurrectionem esse, sinè qua charitas & æternitas non significarent, tantam concordantiam esse inter Deum & creaturam, quantam significant, si resurrectio debeat esse.

De Potestate & Justitia.

POtestas & Justitia conveniunt cum æternitate; nam Deus ita potuisset judicare creaturam æternaliter, si creatura posset esse sinè principio, sicut poterit ipsam judicare æternaliter, si ipsa creatura durat sinè fine: igitur si resurrectio non esset, significaretur, quòd, si creatura posset existere sinè principio, Deus in ipsa non posset uti æternaliter justitiâ: idcirco ad significandum, quòd Deus æternaliter potuisset uti justitiâ in creatura sinè principio, si creatura potuisset existere sinè principio, æterna sapientia, voluntas, perfectio & aliæ virtutes divinæ ordinaverunt, quòd resurrectio fieret in futuro, ut justitia habeat

potestatem æternaliter conservandi humanum corpus; & etiam, quòd sit durabile in tormentis, ut in ipso Deus possit uti justitiâ: & quia potestas & justitia Dei erunt per hoc meliùs demonstrabiles, idcirco secundùm conditiones prædictarum Arborum nobis resurrectio manifestè demonstratur.

De Sapientia & Prudentia.

PRudentia est quædam liberalitas cordis, quæ scit & vult eligere bonum, & fugere malum, vel eligere majus bonum, & fugere majus malum: igitur cùm prudentia per antedictam proprietatem conveniat cum esse virtuoso, quantò magis convenit, existere concordantiam inter sapientiam & esse virtuosum, absque eo, quòd sapientia sit occasionaliter sapientia in sciendo eligere bonum, & fugere malum, seu eligere majus bonum, & fugere majus malum; nam quamvis electio prædictorum contrariorum conveniat cum non esse, eò quòd privatio æternitatis concordet cum prudentia; & ideo prudentia conveniat cum non esse & cum imperfectione, prudentia nihilominùs est in esse: si ergò existit talis prudentia, quantò magis convenit, existere sapientiam, cum qua non conveniant imperfectio & non esse; quod si non esset, sequeretur, quòd sapientia & perfectio non convenirent cum esse, prudentia autem & imperfectio insimul concordarent cum esse; hoc autem est impossibile: videlicet, quòd hoc, quod est minoris nobilitatis, meliùs conveniat cum esse, quàm hoc, quod est majoris nobilitatis; cùm naturaliter esse & major nobilitas conveniant, non esse verò & minor nobilitas: unde cùm hoc ita sit, manifestè demonstratur, quòd sapientia sit in esse, quæ sapientia est Deus; nam nulla alia sapientia est in esse absque imperfectione; quæ imperfectio convenit cum non esse.

De Amore & Fortitudine.

IN humano corde amor & fortitudo simul conveniunt; quia cor nobile propter amorem forte efficitur contra deceptiones & malitias vitiorum, quæ per amorem odiuntur, eò quòd diligit subjici curialibus disciplinis & virtuosis moribus: unde si amor in homine cor nobile reddit tam forte contra vitia, quamvis homo sit creatura & mortalis & subjecta multis aliis defectibus, quantò magis convenit, quòd in Deo sit amor, quo Deus agat & diligat bonum, & fugiat & odiat omnia mala: quod si ita non esset, sequeretur, quòd homo esset nobilior in diligendo & desiderando & in fortitudine, quàm sit Deus; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem humano intellectui manifestè significatur, quòd in Deo sit perfectissimus amor.

De Perfectione & Temperantia.

TEmperantia est situata in medio duorum extremorum; & ideo significatur, quòd temperantia poterit convenire cum imperfectione, in quantum est possibile, quòd ipsa per intemperantiam non existat media inter supradicta duo extrema: unde si temperantia convenit cum esse & perfectione, quæ sunt terminata in medio duorum extremorum contrariorum sibi ad invicem contrariantium, quantò magis convenit, esse aliquam perfectionem, absque eo, quòd existat inter aliqua extrema; & quòd sit infinita in bonitate, magnitudine & aliis floribus supradictæ primæ Arboris: quod si non, sequeretur, quòd temperantia meliùs conveniret cum esse, quod est inter duo extrema, & quod convenit cum imperfectione & non esse, quàm perfectio; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur perfectio, quæ est Deus; quæ perfectio nulli alteri rei convenit, nisi Deo.

Eodem flore demonstratur resurrectio sic: corpus humanum, in quantum habet principium, & est corruptibile vel mortale, consistit in medio principii & finis: unde si corpus non debet resuscitari, temperantia conveniet cum minori perfectione, & conveniret cum majori, si resurrectio posset esse: si autem temperantia concordaret cum majori perfectione, daret majorem significationem perfectionis Dei, à quo ipsa temperantia est creata; & quia convenit, quòd affirmetur & ametur significatio, quâ datur major demonstratio divinæ perfectionis, idcirco resurrectio poterit demonstrari & amari.

TERTIA ARBOR

De Bonitate & Gula.

INquit alter Sapiens: Bonitas & Gula sibi invicem contrariantur in esse, in quo existunt; quoniam bonitas conservat esse, gula

gula autem destruit & corrumpit ipsum; & tamen existunt in uno & eodem subjecto: igitur si bonitas, quæ est virtus, & gula, quæ est vitium, in esse humano conveniunt, quantò magis convenit, quòd bonitas sit in aliqua re, in qua non existat vitium, nec habeat potentiam existendi; quod si non, sequeretur, quòd non esset tanta contrarietas inter bonum & malum, quanta est, si bonum existat in aliqua re, in qua malum nullo modo potest reperiri: & cùm major contrarietas, quæ sit inter bonum & malum, debeat affirmari, idcirco manifestâ significatione demonstratur, Deum existere: quia si Deus nihil esset, inter bonum & malum esset minor contrarietas; & si esse meliùs conveniret cum minori contrarietate inter bonum & malum, quàm cum majori, esset possibile, quòd bonum & malum sinè aliqua differentia essent idem; & quia hoc est impossibile, ideo manifestè demonstratur, Deum esse.

De Magnitudine & Luxuria.

QUantò major est luxuria, tantò majus est peccatum; & quò majus est peccatum, eò magis disconvenit cum esse; quod si non, sequeretur, quòd castitas non conveniret cum esse, nec luxuria cum non esse; hoc autem est inconveniens: propter quam inconvenientiam significatur, magnitudinem esse in Deo; nam si magnitudo potest esse in peccato & luxuria, quæ conveniunt cum non esse, quantò magis convenit, quòd magnitudo divina, quæ convenit cum esse, sit in Deo: si enim in Deo non existeret magnitudo justitiæ, quis puniret hominem propter magnam luxuriam? si etiam non foret resurrectio, in quo puniretur magna luxuria? & si in homine potest esse magna injuria per magnam luxuriam, quantò magis in Deo potest esse magna justitia per maximam bonitatem, æternitatem, potestatem, perfectionem, sapientiam & amorem: igitur cùm hoc ita sit, ideo scias Gentilis, omnibus his supradictis rationibus necessariò significatum esse, quòd in Deo sit magnitudo, & quòd resurrectio sit ventura; quod si non, sequerentur omnia supradicta inconvenientia.

De Æternitate & Avaritia.

AVaritia & largitas contrariantur, largitas autem & æternitas concordant; & ideo avaritia & æternitas ad invicem contrariantur: unde si debet esse resurrectio, divina justitia puniet avarum hominem, qui moritur in peccato avaritiæ, corporaliter & spiritualiter & æternaliter; & si non est resurrectio, non puniet hoc peccatum nisi spiritualiter; & quia major est pœna corporalis & spiritualis, quàm spiritualis tantùm, ut major sit punitio, & ut æternitas & largitas meliùs conveniant contra culpam & avaritiam; igitur resurrectio nobis verè demonstratur. Si de hoc, per quod virtutes Dei meliùs conveniunt contra vitia, quæ sunt in homine, non fieret necessaria demonstratio, sequeretur, quòd non esset impossibile, quòd esset concordantia inter virtutes Dei & vitia, quæ sunt in creaturis; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò sit necessaria significatio in hoc, per quod demonstratur major concordantia inter virtutes Dei ad utendum creaturis contra vitia & peccata hominum.

De Potestate & Acedia.

ACedia odit bonum commune & bonum speciale, & ideo acedia est contraria charitati, quæ diligit bonum commune & bonum speciale; & quia potestas & charitas conveniunt, sequitur, quòd potestas & acedia sibi invicem opponantur: quòd si non, sequeretur, quòd charitas non conveniret cum potestate, vel quòd non contradiceret acediæ: unde cùm potestas & charitas conveniant, potestas autem & acedia disconveniant seu opponantur, si acedia potest odire bonum, & diligere malum, quod est contrarium bono, quantò magis convenit, quòd sit aliqua charitas, quæ habeat tantam concordantiam cum potestate, quòd possit diligere bonum, quin possit diligere malum: unde cùm talis charitas & talis potestas in nulla alia re nisi in Deo possint existere, idcirco Essentia Dei est demonstrabilis, in qua convenit existere supradictam potestatem & charitatem, quæ in ipso non possent existere, nisi sua essentia esset aliquid.

De Sapientia & Superbia.

SUperbia & ignorantia conveniunt ad invicem, quia homo superbus, quando credit, se esse honorabiliorem & nobiliorem per suam superbiam, tunc est vilior & à gentibus plùs despectus: & ideo ignorantia & superbia invicem concordant; &

quia ſuperbia convenit cum ignorantia, quæ contradicit ſapientiæ, idcirco inter ſapientiam & ſuperbiam eſt manifeſta contrarietas: unde cùm ignorantia conveniat cum minoritate & cum non eſſe, ſapientia autem conveniat cum majoritate & cum eſſe, ideo datur manifeſta ſignificatio, quòd ſapientia ſit in aliquo eſſe, in quo nec ignorantia nec ſuperbia poſſint eſſe: quòd ſi non, ſequeretur, quòd ſapientia non poſſit meliùs convenire cum eſſe, quàm ignorantia & ſuperbia ſuperborum: igitur cùm ſapientia, quæ eſt ſinè poſſibilitate, ignorantiæ, non poſſit convenire ulli enti, niſi illi, in quo eſt perfectio bonitatis, poteſtatis & amoris, idcirco demonſtratur, quòd in Deo ſit perfecta ſapientia.

De Amore & Invidia.

AMor & juſtitia conveniunt, & quia invidia convenit cum injuria, quæ contradicit juſtitiæ, ideo eſt contrarietas inter invidiam & amorem: unde cùm amor ſit bonum, invidia autem malum, convenit affirmare majorem contrarietatem, per quam bonum & malum ſibi invicem plùs contradicant; quia talem contrarietatem affirmare, eſt ponere majorem concordantiam inter amorem & juſtitiam, ut magis opponantur invidiæ & injuriæ: convenit etiam affirmare, quòd majus meritum ſit homini per majorem amorem & juſtitiam, quàm per minorem, & major culpa per majorem injuriam & invidiam, quàm per minorem: igitur negare, quòd reſurrectio debeat fieri, eſt negare majorem concordantiam juſtitiæ & amoris: eſt etiam negare, quòd ſit majus meritum & major culpa & major pœna: cùm autem negare hæc omnia ſit valde inconveniens ſecundùm conditiones ſupradictarum Arborum, idcirco reſurrectio humano intellectui clarâ ratione demonſtratur.

De Perfectione & Ira.

IRa & charitas ſunt oppoſitæ; charitas autem & perfectio conveniunt; & ideo ſequitur, quòd perfectio & ira ſibi invicem contradicant; quòd ſi non, ſequeretur, quòd ira & charitas convenirent; & ſi convenirent, poſſibile eſſet, quòd duo contraria poſſent eſſe unum & idem absque differentia; hoc autem eſt impoſſibile: nam ſi diverſæ res concordantes ad invicem non poſſunt fieri unum & idem, in quantum ſunt diverſæ, & ſub diverſitate exiſtunt, quantùmcunque conveniant, & minor contrarietas ſit in ipſis, quantò minùs res diverſæ & contrariæ & in nullo concordantes poſſunt eſſe unum & idem ſuppoſitum: & ſi charitas & ira poſſent eſſe unum & idem, & ira non eſſet contraria perfectioni, ſequeretur, quòd poſſibile eſſet, quòd charitas & ira, & charitas & perfectio in ſubjecto æqualiter concordarent & contrariarentur: cùm igitur in ſubjecto perfectio & charitas creata per modum conjunctionis inter ſe conveniant, charitas autem & ira per modum disjunctionis diſconveniant, idcirco ſignificatur, quòd perfectio & ira manifeſtent notitiam reſurrectionis; nam ſi eſt reſurrectio, ira plùs contrariatur divinæ perfectioni, in quantum ira per imperfectionem, cum qua convenit, erit plùs punita, quàm fuiſſet punita, ſi reſurrectio nunquam eſſet: & quantò majorem pœnam ira habuerit, eò quòd convenit cum contrario perfectionis, tantò fortiùs demonſtratur perfectio Dei: ſi autem Deus non faceret hoc, per quod ſua perfectio eſt meliùs demonſtrabilis, contradiceret propriæ perfectioni; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem reſurrectio manifeſtè demonſtratur.

Poſtquam verò Sapiens probavit & manifeſtavit ſupradictas rationes per tertiam Arborem, tunc alter incepit probare per rationes quartæ Arboris.

QUARTA ARBOR

De Fide & Spe.

MAteria & forma & generatio conveniunt cum pluralitate & unitate; cum pluralitate conveniunt per modum differentiæ, quæ differentia eſt inter formam & materiam; cum unitate verò per hoc, quòd per generationem ſubſtantialiter conſtituant unum corpus: materia autem & forma & corruptio conveniunt cum pluralitate & privatione unitatis: cum pluralitate conveniunt, in quantùm materia & forma ſunt differentes; cum privatione unitatis verò conveniunt, in quantum forma & materia ab invicem ſeparantur, per quarum diviſionem corpus redigitur in nihilum, & devenit in non eſſe: unde cùm hoc ita ſit, ſi Deus exiſtit in eſſe, fides & ſpes meliùs concordant cum pluralitate & unitate; cum pluralitate meliùs conveniunt, in

in quantum quælibet ſe demonſtrat majorem & nobiliorem virtutem, ſi Deus ſit, quàm ſi ejus eſſentia non exiſtat; cum unitate verò, in quantum unitæ meliùs ſunt diſpoſitæ ad aſſumendum unum & idem objectum, ſi Deus ſit, quàm ſi divina Eſſentia nihil eſſet: quoniam autem eſſe meliùs concordat cum eo, cui unitas & pluralitas ſunt magis concordes, & non eſſe diſconvenit cum eſſe, unitate & pluralitate, & contrarium unitatis convenit cum non eſſe contra eſſe, ex hoc ſignificatur, quòd de neceſſitate ſequatur, illud eſſe, per quod fides & ſpes meliùs concordant cum eſſe; hoc autem eſt Deus, ſinè cujus eſſe non poſſent ita bene convenire, ſicut conveniunt, cùm ipſe eſt: nam ſi Deus nihil eſſet, meliùs convenirent cum non eſſe, quàm cum eſſe; nam fides credens in Deum, & ſpes confidens in ejus miſericordia ſunt majores, quàm quando fides non credit in Deum, nec ſpes ab ipſo ſperat recipere gratiam: unde ſi Deus nihil eſſet, fides & ſpes ſumentes Deum pro objecto, ſumerent majus objectum in eo, quòd ipſe non exiſteret in eſſe, quàm eſſet objectum, quod acciperent non credendo, ipſum eſſe: cùm autem hoc ſit impoſſibile, videlicet, quòd virtutes poſſint eſſe nobiliores per hoc, quod nihil eſt, quàm per hoc, quod exiſtit in eſſe, idcirco demonſtratur cuilibet intuenti, Deum eſſe; quia ſi ipſe non eſſet, nobilitas & multiplicatio virtutum meliùs concordarent cum hoc, quod non eſt, quàm cum hoc, quod eſt; hoc autem eſt manifeſtè contrarium veritati.

De Spe & Charitate.

SPes ſperat per Charitatem, & charitas diligit per ſpem; nam ubi eſt major ſpes, ibi convenit, eſſe majorem charitatem, & quantò fortiùs homo diligit hoc, in quo confidit, tantò majorem ſpem ibi diligere, eſt neceſſe: unde cùm hoc ita ſit, per hoc manifeſtatur, quòd, ſicut oculi corporales vident per illuminatum aërem, ita ſpiritualiter charitas per ſpem utatur ſuâ proprietate, & ſpes per charitatem ſimiliter: ſi igitur in homine, in quo poſſunt eſſe contraria ſpei & charitatis, ſpes habet, cum quo conveniat, & charitas habet ſimiliter, cum quo concordet, quantò magis absque omni comparatione convenit, quòd charitas Dei in Deo habeat aliquid, cum quo ipſa poſſit concordare; hoc autem eſt bonitas, magnitudo & cæteri flores, qui ſunt in prima Arbore: & ſi charitas in Deo convenit cum iſtis floribus, ſequitur, quòd flores & charitas ſint in Deo: unde ſi flores non eſſent in Deo, charitas eſſet nobilior in homine, quàm in Deo; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem manifeſtatur, in Deo eſſe virtutes, ſinè quibus Deus non poſſet eſſe nobilior, quàm ſit homo.

Quando verò Gentilis audivit, hoc modo de ſpe fieri mentionem, tunc interrogavit Sapientem, utrùm ſpes etiam ſit in Deo? Sapiens verò ipſi reſpondit, quòd non conveniat, ſpem eſſe in Deo; nam omne, quod eſt in Deo, perfectiſſimè eſt in ipſo; & quia ſpes participat cum fide, quæ concordat cum minoritate, ideo non convenit, quòd fides & ſpes ſint ſubſtantialiter in divina Eſſentia; quod ſi conveniret, perfectio diſcordaret à bonitate & magnitudine & ab aliis virtutibus primæ Arboris; quod eſt impoſſibile.

Gentilis iterum interrogavit: potéſtne Deus homini dare ſpem, quin ipſemet Deus habeat ſpem? Sapiens verò reſpondit dicens, quòd Deus poſſit homini dare ſpem, corpus, denarios & alia, quin homo ſit illud, quod Deus omnipotens illi dat, nec etiam Deus ſit hoc, quod dat: homo ſimiliter poteſt dare, quod ipſe non eſt, in quantum dat denarios ſeu alia, quæ non aſſimilantur homini, nec ſunt homo; ergò multò magis Deus poteſt hujusmodi res dare per modum creationis ac poſſeſſionis, cùm homo poſſit dare denarios, equos, caſtra per modum poſſeſſionis: & ideo Deus ſuperat naturam, quæ non poteſt dare, quod non habet; cùm infinitè ſit ſuperior naturâ.

De Charitate & Juſtitia.

CHaritas & Juſtitia conveniunt contra iram & injuriam; igitur ſi in homine, qui eſt finitus, in quo contrarium charitatis & juſtitiæ poteſt exiſtere, charitas & juſtitia conveniunt contra injuriam & iram, de neceſſitate convenit, quòd in Deo, qui eſt infinitus, in quo non poteſt eſſe contrarium charitatis & juſtitiæ, conveniant charitas & juſtitia contra iram & injuriam: igitur ſi exiſtit reſurrectio, major eſt in Deo concordantia charitatis & juſtitiæ contra iram & injuriam peccatoris, qui eſt culpabilis per opera corporalia & ſpiritualia, quàm eſſet, ſi reſurrectio nihil eſſet: & quia

quia convenit, Deo attribuere majorem concordantiam ſecundùm conditiones ſupradictarum Arborum, igitur reſurrectio eſt nobis manifeſtata.

De Juſtitia & Prudentia.

JUſtitia & Prudentia conveniunt cum humano eſſe; eſſe autem humanum & æternitas non conveniunt; cùm æternitas non habeat principium nec finem, & eſſe humanum habeat principium & finem: unde ſi Deus nihil eſſet, conveniret, quòd juſtitia & prudentia ſinè humano eſſe exiſterent æternæ, aut quòd habuiſſent principium per ſe ipſas, vel per aliquid aliud, quod ſumeret principium ab aliquo, quod haberet principium per ſe ipſum: unde cùm ſinè humano eſſe juſtitia & prudentia in homine non poſſint exiſtere, cùm homo habeat principium & finem, in quantum eſt generatus & corruptibilis ſeu mortalis, & cùm nulla res poſſit habere principium ex ſe ipſa, idcirco eſt manifeſtè demonſtratum, Deum exiſtere, qui dat per creationem principium & finem juſtitiæ & prudentiæ, quibus dat eſſe humanum pro ſubjecto.

De Prudentia & Fortitudine.

SI Deus eſt in eſſe, Prudentia plùs poteſt ſcire, quàm ſi Deus nihil eſſet; & fortitudo poteſt eſſe major contra ſuum contrarium, ſi Deus eſt, quàm ſi ejus Eſſentia nihil eſſet; nam ſi Deus eſt, poſſibile eſt ſcire infinitam bonitatem, magnitudinem, poteſtatem, perfectionem, ſapientiam & amorem; & ſi Deus nihil eſt, impoſſibile eſt, infinitatem exiſtere in prædictis; cùm nulla res poſſet eſſe infinita, ſi Deus nihil eſſet; & quia eſſe & majoritas, ſapientia & fortitudo ſimul concordant, & non eſſe & minoritas, prudentia & fortitudo adinvicem conveniunt, igitur manifeſtè concluditur, in Deo eſſe ſapientiam & fortitudinem, per cujus influentiam homo habet fortitudinem & prudentiam.

De Fortitudine & Temperantia.

SI reſurrectio eſt, cor nobile cujuslibet hominis magis poteſt fortificari contra culpam & peccatum, quàm ſi reſurrectio non eſt; cùm homo, quando ſperat reſurrectionem, naturaliter appetat habere bonum corporale in cœleſti gloria ſinè fine: & quia peccatum & culpa, quantò ſunt majores, tantò meliùs conveniunt cum non eſſe, & plùs ſunt contrariæ ipſi eſſe, idcirco manifeſtatur, quòd de neceſſitate conveniat, exiſtere in eſſe hoc, per quod peccatum & culpa magis contradicunt ipſi eſſe, & meliùs conveniunt cum non eſſe.

Si reſurrectio eſt, temperantia fortiùs poteſt eſſe medium inter duo vitia, quàm ſi reſurrectio non eſt, & hoc dum homo appetit bonum corporale in gloria, & timet pœnas & tormenta corporis in inferno: & quia medium, quod eſt fortiùs & puriùs in æquali diſtantia ab extremis terminis, quæ ſunt vitia, magis diſtat ab utroque extremorum, quàm medium, quod non eſt tam perfectè in habitu temperantiæ, igitur hoc, per quod major poteſt eſſe temperantia, neceſſariò convenit eſſe ſecundùm ordinationem & influentiam florum primæ Arboris & aliarum conditionum prædictarum Arborum: quòd ſi ſic non eſſet, ſequeretur, quòd contrarium temperantiæ meliùs conveniret cum majoritate & cum eſſe, quàm temperantia; & quòd temperantia meliùs conveniret cum minoritate & non eſſe, quàm ſuum contrarium; hoc autem eſt impoſſibile: quâ impoſſibilitate reſurrectio nobis demonſtratur.

Cùm verò Sapiens probâſſet per quartam Arborem omnia ſupradicta, tunc Gentilis dixit alteri Sapienti, quòd probaret per quintam Arborem, Deum eſſe, & in ipſo eſſe bonitatem, magnitudinem & alias virtutes, & reſurrectionem eſſe: veruntamen Gentilis multùm deſiderabat ſcire, utrùm Deus eſſet Creator omnium, aut an mundus eſſet æternus, vel non. Sapiens tamen dixit ei, quòd illi in aliis Libris demonſtratum eſſet, quòd Deus ſit Creator mundi, & quòd mundus habuerit principium.

QUINTA ARBOR

De Fide & Gula.

SI Deus nihil eſſet, inter eſſe & cauſam & fortunam ſequeretur inconveniens; nam ſi Deus nihil eſt, fortuna magis convenit cum eſſe quàm cauſa: unde cùm magis & ſæpiùs fiant ea, quæ fiunt per cauſam, quàm ea, quæ fiunt per fortunam, & cauſa conveniat cum eſſe, fortuna autem conveniat cum non eſſe, idcirco manifeſtè declaratur, Deum neceſſariò eſſe, ſinè cujus

cujus eſſe exiſteret contradictio in prædictis.

Si Deus nihil eſt, fides à fortuna credit & diſcredit aliquid; quia non eſt, qui ipſam fidem dirigat ad credendam veritatem; nec ullus eſt, qui puniat animam propter ejus culpam, amovendo ſuam gratiam, & deſerendo ipſam animam, ut ipſa credat aliquam falſitatem: & quia manifeſta eſt ratio, quòd anima per lumen alicujus gratiæ dirigatur ad credendam veritatem, & per culpam incidat in ignorantiam veritatis, idcirco manifeſtè patet, Deum exiſtere, qui per lumen divinæ gratiæ illuminat animam ad credendam veritatem, & propter peccata, quæ anima committit, ipſam deſerit; per cujus deſertionem anima credit aliquas falſitates, aliquoties opinando, eſſe verum id, quod eſt falſum.

Anima ex ſe non habet aliquam virtutem, quâ poſſit credere veritatem alicujus rei, in quam credit, cujus rei veritatem intellectus non poteſt intelligere per neceſſarias rationes: unde quando anima credit aliquam veritatem, convenit, eſſe aliquam rem, quæ ſit nobilior, quàm anima, per quam ipſa juvetur ad credendum hoc, quod per ſuas potentias ſolùm non poteſt credere: hanc autem rem manifeſtè patet eſſe Deum.

Fides eſt virtus; virtus autem & veritas conveniunt; gula verò eſt vitium, & vitium & falſitas concordant: & quia veritas & falſitas ſunt contrariæ, ideo fides & gula ſibi invicem contradicunt: igitur ſi Deus nihil eſſet, fides & gula æqualiter convenirent cum fortuna; quòd ſi convenirent, eodem modo veritas & falſitas convenirent; & quia veritas convenit cum eſſe, falſitas verò cum non eſſe, ideo manifeſtatur, Deum exiſtere, per cujus eſſe conveniunt eſſe & veritas, & conveniunt non eſſe & falſitas: propter quam convenientiam fides convenit cum cauſa, & gula cum fortuna, & conditiones Arborum ſimiliter concordant.

De Spe & Luxuria.

CErtum eſt, quòd Spes conveniat cum rebus ſpiritualibus, Luxuria autem conveniat cum rebus corporalibus: unde ſi in Deo non ſunt bonitas, magnitudo, poteſtas, ſapientia, amor, perfectio, quæ ſunt dignitates ſpirituales, & conſequenter ſi Deus nihil eſt, ſpes, quæ eſt ſpiritualis virtus, conveniret cum majori nobilitate in anima hominis, quàm prædictæ dignitates in Deo: igitur cùm hoc ſit impoſſibile, demonſtratur, in Deo eſſe ſupradictas virtutes, ſinè quarum eſſe homo concordaret cum majori nobilitate, & Deus cum minori; hoc autem eſt contra ſupradictas conditiones Arborum.

Luxuria & caſtitas inter ſe ſunt contrariæ; nam per caſtitatem ſpes ſperat præmium, hoc eſt, per meritum caſtitatis; per luxuriam autem juſtitia dat timorem pœnæ; nam per culpam luxuriæ datur pœna: unde ſi non eſt reſurrectio, major eſt delectatio, quam homo habet in luxuria, quàm ſit corporale præmium, quod homo ſperat per meritum caſtitatis; quod præmium nihil eſſet, ſi reſurrectio nunquam foret: igitur cùm ſpes, quæ eſt virtus, conveniat cum eſſe, & luxuria, quæ eſt vitium, conveniat cum non eſſe, per hoc ſignificatur, reſurrectionem eſſe, in qua homo corporaliter habebit utilitatem præmii per meritum caſtitatis, & per culpam luxuriæ dabitur ipſi pœna; quod ſi ſic non eſſet, ſpes & luxuria non eſſent tantum contrariæ ſibi invicem; & quia major contrarietas inter virtutes & vitia convenit cum eſſe, & minor convenit cum non eſſe ſecundùm conditiones hujus Arboris, idcirco manifeſtè patet, reſurrectionem eſſe.

De Charitate & Avaritia.

CHaritas convenit cum largitate; & quia Avaritia eſt contraria largitati, idcirco charitas contradicit avaritiæ, & avaritia charitati: unde cùm plùs contrarium ſit, avaritiam exiſtere in eſſe, in quo exiſtit charitas, quàm in quo charitas non exiſtit, ſi igitur charitas eſt in homine, in quo etiam poteſt eſſe avaritia, quantò magis convenit, charitatem exiſtere in aliqua re, in qua nequaquam poſſit eſſe avaritia; hæc autem res eſt Deus: unde ſi Deus non eſſet, ſequeretur, quòd eſſe meliùs ſe haberet ad contraria, quàm ad non contraria; hoc autem eſt impoſſibile: cùm ſemper in eodem ſubjecto unum contrariorum conveniat cum eſſe, & aliud cum non eſſe; aliter enim non dicerentur contraria.

Charitas convenit cum ſpirituali natura, & anima per naturam corporalem diſponitur, ut in ipſa exiſtat avaritia ad deſtruendam ordinationem ſpiritualis actûs & habitûs: igitur ſi Deus nihil eſſet, natura cor-

corporalis meliùs ſequeretur ſuum curſum, & meliùs conveniret cum veritate, quàm natura ſpiritualis: etiam ſequeretur, quòd anima concordaret cum minori nobilitate, corpus verò cum majori; nam ſi Deus nihil eſſet, anima pluries ac magìs deficeret cogitans de Deo & aliis rebus ſpiritualibus alterius ſæculi, quæ nihil eſſent, quàm corpus cum ſuis quinque ſenſibus particularibus utens rebus corporalibus ſenſualibus: unde cùm anima ſit eſſentialis forma & complementum totius corporis, & corpus ſit corruptibile & mortale, demonſtratur, quòd anima ſit nobilior, quàm corpus; quâ majori nobilitate anima convenit cum majori veritate, quàm corpus; per quam majorem veritatem cuilibet manifeſtatur, Deum eſſe, ſinè cujus eſſe anima non poſſet ita naturaliter convenire cum eſſe & veritate, ſicut corpus.

De Juſtitia & Acedia.

COrpus humanum eſt medium, per quod anima rationalis convenit cum merito, vel cum culpa; nam ſinè corpore anima non poſſet habere meritum per juſtitiam, nec in ipſa poſſet eſſe culpa per acediam; cùm corpus ſit inſtrumentum, quo mediante anima poteſt uti ſuis virtutibus, vel vitiis: igitur ſi debet eſſe reſurrrectio, & Deus facit, quòd illud corpus ſit in gloria, quod fuit inſtrumentum juſtitiæ, & punit corpus in pœnis inferni, quod fuit inſtrumentum acediæ, juſtitia Dei meliùs convenit cum juſtitia hominis juſti, & juſtitia Dei eſt magìs contraria acedioſo homini, quàm ſi reſurrectio nihil eſſet; & ſi hoc, quod dictum eſt, meliùs conveniret cum eſſe, & tamen non eſſet in eſſe, ſequeretur, quòd hæc convenientia conveniret cum duobus contrariis, videlicet cum eſſe & non eſſe, & contrarium hujus convenientiæ ſimiliter conveniret cum eſſe & non eſſe; quælibet autem iſtarum convenientiarum eſt manifeſta contradictio; quæ contradictio eſt impoſſibilis: per quam impoſſibilitatem manifeſtatur, reſurrectionem eſſe futuram, per cujus eſſe nullum inconveniens poteſt ſequi.

De Prudentia & Superbia.

ESt magìs poſſibile, quòd Superbia & contrarium prudentiæ exiſtant in homine, dum actualiter ſunt in ipſo humilitas & prudentia, quàm eſt poſſibile, quòd ſuperbia & prudentia ſint in lapide; quod ſi non eſſet ita, nulla eſſet contrarietas inter ſupradicta contraria: veruntamen quia lapis eſt corpus inanimatum, ideo eſt impoſſibile, quòd in ipſo poſſit eſſe contrarietas vitiorum vel virtutum; quod ſi eſſet, lapis jam haberet corpus animatum: unde ſi eſſet impoſſibile, in homine eſſe imprudentiam & ſuperbiam, eſſet magìs impoſſibile, in ipſo eſſe imprudentiam & ſuperbiam, quàm in lapide; hoc autem eſt, quoniam poſſibile eſt, in homine eſſe contrarium imprudentiæ & ſuperbiæ: unde cùm hoc ita ſit, & cùm prudentia & humilitas conveniant cum eſſe, & eorum contraria conveniant cum non eſſe, & cùm eorum contraria accidentaliter conveniant cum eſſe, ut faciant, humilitatem & prudentiam convenire cum non eſſe, & cùm prudentia & humilitas conveniant accidentaliter cum non eſſe ratione ſuorum contrariorum, quæ accidendaliter concordant cum eſſe, idcirco manifeſtatur, quòd, ſi imprudentia & ſuperbia, & prudentia & humilitas habeant ſubjectum, in quo exiſtunt, quantò magìs absque omni comparatione neceſſariò convenit, eſſe aliquam rem, in qua poſſint eſſe ſapientia & humilitas, & in qua nullo modo poſſint eſſe imprudentia & ſuperbia; hæc autem res eſt Deus: quod ſi ſic non eſſet, ſequeretur, quòd lapis & alia corpora inanimata ſeu animata irrationali animâ meliùs convenirent cum majori nobilitate & eſſe, quàm homo, in quantum eſſe humanum non conveniret cum eſſe absque poſſibilitate virtutum & vitiorum: & quia homo eſt nobilioris naturæ, quàm corpora inanimata & irrationalia, propter hoc, quòd poteſt ſubjici virtutibus, neceſſariò convenit, quòd ſit aliqua natura ſeu eſſentia, quæ ſit nobilior quàm homo, quæ habeat in ſe virtutes, & non poſſit eſſe ſubjectum vitiorum; hæc autem res eſt Deus, de cujus eſſentia hæc noſtra ratio inveſtigat.

De Fortitudine & Invidia.

FOrtitudo eſt virtus; Invidia autem eſt vitium; & quia virtutes contradicunt vitiis, idcirco fortitudo contradicit invidiæ: igitur ſi in Deo ſunt bonitas, magnitudo, poteſtas, ſapientia, amor & perfectio, fortitudo magis convenit Deo, quàm ſi in Deo non ſit aliqua de ſupradictis virtutibus; & quantò magìs Deus eſt ſimilis &

& concordans fortitudini, tantò magìs eſt diſſimilis & contrarius invidiæ; quod ſi non eſſet, ſequeretur, quòd fortitudo & invidia non eſſent ſibi invicem contrariæ; & quia ſunt contrariæ, & quia ſunt magìs contrariæ, ſi Deus habet prædictas virtutes, eò quòd fortitudo eſt magìs ſimilis & conveniens Deo, & magìs contradicit invidiæ, idcirco manifeſtè declaratur, in Deo eſſe virtutes primæ Arboris, ſinè quibus Deus & invidia non eſſent ſibi tantum contrarii, ſicut ſunt; nec fortitudo eſſet invidiæ tantum contraria, ſicut eſt: & cùm hoc, per quod fortitudo eſt magìs ſimilis Deo, & magìs contraria invidiæ, & Deus eſt magìs oppoſitus vitiis, & magìs conveniens & concordans virtutibus, debeat neceſſariò affirmari, ſalvis antedictis conditionibus primæ Arboris, igitur demonſtratur, in Deo eſſe bonitatem, magnitudinem &c.

De Temperantia & Ira.

INtemperantia & Ira non poſſunt eſſe in anima ſinè corpore, intemperantia etiam & ira non moriuntur in anima hominis peccatoris, qui moritur in peccato intemperantiæ & iræ; nam ſi morerentur per mortem corporis, magìs convenirent corpori quàm animæ: veruntamen cùm ſecundùm naturam corporalem & ſpiritualem meliùs conveniant cum anima, quàm cum corpore, & cùm anima ſit immortalis, idcirco remanet culpa intemperantiæ & iræ in anima peccatoris: & quia corpus fuit occaſio peccandi ipſi animæ, neceſſariò convenit, quòd corpus reſurgat, & quòd tamdiu propter culpam iræ & intemperantiæ puniatur, quamdiu anima poteſt eſſe durabilis; quod ſi ſic non eſſet, eſſet in Deo defectus perfectionis & juſtitiæ, nec eſſet tanta contrarietas inter temperantiam & intemperantiam, nec inter charitatem & iram, quanta eſt, ſi reſurrectio debeat eſſe; & deſtruerentur ſupradictæ conditiones primæ Arboris: & quia hæc omnia eſſent poſſibilia, ſi non eſſet reſurrectio, cùm tamen verè ſint impoſſibilia, igitur humano intellectui evidenter demonſtratur reſurrectio.

Poſtquam prædicti tres Sapientes probaverant Gentili per flores prædictarum Arborum, Deum eſſe, & in ipſo eſſe bonitatem, magnitudinem, æternitatem, poteſtatem, ſapientiam, amorem & perfectionem, & poſtquam ipſi manifeſtè demonſtraverunt, quòd reſurrectio debeat fieri, Gentilis recoluit & intellexit prædictas rationes, & vidit Arbores & earum flores, tunc ſplendor divini luminis illuminavit ejus intellectum, qui erat excæcatus nubilo caliginoſæ ignorantiæ, & dedit illius cordi dulcem appetitum, quo deſiderabat pervenire ad viam ſalutiferam; & ita Gentilis divinâ virtute protulit iſta verba: ha peccator graviter culpabilis! quamdiu recepiſti divina dona in hac præſenti vita ab altiſſimo Domino, qui tibi dedit eſſe, & comediſti & bibiſti ejus bona, & ejus veſtes induiſti, & ipſe tibi dedit filios & temporales divitias, quas poſſides, & ipſe te conſervavit in vita, & longo tempore tibi dedit honores inter gentes, tu verò nunquam nec unâ die, nec unâ horâ de omnibus his bonis ipſi reddidiſti gratias, nec unquam fuiſti obediens ejus præceptis: ha miſer! quàm vano errore fuiſti deceptus per fumum ignorantiæ, qui oculos tuæ animæ tenuit obumbratos, & non cognoviſti hunc Dominum tam honorabilem & glorioſum, dignum omni laude, benedictione, gloriâ & honore.

Cùm Gentilis dixiſſet hæc verba, ipſe ſenſit ſuam animam liberatam à tormentis & triſtitiâ, quibus peccatum, error & infidelitas ipſum antea longo tempore graviter afflixerant; gaudium verò & lætitiam, quam Gentilis habuit, & benedictionem, quam ipſe dixit tribus Sapientibus, quis poſſet verbis enarrare? Gentilis flexis genibus in terram, & erectis manibus ad cœlum, ac elevatis oculis, quorum lachrymæ uberrimè rigabant genas, cum ferventiſſimo deſiderio cordis incepit adorare dicens: Benedictus ſis Deus Rex gloriæ, & ſublimis Pater & Domine omnipotens, Creator omnium rerum, cui nunquam deficit materia laudis, nec conſiſtit in termino, tibi refero gratias, alme Domine, quia te potuit recolere hic homo peccator, qui erat poſitus ad portam infinitarum tribulationum perpetuæ maledictionis inferni.

Adoro te ſancte Domine, benedictum ſit ſemper & ubique tuum nomen, à te peto veniam, in te pono totam meam ſpem & propoſitum, à te ſpero habere benedictionem & gratiam; placeat tibi ſancte Pater ac Domine, quòd, ſi ignorantia me fecit te deſpicere & ignorare, tuî notitia, in quam me deduxiſti, me faciat te honorare, tibi ſervire, & te diligere ex nunc

omni tempore meæ vitæ, & omnes meæ vires, tam corporales quàm ſpirituales, non ſint in alio, niſi in tuo honore & laude & deſiderio tuæ benedictionis & gloriæ; nec in meo corde ſit unquam aliud, niſi tu ſolus verus Deus.

Dum Gentilis hoc modo adorabat Dominum Deum noſtrum, ejus anima incepit recolere ſuam terram, & ſuum patrem ac matrem, & recoluit infidelitatem & errorem, in quibus deceſſerant ab hoc ſæculo, & recoluit, quomodo tot gentes in illa terra exiſtentes eſſent in via perpetui ignis, quam ignorarent, & in quam eſſent ducti propter defectum gratiæ & luminis veritatis.

Unde quando Gentilis recoluit ſupradicta omnia, tunc compaſſivâ pietate ductus, quam habuit de ſuo patre ac matre & aliis cognatis, ac de omnibus gentibus, quæ in illa terra deceſſerant & perdiderant ſempiternam gloriam Dei, valde fortiter incepit plorare, & ait tribus Sapientibus iſta verba: ô vos Domini Sapientes, qui ſic eſtis illuſtrati donis ſupernæ gratiæ, quomodo non compatimini tot gentibus exiſtentibus in errore, quæ nullam notitiam habent de Deo, nec ipſi referunt gratias pro beneficiis, quæ ab ipſo recipiunt? vos, quos Deus tantum dilexit & honoravit præ cæteris gentibus, quare non itis ad honorandum Deum inter gentes, à quibus Deus quotidiè vituperatur, & continuè vilipenditur, eò quòd gentes nec ipſum diligunt, nec cognoſcunt, nec etiam ejus præceptis obediunt, nec de ejus miſericordia ſperant recipere gratiam, nec timent ejus altiſſimum Dominium prorſus oblitæ ejus excellentiſſimam poteſtatem?

Deprecor vos, Domini, ut eatis in illam terram, & ut prædicetis gentibus veritatem, & etiam doceatis me taliter, ut poſſim Deo ſervire, & ipſi exhibere honorem & ſervitium totis meis viribus: & placeat vobis me erudire, quomodo adjuvante divinâ gratiâ & veſtrâ doctrinâ ego ſciam & poſſim inducere ad viam ſalutis, & dirigere tot gentes, quæ ſunt in via ignis & perpetuæ tribulationis tormentorum.

Poſtquam Gentilis dixit hæc verba, quilibet trium Sapientum ſingulariter reſpondens ait Gentili, quòd converteretur ad ſuam fidem & legem, & ſic quilibet Sapientum in reſponſione contradicebat alteri: tunc dixit Gentilis, nunquid eſtis omnes tres in una fide, & ſub una lege? Sapientes reſponderunt, quòd non, imò ſumus diverſi in fide, & ſumus ſub diverſis legibus; nam unus noſtrûm eſt Judæus, & alter Chriſtianus, & alter Saracenus.

Dixit iterum Gentilis: quis veſtrûm eſt in meliori lege, aut ſunt omnes tres leges veræ? & omnes Sapientes reſponderunt, & unusquisque contradixit alteri, & quilibet laudabat ſuam fidem, & hoc, quod credebat; & ſic unus reprehendebat alium. Cùm verò Gentilis audiviſſet prædictos tres Sapientes, qui contradicebant ſibi invicem, & quilibet dicebat alteri, quòd fides, quam crederet, eſſet error, per quem homo perdit cœleſtem gloriam, & ducitur ad pœnas infernales: ſi antè in ira & triſtitia ejus cor fuerat, tunc fuit in majori; & ait illis tribus Sapientibus: Domini, in quàm magnam ſpem & lætitiam me duxiſtis, & quàm magnam triſtitiam à meo corde & mea anima ejeciſtis, veruntamen longè majorem iram, dolorem & triſtitiam, quàm antè habebam, nunc in meum animum reduxiſtis; nam ego antea non timebam poſt meam mortem ſuſtinere infinitos labores & anguſtias, nunc autem conſtat mihi certiſſimè, ſi non ſtetero in via ſalutari, mea anima poſt meam mortem affligetur omni pœnâ & tribulatione in æternum: h Domini! quæ fortuna eſt iſta, quæ me extraxerat à tot erroribus, in quibus erat mea anima; & quare mea anima reducta eſt ad longè majores dolores & triſtitias, quàm fuerant priores? dum Gentilis dixit hæc verba, non poterat abſtinere à lachrymis & planctu, & nemo poteſt verbis narrare triſtitiam & dolorem, quem patiebatur.

Gentilis valde diu erat deſolatus, & ejus anima fuit longo tempore tormentata gravibus cogitationibus; veruntamen precabatur illos Sapientes, quantò humiliùs & devotiùs potuit, quòd coram ipſo inter ſe diſputarent, & quisque diceret ſuam rationem, ſicut meliùs poſſet & ſciret, ut ipſe poſſet videre, quis ipſorum eſſet in via ſalutifera veritatis.

Sapientes reſponderunt ei, dicentes, quòd ipſi libenter coram ipſo adinvicem diſputarent, & antequam ipſe veniſſet in illum locum, jam ipſi fuerint ibi in propoſito diſputandi, ut poſſent inveſtigare & ſcire, quis eorum eſſet in via veritatis, & quis in errore.

Unus

Unus autem Sapientum dixit, quem modum ſervabimus in hac diſputatione, in quam nunc volumus intrare? alter Sapientum reſpondens dixit: melior modus, quem poſſumus habere, & per quem meliùs & citiùs declarabimus veritatem iſti Domino ſapienti Gentili, qui nos ex corde tam efficaciter rogat, ut ipſi demonſtremus viam ſalutis, eſt, quòd teneamus modum, quem nos docuit *Domina Intelligentia*, & cum illis floribus, quibus priùs probavimus huic ſapienti Gentili, Deum eſſe, & in ipſo eſſe virtutes, & reſurrectionem eſſe futuram, cum illis quisque noſtrûm conetur probare Articulos, in quos credit, & per quorum credulitatem credit, ſe eſſe in via ſalutis; & ille, qui meliùs ſecundùm ſuam fidem poterit concordare Articulos, in quos credit, cum floribus & conditionibus prædictarum Arborum, ille dabit ſignificationem & demonſtrationem, quòd ſua fides ſit melior, quàm quælibet alia.

Quilibet aliorum Sapientum pro bono habuit hoc, quod alter dixerat; quia tamen quisque volebat alterum honorare, quilibet morabatur primò incipere. Gentilis interrogavit, quænam lex fuerit prima? Sapientes verò dixerunt, quòd lex Judæorum: unde Gentilis rogabat Judæum, ut ipſe primò inciperet: antequam tamen Judæus vellet incipere, quæſivit à Gentili & à ſuis ſociis, utrùm eſſet eorum intentio reprehendere ſua verba? & per voluntatem Gentilis inter tres Sapientes fuit ordinatum, ne unus contradiceret alteri, dum alter diceret ſuam rationem: *nam per contradictionem interdum oritur odium in cordibus hominum, & per odium impeditur operatio intellectûs:* veruntamen Gentilis ſupplicabat tribus Sapientibus, ut ipſe ſolus poſſet reſpondere eorum rationibus, ſecundùm quòd ſibi meliùs videretur, ut ipſe poſſet perfectiùs inquirere veritatem veræ legis, quam ipſe tantum deſideraret intelligere; & hoc fuit ipſi conceſſum per quemlibet Sapientum.

INCIPIT
LIBER SECUNDUS
De Fide Judæorum.

IN principio fecit Judæus ſuam orationem dicens: In nomine unius omnipotentis Dei, in quo fixa eſt noſtra ſpes, quòd ipſe tempore noſtræ captivitatis, in qua vivimus, ſit Redemptor.

Poſtquam Judæus finivit ſuam orationem, ipſe dixit, quòd *Articuli*, in quos ipſe credebat, ſint *octo*, videlicet

Primus eſt, credere in unum Deum tantùm.

Secundus eſt, credere, quòd Deus ſit Creator omnium entium.

Tertius eſt, credere, quòd Deus Moyſi perſonaliter dederit legem.

Quartus eſt, quòd Deus mittet Meſſiam, qui nos liberabit à captivitate, in qua ſumus.

Quintus eſt de Reſurrectione ventura.

Sextus eſt de Die Judicii, quando Deus judicabit bonos & malos.

Septimus eſt de Exſpectatione cœleſtis gloriæ.

Octavus eſt, credere, quòd ſit infernus.

Quando Judæus generaliter narravit ſuos Articulos, tunc incepit pertractare primum Articulum de uno Deo.

ARTICULUS I.
Quòd DEUS ſit unus.

JUdæus inquit Gentili: multis manifeſtis & claris rationibus poſſem probare, quòd ſit unus Deus tantùm, veruntamen hoc volo breviter demonſtrare *quatuor Rationibus* inter alias, per flores prædictarum Arborum; de quibus quatuor rationibus præmittimus iſtam.

Prima Ratio: manifeſtum eſt, quòd homo naturaliter ordinetur ad unum finem; nam omne, quod natura operatur, operatur propter unum finem: hæc autem ordinatio in omnibus rebus naturaliter ſignificat ac demonſtrat, quòd ſit unus Deus tantùm; nam ſi eſſent multi Dii, ſequeretur, quòd eſſent naturaliter multi fines, & quidam homines eſſent naturaliter ordinati ad di-

ligendum unum Deum, & alii ad diligendum alterum Deum; & hoc idem sequeretur in omnibus aliis creaturis; nam quælibet creatura diversificaretur ab altera, ad significandum, quòd unus Deus esset diversus ab altero Deo, qui ipsam non creavisset nec produxisset in esse: & si quilibet Deus hoc non ordinâsset in creaturis ab ipso procedentibus, sua bonitas & sua magnitudo & potestas & sapientia & voluntas essent imperfectæ; & si essent imperfectæ, esset impossibile, quòd esset Deus; quoniam sicut creaturæ non convenit, quòd ipsa sit Creator, ita multò minùs convenit imperfectioni seu defectui bonitatis & magnitudinis &c., quòd sit Deus; quia Deo convenit omnis nobilitas secundùm conditiones prædictarum Arborum.

Secunda Ratio est hæc: magnitudo Dei aut est infinita in bonitate, æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore, aut non? si igitur sunt duo vel tres Dii, est impossibile, magnitudinem Dei esse infinitam in essentia & aliis antedictis virtutibus: & si est unus Deus tantùm, est possibile, magnitudinem Dei esse infinitam in essentia per omnes prædictas virtutes; & quia possibilitas convenit cum esse, impossibilitas autem convenit cum non esse, idcirco manifestatur, quòd sit unus Deus tantùm, cujus essentia est tam magna in bonitate, æternitate, potestate, sapientia, amore & perfectione, quòd nulla alia essentia nec alia res possit ipsam terminare, nec comprehendere; imò ipsa terminat & comprehendit intra semet ipsam omnes alias res, & essentialiter comprehendit intrà & extrà omnes alias res; quod si sic non esset, ipsa esset terminata & finita.

Dixit Gentilis Judæo: secundùm operationem naturalem manifestè verum est, quòd quatuor elementa sint mixta in quolibet elementato & composito corpore, & in hujusmodi corpore & in qualibet parte corporis quodlibet elementum existit essentialiter & operativè & virtuosè: igitur sic est possibile, quòd sint multi Dii, & quòd alii cum aliis sint mixti, & quòd magnitudo cujuslibet sit infinita essentia in omnibus virtutibus & locis.

Judæus respondens ait: certum est, quòd in corpore composito quodlibet elementum terminetur in altero secundùm suam propriam virtutem; nam potestas ignis terminatur in potestate aquæ, quæ ipsi est contraria; & potestas aquæ similiter in potestate ignis; & hoc idem sequitur de aëre & terra: & sicut unum terminat alterum in virtute, sic operatio unius terminat operationem alterius, eò quòd eorum operationes sunt diversæ & contrariæ; & ideo quodlibet elementum appetit naturaliter esse simplex per se ipsum sinè mixtione aliorum; nam meliùs conveniret cum suo esse & suâ propriâ virtute, si posset esse simplex sinè aliis, quàm conveniat, si est mixtum cum aliis: & propter hoc manifestatur, quòd, si essent multi Dii, potestas & bonitas &c. cujuslibet essent terminatæ & finitæ in potestate &c. alterius; & unus Deus esset melior, qui esset in sua propria essentia & potestate &c., quàm omnes alii Dii; & meliùs concordaret cum esse, & magis esset impossibile, quòd in ipso invidia, superbia & imperfectio possent esse, quàm si esset mixtus cum aliis: & quia necessariò convenit affirmare majorem nobilitatem, & hoc, per quod Deus meliùs convenit cum esse, secundùm conditiones primæ Arboris, & quia Fides, Spes & Charitas &c. ex hoc possunt meliùs convenire cum bonitate, magnitudine &c., & possunt esse majores, & magis contrariari vitiis, idcirco demonstratur his conditionibus, necessariò esse unum Deum.

Tertia Ratio est hæc: si esset unus Deus, qui esset in uno loco in semet ipso tantùm, & alius Deus esset juxta illum in altero loco, & alter Deus juxta illum in altero loco similiter, conveniret, quòd unus Deus esset infinitus, qui terminaret & comprehenderet omnes illos Deos; & meliùs conveniret, quòd ille Deus infinitus esset Deus, quàm alii; quod si sic esset, sequeretur, quòd ille Deus major esset infinitus extra alios Deos minores, & esset terminatus & finitus in Diis minoribus secundùm sex rectitudines, quæ conveniunt cuilibet corpori collocato, seu occupanti aliquem locum, videlicet sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, antè & retrò; quod si sic esset, sequeretur, quòd Deus esset corpus; quòd si sic, esset finitus; nam convenit, quòd omne corpus sit finitum in propria quantitate; eò quòd convenit cum materia & superficie & forma: unde cùm sit contradictio, quòd Deus possit esse finitus & infinitus, & quòd Deus major esset finitus in Diis minoribus, & esset infinitus in se ipso, manifestatur, quòd sit impossibile, esse plures

plures Deos minores, sed quòd sit unus Deus tantùm, sinè cujus unitate & singularitate non posset cum ipso convenire perfectio bonitatis & magnitudinis &c.

Dixit Gentilis: possibile est, quòd sit unus Deus in uno loco, & alter in altero, & ita, quòd sint multi Dii infiniti in operibus, & quilibet sit finitus in suâ propriâ quantitate.

Respondit Judæus, quòd perfectio bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis &c. conveniat cum infinitate essentiæ, in qua sit perfectio bonitatis, magnitudinis &c., & discordet cum fine, qui est in rebus terminatis in loco, & multiplicatis in numero; nam in infinito numero non potest esse perfectio bonitatis & magnitudinis &c. in qualibet ex illis rebus, quæ sunt terminatæ in essentia; nam si hoc esset, perfectio bonitatis, magnitudinis &c. esset ita nobilis in re finita, sicut est in re infinita; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem manifestè declaratur, quòd perfectio bonitatis, magnitudinis &c. conveniat cum una infinita essentia in bonitate, magnitudine &c., & non conveniat cum multis finitis essentiis singulariter, nec simul; quia si conveniret, esset æqualis perfectio in re finita & infinita; hoc autem est impossibile.

Quarta Ratio est, quòd possit formari major spes confidendo in uno Deo Domino omnium rerum, & charitas possit esse major diligendo unum Deum infinitum in bonitate, magnitudine &c., quàm esset, si essent multi Dii, aut si unus Deus divideretur in duas vel tres res, de quibus ipse esset compositus; & quia hoc, per quod spes & charitas concordant cum majoritate, convenit cum veritate, & ejus contrarium cum falsitate secundùm conditiones Arborum, idcirco manifestatur, quòd sit unus Deus tantùm.

Inquit Gentilis: Domine, sicut charitas eò meliùs convenit cum perfectione, quò major est, & ipsa potest esse major in diligendo unum Deum infinitum in bonitate, magnitudine &c., quàm in diligendo unum seu plures Deos, qui essent finiti, ita voluntas hominis odientis unum Deum malum, qui haberet infinitam malitiam, esset nobilior in odiendo, quàm voluntas, quæ non potest odire, nisi malum finitum & terminatum; & quia nobilius & majus odium necessariò convenit affirmari, manifestè demonstratur, esse unum Deum malum & infinitum, quem per voluntatem hominis odientis possibile est odiri.

Respondit Judæus dicens: verum est Domine, quòd, quantùm ad considerationem charitatis, voluntas creata potuisset nobiliùs odire Deum, qui haberet infinitam malitiam, quàm finitam; veruntamen quia Deus malus esset contrarius bono, & Deus bonus non haberet perfectam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem &c., si non destrueret Deum malum, igitur non convenit, quòd omne illud sit in esse, per quod voluntas posset meliùs odire majus malum, quia voluntas creata non conveniret cum nobilitate, quæ esset contraria nobilitati Creatoris: & si bonus Deus non destrueret malum Deum, ut voluntas creata ex hoc posset esse melior, esset in ipso imperfectio, & plùs diligeret suam creaturam, quàm se ipsum: & si Deus bonus non destrueret Deum malum, essent æquales in potestate; & hoc est manifestè impossibile: nam si esset possibile, esse ita bene conveniret cum infinito malo, sicut cum infinito bono: igitur cùm bonum conveniat cum esse, & malum conveniat cum non esse, & perfectio conveniat cum bono & esse, & disconveniat cum malo & non esse, manifestatur, quòd sit impossibile, quòd infinitum malum sit in esse; quod si esset, esse & non esse æqualiter convenirent cum æternitate & infinitate; quod est manifestè impossibile.

Postquàm Judæus probavit Gentili, quòd sit unus Deus tantùm, tunc quæsivit à Gentili, utrùm esset contentus hac probatione, quam ipsi fecerat de divina unitate per prædictas quatuor rationes, aut utrùm vellet, quòd colligeret plùs de floribus Arborum, & quòd ipsi pluribus rationibus demonstraret unitatem Dei?

Gentilis autem respondens dixit, quòd sibi sit satisfactum præhabitâ probatione, & quòd ideo ipsi contradixisset, ut perfectiùs & profundiùs posset inquirere veritatem; veruntamen quòd rogaret ipsum, ut ipsi diceret, quid sit Deus? vel quid sit Deus in sua essentia? nam multùm desiderabat habere notitiam hujus, quod est divina essentia in se ipsa.

Judæus dixit ipsi: Domine, per divinam virtutem & lumen gratiæ intellectus humanus in hac præsenti vita habet notitiam

tiam de hoc, quod Deus non est; videlicet vivis, veris & manifestis rationibus cognoscimus, Deum non esse lapidem, nec hominem, nec stellam, nec aliquam rem corporalem, neque rem spiritualem, quæ sit finita, vel quæ in se patiatur aliquem defectum: adhuc cognoscimus, quòd Deus sit bonus, magnus, æternus, potens &c., secundùm quòd *in primo Libro* jam probatum est; & hæc omnia sufficiunt homini scire, dum sumus in hoc mundo; nemo tamen potest hìc scire, quid sit Deus in se ipso; nam nullus homo potest scire seu intelligere, quid sit sua anima, quomodo igitur poterit scire, quid sit Deus? nec etiam necesse est istud scire in hoc sæculo, sed in altero sæculo scietur ab illis, qui erunt in gloria Paradisi: & si perfectè cognosceremus divinam essentiam in hoc sæculo, alterum sæculum non esset nobilius, quàm istud: unde cùm aliud sæculum conveniat cum nobiliori esse, quàm istud, ideo Deus ordinavit, quòd homo non possit scire in hoc sæculo illud, quod nobis est conveniens scire in altero.

ARTICULUS II.

De Creatione.

AD probandum, quòd Deus sit Creator omnium rerum, colligemus septem flores prædictarum quinque Arborum inter alios, quibus manifestatur humano intellectui, Deum creâsse mundum; & per quemlibet florem datur nobis manifesta demonstratio.

De Bonitate & Æternitate.

ÆTernitas est bona, cùm Bonitas & esse conveniant cum æternitate, & æternitas & esse similiter conveniant cum bonitate: igitur si æternitas esset mala, bonitas & non esse convenirent contra æternitatem & esse; & si convenirent, omnes homines, & omnes plantæ, & omnia bruta animalia naturaliter appeterent non esse; hoc autem est impossibile: cùm omne, quod est, naturaliter appetat esse, & odiat privationem & non esse.

Judæus dixit Gentili: si mundus non est æternus, & Deus ipsum non creavit, convenit, quòd mundus à semet ipso vel ab alio habuerit principium: à se ipso non potuit habuisse; nam hoc, quod nihil est, non potest dare principium alicui rei; quod si daret, sequeretur, quòd nihil esset aliquid, quod est contradictio in adjecto: & si mundus habuisset principium ab altero, quod non esset Deus, & illud etiam habuisset principium ab altero habente principium, & sic procedendo in infinitum, ita, quòd Deus non sit principium alicui istorum principiorum & habentium principia, sequeretur, quòd bonitas meliùs conveniret cum principio principiato, quàm cum æternitate; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si mundus habeat principium, conveniat, quòd ipsum habeat ab æterna bonitate, vel ab aliqua alia re, quæ ab æterna bonitate sumpsit principium sui esse: & quia probavimus, esse unum Deum tantùm, in quo est æterna bonitas, manifestatur, quòd, si mundus habeat principium, conveniat, quòd ipsum habeat à Deo, aut ab aliâ re, cui Deus dedit principium sui esse.

Si mundus est æternus & non creatus, ejus duratio coæquatur divinæ æternitati; igitur cùm mundus sit divisibilis in partes, quæ habent malum & multos defectus, videlicet in res terminatas quantitate, quæ sunt passibiles & ignorantes, & corruptibiles & mortales, & cùm hujusmodi res sint malæ, in quantum habent defectum bonitatis, idcirco mundus non tam bene convenit cum bonitate, sicut bonitas, in qua non est divisio, nec defectus, nec malum; quæ bonitas convenit cum æternitate, in qua non sunt partes, nec res habentes principium neque finem: & ideo manifestè demonstratur, quòd bonum existens in mundo habeat principium; quòd si non haberet principium, tam bene conveniret cum æternitate, sicut divina bonitas: & si bonum creatum habet principium, quantò magis malum debet habere principium; nam si malum esset æternum & absque principio, æternitas non conveniret cum bonitate, in quantum concordaret cum contrario bonitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd mundus sit creatus & inceptus.

Gentilis quæsivit à Judæo: utrùm Deus creaverit malum, an non? Judæus respondens ait, quòd malum consideretur dupliciter; nam unum est malum culpæ, & alterum est malum pœnæ: igitur cùm malum culpæ sit contrarium bono, non convenit, quòd à Deo sit creatum; & quia malum pœnæ convenit cum perfecta justitia Dei ad puniendum peccata, & cum perfecta sapientia Dei ad significandum bonum gratiæ, idcirco convenit supremæ & æternæ bonitati creare malum pœnæ.

De Magnitudine & Potestate.

MAjor potestas significatur in Deo, si mundus est creatus à divina potestate, quàm si mundus est æternus; nam major potestas est ex nihilo creare tam magnum & speciosum mundum, quàm esset, si potestas Dei non creâsset mundum: & quoniam convenit, quòd affirmetur hoc, per quod potestas & magnitudo Dei meliùs concordant, & humano intellectui meliùs demonstrantur, *secundùm primam conditionem primæ Arboris*, idcirco manifestatur, mundum fuisse creatum ex nihilo, & habuisse principium.

Si mundus esset æternus, & per suam potestatem vel per potestatem divinam esset magìs durabilis, esset majus inconveniens, quòd ipse haberet finem in quantitate & tempore & duratione, quàm si mundus habeat principium, & à Deo ex nihilo sit creatus: & quantò majus inconveniens esset, quòd mundus non haberet principium, & quòd non esset productus ex nihilo in esse, tantò minùs significatum esset, quòd magnitudo divinæ potestatis posset destruere mundum, quàm si mundus habeat principium, & ex nihilo sit productus in esse; nam hoc propinquius est ad non esse, quod est productum ex nihilo, quàm hoc, quod est æternum, & nunquam fuit nihil: & quantò propinquius est nihilo, & divina potestas illud conservat, ne redigatur in nihilum, tantò major potestas significatur esse in Deo, in quantum illud conservat, & potest reducere in nihilum; & quantò major est potestas Dei, tantò majorem bonitatem in Deo esse demonstratur.

Magìs extraneum & magìs inconveniens & magìs etiam rationi dissonum & contrarium est, considerare, quòd divina bonitas & potestas, quæ sunt unum & idem cum æternitate, cui non convenit habere principium nec finem, deveniant in non esse, quàm considerare, quòd res creatæ, quæ ex nihilo sunt productæ, deveniant in non esse: unde in consideratione, quæ considerat, potestatem divinam tam magnam esse, quòd possit destruere mundum, licèt mundus sit æternus, est propinquum considerare, quòd Deus, licèt sit æternus, possit devenire in nihilum; & in consideratione, quæ considerat, mundum esse creatum, & Deum ipsi posse dare finem, quia ipsum creavit ex nihilo, est remotum considerare, quòd Deus possit devenire in nihilum. Igitur cùm consideratio, quæ meliùs convenit ad considerandum magnitudinem divinæ potestatis, necessariò debeat affirmari, manifestè demonstratur, quòd mundus receperit creationem per magnitudinem potestatis Dei.

De Perfectione & Charitate.

PErfectio & Charitas significant in rebus hujus mundi, mundum esse creatum; nam ignis & cætera elementa inquirunt suam perfectionem in generando & corrumpendo res generabiles & corruptibiles, in quibus non inveniunt suam perfectionem; & ideo diu noctúque non cessant generare & corrumpere mediante naturali appetitu, quem habent ad propriam perfectionem: igitur si mundus esset æternus, æternaliter & absque principio in appetitu naturali elementorum esset defectus, & esset generatio & corruptio; & sic non fuisset primus homo, nec prima arbor, nec prima bestia, nec prima avis, & sic de cæteris; & si non fuisset primum in supradictis rebus, esset impossibile, quòd esset ultimum in eisdem: quod si sic, elementa in infinitum manerent imperfecta, & naturaliter appeterent perfectionem, & nullo tempore possent consequi id, quod appeterent; hoc autem est inconveniens, & contra influentiam divinæ perfectionis, quæ æqualiter & æternaliter fuisset causa imperfectionis & desideratæ perfectionis; quod desiderium fuisset imperfectum, si æternaliter desideraret, & nullo tempore consequeretur propriam perfectionem: unde cùm hoc sit inconveniens secundùm perfectionem & amorem Dei, demonstratur, quòd mundus sit creatus & terminatus, & quòd imperfectio habuerit principium; quo nobis manifestè demonstratur perfectio.

Judæus dixit Gentili: jam significavimus & probavimus per naturam corporalem, quòd mundus sit creatus; nunc per naturam spiritualem, scilicet per Animam, volu-

volumus hoc ipsum probare: manifestum enim est humano intellectui, quòd anima rationalis non possit satiari in hoc sæculo; & ideo, sicut elementa corporaliter moventur ad inquirendum propriam perfectionem, & ipsam non inveniunt, sicut jam superiùs ostendimus, sic anima spiritualiter inquirit propriam perfectionem, & illam tamen non potest invenire in hoc sæculo; nam quando habet aliquam rem, quam semper desideravit habere, tunc desiderat aliam, quam non habet: unde cùm hoc sit imperfectio charitatis, significatur, quòd anima rationalis sit creata; nam si esset æterna, non esset in ipsa imperfectio seu defectus; nam si haberet imperfectionem, suprema perfectio & amor, videlicet Deus esset causa æternæ imperfectionis; hoc autem est impossibile, & contra conditiones Arborum: per quam impossibilitatem & contrarietatem declaratur, quòd anima rationalis sit creata; & per creationem animæ significatur, quòd natura corporalis sit creata; nam si anima, quæ est nobilioris naturæ, quàm corpus, est creata, quantò magis convenit, quòd corpus sit creatum; quod si non esset, hoc, quod est nobilius, conveniret cum non esse, & hoc, quod est ignobilius, conveniret cum esse & æternitate; hoc autem est contrarium perfectæ charitati nostri Domini Dei.

De Perfectione & Justitia.

IN Deo Perfectio & Justitia conveniunt; unde cùm jam probatum sit in *primo Libro*, resurrectionem necessariò esse futuram, ideo per resurrectionem & antescriptum florem significatur, quòd mundus sit creatus; quoniam si mundus esset æternus, sequeretur, quòd Deus æternaliter crearet primam materiam, ex qua corpus rationabile esset constitutum; nam primordialis materia hujus mundi non sufficeret tot corporibus animatis resuscitandis, habentibus meritum sive culpam, cum quibus convenit homines resuscitari secundùm perfectionem justitiæ justi Dei: & cùm sit valde inconveniens affirmare, quòd Deus in infinitum augmentet primam materiam & locum, qui ipsi convenit, & etiam, quòd Deus non habeat perfectam justitiam, idcirco inconveniens est negare creationem, & affirmare, quòd mundus sit durabilis absque principio in æternum: & hæc est negatio, quâ homo negat, mundum habere quantitatem finitam, & situari intra finitos terminos locorum: & est negatio, ex qua sequitur affirmatio, quòd Deus æternaliter sit Creator animarum & corporum & locorum infinitorum in numero; hoc autem est impossibile, & contra conditiones Arborum, & est etiam manifesta contradictio.

De Æternitate & Superbia.

SI Æternitas & Superbia convenirent, sequeretur, quòd æternitas conveniret cum superbia contra humilitatem, quæ concordat cum bonitate, magnitudine, potestate, amore, perfectione & sapientia; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd æternitas & superbia disconveniant; per quam disconvenientiam seu inconvenientiam significatur, quòd natura, quæ est subjectum superbiæ, videlicet natura hominis, disconveniat cum æternitate: quâ inconvenientiâ manifestè demonstratur, quòd mundus sit creatus.

Contrà arguens Gentilis dixit: humilitas & superbia sibi invicem sunt contrariæ; homo autem est subjectum humilitatis; igitur si natura hominis conveniret cum æternitate, quæ convenit cum humilitate, homo per humilitatem esset de natura æterna, & per superbiam esset de natura creata, quibus subsistat creatura.

Judæus autem respondit: hoc, per quod divina æternitas in homine convenit cum humilitate contra superbiam, est per influentiam doni divinæ gratiæ, quæ datur homini contra culpam superbiæ: & ex hoc significatur una æternitas, quæ latinè ævum dicitur; & est æternitas, quæ habet principium, sed non finem; & est creata à supremâ æternitate, quæ est sinè principio & fine: quam æviternitatem Deus creavit ad remunerandum homines propter humilitatem, & ad puniendum homines propter superbiam, ut homo habeat cognitionem florum primæ Arboris æternaliter sinè fine.

Si mundus esset æternus, homo esset de natura æterna, & esset in loco æterno, & æternitas Dei non esset tam contraria superbiæ nec superbo homini, sicut est, si mundus est creatus; nam superbia & homo & ejus natura & locus continens ipsum essent æquales æternitati divinæ in duratione:

tione: *& cùm hoc, per quod divinæ virtutes sint magis contrariæ vitiis, necessariò conveniat affirmari secundùm conditiones tertiæ Arboris*, & cùm divinæ virtutes sive dignitates meliùs se manifestent, quòd contrarientur superbiæ, si mundus est creatus, quàm si mundus est æternus, ideo manifestè significatur, quòd mundus sit creatus.

De Spe & Charitate.

SI mundus est creatus, est major concordantia inter Spem & Charitatem in diligendo Deum & confidendo in ipso, & fortiùs contradicunt suis contrariis, quæ sunt vitia, quàm si mundus esset æternus & absque principio; nam Deus fecit homini majorem gratiam, si ei & rebus, quas comedit & bibit, & quibus pro suis necessitatibus indiget, dedit esse de nihilo absque æterno esse, quàm fecisset, si homo & res, quibus indiget, descenderent de esse æterno: & quò major est gratia, quam Deus fecit homini, eò majorem charitatem poterit homo habere erga Deum, & quò majorem charitatem homo potest & debet habere erga Deum, eò majorem spem debet & potest habere in Deo: & quò major spes & charitas possunt & debent esse in homine, eò majorem amorem Deus habet, & debet habere erga hominem; & ex hoc nullum inconveniens sequitur, si mundus est creatus; & si mundus est æternus, sequitur manifesta inconvenientia & contrarietas; quâ inconvenientiâ & contrarietate demonstratur, mundum non esse æternum: quod si sic non esset, sequeretur, quòd spes & charitas convenirent & concordarent cum defectu & non esse, & quòd eorum contraria concordarent cum esse & perfectione; hoc autem est evidenter impossibile, & contra conditiones quartæ Arboris.

De Prudentia & Acedia.

PRudentia & Acedia sunt contrariæ, in quantum prudentia est virtus, & acedia est vitium: unde si mundus est æternus, & illud scit prudentia, acedia non erit adeò contraria prudentiæ, nec aliis virtutibus, quæ concordant cum prudentia, sicut est, si mundus non est æternus; nam acedia, in quantum odit bonum commune & speciale, & facit hominem negligentem & acediosum, & diligit malum, convenit cum non esse, in eo, quòd diligat hoc, quod convenit cum non esse, & semper odit hoc, quod convenit cum esse: igitur si prudentia sciret, mundum esse æternum, sciret, quòd, si mundus non esset æternus, acedia meliùs conveniret cum non esse, quàm cum esse; hoc autem scire est impossibile; cùm sit manifesta contradictio: quia si mundus esset æternus, acedia, eò quòd haberet subjectum æternum, fortiùs conveniret cum esse, quàm si suum subjectum, videlicet humana species, non esset æternum; & in quantum operatio acediæ est contraria ipsi esse, & concordat cum non esse, suum subjectum meliùs convenit cum non esse, si mundus est creatus, quàm si esset æternus; & cùm per æternitatem mundi esset contradictio in hoc, quod sciret prudentia, & prudentia non esset tantum contraria acediæ, igitur significatur, mundum non esse æternum; cùm nulla contradictio possit esse, *& cùm conveniat affirmare hoc, per quod prudentia & acedia sunt magis contrariæ*, secundùm conditiones quintæ Arboris.

Satis reputo me contentum, inquit Gentilis, de significatione & demonstratione, quâ mihi probâsti, mundum esse creatum; veruntamen precor te, quòd mihi dicas, quid fecerit Deus, antequam mundus esset creatus? quia Deus est nobilior, si sit æternus, & æternaliter operetur aliquid, quàm si ejus operatio habeat principium non æternum.

Dixit Judæus: hoc, per quod Philosophi maximè volunt probare, quòd mundus sit æternus, est, ut dent honorem & nobilitatem primæ causæ, hoc est, Deo; à qua prima causa dicti Philosophi devenerunt in notitiam rerum, dicentes: quòd, sicut prima causa est causa & finis omnium, & est æterna, ita conveniat, quòd ejus causatum, videlicet ejus effectus sit æternus; hoc autem causatum dixerunt esse mundum: nos verò, qui credimus, mundum esse creatum, magis honoramus Deum, & ipsi attribuimus majorem honorem & nobilitatem in eo, quòd dicamus, Deum habere in semet ipso æternam operationem amantem & intelligentem semet ipsum, & in se ipso gloriantem, & omnes alias res extrinsecas intelligentem; & dicimus, quòd hæc operatio sit prima, & fuerit ante operationem, quam Deus habuit, & habet in mundo; quod non fecerunt Philosophi, qui ignoraverunt operationem, quam Deus

habet in ſemet ipſo; nec attribuerunt ei operationem, quæ eſſet de ſe ipſo, ſed ſolùm operationem, quæ nec eſt in ſemet ipſo, nec de ſemet ipſo, hoc eſt, operationem vel productionem mundi, hoc eſt, mundum: & dixerunt, quòd hujusmodi operatio eſſet æqualis Deo in æternitate: *& cùm ſecundùm primam conditionem primæ Arboris homo debeat Deo attribuere majorem nobilitatem*, ideo demonſtratur, quòd mundus ſit creatus per Deum, qui eſt prima cauſa omnium; & operatio, quam in ſemet ipſo habet intrinſecè, fuit, antequam operatio creata, ſeu extrinſeca, hoc eſt, mundus.

Gentilis dixit Judæo: nullo modo poſſum intelligere, quomodo ex nihilo poſſit creari ſeu produci aliquid.

Dixit Judæus: de natura intellectûs humani eſt, quòd differenter intelligat, utrùm res ſit, vel non, & quomodo ſit ipſa res; nam per ſupradicta convenientia & inconvenientia probatum eſt, quòd Deus ſit Creator omnium rerum; modum tamen, quomodo Deus ex nihilo producat aliquid, humanus intellectus non poteſt intelligere; & ſcis, quare? quia in nihilo non poteſt intellectus aliquid intelligere; & quia intellectus non poteſt intelligere, quomodo ex hoc fiat aliquid, in quo nihil poteſt intelligere, ideo non potes intelligere in eo, in quo nihil intelligis: veruntamen in perfecta voluntate divina, quæ habet perfectam poteſtatem & ſapientiam, potes intelligere, Deum poſſe creare aliquid ex nihilo; ex quo ſua voluntas poteſt illud velle, & ſua poteſtas poteſt facere, & ſua ſcientia ſcit illud facere & creare: manifeſtum enim eſt tuo intellectui, te habere corpus & animam; modum tamen, quo tua anima eſt unita tuo corpori, tuus intellectus non poteſt intelligere: unde ſi tuus intellectus deficit in intelligendo hoc, quod eſt in te ipſo, quantò magis convenit, quòd tuus intellectus deficiat in intelligendo hoc, quod non eſt in temet ipſo: unde tibi ſufficit intelligere, utrùm res ſit, vel non; nec in hoc ſæculo indiges ſcire, quomodo res ſit creata.

Gentilis dixit Judæo: firmamentum & corpora cæleſtia non ſunt corruptibilia, nec ſimiliter eorum motus eſt corruptibilis; & ideo ſignificatur, quòd ſint absque principio & æterna.

Reſpondit Judæus: in hoc, quòd firmamentum & corpora cæleſtia ſunt terminata & finita in quantitate, ſignificant, ſe eſſe creata; nam ſicut æternitas diſconvenit cum duratione, quæ habet principium & finem, ita diſconvenit cum finita & terminata, locata & mobili quantitate; & hoc idem eſt de firmamento, quod generat tempus primum & ultimum; cum quo primo & ultimo æternitas diſconvenit: unde hoc, propter quod firmamentum & corpora cæleſtia & eorum motus non ſunt corruptibilia, eſt, quia Deus ipſa creavit incorruptibilia, ad demonſtrandam ſuam maximam poteſtatem; nam ſi Deus hujusmodi res creâſſet corruptibiles, non demonſtrâſſet ita fortiter ſuam maximam poteſtatem, quæ poteſt creare, ſeu annihilare res incorruptibiles: veruntamen quia Philoſophi non habuerunt perfectam notitiam divinæ poteſtatis, voluntatis & ſapientiæ, nec earum perfectionis, & viderunt, quòd firmamentum & corpora cæleſtia ſint incorruptibilia, igitur opinati ſunt, quòd ea ſint æterna & ſinè principio & fine; & ideo moti fuerunt ad negandam creationem omnium rerum procedentium à Deo.

ARTICULUS III.

Quòd Lex à DEO fuerit data Moyſi in monte Sinai.

AD probandum, quòd Deus Moyſi dederit Legem, convenit, nos colligere de floribus quinque Arborum, quibus hoc poſſimus probare; quam probationem volumus facere per ſeptem flores, quantò breviùs poſſumus.

De Bonitate & Magnitudine.

SI Deus dedit ſuo populo Legem, in qua præcepit, quæ homo debeat facere ad honorandum Deum, & ad obediendum ejus mandatis, ut habeat ſuam benedictionem, & quæ non debeat facere, ut non acquirat maledictionem Dei, ex hoc ſignificatur in Deo eſſe major bonitas, & ex hoc fit major ſignificatio cæleſtis gloriæ & infernalium pœnarum, quàm ſi Deus non dediſſet legem, nec præcepiſſet homini, quid deberet facere, vel quid deberet evitare: veruntamen ſicut facere bonum convenit cum eſſe, & facere malum convenit cum non eſſe, ſic mandatum ſeu præceptum convenit cum eſſe, & diſconvenit cum non

non eſſe: igitur cùm præceptum faciendi bonum, & vitandi malum, conveniat cum eſſe, & diſconveniat cum non eſſe, & facere malum conveniat cum non eſſe, & diſconveniat cum eſſe, & eſſe & bonum conveniant, & non eſſe & malum inſimul concordent, ſi Deus non dediſſet legem, vel non præcepiſſet facere bonum, & vitare malum, Deus feciſſet concordantiam de præcepto & bono & non eſſe, & de malo & eſſe contra præceptum & bonum, in eo, quòd præceptum non feciſſet in eſſe; & ſi hoc ſic eſſet, ſequeretur, quòd in Deo non eſſet magna bonitas in poteſtate, perfectione, ſapientia & amore: & quia convenit ſecundùm conditiones Arborum, Deo attribuere magnam bonitatem, idcirco manifeſtatur, quòd Deus homini dederit legem.

De Magnitudine & Æternitate.

TAm magna eſt cæleſtis gloria, & infernalis pœna, quòd conveniat, homini factum eſſe præceptum & ordinationem per divinum opus, quâ ordinatione homo poſſet venire ad vitam durabilem in gloria ſempiterna; igitur ſi res mundanæ, quæ ſunt parvæ, conveniant cum præcepto temporali, quantò magis convenit, quòd res magnæ cæleſtes & infernales, quæ infinitis terminis conſiſtunt, conveniant cum præcepto: unde ſi lex vel præcepta non eſſent homini divinâ bonitate data, ſequeretur, quòd magna bonitas Dei meliùs conveniret cum rebus parvæ utilitatis, & diſconveniret cum rebus maximæ utilitatis; quod ſi ſic eſſet, ſequeretur, quòd hoc, quod eſt cauſa materialis, eſſet finalis, & hoc, quod eſt cauſa finalis, eſſet materialis; & hoc, quod eſt minus bonum, eſſet majus bonum, & hoc, quod eſt majus bonum, eſſet minus bonum: & ſi hoc ſic eſſet, ſequeretur, quòd magna bonitas Dei eſſet minor quolibet alio bono, & hoc, quod eſt majus malum, eſſet minus quolibet alio malo; hoc autem eſt evidenter impoſſibile.

De Æternitate & Poteſtate.

CUm Æternitas & Poteſtas in Deo conveniant, inconveniens eſt, quòd in divino opere diſconveniant: unde ſi Deus homini dedit legem, & præcepit ei, quid debeat facere, & à quo debeat abſtinere, plùs dirigitur homo ad faciendum bonum, & ad vitandum malum, quàm ſi lex homini non eſſet data; & ſi homo operatur bonum, divina poteſtas meliùs convenit cum homine ad dandum ipſi gloriam ſempiternam; & ſi homo operatur malum, divina poteſtas meliùs convenit cum homine ad dandum ipſi multas pœnas ſinè fine: & ſi lex non eſſet, divina poteſtas non haberet adeò magnam convenientiam cum ſuo opere, & operationes divinæ æternitatis ac divinæ poteſtatis non convenirent adeò bene in judicando homines ad æternalem gloriam, ſive pœnam: & quia neceſſariò convenit affirmare hoc, per quod divinæ virtutes ſeu dignitates meliùs demonſtrantur in operatione & in uſu, quem habent in creaturis, ideo manifeſtatur intellectuali lumini, quòd Deus homini dederit legem.

De Sapientia & Prudentia.

SApientia & perfectio in Deo conveniunt; quâ convenientiâ ipſi prudentiæ venit influentia, ut concordet cum divina ſapientia: unde ſi Deus dedit legem, prudentia meliùs convenit cum ſapientia Dei, à qua ipſi venit influentia, propter quam meliùs conveniat cum fortitudine contra vitia, & cum charitate, ad hoc, ut homo diligat Deum, & ſuum proximum, & ſeipſum: igitur ſi lex non eſſet data, nos omnes eſſemus in falſitate & errore, qui credimus, legem eſſe datam; & ſequeretur, quòd prudentia meliùs conveniret cum divina ſapientia in credentibus falſitatem & errorem, quàm in illis, qui non credunt, quòd aliquibus lex ſit data; & hoc eſt impoſſibile: quod ſi eſſet poſſibile, falſitas & error & ignorantia eſſent bonum, & eorum contraria eſſent malum; & prudentia meliùs conveniret cum fortitudine & charitate per ignorantiam, quàm per ſapientiam; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem manifeſtatur, quòd Deus hominibus dederit legem.

De Poteſtate & Juſtitia.

JUſtitia & ignorantia contrariantur in homine; & ideo juſtitia & ſapientia concordant in homine: unde cùm homo non habeat poteſtatem judicandi hoc, quod neſcit, eſt defectus poteſtatis in juſtitia; ſed quando homo habet ſapientiam, & ſcit hoc, quod convenit, cum judicare, tunc juſtitia habet poteſtatem: igitur ſi in homine,

qui est creatura inferior & mortalis, & consistit intra finitos terminos, potestas & justitia concordant, quantò magis convenit, quòd sit concordantia inter potestatem divinam & justitiam creatam in homine; quod si non esset, concordantia, quæ est inter unam virtutem creatam & alteram, non veniret ab influentia virtutum increatarum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd justitia creata & potestas divina insimul conveniant, eò quòd potestas influit gratiam justitiæ, & justitia recipit gratiam, quâ possit contrariari ignorantiæ & injuriæ: igitur si Deus dedit legem, sua potestas illuminavit justitiam lumine sapientiæ in his, quæ debeat facere, judicare & evitare; & si non dedit legem, non illuminavit justitiam nisi solùm lege naturali: & cùm justitia creata habeat majorem fortitudinem contra ignorantiam & injuriam per legem gratiæ, & per legem naturæ simul, quàm per legem naturæ tantùm, & si Deus non frueretur suâ potestate in dando hoc, per quod justitia creata haberet majorem potestatem contra ignorantiam & injuriam, sequeretur, quòd potestas divina conveniret cum acedia, & esset contraria divino amori & perfectioni; hoc autem est impossibile, & contra conditiones Arborum: per quam impossibilitatem & contrarietatem lex gratiæ manifestè demonstratur.

De Fide & Spe.

PEr Fidem homo credit in Deum, & per Spem homo sperat à Deo recipere benedictionem & gratiam: unde si Deus dedit legem gratiæ, fides & spes fortiùs adinvicem conveniunt, & si Deus non dedit legem gratiæ, non conveniunt ad contemplandum Deum ita fortiter: si igitur voluntas Dei non dilexisset legem gratiæ, nec ipsam homini dedisset, sequeretur, quòd, quantò meliùs fides & spes convenirent ad contemplandum Deum & ejus gloriam, tantò minùs divina voluntas ipsas diligeret; & hoc est impossibile & contra conditiones Arborum: quia si esset possibile, sequeretur, quòd voluntas Dei esset contraria bonitati, magnitudini & perfectioni, & quòd concordaret cum invidia & acedia; quod est falsum & impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Deus dederit legẽ gratiæ, ut fides & spes meliùs convenirent cum esse, quàm sua contraria, quæ conveniunt cum non esse.

De Temperantia & Gula.

TEmperantia & Gula sibi invicem contrariantur; & ideo temperantia convenit cum obedientia, & gula concordat cum inobedientia: unde si data est lex gratiæ, sequitur, quòd nobis sint data præcepta contraria gulæ, quæ convenit cum non esse, ad fortificandam temperantiam, quæ convenit cum esse; & si lex gratiæ non esset data, sequeretur, quòd divina gratia esset contraria ipsi esse, & concordaret cum non esse; quod si esset, sequeretur, Deum & non esse concordare cum gula contra temperantiam & esse; quod est impossibile & contra conditiones Arborum, & contra hanc artem: per quam impossibilitatem manifestè demonstratur, quòd sit lex gratiæ.

Dixit Judæus Gentili: per multos alios flores possem tibi significare & manifestare legem gratiæ, quam Deus dedit Moysi Prophetæ in monte Sinai; in qua lege scripta sunt decem præcepta & multa alia præcepta; in qua etiam lege revelata est Moysi creatio mundi & initium Sanctorum Patrum: veruntamen quia sufficiunt rationes, quibus probavimus, quòd Deus dederit legem gratiæ, & quia etiam timeo meos socios tædio afficere verbis superfluis & prolixis, ideo nolo loqui de omnibus floribus istarum Arborum, quibus posset demonstrari lex gratiæ.

Contentus sum, inquit Gentilis Judæo, de his, quæ mihi dixisti; rogo tamen te, quòd mihi dicas veritatem, an Christiani & Saraceni credant legem, quam tu dicis?

Respondit Judæus dicens: certum est, quòd Christiani & Saraceni credant, quòd Deus dederit legem Moysi, & quilibet credit, nostram legem esse veram: veruntamen quia ipsi credunt alias res, quæ nostræ legi sunt contrariæ, ideo, in quantum credunt hoc, quod nostræ legi est contrarium, videntur discredere nostram legem: unde nos & Christiani concordamus in textu legis veteris, sed discordamus in glossis & expositionibus, quæ sibi invicem contradicunt: *& ideo non possumus concordare per authoritates, & investigamus rationes necessarias, quæ nos facerent concordare:* Saraceni autem nobiscum concordant in parte textûs, & in parte etiam nobis contradicunt: & ideo dicunt ipsi, quòd nos mutaverimus textum legis veteris; & nos dicimus, quòd ipsi habeant textum contrarium veritati.

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quòd Messias sit venturus.

DIxit Judæus Gentili: nos credimus Adventum Messiæ, qui veniet ad liberandum populum Judaicum, & erit Nuntius Dei & Propheta: unde ad probandum, Messiam esse venturum, convenit, nos colligere de floribus Arborum, quibus hoc necessariò probemus.

De Magnitudine & Sapientia.

IN Deo est Magnitudo Sapientiæ, quæ creavit & ordinavit omne, quod est; & cùm mundus sit opus divinum, convenit, quòd mundus sit ordinatus; quòd si non esset, opus factum & creatum per magnam sapientiam Dei non significaret, in Deo esse magnam sapientiam; nam quantò quodlibet opus est perfectiùs & meliùs ordinatum, tantò meliorem significat & demonstrat suum artificem, qui ipsum ordinavit.

Jam probavimus, quòd Deus dederit legem; unde si lex, quam Deus dedit, non haberet subjectum, in quo posset ordinatè esse & manere, minùs esset significata magnitudo divinæ sapientiæ, quæ dedit legem: unde cùm nos simus in servitute omnium gentium propter defectum & peccatum primorum Parentum, & per servitutem, in qua sumus, non possimus bene tenere nec adimplere legem, quam Dominus Deus nobis dedit, quam tamen teneremus & possemus tenere meliùs ordinatam per ordinem, qui ipsi convenit per libertatem, si essemus liberi, igitur necessariò convenit, quòd Deus mittat Messiam, ut nos Judæos redimat & liberet à servitute & captivitate, in qua sumus, ita, quòd habeamus Reges & Principes, secundùm quòd antiquitùs habuimus: quod si sic non esset, magnitudo divinæ sapientiæ contradiceret legi, quam nobis dedit; & quia hoc est impossibile & contra conditiones Arborum, scilicet, quòd Deus sit contrarius suo operi, ideo manifestatur, quòd Messias sit venturus.

De Bonitate & Charitate.

DIvina Bonitas & Charitas, quam habemus erga Deum, conveniunt; nam si disconvenirent, sequeretur, quòd charitas non esset virtus, vel quòd in Deo non esset perfecta bonitas; & quodlibet istorum duorum inconvenientium est evidenter impossibile: unde cùm nos Judæi propter magnam charitatem, quam habemus erga Deum, sustineamus & sustinuerimus longo tempore gravissimam captivitatem, in qua vivimus, & in qua sumus valde vituperati & despecti à populo christiano & saraceni-co, in quorum potestate sumus, & cùm ab ipsis quotidiè patiamur graves injurias & graves tribulationes, & nos debeamus ad ipsos redire, & cum eis tractare, & nos annuatim ab eis redimere, & cùm omnem istum laborem diligamus sustinere & pati, ut magis possimus diligere Deum, & non dimittamus legem nec viam, in quam ipse nos duxit à principio, idcirco necessariò convenit, quòd divina bonitas, quæ est plena misericordiâ & gratiâ, intuitu pietatis se moveat, & nobis mittat suum Nuntium, qui nos liberet à captivitate, in qua sumus, ad ipsum magis diligendum & honorandum, & ipsi serviendum: igitur si divina bonitas nos non adjuvaret, nec succurreret nostris laboribus & nostris tribulationibus, quas patimur, & maximè, cùm possemus habere libertatem, si vellemus deserere legem, in qua sumus, significaretur, quòd in divina bonitate non esset perfectio, potestas & magnitudo, nec amor; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem manifestè ostenditur nostræ charitati & spei, quòd Deus per suam maximam bonitatem mittet Messiam ad redimendum nos Judæos de captivitate, in qua sumus.

Quæsivit Gentilis à Judæo: estne diu, quòd estis in hac captivitate? respondit Judæus, nos jam olim stetimus in duabus captivitatibus; una duravit annis septuaginta, altera verò quadringentis; sed hæc, in qua nunc sumus, duravit ultra mille quadringentos annos: de duabus primis captivitatibus bene scimus rationem, quare in ipsis fuerimus; sed quare simus in moderna captivitate, nullam rationem possumus intelligere.

Gentilis dixit Judæo: possibile est, quòd vos Judæi sitis in aliquo peccato, per quod sitis contrarii bonitati Dei; in quo peccato vos non creditis esse, nec petitis veniam à divina bonitate, quæ concordat cum justitia; propter quam justitiam non vult vos liberare, usque quò recognoscatis vestra peccata, & de ipsis petatis veniam.

De Potestate & Spe.

JUdæus dixit Gentili: manifestum est, quòd Spes sit virtus; nam si non esset virtus,

virtus, ejus contrarium, videlicet desperatio, non esset vitium: unde cùm potestas & spes in nobis Judæis conveniant in eo, quòd speremus in Deo, quòd nos liberet à captivitate, in qua sumus, in qua spe non possemus esse, si non haberemus potestatem sperandi; & cùm divina potestas sit major, quàm nostra, si nostra potestas, quæ est minor, convenit cum virtute, quantò magìs convenit, quòd divina potestas, quæ est major, conveniat cum nostra spe; quod si sic non esset, significaretur, quòd nostra potestas cum nostra spe, quæ confidit in divina potestate, conveniret in majori concordantia, quàm divina potestas conveniret cum nostra spe; & cùm hoc sit impossibile (nam si esset possibile, nostra potestas concordaret cum majori perfectione, quàm potestas divina) quare est impossibile, quòd divina bonitas non velit nobis mittere Redemptorem nostræ captivitatis, ex qua speramus liberari per maximam perfectionem, quæ est in potestate nostri Domini Dei.

Totus populus judaicus sperat, quòd per potestatem & virtutem unius hominis, videlicet Messiæ, vincatur & superetur omnis potestas omnium hominum hujus sæculi, sub quorum servitute nos sumus: unde ad significandum immensitatem potestatis Dei, qui dabit tam magnam potestatem illi homini, scilicet Messiæ, & ad ordinandum, quòd nos Judæi habeamus magnam spem in eo, quòd speremus per unum hominem liberari à servitute, in qua sumus sub tot hominibus captivati, igitur Deus ordinavit, quòd simus in captivitate, in qua sumus, & quòd ab ipsa ordinante divinâ potestate per potestatem unius hominis tantùm liberemur; & ex hoc probatur, Messiam esse venturum ad nos liberandos; & etiam sequitur in nobis major spes; & ex hoc etiam nobis datur major notitia divinæ potestatis: & cùm hoc, per quod habemus majorem spem & majorem notitiam divinæ potestatis, conveniat cum esse & cum conditionibus prædictarum Arborum, idcirco significatur, Messiam esse venturum pro nostra redemptione, & ad implendam nostram maximam spem.

De Fide & Justitia.

FIdes & Justitia in populo judaico conveniunt; nam omnes credimus, quòd tribulationes, quas patimur in captivitate, in quâ vivimus, sint nobis datæ per justitiam Dei; & ideo nostra fides & nostra justitia conveniunt cum justitia Dei; quam justitiam Dei convenit concordare cum nostra fide & cum nostra justitia; quod si non esset, sequeretur, quòd concordantia & charitas meliùs convenirent cum nostra fide & justitia, quàm cum divina justitia & charitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Deus mittet Messiam ad liberandum nos Judæos, sinè qua missione & liberatione non significaretur, quòd justitia & charitas Dei tam benè concordarent cum virtutibus creatis, sicut virtutes creatæ concordant cum virtutibus increatis; & cùm justitia & charitas increatæ debeant habere majorem concordantiam cum creatis virtutibus, quàm virtutes creatæ cum increatis, & hoc secundùm supradictas conditiones Arborum, ideo significatur, quòd Messias debeat venire, qui mittetur à divina charitate & justitia, & qui satisfaciet nostræ fidei & justitiæ, & nobis dabit magna præmia.

Quantò magìs nos Judæi sumus afflicti & tormentati longâ captivitate, & quantò majorem fidem habemus, quòd juste sustineamus hujusmodi afflictiones, & quantò minùs noster intellectus scit rationem, quare simus in captivitate, tantò majores sunt nostra fides & justitia, in eo, quòd nos adjudicamus & subjicimus illis laboribus, quos possemus effugere, si vellemus: unde cùm conveniat, quòd hoc sit verum, per quod fides & justitia fortiùs conveniunt cum majoritate & esse contra earum contraria, quæ disconveniunt cum majoritate & esse, eò quod conveniunt cum minoritate & non esse; & etiam cùm adventus Messiæ conveniat cum hoc, per quod nostra fides & nostra justitia concordant cum majoritate, idcirco de necessitate convenit, quòd divina ordinatio, quæ non est contraria majoritati fidei & justitiæ, ordinaverit, quòd Messias debeat venire ad liberandum israëliticum populum.

De Fortitudine & Superbia.

IN humilitate Fortitudo convenit cum virtute; in Superbia verò fortitudo concordat cum vitio; & quia superbia & humilitas sunt contrariæ, igitur fortitudo est diversa & contraria humilitati & superbiæ: & cùm virtus conveniat cum esse, & vitium cum non esse, igitur fortitudo, quæ convenit cum humilitate, vincit & superat fortitudinem, quæ concordat cum superbia: quod si sic non esset, sequeretur, quòd virtus non concordaret cum esse, nec vitium cum non esse, vel quòd fortitudo concordaret cum non esse, & fragilitas cum esse; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd in cordibus Judæorum sit fortitudo humilitatis, quæ vincit & superat fortitudinem superbiæ, quæ est in cordibus Christianorum & Saracenorum; nam per multas graves injurias & afflictiones & tormenta captivitatis, quæ inferunt populo judaico, non possunt ipsum vincere, ut faciant eos deserere suam sanctam legem, quam Deus dedit servo suo Moysi: unde cùm hoc ita sit, & cùm hoc, per quod fortitudo sit fortiùs contraria superbiæ Christianorum & Saracenorum, qui nos detinent in captivitate per suam superbiam, conveniat cum veritate secundùm conditiones Arboris, in qua hic flos, scilicet *fortitudo*, *superbia*, est scriptus, ideo est necesse, quòd Deus mittat Messiam, qui prorsus destruat cornua superborum, scilicet superbiam populi Christianorum & Saracenorum, qui nos violenter detinent in captivitate, & quòd nos simus liberi Domini, & ipsi sint sub nostra servitute & dominio captivati.

Dixit Gentilis Judæo: & si ego, qui sum liber, fierem Judæus, essem in captivitate, in qua tu es, & pro eo, quòd exirem de meo errore, intrarem in servitutem per peccatum, in qua tu dicis, te esse, eò quòd propter illud delictum es positus in captivitate; hoc, dixit Gentilis, mihi non videtur esse conveniens secundùm ordinationem, quàm à divina sapientia, bonitate, potestate, justitia convenit ordinari; nam melior esset ordinatio, & meliùs conveniret cum conditionibus Arborum, si homo, qui est liber quoad corpus sensualiter, & est in errore captivus quoad animam, deserendo suum errorem deveniat in libertatem corporalem, in qua meliùs possit servare suam legem, & quòd non transeat de uno errore ad alterum, neque de una culpa ad alteram, quàm quòd absque culpa sit in peccato, per quod corporaliter captivetur.

ARTICULUS V.

De Resurrectione.

DIxit Judæus Gentili: hunc Articulum de Resurrectione non est necesse aliter probare; nam in *primo Libro* satis manifestè probatus est; per quam probationem puto tibi bene satisfactum; & benedictæ sint quinque prædictæ Arbores & earum conditiones & flores, qui illuminaverunt meam animam, quòd firmiter speret in Resurrectione; nam nolo te ignorare, quòd populus Judæorum devenerit in *tres Opiniones* super isto Articulo de Resurrectione.

Prima Opinio est hæc: sunt aliqui Judæi, qui non credunt resurrectionem, assignantes rationem hujus, videlicet, quòd, quoniam corpus est de natura corruptibili, non possit redire in illud idem esse, in quo fuit ante mortem, nec sinè cibo & potu posset conservari, neque etiam posset ferre pœnas infernales: in Paradiso verò non convenit, quòd homo comedat, vel bibat; etiam Paradisus non est locus corporis; cùm corpus non possit stare nisi in aliqua re, quæ ejus ponderositatem possit sustinere; & ex his rationibus, & multis aliis, negant & discredunt resurrectionem. Ego tamen non sum illius sectæ; imò credo resurrectionem; & credo, quòd divina potestas, quæ perfecta est in omnibus rebus, possit conservare corpus in cœlo, licèt ille locus non sit corpori naturalis, sicut creat animam inferiùs in hoc sæculo, quod est locus rerum corporalium per naturam: & sicut Deus ex propriâ virtute & potestate creavit animam immortalem & incorruptibilem, ita post resurrectionem poterit conservare corpus, & ipsum naturare ad essendum immortale absque cibo & potu, in quocunque loco voluerit, ad demonstrandam suam potestatem & justitiam: quòd si Deus non haberet hanc potestatem, careret perfectione florum *primæ Arboris*, & destruerentur omnes supradictæ conditiones Arborum.

Secunda Opinio est, quòd aliqui Judæi credant, quòd futura sit resurrectio post finem sæculi, & post illam resurrectionem erit in universo mundo pax & concordia; & non erit nisi tantùm una fides omnium gentium; & hæc erit fides Judæorum; & viri habebunt uxores & filios, & comedent & bibent; non autem facient peccatum; & in hoc statu durabunt longo tempore: veruntamen dicunt & credunt, quòd tempus veniet, quo omnes morientur; & ex tunc non erit resurrectio; & absque hoc, quòd corpus resurgat, eorum animæ possidebunt gloriam: & in hac opinione persiste-

sistunt multi Judæi : in hac opinione ego etiam eram, antequam veni in hunc locum, & antequam habui notitiam florum quinque prædictarum Arborum, secundùm quòd significatum fuit in *primo Libro*.

Tertia Opinio est, quòd aliqui Judæi credant resurrectionem, & credant, quòd omnes resuscitabuntur post finem sæculi, & quòd boni homines habebunt perpetuam gloriam, mali autem habebunt pœnas quoad aliquod tempus; postea verò, quando Dominus eos puniverit pro peccatis, quæ fecerunt in hac præsenti vita, parcet eis, & dabit illis gloriam sinè fine; aliqui tamen homines perpetuò remanebunt in inferno, & hi erunt paucæ quantitatis in numero, & sunt ita culpabiles, quòd non sint digni, ut aliquo tempore ipsis detur venia: unde in hac opinione sum ego, & volo esse; quamvis in ista opinione sint pauciores Judæi, quàm in aliqua prædictarum.

Ait Gentilis : valde miror de vobis Judæis, quomodo possit esse, quòd sic sitis diversi & separati in diversas opiniones super prædicto Articulo, qui est ita necessarius ad sciendum; & ideo mihi videtur, quòd hoc, per quod estis in diversis opinionibus, sit propter defectum scientiæ, vel quia despicitis æternam gloriam alterius sæculi.

Domine, dixit Judæus, adeò desideramus recuperare libertatem, quam in hoc sæculo consuevimus habere, & adeò desideramus adventum Messiæ, qui nos liberet è captivitate, in qua sumus, quòd penè despiciamus alterum sæculum; & maximè, cùm simus occupati & coacti vivere inter gentes, quæ nos detinent captivos, quibus nos annuatim solvimus multa tributa & pensiones; nam aliter non permitterent nos vivere inter ipsos : & etiam debetis scire aliud, quod nos impedit, scilicet, quòd nostrum idioma & nostræ literæ sint in hebraico, quæ non sunt adeò in usu, sicut consueverant esse, & sunt abbreviatæ propter defectum scientiæ; & ideo nos Judæi non habemus tot libros in scientiis Philosophiæ & aliarum artium, quot nobis opus esset; una tamen scientia est inter nos, quæ Talmut appellatur, & hæc est magna, & magnæ & subtilis expositionis; & est tam magnæ & subtilis expositionis, quòd hæc nos impediat ab inquirenda notitia alterius sæculi; & maximè, cùm per eam nos inclinemus ad vitam, ut habeamus complementum bonorum temporalium hujus mundi.

ARTICULUS VI.

De Die Judicii.

Iste Articulus est probabilis per flores quinque Arborum; nam si Dies Judicii non esset, conditiones Arborum non existerent; & cùm necessariò conveniat, eas esse, ideo manifestatur per prædictos flores, quòd dies judicii sit futura; de quibus floribus colligemus sex ad demonstrandum istum Articulum de Die Judicii.

De Magnitudine & Potestate.

Dixit Judæus Gentili : divina Potestas est adeò magna & excellens, ut sit manifestabilis omnibus hominibus in speciali & in generali; & quia convenit, magnam potestatem manifestari universaliter omnibus, idcirco convenit, quòd omnes simus congregati in uno loco, & quòd simul videamus magnam potestatem Dei : unde propter hoc omnes erimus congregati in uno loco, & Deus judicabit bonos & malos; bonos judicabit ad gloriam perpetuam, malos verò ad multas afflictiones inferni; & nullus homo poterit se excusare, nec contradicere divinæ sententiæ justè datæ : unde si dies judicii non esset, magna potestas Dei non esset sic demonstrabilis universaliter in præsentia tot gentium; & sequeretur, quòd bonitas, magnitudo, sapientia, amor & perfectio Dei essent contrariæ magnitudini divinæ potestatis; & hoc est contra omnes conditiones Arborum: propter quam contrarietatem dies judicii manifestatur humano intellectui, qui scit recipere manifestas significationes florum ipsarum Arborum.

De Perfectione & Sapientia.

Sicut per influentiam corporum supracælestium venit influentia generationis terrenis corporibus secundùm cursum naturæ, ita & multò meliùs absque omni comparatione à perfecta sapientia nostri Domini Dei venit influentia & benedictio sapientiæ creatæ, quæ est in hominibus : unde quando omnes erimus congregati in die judicii, & cognoscemus, quòd Deus sciat omnia bona, & omnia mala, quæ quilibet homo fecerit, & quòd judicet quemlibet nostrûm secundùm sua opera, tunc isto modo habebimus majorem notitiam de divina sapientia, quàm aliter : nam quilibet cognoscet suam propriam sententiam & sententiam alterius, & hoc simul in eodem tempore & loco; & per hanc notitiam crescet & multiplicabitur in quolibet scientia & notitia : & illi, qui erunt in via salutis, habebunt tantum charitatis & gloriæ, quanta erit notitia, quam habebunt de divinâ sententia; & illi, qui erunt in via perpetuæ damnationis, quantò majorem notitiam habebunt, tantò majori maledictione & tristitiâ torquebuntur : unde cùm hujusmodi judicium conveniat cum perfecto opere Dei, & cum sapientia creata, quam convenit esse in hominibus, quam sapientiam oportet esse magnam ad habendam magnam notitiam valde perfectæ & magnæ sapientiæ Dei, ideo manifestatur dies judicii, sinè quo supradictæ rationes non essent tantùm manifestabiles, nec conditiones quinque Arborum essent tantùm conservabiles.

De Magnitudine & Justitia.

Scias Gentilis, quòd consuetudo sit inter nos Judæos, quòd, quantò major est sententia, tantò plures testes conveniat esse in ipsa; & convenit, quòd ipsa feratur à nobilioribus & magis justis personis, & etiam in præsentia multorum : unde major sententia, quæ possit esse, esset, si omnes, qui fuerunt, sunt & erunt, congregarentur in uno loco, & si Deus judicaret quemlibet in præsentia aliorum, & sententia esset æternæ gloriæ & perpetui ignis inferni : igitur si hæc esset major sententia, quàm alia, in qua non essemus omnes congregati, nec à Deo judicati tam magno & terribili judicio, & si hæc minor sententia esset in esse, major verò sententia nihil esset, sequeretur contrarietas & inconvenientia inter majorem justitiam & majorem sententiam, & major justitia meliùs esset significata, si fuisset major sententia, quàm si minor : unde si voluntas Dei vellet, quòd esset minor sententia & non major, divina voluntas esset contraria magnæ justitiæ Dei, in quantum voluntas Dei non diligeret hoc, per quod magna justitia Dei esset meliùs demonstrata : unde cùm hoc sit impossibile, quòd divina justitia & voluntas sint contrariæ, ideo manifestatur in concordantia, quæ est in perfecta justitia & voluntate Dei, quòd venturus sit dies judicii, in quo nobis omnibus insimul manifestabitur magna justitia Dei; & quilibet in se ipso, & in altero, ac etiam omnes insimul cognoscent, divinam justitiam esse magnam.

De Potestate & Superbia.

Dixit Judæus Gentili : charissime fili, vos bene scitis, quòd Potestas & Justitia concordent contra superbiam & injuriam; & ideo constituti sunt Principes in terra, qui sint justi & potentes contra homines injuriosos & superbos : unde ad manifestandum, quòd divina potestas & justitia conveniant contra homines peccatores, qui sunt pleni superbiâ & injuriâ, ut ipsi devincantur & confundantur à potestate & justitiâ Dei, ideo vult Deus, quòd dies judicii sit venturus, & quòd omnes homines insimul cognoscant magnam potestatem & magnam justitiam Dei; quam potestatem & justitiam videant judicantem & confundentem ac subjugantem homines injuriosos & superbos : unde si dies judicii nihil esset, potestas & justitia Dei non essent adeò manifestabiles gentibus contra superbiam & injuriam : & cùm hoc, per quod potestas & justitia Dei sunt magis demonstrabiles humano intellectui, necessariò debeat sequi secundùm conditiones Arborum, idcirco manifestè demonstratur dies judicii.

De Fide & Spe.

Hoc, per quod Fides & Spes meliùs possunt contemplari Deum per divinam perfectionem, quæ est in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, sapientia & amore, necessariò convenit ordinari; quod si non esset, significaretur, quòd fides & spes plùs possent in Deo contemplari, quàm Deus posset velle & ordinare, quomodo fides & spes ipsum multùm contemplarentur & adorarent; & hoc est impossibile : quod si esset possibile, sequeretur, quòd perfectio meliùs concordaret cum virtutibus creatis, quàm cum increatis; hoc autem est impossibile : per quam impossibilitatem manifestatur dies judicii; sinè quo fides & spes non possent tam bene contemplari Deum, sicut contemplantur, cùm fides credit, & spes sperat divinam sententiam in præsentia omnium populorum.

De Fortitudine & Luxuria.

FOrtitudo poteſt eſſe major contra Luxuriam in abſentia gentium, quàm in præſentia; nam verecundia mortificat in humano corde luxuriam, videlicet quando homo eſt in præſentia gentium, coram quibus verecundatur committere luxuriam ſeu adulterium; & ideo fortitudo non poteſt eſſe adeò contraria luxuriæ in corde hominis diligentis caſtitatem coram gentibus, ſicut poterit eſſe in abſcondito: unde cùm fortitudo & luxuria ſint inter ſe magìs contrariæ in abſentia gentium, quàm in præſentia, ût dixi, idcirco convenit, quòd meritum fortitudinis gentibus reveletur, & culpa, quam homo habet per luxuriam, omnibus gentibus manifeſtetur; quòd ſi eſſet contrarium, perfectio & juſtitia eſſent in Deo ſibi invicem contrariæ; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem manifeſtatur dies judicii, in quo fortitudo & luxuria erunt omnibus manifeſtæ, ad hoc, ut homini meliùs ſatisfiat à divina juſtitia propter quamlibet virtutem; & ut etiam plùs puniatur & verecundetur in præſentia omnium populorum.

Poſtquam Judæus Gentili probavit prædictum Articulum per ſupradictos ſex flores, ait Gentilis Judæo: cùm Deus ſit inviſibilis, quomodo poterit judicare populum, qui non poterit ipſum videre corporaliter? melior ſententia & melior ordinatio eſſet, ſi totus populus poſſet videre illum, qui habet ferre ſententiam; & ideo videtur, quòd, ſi in illo die Deus non videbitur, conditiones Arborum deſtruerentur.

Verum eſt, inquit Judæus, quòd Deus ſit inviſibilis; veruntamen ſicut ſe monſtravit Moyſi in aliqua ſimilitudine viſibili, quando ipſi dedit veterem legem, ita in aliqua ſimilitudine viſibili, quam aſſumet, ſe demonſtrabit in die judicii omni populo, quando feret ſententiam, quam habet ferre in omnes.

Reſpondit Gentilis: illa ſimilitudo non erit Dei, & ideo Deus non videbitur dare ſententiam, ſed ſimilitudo, quam aſſumet: unde ſi poſſet fieri, bonum eſſet, quòd ille ipſe, qui judicabit, eſſet Deus, & quòd eſſet ab omni populo, quem judicabit, viſibilis; cùm ſit conveniens, quòd quilibet Judex videatur ab illis, quos judicat.

ARTICULUS VII.

De Paradiſo.

HIc Articulus poteſt probari per omnes flores quinque Arborum; nos tamen non colligimus niſi ſex flores ad demonſtrandum breviter, Paradiſum exiſtere.

De Bonitate & Magnitudine.

DIvina Bonitas eſt infinitæ Magnitudinis in æternitate, poteſtate, perfectione, ſapientia & amore; quod ſi non eſſet, non eſſet perfectio in divina bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate, ſapientia & amore; quod ſi ſic, divina Eſſentia nihil eſſet, cùm Deo neceſſariò conveniat ſupradicta magnitudo & bonitas: unde cùm in *primo Libro* ſit probatum, Deum exiſtere, ideo manifeſtatur, quòd bonitas Dei ſit infinitæ magnitudinis in æternitate, poteſtate, ſapientia, amore & perfectione: unde hæc demonſtratio facta humano intellectui ſignificat & demonſtrat, Paradiſum exiſtere; nam ſi Paradiſus nihil eſſet, in divino opere juſtitiæ, largitatis & bonitatis nulla eſſet perfectio, & divina voluntas concordaret cum acediâ, invidiâ, avaritiâ & injuriâ; hoc autem eſt impoſſibile & contra conditiones Arborum: per quam impoſſibilitatem & contrarietatem ſignificatur, quòd ſit Paradiſus.

De Æternitate & Amore.

JAm probatum eſt, quòd Deus exiſtat; & ideo probatum eſt, quòd divinus Amor non conveniat in Æternitate divina cum pincipio, medio & fine; quia ſi conveniret, unum eſſet in Deo æternitas, quæ non convenit cum principio, medio & fine, & alterum eſſet divinus amor differens ab æternitate per eſſentiam: cùm igitur divina æternitas & amor ſint una eſſentia, & eadem res (nam aliter non eſſet unus Deus, cùm tamen jam probaverimus, unum Deum tantùm exiſtere) ideo probatur, quòd divinus amor non habeat principium, nec medium, nec finem; & ideo ab amore divino exit influentia ad amandum rationales creaturas, ut eis det gloriam ſinè fine, ad ſignificandum, quòd divinus amor habeat in æternitate perfectionem, quæ dat creaturæ æternam gloriam; quæ gloria eſt Paradiſus, qui erit durabilis absque fine: unde ſi Paradiſus nihil eſſet, juſtitia in Deo non habuiſſet aliquam perfectionem,

nem; & ſi Paradiſus non exiſteret æternaliter ſinè fine, divinus amor non habuiſſet in æternitate perfectionem ad diligendum æternaliter rationalem creaturam, quæ diligit Deum; ex quo ſequeretur, quòd divina poteſtas non poſſet, nec divina ſapientia ſciret, nec divinus amor vellet diligere creaturam rationalem in æterna duratione: quòd ſi ſic, eſſet imperfectio amoris, poteſtatis, ſapientiæ, bonitatis & magnitudinis in æterna bonitate, magnitudine, poteſtate, ſapientia & amore; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Paradiſum exiſtere, & eſſe durabilem ſinè fine.

Certum eſt, Gentilis, quòd creatura non poſſit recipere æternitatem absque principio; nam ſi illam reciperet, poſſet eſſe creata ſinè principio & fine, etiam eſſet æqualis ſuæ primæ cauſæ in duratione, quæ recipit influentiam à ſua cauſa; quod eſt impoſſibile, ſcilicet, quòd cauſatum poſſit tantùm recipere, quantùm cauſa dare: quòd ſi reciperet, haberent æqualem quantitatem ſecundùm modum dationis & receptionis: & quia convenit, quòd cauſa, dans dignitatem poteſtatis ſuo cauſato, habeat majorem poteſtatem dandi, quàm cauſatum recipiendi, ideo creatura non poteſt eſſe absque principio, & prima cauſa habet poteſtatem dandi eſſe creaturæ ſinè principio, ſi cauſatum poſſet illud recipere: unde ſi gloria Paradiſi eſſet finita, & non eſſet æterna duratio ſinè fine, non ſignificaretur, quòd Deus, qui eſt prima cauſa, poſſet dare æternam durationem ſinè principio, ſi cauſatum, id eſt, creatura poſſet illud recipere: & quia ſecundùm conditiones Arborum convenit, ſignificari omne illud, per quod Deus ſit magis demonſtrabilis in ſua bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate, perfectione, ſapientia & amore, igitur demonſtratur duratio cœleſtis gloriæ ſinè fine.

Dixit Gentilis Judæo: manifeſtum eſt, quòd finis tantùm diſconveniat cum æternitate, quantùm principium, & principium quantùm finis; igitur ſi Deus poteſt dare æternitatem, quæ non habeat finem, & creatura poteſt illam recipere, ût tu dicis, videtur ſimiliter per tua verba, quòd creatura poſſit eſſe cauſata ſinè principio.

Reſpondit Judæus: eſt magna differentia inter influentiam, quam creatura poteſt recipere à Deo ratione æternitatis ſinè fine, & inter influentiam, quam creatura non poteſt recipere, ut poſſit eſſe ſinè principio; nam influentia, quam creatura poteſt recipere, ut ſit durabilis ſinè fine, eſt propter perfectionem primæ cauſæ, quæ ipſam creavit durabilem ſinè fine; & ratio, quare creatura non poteſt eſſe absque principio, eſt propter hoc, ut ipſi detur creata perfectio, quæ ſit durabilis ſinè fine: unde ſi creatura eſſet absque principio, non recepiſſet creationem perfectionis, per quam eſſet durabilis absque fine; quam ſi non haberet, eſſet æterna ſinè principio, & nihilominùs haberet finem: & hoc eſt valde inconveniens, & contra ſupradictas conditiones Arborum.

De Perfectione & Charitate.

SUppoſito, quòd ſit Paradiſus, Charitas creata poteſt eſſe perfectior in diligendo divinam Perfectionem, quàm ſi ſupponatur, Paradiſum non eſſe: unde illud, per quod charitas poteſt habere majorem perfectionem in diligendo perfectionem, quam Deus habet in bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate, amore & ſapientia, meliùs convenit cum eſſe, quàm illud, per quod charitas non poteſt tantum diligere perfectionem, quam Deus habet in ſupradictis virtutibus: unde ſi Deus non diligeret hoc, per quod charitas eſſet meliùs proportionata cum ſupradictis virtutibus, & diligeret contrarium hujus, ſcilicet hoc, per quod charitas non poteſt tantum diligere ſupradictas virtutes, ſequeretur, quòd charitas creata meliùs conveniret ad diligendum perfectè, quàm divina perfectio conveniret ad creandum charitatem; & hoc eſt impoſſibile: quod ſi eſſet poſſibile, hoc, per quod charitas meliùs proportionaretur, non eſſet creatum; quod eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem ſignificatur, Paradiſum eſſe; ſinè cujus eſſe charitas plùs poſſet diligere, quàm Deus poſſet perficere.

De Æternitate & Avaritia.

IN Deo (benedictus ſit ipſe) Æternitas & largitas ſimul conveniunt; nam ſi non convenirent, ſequeretur, quòd largitatem, quam Deus habet in largiendo creaturis ſuas gratias, haberet ab alio, & non à ſe ipſo, aut quòd Deus non eſſet æternitas; & quodlibet iſtorum eſt impoſſibile: unde cùm æternitas & largitas in Deo conveniant,

& cùm largitas & avaritia ſint contrariæ, manifeſtatur, quòd per divinam largitatem æternitas contradicat avaritiæ: unde cùm ſecundùm conditiones Arborum debeat affirmari hoc, per quod æternitas & avaritia ſibi invicem ſunt magis contrariæ, ideo neceſſarium eſt affirmare, Paradiſum exiſtere; nam ſi exiſtit, æternitas magis contradicit avaritiæ, quàm ſi Paradiſus non exiſteret; & ſi eſſet hoc, per quod æternitas & avaritia minùs ſunt contrariæ, eſſet in Deo hoc, per quod æternitas & largitas minùs convenirent; quod ſi eſſet, hoc, quod eſt majus & nobilius, conveniret cum non eſſe, & hoc, quod eſt minus & ignobilius, concordaret cum eſſe; hoc autem (ût apparet) eſt impoſſibile, & contra conditiones Arborum: per quam impoſſibilitatem & contrarietatem demonſtratur Paradiſus.

Naturale eſt bono magiſtro, quòd ſuum opus faciat durabile, & propter avaritiam multi magiſtri facerent ſuum opus minùs durabile, ſi non haberent largitatem in dando operi hoc, quod ipſi convenit ad durandum: unde propter hoc durabilitas & ſapientia & largitas conveniunt cum opere, quod ſit factum à magiſtro, in quo inveniatur perfectio largitatis & ſapientiæ: igitur, cùm in Deo ſapientia, æternitas, largitas & perfectio conveniant, Paradiſus eſt durabilis; nam ſi Paradiſus nihil eſſet, opus divinum non eſſet adeò durabile; in quo opere eſt defectus durationis, vel per defectum poteſtatis, aut æternitatis, aut voluntatis, qui defectus concordat cum avaritia; & quodlibet iſtorum eſt contrarium divinæ perfectioni: per quam perfectionem manifeſtatur, divinum opus eſſe durabile; quâ duratione manifeſtè demonſtratur Paradiſus.

De Fide & Spe.

SI Paradiſus eſt, Fides & Spes multò meliùs concordant, quàm ſi Paradiſus nihil eſt; & ſi Paradiſus nihil eſt, fides & ſpes meliùs concordant per hoc, quod nihil eſt, quàm per hoc, quod aliquid eſt; & hoc eſt impoſſibile, ſcilicet, quòd hoc, quod nihil eſt, poſſit eſſe ita magna cauſa concordantiæ, ſicut hoc, quod aliquid eſt: quod ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd cauſa & concordantia & majoritas concordarent cum non eſſe, & eorum contraria convenirent cum eſſe; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem Paradiſus eſt demonſtrabilis in magna concordantia, quæ eſt inter fidem & ſpem, fide credente, Paradiſum exiſtere, & ſpe ſperante cœleſtem gloriam.

De Prudentia & Acedia.

PRudentia & Acedia ſunt contrariæ; quam contrarietatem potiùs habent in rebus magnis, quàm in parvis; nam in quantò majoribus rebus eſt prudentia, tantò eſt major virtus; & quantò major eſt virtus, tantò magis contradicit vitiis: & hoc idem ſequitur de acedia; quoniam acedioſus homo magis eſt contra majus bonum, quàm contra minus: unde ſi Paradiſus exiſtit, ex hòc prudentia poteſt eſſe magis contraria acediæ, & acedia prudentiæ, quàm ſi Paradiſus non exiſteret; & cùm hoc, per quod prudentia & acedia ſunt magis oppoſitæ, conveniat eſſe ſecundùm conditiones Arborum, idcirco in majori contrarietate, quæ eſt inter prudentiam & acediam, ſignificatur Paradiſus.

Dixit Gentilis Judæo: ſatis reputo mihi ſatisfactum per probationem, quam ex tuis verbis de cœleſti gloria apprehendi: precor tamen te, quòd mihi dicas, utrùm in illa cœleſti gloria, quam tù dicis, homo habebit mulierem, aut utrùm generabit filios, vel utrùm comedet, aut bibet, aut dormiet; & ſic de cæteris rebus convenientibus huic vitæ?

Reſpondit Judæus: Paradiſus non eſt locus iſtarum rerum, quas tu dicis; quia in omnibus his rebus eſt defectus, & omnes ſunt in hoc mundo homini datæ, ut poſſit vivere in hac vita, & ut mundus in humana ſpecie non pereat: unde ſcias ſecundùm veritatem, quòd Paradiſus ſit locus perfectiſſimus, in quo eſt complementum omnium bonorum, per quorum viſionem homo habet adeò magnum complementum, quòd nulla iſtarum rerum temporalium homini ſit neceſſaria.

Ait Gentilis: ſi in Paradiſo homo non comedit, nec bibit, ſequitur, quòd in inferno non ſit fames, neque ſitis; quod ſi non eſt, in quo punientur homines infernales, qui erunt per guloſitatem & ebrietatem culpabiles contra Deum?

Reſpondit Judæus: convenit, quòd in inferno ſit fames & ſitis in hominibus habentibus culpam, ad demonſtrandam juſtitiam Dei: unde ſi in Paradiſo eſſent victualia ad ſatisfaciendum glorificato corpori, non ſignificaretur, quòd præſentialis viſio, quam

quam homo habebit in Deo, ſufficeret ad dandum gloriam humano corpori; quòd ſi non daret, eſſet defectus perfectionis in divina bonitate, magnitudine &c.; & hoc eſt impoſſibile, & contradicit conditionibus Arborum.

Inquit Gentilis: quæro à te, utrùm in Paradiſo homo habebit memoriam hujus ſæculi? aut utrùm quidam hominum habebunt notitiam aliorum?

Reſpondit Judæus: ſi homo in Paradiſo non haberet memoriam hujus ſæculi, non recoleret merita, quæ nunc habet, quando operatur bonum; quòd ſi non recoleret, non cognoſceret juſtitiam Dei: & ſi homines ſe invicem non cognoſcerent, alii non haberent gloriam in gloria aliorum; quòd ſi non, divina voluntas concordaret cum imperfectione, acedià & invidià; quod eſt impoſſibile.

ARTICULUS VIII.

De Inferno.

DIxit Judæus Gentili: ad probandum, quòd ſit Infernus, ſufficit nobis accipere de qualibet Arbore unum florem.

De Magnitudine & Poteſtate.

OMne, quod Deus creavit, creavit ad demonſtrandum ſuam maximam poteſtatem; quæ poteſtas multò meliùs ſignificabitur ſuo populo, ſi infernus ſit, quàm ſi infernus nihil eſſet; nam in eo, quòd Deus ſuâ poteſtate poterit æternaliter conſervare in igne infernali corpus hominis peccatoris abſque hoc, quòd ignis poterit illud conſumere (& hoc hominibus infernalibus habentibus maximam famem & ſitim, calorem & frigus, & ſinè fine durantibus per divinam poteſtatem, quæ in ipſis manifeſtabitur, & per ejus juſtitiam, quæ æternaliter demonſtrabitur) ratio, quare Deus creavit hominem, fortiùs convenit cum eſſe, quàm ſi non exiſteret infernus neque pœna; & quia hoc, per quod finis meliùs convenit cum cauſa, quare Deus creavit hominem, convenit cum eſſe, & ejus contrarium cum non eſſe, igitur demonſtratur, quòd ſit infernus.

De Æternitate & Juſtitia.

HOmo peccator, quando committit peccatum, peccat contra æternam Juſtitiam, quæ eſt in Deo; peccat etiam contra æternam bonitatem, magnitudinem, poteſtatem, perfectionem, ſapientiam & amorem: & ideo convenit cum peccatore culpa infinitæ durationis; quod ſi ſic non eſſet, in Deo eſſet defectus perfectionis in infinita magnitudine, quæ æternaliter non uteretur juſtitiâ; & quia hoc eſt impoſſibile, quòd in Deo deficiat æternus uſus juſtitiæ, igitur convenit, quòd homo, qui peccat mortaliter, ſit dignus æternaliter ſuſtinere pœnam; quæ pœna non eſſet, ſi infernus non eſſet durabilis in æternum.

Dixit Gentilis Judæo: cùm peccatum, quod homo peccator committit, ſit terminatum & finitum in duratione temporis, quomodo poteſt eſſe, quòd ipſe propter illud peccatum ſuſtineat pœnam æternaliter & ſinè fine.

Reſpondit Judæus: ût ſupradictum & ſignificatum eſt, ita convenit fieri ſecundum magnam juſtitiam Dei; quoniam ſi pœnæ infernales haberent finem, ſequeretur, quòd homines, qui de inferno exirent, haberent gloriam; quam gloriam haberent abſque libero arbitrio, & abſque electione diligendi Deum & ejus juſtitiam; cùm ita ſit, quòd illi ſint mortui in peccato, & poſt mortem nullam habeant libertatem eligendi bonum, & vitandi malum: unde propter rationem, quam tu dicis, ſunt multi Judæi, qui credunt, quòd infernalis pœna habeat finem; ego tamen non ſum de illorum opinione, imò credo, infernalem pœnam eſſe ſinè fine; nam ſi non eſſet, deſtruerentur conditiones Arborum, & homines, qui ſunt in gloria, non recepiſſent à Deo tantam gratiam, ſi infernus non eſſet durabilis, quantam recipiunt, ſi infernus eſt durabilis in æternum: & cùm hoc, per quod homines ſalvati habeant majorem gloriam, & à Deo recipiant majorem gratiam, & ad ipſum habeant majorem charitatem, conveniat cum eſſe ſecundùm conditiones Arborum, idcirco demonſtratur, quòd infernus æternaliter ſit durabilis.

De Amore & Ira.

DIvinus Amor æternaliter & ſinè fine diligit illos, qui ſunt in gloria; & ſcis, quare? quia divinus amor & bonitas conveniunt ad diligendum æternaliter & ſinè fine Sanctos, qui ſunt in gloria; quod ſi non facerent, ſequeretur, quòd illa gloria, quam Sancti habent in Paradiſo, haberet finem; nos tamen probavimus, illam gloriam

riam esse durabilem sinè fine: unde sicut amor convenit cum divina bonitate ad diligendum durabiliter Sanctos gloriæ, ita convenit cum divina justitia ad odiendum æternaliter peccatores in inferno, quos secundùm justitiam non odiret æternaliter, si ipsi æternaliter non punirentur per justitiam.

De Prudentia & Fortitudine.

PRudentia & Fortitudo sunt virtutes, quæ opponuntur suis contrariis, quæ sunt imprudentia & fragilitas cordis: unde si infernus est, prudentia & fortitudo meliùs conveniunt contra sua contraria; & quantò meliùs conveniunt contra sua contraria, tantò fortiùs imprudentia & fragilitas cordis discordant cum esse.

Posito, quòd infernus nihil esset, magna justitia Dei esset magìs contraria imprudentiæ & fragilitati cordis, si infernus esset, quàm si infernus nihil esset; & quantò magìs magna justitia Dei humano intellectui significatur, tantò meliùs prudentia & fortitudo concordant cum esse; & cùm sequatur hoc, quod supradictum est, in magna convenientia, si infernus est, & si infernus non est, sequatur supradictum inconveniens, esse autem & conveniens concordent, & non esse & inconveniens, igitur demonstratur, quòd sit infernus.

De Charitate & Acedia.

CHaritas & Acedia sunt contrariæ; nam per charitatem homo diligit bonum, & odit malum, & per acediam homo diligit malum, & odit bonum: unde si infernus est, homo considerans & credens infernales pœnas est magìs dispositus ad diligendum bonum & odiendum malum, quàm esset, si consideraret & crederet, quòd mala infernalia nihil essent, aut quòd pœnæ infernales haberent finem: & quantò majorem occasionem diligendi & operandi bonum, & vitandi malum homini dant infernales pœnæ, tantò magìs homo contradicit acediæ; & cùm secundùm conditiones Arborum hoc conveniat cum esse, per quod virtutes & vitia sibi invicem fortiùs contradicunt, & hoc conveniat cum non esse, per quod minùs contrariantur (& hoc secundùm considerationem infinitæ durationis) ideo humano intellectui, qui considerationem hujus intuetur, demonstratur, quòd sit infernus.

Postquam Judæus probavit supradictos Articulos, Gentilis dolorosè suspirans ait: ha miser! in quanto periculo longo tempore stetisti, & quàm graves tribulationes & tormenta habuisses perpetuò, si fuisses mortuus in errore & tenebris, in quibus eras, & quæ tuum intellectum graviter obscurabant.

Dum Gentilis hæc verba protulit, dixit illi Judæus: utrùm reputaret se contentum de Articulis suæ Legis, quos ei probaverat?

Ipse verò respondit, quòd sibi esset satisfactum, salvò tamen, quòd speraret audire ab aliis Sapientibus: veruntamen precor te, ait, ut mihi dicas, ubi sit infernus, vel quæ sit pœna, quam sustinent illi, qui sunt positi in inferno?

Respondit Judæus: in eo, quod à me quæris, judaicus populus in diversas opiniones est divisus; nam quidam credunt, quòd infernus sit in hoc mundo, in quo vivimus; alii verò dicunt, quòd sit in medio loco ipsius terræ, videlicet in ejus centro; alii verò dicunt, quòd sit infra aërem; quidam autem dicunt, quòd infernus nihil aliud sit, quàm non videre Deum, & considerare, quòd amiserint visionem & gloriam Dei; alii verò dicunt, quòd infernus sit, quòd corpus æternaliter sit in igne & glacie & nive & in sulphure & aquâ bullienti, & inter dæmones & colubros & serpentes, quæ omnia positos in inferno incessanter tormentabunt; pœna verò animæ erit major, in quantùm odiet esse, & sciet tamen se fore in æternum, & quòd nullo tempore ejus tormenta cessabunt; & sciet, quòd amiserit gloriam sempiternam.

Postquam Judæus dixit hæc verba & multa alia, quorum narratio esset longa, dixit Judæus: jam probavimus & demonstravimus, quomodo populus Judæorum habeat veram legem, & sit in via veritatis, secundùm quòd concordavimus nostros Articulos cum floribus Arborum, & cum supradictis conditionibus earum: unde si nostra lex non esset in via salutis, non potuissemus concordare flores & conditiones Arborum cum Articulis, quos credimus; quam concordantiam demonstravimus & ostendimus; propter quod sit nomen Domini benedictum: & quia lex Christianorum & Saracenorum est contraria nostræ legi, igitur manifestatur, ipsos esse in errore; nam omne, quod est contrarium veritati, necessariò convenit esse erroneum: unde propter

propter hoc tu Gentilis habebis majorem culpam, quàm habuisses antea, si dimittis viam salutis, & accipis viam, per quam peccatores descendunt ad ignem durabilem inferni, & amittunt gloriam perpetuam Paradisi, quæ nullo tempore finietur.

INCIPIT

LIBER TERTIUS

De Fide Christianorum.

DIxit Gentilis: quis vestrûm duorum priùs incipiet? respondens verò Judæus ait: servato ordine Christianus primò debet incipere, eò quòd sua lex fuit ante legem Saracenorum: ideo Gentilis rogabat Christianum, ut ipse inciperet probare suam legem, & Articulos, quos crederet. Christianus nihilominùs respondit, & interrogavit Saracenum, an ipsi placeret, quòd, sicut Gentilis vellet, ipse primò inciperet? Saracenus verò ait, quòd sibi valde placeret.

Christianus ergò flectebat genua in terram, & eam osculabatur, & elevabat suam mentem & animam ad Deum, oculis ac manibus ad Cœlum erectis coram facie Gentilis, & signum Crucis faciens dixit ista verba: In nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti unius Dei in Trinitate, & Trinitatis in Unitate: dum autem Christianus fecit reverentiam divinæ Unitati & Trinitati, iteratò fecit signum sanctissimæ Crucis ad honorem Humanitatis nostri Domini Jesu Christi, dicens hæc verba: Adoramus te Christe & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemisti mundum.

Cùm Christianus complevit suam orationem, ipse dixit: quòd *Articuli* suæ legis in numero essent *quatuordecim*, quorum *septem* pertineant ad divinam Naturam, & *septem* ad humanam Naturam Jesu Christi: illi, qui pertinent ad divinam Naturam, sunt isti: scilicet

Primus, Unus Deus.
Secundus, Pater.
Tertius, Filius.
Quartus, Sanctus Spiritus.
Quintus, Creator.
Sextus, Recreator.
Septimus, Glorificator.

Septem verò Articuli, qui ad Humanitatem Jesu Christi pertinent, sunt isti:

Octavus, Christus conceptus de Sancto Spiritu.
Nonus, Natus ex Maria Virgine.
Decimus, Crucifixus & mortuus.
Undecimus, Descendens ad inferos.
Duodecimus, Resuscitatus.
Decimus tertius, Ascendens in cœlos.
Decimus quartus, Venturus judicare bonos & malos in die judicii.

Antequam Christianus inciperet probare suos Articulos, dixit Gentili hæc verba: scias, Gentilis, quòd Articuli nostræ Fidei sint adeò alti & difficiles ad credendum & intelligendum, quòd tu non poteris ipsos intelligere, nisi totis viribus tui intellectûs & tuæ animæ coneris ad intelligendum rationes, quibus ego tibi intendo probare supradictos Articulos: *frequenter namque accidit, quòd homo sufficienter probet aliquid; quia tamen ille, cui fit probatio, non potest illud intelligere, videtur ei, quòd de hoc, quod est probabile, nulla probatio detur.*

ARTICULUS I.

De Unitate Dei.

DEUS est unus, & in unum tantùm credimus; illum autem Deum dicimus esse simplicem & perfectum; ipse enim est complementum & perfectio omnium bonorum, & in ipso sunt omnes flores primæ Arboris: unde omnem nobilitatem, quam Judæi & Saraceni possunt attribuere & dare Unitati Dei, omnem illammet nos Christiani ei attribuimus, & adhuc multò majorem, quàm Judæi & Saraceni illi possent attribuere & assignare, propter hoc, quòd ipsi non credant sanctissimam Trinitatem Dei, nec gloriosam Incarnationem Filii Dei: unde ad probandum, quòd sit unus Deus tantùm, satis benè hoc probavit Judæus: si tu tamen vis, quòd ego probem illud multis aliis rationibus, paratus sum hoc probare.

Respondit Gentilis, satìs sum contentus probatione, quam mihi fecit Judæus de Unitate divina; quare te non oportet probare primum Articulum, cùm jam sit probatus; sed incipe probare cæteros Articulos, quos credis.

ARTICULUS II. III. & IV.
De Trinitate.

AD probandum, in Divinis existere Trinitatem, primò colligimus istum florem, scilicet bonitatem & magnitudinem, à prima Arbore, per quem probabimus, quòd de necessitate conveniat secundùm conditiones quinque Arborum, in Deo existere Trinitatem Personarum: unde probando Trinitatem, probabimus *tres Articulos*, videlicet Patrem, & Filium, & Sanctum Spiritum, & probabimus, quomodo isti tres Articuli sint in una Essentia unus Deus.

De Bonitate & Magnitudine.

BOnitas & Magnitudo Dei vel sunt finitæ, vel infinitæ in æternitate, potestate, sapientia & amore? si sunt finitæ, sunt contrariæ perfectioni; si verò sunt infinitæ, concordant cum perfectione; & cùm secundùm conditiones Arborum sit impossibile, bonitatem & magnitudinem Dei contrariari perfectioni in æternitate, potestate, sapientia & amore, igitur demonstratur, quòd divina bonitas & magnitudo sint infinitæ in æternitate, & potestate, & amore, & perfectione, & sapientia infinitis: certum enim est, quòd, quantò majus & nobilius est bonum, tantò magìs concordet cum perfectione æternitatis, potestatis, sapientiæ & amoris; & quantò minùs est bonum, tantò propinquius sit imperfectioni, cui perfectio contradicit. Hoc probato arguo sic: si in Deo est unum bonum generans, quod sit infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, perfectionis, & quod generet unum bonum infinitum in bonitate, magnitudine, potestate, sapientia, amore, perfectione, & quòd à bono generante, & à bono generato procedat unum bonum infinitum in bonitate, magnitudine, potestate, sapientia, amore, perfectione, major est in Deo ille flos, scilicet Bonitatis, Magnitudinis, quàm esset, si in Deo non essent supradicta; cùm quodlibet trium prædictorum bonorum sit ita bonum & ita magnum per omnes flores Arboris, sicut esset Unitas absque hoc, quòd in ea esset Trinitas Personarum; sed cùm secundùm conditiones Arborum Deo debeat attribui & affirmari de eo major bonitas, igitur Trinitas est demonstrabilis per prædicta.

Ait Gentilis Christiano: per ea, quæ tu dicis, sequitur, quòd in divina bonitate bonitas esset major, si in ea essent quatuor vel quinque aut infinita illorum bonorum, quæ tu dicis, quàm est, cùm in illa sint tria tantùm; nam bonitas & magnitudo meliùs conveniunt cum numero quaternario, quàm ternario, & meliùs cum quinario, quàm quaternario, & etiam meliùs cum infinito, quàm cum finito: cùm igitur hoc ita sit, ergò secundùm hoc, quod tu dicis, in Deo debent existere bona generantia & generata & procedentia in numero infinita.

Respondit Christianus: si conveniret, quòd in Deo essent plures, quàm unus generans, & unus generatus, & unus procedens, generans non esset infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, sapientia, amore & perfectione, cùm non sufficeret per se, in quantum generans, ad generandum unum bonum, quod sufficeret ad essendum unum generatum infinitum in bonitate & magnitudine, potestate, amore, perfectione, sapientia; nec unum generans, nec unum generatum sufficerent ad dandum infinitam bonitatem, magnitudinem &c. uni procedenti ab utroque; nec omnia generantia, nec generata, nec etiam procedentia, quæ essent in numero infinita, sufficerent ad habendam perfectionem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis &c. (nam infinitus numerus non potest habere perfectionem; cùm infinita multiplicatio numeri & perfectio discordent) sed cùm hoc ita sit, igitur secundùm perfectionem florum esset in Deo ponere imperfectionem, & flores essent sibi invicem contrarii, si in Deo essent generantia & generata & procedentia infinita.

Dixit Gentilis: numerus quaternarius vel quinarius aut millenarius potest in se continere majus bonum, quàm numerus ternarius: si igitur sunt quatuor vel quinque aut mille bona in Deo, major erit divina bonitas, quàm est, si solùm sit in numero ternario constituta.

Respondit Christianus Gentili: hæc contraria

traria argumentatio potest solvi supradictâ solutione; quoniam non convenit, quòd in Deo sit nisi unus generans, & unus generatus, & unus procedens, ut in quolibet istorum trium sit completa & perfecta proprietas in bonitate, magnitudine & cæteris antedictis proprietatibus; quòd si essent plures quàm tres, nullus illorum trium haberet perfectam proprietatem, nec perfectam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c; nam sicut non convenit, quòd sint plures Dii, sed unus Deus sufficit, & comprehendit omnem bonitatem, magnitudinem &c., quam omnes possent habere, & plus adhuc potest habere, quàm omnes possent comprehendere vel habere, ita unus generans sufficit ad habendum totam bonitatem & magnitudinem &c., quam duo generantes possent habere, & plùs, quàm omnes; nam si essent plures generantes, non haberent infinitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis &c.; unus autem generans potest illam habere: & hoc idem sequitur de duobus vel pluribus generatis, & de procedentibus similiter est dicendum.

Dixit Gentilis Christiano: hoc idem sequitur de divina Unitate; nam si Unitas Dei per se ipsam non sufficit ad essendum infinita in bonitate, magnitudine &c. absque distinctione trium divinarum Personarum, in ipsa est defectus bonitatis, magnitudinis &c.

Respondit Christianus: non est verum; quoniam si in Deo non esset distinctio proprietatum personalium, non esset in eo operatio, per quam bonus generaret infinitum bonum in magnitudine, æternitate &c.; & si in divina Essentia unus bonus infinitus in magnitudine, æternitate &c. non procederet ab infinito generante, & ab infinito generato, non essent in ipso in perfectione flores Arborum, & in divina Unitate esset defectus supradictæ operationis, quæ operatio est in bonitate, magnitudine &c. infinita; quæ operatio & tres Personæ distinctæ, quâlibet habente suam distinctam proprietatem personalem infinitam in bonitate, magnitudine &c., sunt divina Unitas, quæ est una Essentia in tribus proprietatibus personalibus constituta: & cùm esse & operatio tam glorioſa, sicut est prædicta operatio, conveniant, & privatio prædictæ operationis & non esse similiter conveniant, cùm etiam esse, in quo sit bona operatio, conveniat cum majori nobilitate, quàm esse, in quo non sit operatio, & cùm divinæ Essentiæ debeat attribui major nobilitas, igitur significatur, quòd de necessitate sequatur, quòd in Deo sit operatio Trinitatis: quod si non esset, inter flores primæ Arboris evidenter esset contrarietas; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur divina Trinitas.

De Potestate & Sapientia. Potestate & Amore. Sapientia & Amore.

AD probandam Trinitatem convenit, me à prima Arbore simul colligere prædictos tres flores: certum enim est, Gentilis, quòd Soli propriè conveniat illuminare, & igni calefacere; & scis quare? ideo, quia sol essentialiter habet splendorem in se ipso, & ignis calorem similiter in se ipso: unde si soli non esset proprium illuminare, nec igni calefacere, sol & ignis disconvenirent cum hoc, quod habent essentialiter in se ipsis; hoc autem est impossibile: nam si esset possibile, quilibet eorum concordaret cum corruptione & privatione propter inconvenientiam sui usûs, quem haberet quilibet in se ipso; & hoc est impossibile & contra regulas Philosophiæ, in qua tu nomen Magistri assumpsisti.

Deus (benedictus sit ipse) semper est suamet Potestas, & ipse est suamet Sapientia, & suusmet Amor; nam si soli & igni, qui sunt creaturæ, convenit usus, secundùm quòd suprà diximus, quantò magìs convenit usus supradictis floribus, ut Deus possit uti potestate, sapientiâ, amore in omnibus creaturis; quod si non conveniret, sequeretur, quòd sol & ignis meliùs convenirent cum perfectione potestatis, quàm divina potestas, sapientia & amor; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd si supradictæ cameræ, scilicet flores, conveniant creaturis ad utendum, quantò magìs essentialiter concordant ad fruendum se ipsis; quod si sic non esset, sequeretur, quòd Deus meliùs conveniret cum operatione extrinseca, quàm intrinsecâ; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd divinæ potestati conveniat possificare, & sapientiæ sapientificare, & amori amare; & hoc in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, amore, perfectione, sapientia infinitis: quæ convenientia in illis non possent existere

istere absque distinctione proprietatum personalium adinvicem distinctarum, & insimul existentium in una divina Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, sapientia &c., ita quòd illa Essentia sint tres proprietates personales distinctæ per Generationem personalem essentialem generantem, & per Generationem personalem essentialem generatam, & per Processionem personalem essentialem procedentem, quâlibet habente insimul omnes flores primæ Arboris; & omnes etiam insimul sunt unus flos, in quo sunt omnes flores prædictarum Arborum: igitur cùm hoc ita sit, ideo per supradictam convenientiâ necessariam demonstratur sancta Trinitas in Divinis, quam nos quærimus.

De Æternitate & Perfectione.

POtestas infinita, quæ generat potestatem infinitam, & sapientiam infinitam, & amorem infinitum, & infinita sapientia, quæ generat infinitam potestatem & infinitum amorem, & infinitus amor, qui generat infinitam potestatem & infinitam sapientiam, & infinita potestas, infinita sapientia, & infinitus amor procedentes à prædicto infinito generante, & à prædicto infinito generato, hi tres prædicti fortiùs conveniunt cum antedicto flore, quàm conveniret una potestas, una sapientia, & unus amor essentiales, in quibus non existerent tria supradicta; & quia hoc, quod meliùs convenit divinæ æternitati & perfectioni, debet Deo attribui, & de eo affirmari, convenit, quòd Deo conveniat omne illud, per quod æternitas & perfectio in eo meliùs concordant; quod si non esset, videretur, quòd humanus intellectus posset plùs intelligere, & humana consideratio considerare majorem nobilitatem æternitatis & perfectionis, quàm sit æternitas & perfectio Dei; hoc autem est impossibile: quod si esset possibile, divina æternitas & perfectio essent terminatæ & finitæ; & si essent terminatæ & finitæ, flores Arborum essent contrarii prædicto flori; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur & demonstratur Trinitas humano intellectui, qui intelligit, & humanæ considerationi, quæ considerat prædictam manifestam significationem & demonstrationem.

De Potestate & Amore.

SI homo potest facere, & vult facere sibi simile, major potestas & major amor est in faciendo suum simile, quàm in faciendo aliud, quod illi non sit simile in specie, nec sit adeò nobile, sicut homo: unde si in Deo est Deus, qui possit & velit generare Deum sibi similem, ut sit Deus æternus & infinitus & perfectus, Deus habet majorem potestatem & voluntatem, quàm si non haberet hujusmodi potestatem & voluntatem; & cùm Deo debeant attribui major potestas & voluntas, & cùm omne, quod est, secundùm cursum naturæ appetat generare sibi simile in specie, igitur manifestè demonstratur, quòd in Deo sit Trinitas.

Dixit Gentilis: quomodo potest Deus generare æternum sibi similem, cùm cuilibet operationi conveniat principium?

Respondit Christianus: quia creatura non potest existere absque principio (aliter enim non esset creatura) igitur Deus non potest facere operationem in creaturis sinè principio; quia tamen Deus est major, quàm creaturæ, idcirco habet in se aliquid, quod potest producere, & quod potest recipere generationem sinè principio in æternum; quia si hoc non haberet, non esset in potestate & perfectione superior creaturis.

De Sapientia & Perfectione.

DIxit Christianus Gentili: causa finalis, hoc est, prima ratio, vel prima intentio, quâ Deus creavit hominem, est, ut homo cognoscat & diligat Deum; secunda verò ratio, vel secunda intentio, quâ Deus creavit hominem, est, ut homo fiat particeps divinæ gloriæ æternaliter sinè fine: quòd si hujus contrarium esset, prædictus flos contradiceret aliis floribus primæ Arboris; quod est impossibile: per quam impossibilitatem manifestatur, hominem principaliter creatum esse ad cognoscendum & diligendum Deum; secundariò autem est creatus, ut in virtutibus Dei possit gloriari: unde cùm hoc ita sit, sancta Trinitas Dei est manifestè demonstrabilis; nam si Deus est unus, & est in Trinitate Personarum, multò meliùs significatur per universum mundum, & per partes mundi percipitur, ut cognoscatur & diligatur, quàm esset, si ipse esset unus absque hoc, quòd in ipso sit Trinitas Personarum; quoniam mundus est unus, & est in tribus tantùm sinè pluribus & paucioribus, videlicet unus mundus divisus in tria, videlicet in Animale, Sensuale & Intellectuale: Animalia sunt omnia, quæ sunr viventia composita ex corpore & anima

anima sensitiva: Sensualia autem dicuntur omnia corpora, quæ non habent vitam: Intellectualis verò natura est, sicut Angeli & Animæ & omnia incorporea; & hæ tres naturæ sunt mundus, & mundus est istæ tres naturæ; & quælibet istarum trium naturarum habet sua individua in una natura, & in tribus: igitur cùm hoc ita sit, divina Trinitas & Unitas significantur per Unitatem & Trinitatem, quæ sunt in omnibus creaturis: igitur si Deus esset in Unitate, & non in Trinitate, Unitas, quæ est in creaturis, demonstraret humano intellectui Unitatem Dei, & Trinitas, quæ est in creaturis, falsò significaret Trinitatem Dei; & si creaturæ non essent creatæ in trinitate, sed in unitate tantùm, meliùs significâssent Deum, si Deus non esset nisi in Unitate, quàm significent, cùm sunt compositæ & productæ in trinitate: & si Deus non creâsset creaturas in statu, in quo meliùs esset cognitus & dilectus, esset defectus in divina perfectione & sapientia; sed cùm sit impossibile, in Deo esse defectum, *ideo demonstratur, quòd conveniat esse verum hoc, per quod Deus homini meliùs demonstratur per creaturas:* per quam veritatem Trinitas nobis evidenter est demonstrabilis.

De Bonitate & Charitate. Potestate & Charitate.

SI tu posses facere unum bonum, quod esset infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore, & si haberes bonam voluntatem & perfectam charitatem, tu faceres supradictum bonum: unde cùm Deus habeat perfectam bonitatem & perfectam charitatem ac perfectam potestatem, convenit, quòd Deus faciat hoc, quod tu faceres, si haberes prædictam potestatem; quod si non faceret, tu posses habere meliorem voluntatem, quàm Deus, si haberes potestatem Dei; & si tu, qui es creatura, posses habere meliorem voluntatem, quàm Deus, in Deo perfectio non concordaret cum sua charitate; & cùm hoc sit impossibile, igitur significatur, quòd in Deo Deus Pater faciat hoc, quod tu faceres, si haberes potestatem in perfectione, in qua convenit, quòd Deus habeat suam potestatem, suam bonitatem, suam sapientiam, & suam voluntatem: unde cùm hoc ita sit, demonstratur nobis Trinitas, secundùm quòd prædictus flos significat in supradictis verbis.

Quantò similior est charitas majori charitati, tantò major est in bonitate & virtute, quàm illa charitas, quæ non est adeò similis majori charitati, nec cum ea adeò concordans: unde si Deus est in Unitate & Trinitate, homo, qui est in unitate & trinitate, est Deo magis similis, quàm esset, si Deus non esset in Unitate & Trinitate: & quò meliùs homo assimilatur Deo, eò meliùs est dispositus, quòd sit bonus, & habeat majorem charitatem erga Deum, & se ipsum, & suum proximum: *unde cùm secundùm conditiones secundæ Arboris conveniat affirmare hoc, per quod bonitas & charitas creatæ meliùs concordant cum bonitate & charitate increatis*, igitur secundùm illa principia, id est, conditiones secundæ Arboris nobis divina Trinitas manifestè demonstratur.

De Bonitate & Charitate. Magnitudine & Charitate.

SI operatio, quam anima operatur, quando Deum intelligit & diligit, est major & melior charitas, quàm quando intelligit & diligit se ipsam, seu quamlibet aliam creaturam, necessariò convenit, quòd Deus operetur majorem charitatem, quando se ipsum intelligit & diligit, quàm quando intelligit & diligit creaturas; quod si sic non esset, sequeretur, quòd operatio, quam Deus facit, in se ipso intelligendo & diligendo creaturas, esset æqualis operationi, quam Deus operatur, quando intelligit & diligit semet ipsum; hoc autem est manifestè impossibile (nam si esset possibile, sua bonitas esset tam magna extra semet ipsum, quàm intra semet ipsum; quod est impossibile & contra conditiones Arborum) per quam impossibilitatem & contrarietatem significatur, in Deo necessariò existere aliquam operationem, per quam in ipso demonstratur pluralitas; nam sinè pluralitate est impossibile, quòd in eo possit esse operatio: & si Deus non habet operationem in se ipso, sua magna bonitas esset major, si operaretur in se ipsa bonitatem & magnitudinem sibi similem, quàm si non operatur in se ipsa: & cùm bonitas, magnitudo & charitas meliùs conveniant cum esse, in quo est operatio, quàm cum esse, in quo non potest esse operatio, idcirco convenit, quòd in Deo bonitas, magnitudo & charitas conveniant cum operatione; aliter enim esse creatum, quod convenit cum operatione in se ipso, concordaret cum ma-

jori nobilitate, quàm esse increatum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem per flores & supradictas rationes demonstratur in Deo operatio; per quam operationem demonstratur nobis pluralitas; per quam pluralitatem in divina Unitate significatur sanctissima Trinitas.

De Bonitate & Charitate. Potestate & Charitate.

CHaritas creata potest in se ipsa diligere Bonitatem creatam; & ideo propter differentiam, quæ est in creaturis inter bonitatem, potestatem & charitatem, charitas potest esse amans, & potest habere amatum; & cùm hujusmodi potestas possit esse major & melior in amante & amato, quàm in amante sinè amato, vel in amato sinè amante, igitur convenit, quòd in Deo bonitas & charitas conveniant cum potestate, per quam possit esse in Deo amans, qui sit differens ab amato, secundùm unam proprietatem personalem, & amatus sit differens ab amante secundùm alteram proprietatem personalem, & amans habeat amatum; ex his etiam duobus scilicet amante & amato procedat altera personalis proprietas, quæ sit amans & amata; & omnes istæ tres Personæ amantes & amatæ sint una Essentia suam infinitam bonitatem & suam infinitam potestatem in se ipsa amans & amata; quod si sic non esset, sequeretur, quòd bonitas & potestas meliùs convenirent cùm charitate creata, quàm cum increata; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas nobis manifestatur.

In hoc mundo major potestas, bonitas & charitas essent in homine, si necessariò & liberè diligeret Deum, quàm est, cùm habet liberum arbitrium ad diligendum Deum; & cùm charitas Dei conveniat cum majori bonitate & potestate, quàm charitas creata, igitur convenit, quòd Deus habeat illam nobilitatem, per quam charitas creata, si illam potuisset habere, esset nobilior & major; quod si sic non esset, sequeretur, quòd charitas increata non posset habere illam bonitatem, quam non potest habere charitas creata; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd divina charitas necessariò habeat potestatem & libertatem ad essendum amans & amata, ad hoc, ut sua bonitas conveniat cum perfecta potestate: unde cùm hoc ita sit, sancta Trinitas est demonstrabilis per perfectam necessitatem & libertatem, quæ sunt humano intellectui exemplar & forma, ut in iis cognoscat sanctam Trinitatem in Divinis, quam nos quærimus.

De Potestate & Prudentia.

MAjor impossibilitas, quæ possit esse, est, Deum non esse; & ideo major possibilitas, quæ possit esse, est, Deum esse: unde major impossibilitas, quæ sit contra generationem, est corruptio; & major possibilitas, quæ sit contra corruptionem, est generatio, in qua sit major possibilitas contra corruptionem; quod si sic non esset, sequeretur, quòd generatio & corruptio inter se non essent contrariæ: unde cùm corruptio & impossibilitas sint contrariæ cuilibet generationi creatæ, convenit, quòd in Deo sit generatio, cui corruptio & impossibilitas non sint contrariæ secundùm operationem: quod si non esset, prudentia non posset habere notitiam, quo modo major possibilitas & potestas Dei conveniant cum esse, & major impossibilitas, quòd Deus non sit, & possibilitas, quòd Deus sit, conveniant cum potestate: & cùm hoc, per quod prudentia meliùs potest cognoscere potestatem essendi, quam Deus habet, conveniat cum esse secundùm conditiones hujus Arboris, igitur significatur, quòd in Deo sit generatio contra corruptionem, quæ convenit cum non esse: per quam generationem & corruptionem demonstratur, in Deo esse Paternitatem & Filiationem.

Hoc, quòd magis contradicit inæqualitati, est æqualitas; & hoc, quod magis opponitur contrarietati, est concordantia: unde si in Deo sunt æqualitas & concordantia, necessariò sequitur, quòd prudentia ex hoc cognoscat in Deo majorem potestatem contra inæqualitatem & contrarietatem, ut non sint in Deo, quàm si Deus non haberet æqualitatem & concordantiam; & cùm major operatio, quam prudentia possit habere in cognoscendo maximam potestatem Dei, conveniat cum esse secundùm conditiones Arboris, idcirco necessariò convenit, in Deo esse æqualitatem & concordantiam; & si in Deo sunt æqualitas & concordantia, convenit, in eo esse pluralitatem; nam sinè pluralitate in ipso æqualitas & concordantia non possent esse: & cùm in Deo sit pluralitas, igitur demonstratur Trinitas per divinam potestatem

tem ipsi prudentiæ in concordantia & æqualitate.

De Bonitate & Superbia.

DIxit Christianus Gentili: Superbia est contraria Bonitati; nam homo superbus diligit hoc, quod est vile, supra hoc, quod est nobile; & odit bonum sui proximi; & ideo humilitas, quæ est ipsi contraria, convenit cum bonitate, quæ magis diligit majus bonum, quàm minus bonum, & multiplicat majus bonum, & etiam minus bonum; & bonum medium inter majus & minus diligit per æqualem distantiam ab extremis.

Si in divina bonitate est unum bonum, quod det se ipsum infinitè in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate, sapientia, amore & perfectione bono, quod sit infinitum in bonitate, magnitudine &c.; & si supradictum bonum det hoc donum absque hoc, quòd aliquid minuat de se ipso, & si à bono donante & à bono donato procedit unum bonum infinitum in bonitate, magnitudine &c., & existit æqualitas in bono donante & bono donato & procedente, divina bonitas est magis contraria superbiæ, quàm esset absque supradicto bono donato & procedente; & hoc est ideo, quia in divina bonitate non esset donum adeò nobiliter datum, nec divina bonitas adeò bene conveniret cum humilitate; & per minorem humilitatem divina humilitas non tantum contradiceret superbiæ: & cùm secundùm conditiones hujus Arboris major contrarietas, quæ sit inter divinam bonitatem & superbiam, necessariò debeat affirmari, idcirco manifestatur, quòd in Deo sit bonum, quod totum se ipsum donat bono donato, & quòd à bono donante & à bono donato procedat unum bonum æquale prædictis: cùm ergò conveniat hoc ita esse, secundùm conditiones hujus Arboris, idcirco Trinitas cuilibet manifestè demonstratur.

De Magnitudine & Superbia.

SI Superbia haberet adeò magnam potestatem in se ipsa, quòd ex se ipsa generaret superbiam infinitam in magnitudine, potestate & æternitate, & quòd ex ambabus superbiis procederet una superbia infinitè magna in potestate & æternitate, & quòd omnes insimul essent una essentia infinita in potestate & æternitate, impossibile esset, quòd humilitas posset vincere supradictam superbiam, nec humilitas posset esse aliquid: & cùm superbia conveniat cum minoritate & cum non esse, & cùm humilitas conveniat cum majoritate & cum esse, idcirco convenit, quòd in Deo sit una humilitas, quæ sit major, quàm omnis superbia, quam homo possit considerare vel in sua consideratione opinari: quod si sic non esset, humana consideratio posset considerare majorem superbiam, quàm sit divina humilitas; & anima hominis esset major in considerando superbiam, quàm divina humilitas posset esse in magnitudine; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd in Deo sit unus humilis, qui ex toto se ipso generet alterum humilem in infinita bonitate & magnitudine &c., & ab humili generante & ab humili generato infinitè in bonitate & magnitudine &c. procedat alter humilis; & hæ tres Personæ humiles insimul sint una Essentia humilis in infinita bonitate, magnitudine &c.; in qua Essentia demonstratur Trinitas, secundùm quòd declarat supradicta demonstratio.

Dixit Gentilis Christiano: si in Deo existit tanta humilitas, quantam tu dicis, cùm humilitas & superbia sint contrariæ, quomodo potest esse, quòd divina humilitas non impediat, ne sit superbia, quæ est malum?

Respondit Christianus: Si Deus non daret homini libertatem, quòd posset esse superbus, seu humilis, divina sapientia esset contraria humilitati hominis, per quam homo à Deo potest impetrare meritum & gratiam: *& cùm flores secundæ Arboris non sint nec debeant esse inter se contrarii, secundùm conditiones Arboris, nec in prima Arbore possit existere contrarietas unius floris ad alterum,* ideo divina humilitas permittit, superbiam esse, ut humilitas creata per increatam possit resistere superbiæ, ad hoc, ut humilitas creata honoret increatam.

De Amore & Avaritia.

IN homine Amor & Avaritia sibi invicem contradicunt; nam homo amans convenit cum largitate, quæ est contraria avaritiæ in amato; & avaritia tollit, & nihil donat, & convenit cum desperatione, quæ est contraria spei, quæ convenit cum largitate & amore: unde cùm hoc ita sit, per supradictas virtutes & vitia significatur sancta Trinitas, quam tu quæris, per contrarietatem, quæ

quæ est inter virtutes & vitia; nam si in Deo existit amans, qui in Deo amet amatum adeò fortiter, quòd totum se ipsum det illi, & si amans totum se ipsum dat, ac amans existit infinitus in bonitate, magnitudine & omnibus aliis supradictis floribus primæ Arboris, necessariò convenit, quòd in amante sit infinita largitas in bonitate, magnitudine &c.; & quantò major est largitas, tantò magis divinus amor contradicit avaritiæ; *& cùm major contrarietas debeat affirmari*, secundùm quòd priùs est suppositum in conditionibus Arborum, idcirco in majori conditione hujus Arboris significatur Trinitas; quæ Trinitas existit in amante & amato, & quilibet, scilicet amans & amatus, amat & amatur, & ab utroque procedit unus amans & amatus, qui omnes insimul in amante & amato sunt unus amor essentialis infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate & cæteris supradictis.

Si avaritia haberet infinitam potestatem, destrueret omnem largitatem; cùm nulla potestas possit resistere infinitæ potestati; & cùm in Deo sit infinita potestas, convenit, Deum contrariari avaritiæ per infinitam largitatem: unde si in Deo existit unus largus infinitus in largitate, qui det infinitam largitatem, necessariò convenit, quòd largitatem, quam dat, det de sua propria largitate; nam si illam daret de alia largitate, sua largitas non esset infinita; & si in Deo est infinita largitas, & non esset in Deo, qui illam largitatem daret infinitè in bonitate, magnitudine &c., non esset in Deo infinitus amor, qui diligeret dare donum adeò nobile, sicut est infinitum: & si in Deo esset defectus amoris in dando, & esset in ipso perfectum donum ad dandum, inter amorem & dare & amare esset manifesta contrarietas: *unde cùm sit impossibile, quòd flores primæ Arboris sibi invicem contrarientur*, igitur demonstrata est Trinitas, secundùm quòd prædicta verba significant.

De Fide & Spe.

DIxit Christianus Gentili: si in Deo non esset Trinitas, non esset in ipso operatio, nec Deus haberet operationem intra se ipsum, & melior operatio, quæ esset in esse, esset illa, quam Deus haberet in creaturis: unde cùm secundùm conditiones Arborum conveniat, quòd melior sit operatio, quæ est in Deo, quàm operatio, quam Deus habet in creaturis (nam si non esset, nulla esset perfectio operationis in bonitate & magnitudine &c.) igitur revelatur, quòd in Deo fuerit & sit operatio absque illa operatione, quam Deus habet in creaturis, quæ operatio est, quòd Pater generet Filium, & à Patre & Filio procedat Sanctus Spiritus, & quòd omnes istæ tres Personæ sint insimul unus Deus, & quòd hæc operatio sit infinita in bonitate, magitudine &c.: quod si sic est, fides, quæ credit talem operationem, est major, & meliùs convenit cum esse, in eo, quòd sit major, quàm conveniret, si esset minor, & discrederet Trinitatem: unde cùm sit impossibile, quòd fides possit esse minor per hoc, quod in Deo est, & esset major, si in Deo esset hoc, quod in eo non est, igitur manifestatur Trinitas, eò quòd fides possit esse major, si Trinitas est, quàm si Trinitas non est; quia nulla fides potest esse major in discredendo Trinitatem, quàm fides, quæ credit, in Deo existere unam Personam, quæ infinitè generet alteram Personam in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & ab utraque infinitè procedat altera Persona in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

Si in Deo non fuisset operatio, antequam mundus esset, spes non posset esse adeò magna in homine, nec homo per spem posset tantum confidere in Deo, si non esset Trinitas, nec Deus haberet aliquam operationem in se ipso, & homo posset desperare, quòd haberet esse æternaliter; nam homo posset considerare, quòd sicut operatio in Deo non erat ante productionem mundi, simili modo venturum esset tempus, quo nihil foret, & quòd omnia entia finirentur; sed quando homo credit, quòd Deus infinitè & æternaliter habeat operationem intrinsecam, ab illa influentia operationis adeò magnæ & mirabilis potest homo habere spem, quòd mundus duret æternaliter & sinè fine: unde *cùm hoc, per quod spes hominis in Deo sit major, & hoc, per quod meliùs conveniat cum fide & esse, sit de conditionibus quartæ Arboris*, & spes ex hoc possit esse major, & si sit Trinitas, possit meliùs concordare cum fide, idcirco in majoritate spei & in majori concordantia, quam homo habet cum fide, Trinitas significatur ac demonstratur humano intellectui, qui vult considerare ea, quæ suprà dicta sunt.

Ait Gentilis: secundùm tua verba sequitur, quòd fides & spes possent esse majores, si in Deo esset quaternitas Personarum, vel si in Deo essent plures Personæ infinitæ, quàm si in Deo sit tantùm Trinitas Personarum.

Respondit Christianus, si in Deo non sufficeret operatio trium Personarum, & si ipse indigeret pluribus, quàm tribus, ut in Deo posset esse perfectio bonitatis, magnitudinis, &c., spes non posset esse adeò magna, nec adeò contraria desperationi, nec fides crederet in tam nobilem Paternitatem divinam & Filiationem ac Processionem, si divina Perfectio indigeret duabus Paternitatibus & Filiationibus seu tribus Processionibus: unde cùm in Deo non sint plures Personæ, quàm tres, (ùt jam probavimus in antedictis solutionibus) & cùm fides & spes ex hoc essent minores, idcirco tua objectio est contraria nobilitati, quæ convenit cum pluralitate, quam necessariò convenit esse in Deo, & etiam est contraria majoritati & concordantiæ, in quantum convenit, quòd sint in fide & spe.

De Charitate & Justitia.

CHaritas & Justitia conveniunt contra malevolentiam & injuriam; unde si in Deo est Trinitas, charitas & justitia multò meliùs possunt concordare in homine, quàm si in Deo non est Trinitas; nam per Trinitatem homo intelligit, quòd in Deo sit Pater charitativus, justus, infinitus in justitia & charitate; quæ infinitas charitatis & justitiæ est infinita bonitas, magnitudo, æternitas, sapientia, perfectio & potestas; & ideo charitas & justitia creatæ possunt esse majores per influentiam prædictarum increatarum charitatis & justitiæ, quàm possent esse absque charitate & justitia supradicti Generatoris; & hoc idem sequitur de Filio & Sancto Spiritu, si quilibet est charitativus & justus per se ipsum & in semet ipso in bonitate, magnitudine &c. infinitè: unde cùm secundùm conditiones hujus Arboris sequatur, quòd charitas & justitia creatæ possint esse majores in homine, si in Deo est Trinitas, quàm si in Deo non sit Trinitas, idcirco Trinitas nobis est demonstrata.

De Prudentia & Fortitudine.

DE Trinitate & Unitate actualitas intellectûs magis multiplicatur in intelligendo, quàm de Unitate tantùm; unde si in Deo sunt Trinitas & Unitas, intellectus humanus in Deo potest plùs intelligere, quàm si in Deo non sit Trinitas; sicut homo, qui potest plùs intelligere in herba seu quolibet vegetabili, quàm in lapide, & plùs in bestia vel in quolibet animali, quàm in vegetabilibus & in plantis, & plùs in homine, quàm in bestiis & aliis brutis animalibus; & hoc est ideo, quia plura sunt in vegetabilibus, quàm in lapidibus, & plura in brutis animalibus, quàm in vegetabilibus, & plura in hominibus, quàm in brutis; & si Trinitas est in Deo, humanus intellectus potest plura ignorare in Deo, quàm si in Deo non esset Trinitas; sicut intellectus, qui potest ignorare plura in vegetabilibus, quàm in lapidibus, & plura in brutis seu bestiis, quàm in plantis, & plura in hominibus, quàm in brutis; nam quantò plura sunt in aliqua re, tantò major in ea potest esse ignorantia intellectûs: unde cùm hoc ita sit, & *cùm hoc, per quod intellectus humanus possit plùs in Deo intelligere & plùs ignorare, conveniat cum conditionibus primæ & quartæ Arboris*, & hoc conveniat cum esse ad demonstrandum, quòd intellectus possit esse multùm nobilis in intelligendo in Deo res immensas, & quòd illæ res immensæ sint valde nobiles, eò quòd intellectus non potest intelligere totam nobilitatem illarum, idcirco Trinitas est demonstrabilis, eò quòd intellectus potest esse altior & nobilior in intelligendo, & potest in non intelligendo plùs esse captivatus: & cùm hæ duæ conditiones conveniant secundùm divinam nobilitatem & nobilitatem intellectûs, qui est creatura, ut per ipsum cognoscatur magna nobilitas, quæ est in floribus primæ Arboris, igitur demonstratur, quòd in Deo sit Trinitas.

Quantò magis humanus intellectus conatur in Deo profunda intelligere, tantò meliùs concordat cum fortitudine, & tantò magis multiplicat quantitatem prudentiæ ad superiora, & quantò magis intellectus est captivatus, & non potest intelligere totam nobilitatem Dei, & dat fidei, quòd credat hoc, ad cujus intelligentiam ipse non potest ascendere, tantò magis intellectus fortificat fidem & mortificat semet ipsum; & ex hoc sequitur major concordantia inter fortitudinem & prudentiam: & cùm hæc concordantia possit esse major per divinam Trinitatem, & absque hoc, quòd divina Natura esset in Trinitate, non posset esse adeò magna concordantia inter prudentiâ & fortitudinem, idcirco in hac majori concordantia, quæ convenit cum conditionibus hujus Arboris, manifestè est demonstrata Trinitas.

De Charitate & Invidia.

DIxit Christianus Gentili: Charitas & Invidia sunt contrariæ; nam per charitatem homo convenit cum largitate & fidelitate, & per invidiam convenit cum cupiditate & cum fraude: unde si homo habet charitatem ad Deum, est magis contrarius invidiæ, quàm si habet charitatem ad suum proximum; & hoc est ideo, quia in Deo sunt major charitas & major largitas, quàm in creaturis: & si homo est invidus de bono & honore Dei, ejus invidia est magis contraria charitati, quàm si homo est invidus de bono & honore sui proximi; & hoc est ideo, quia bonum & honor, quæ conveniunt Deo, sunt majora, quàm bonum & honor, quæ conveniunt creaturis.

Secundùm quòd prædictum est, significatur, in Deo esse Trinitatem; nam hoc per prædictum florem demonstratur: quoniam si in Deo est charitas, quæ de se ipsa generet charitatem sibi ipsi æqualem, & quòd à charitate generante & à charitate generata procedat charitas æqualis generanti & generatæ, & hoc per voluntatem generantis & generatæ, invidia est magis remota à similitudine divinæ charitatis, quàm esset, si in Deo non esset charitas, ût prædixi; *& cùm hoc, per quod invidia magis est remotà à similitudine Dei, conveniat affirmare secundùm conditiones primæ & quintæ Arboris*, idcirco Trinitas est demonstrabilis in majori contrarietate, quæ est inter Naturam divinam & invidiam vel peccatum.

De Fortitudine & Ira.

HOmo est subjectum, in quo Fortitudo & Ira contrariantur adinvicem; unde quando ira in humano corde vincit fortitudinem, tunc fortitudo vincitur per fragilitatem & defectum cordis; & quando fortitudo vincit & superat iram, tunc ira vincitur per perfectionem & nobilitatem cordis: unde quantò majorem iram fortitudo vincit & superat, tantò major est in virtute; & quantò majorem fortitudinem ira vincit, tantò major est ira in vitio & peccato: *certum enim est, quòd unum simile conjunctum suo alteri simili augmentetur in virtute, & fortificetur contra suum contrarium & dissimile:* unde si Deus est in Trinitate & Unitate, magis assimilatur ei homo, qui est unus in Trinitate, videlicet *anima* & *corpus* & *conjunctio* utriusque, quæ tria sunt unus homo, quàm si Deus esset unus absque Trinitate seu aliquâ distinctione Personarum; nam cùm homo sit obligatus ad magis diligendum Deum, quàm aliquam aliam rem, & cùm multæ creaturæ in unitate & trinitate assimilentur homini, homo magis esset obligatus ad magis diligendum suum dissimile, quàm suum simile: & cùm homo per diligere suum simile possit fortiùs contrariari suo dissimili, hoc est, iræ, quæ non concordat cum homine, idcirco homo diligens Deum sibi similem in Unitate & Trinitate potest esse fortior contra iram, quàm diligens suum dissimile, quando contrariatur iræ; cùm nulla res sit tantùm contraria iræ, quantùm Deus: unde cùm hoc ita sit, in Deo Trinitas est significata in majori similitudine, quam homo debet habere cum hoc, quod plùs tenetur diligere; est etiam Trinitas demonstrata in hoc, quòd, quantò homo est similior Deo, tantò fortior potest esse contra iram; sed cùm conveniat affirmare hoc, per quod fortitudo potest esse fortior contra iram, secundùm conditiones hujus Arboris, idcirco in hujus conditionibus Trinitas est revelata.

De Spe & Acedia.

MAnifestum est, quòd Acedia sit magis contraria majori Spei, quàm minori; quoniam homo est magis acediosus ad desiderandum res magis nobiles, quàm minùs nobiles: unde si in Deo sunt infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c., quæ generant infinitam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., & quòd ab his duobus procedat infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c., & quòd hi tres insimul sint una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c., si anima hominis justi in Deo hoc desiderat scire, & habet spem, quòd hoc sciet in gloria, habet majorem spem sciendi in Deo res magnas & mirabiles, quàm si in Deo non desideraret intelligere prædictos tres; & ubi spes sciendi res magnas potest esse major, ibi potest esse major contrarietas contra acediam: & cùm hoc, per quod spes & acedia sint magis contrariæ, debeat affirmari secundùm conditiones hujus Arboris, idcirco Trinitas, quæ nobis hoc significat, convenit cum affirmatione, & disconvenit cum negatione, nam si conveniret cum negatione, & disconveniret cum affirmatione, sequeretur, quòd hoc, per quod spes & acedia essent minùs contrariæ, convenireret cum affirmatione, & hoc, per quòd magis essent contrariæ, concordaret cum negatione; hoc autem est impossibile & contra conditiones hujus Arboris: quod si esset possibile, sequeretur, quòd spes & acedia concordarent ad essendum unum & idem, quod esset virtus & vitium; & hoc est manifestè impossibile, & est manifesta contradictio.

Postquam Christianus per supradictas quinque Arbores probaverat, Trinitatem in Deo existere, dixit ista verba: Benedictus sit Deus, cujus virtute habemus notitiam glorioſissimæ Trinitatis in significationibus florum & conditionibus prædictarum Arborum: unde si tu Gentilis putas, tibi non esse satisfactum per demonstrationes, quas tibi dedi de sanctissima Trinitate nostri Domini Dei, colligam plùs de floribus Arborum, quibus tuus intellectus possit recipere divinum lumen, quo exaltetur ad cognitionem Dei & sanctissimæ Trinitatis.

Respondit Gentilis: nolo, quòd plùs colligas de floribus ad probandam Trinitatem; sed precor te, ut dicas mihi, per quem modum tres Personæ divinæ possunt esse una Essentia absque hoc, quòd Essentia ex illis tribus Personis sit composita?

Dixit Christianus Gentili: compositio non potest esse, nisi ex rebus finitis & terminatis, igitur non potest esse compositio ex rebus infinitis in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & si non posset esse simplicitas ex rebus infinitis in bonitate, magnitudine, æternitate &c., res, quas appellamus infinitas in bonitate, magnitudine, æternitate &c., essent finitæ in supradictis dignitatibus, scilicet in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: unde cùm sint infinitæ, per earum infinitatem & per infinitam potestatem possunt insimul esse una divina simplex Essentia sinè omni compositione.

Dixit Gentilis Christiano: dicas mihi, quare Trinitas, quæ est in Deo, consistat in Paternitate & Filiatione & Processione? & quare non sit alia res, quæ nec sit Pater, nec Filius, nec Sanctus Spiritus?

Respondit Christianus: *secundùm conditiones primæ Arboris debet attribui ipsi Deo major nobilitas, quam homo possit considerare:* unde cùm conveniat, quòd in Deo sit Trinitas (ût jam probavimus) convenit, quòd cognoscamus Trinitatem sub illis virtutibus & proprietatibus, quibus divina Trinitas nostro intellectui demonstratur in majori nobilitate: unde cùm Generans & Generatus & Procedens ab utroque sint adinvicem propinquiores in natura, quàm aliæ res, in quibus non sunt Generatio & Processio, idcirco convenit, quòd in Unitate & Trinitate Dei sit hoc, per quod una Persona est alteri propinquior in virtute ac natura, ac etiam in bonitate, magnitudine &c. ad essendum una Essentia bona, magna, æterna & potens &c.: quod si sic non esset, sequeretur, quòd perfectio contradiceret bonitati, magnitudini &c.; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd necessariò conveniat, quòd Trinitas, quæ est in Deo, consistat in Patre, & Filio, & Sancto Spiritu.

Dixit Gentilis: secundùm cursum naturæ pater tempore præcedit filium; & ideo, si in Deo est Pater & Filius, convenit, quòd Pater præcedat Filium per naturam.

Respondit Christianus: valde magna differentia est inter naturam creatam & naturam increatam; & hoc est ideo, quia æternitas & perfectio conveniunt cum natura increata, & non conveniunt cum creata; & ideo Generatio & Processio Dei differunt à generatione & processione, quæ sunt in creaturis: unde sicut lapis existens sub specie lapidis non potest esse homo, ita Filius Dei & Sanctus Spiritus, qui habent perfectionem & æternitatem, non possunt habere principium neque finem; quòd si haberent, carerent perfectione & æternitate, quæ sunt sinè principio & fine: veruntamen quia tu habes principium & finem, igitur per alteram naturam, quæ non est natura summi boni, potes habere posterioritatem sub comparatione ad tuum patrem, & potes tempore præcedere tuum filium.

Dixit Gentilis: dicas mihi Christiane modum, secundùm quem Pater generat Filium?

Respondit Christianus: aspice Gentilis in tua consideratione, quomodo una herba seu planta generetur ex altera, & quomodo unus homo generetur ex altero; & sicut te convenit imaginari diversum modum generationis ad generationem, scilicet inter generationem factam in herbis vel plantis, & generationem factam in animalibus, sic te convenit considerare diversum modum generationis, quam Filius Dei recipit, & generationis, quam creaturæ recipiunt; quod est, quia ille modus generationis est altior & nobilior, qui est in Deo, quàm ille, qui est in creaturis: unde sicut, quando consideras generationem, quæ fit in creaturis, te convenit imaginari operationes

tiones & proprietates creaturarum, ita in generatione, quam Filius Dei recipit à Patre, te convenit considerare flores primæ Arboris, quibus generatio significatur; nam divinus Pater intelligens & diligens se ipsum, & suam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. generat Filium sibi ipsi æqualem in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & Patre intelligente & diligente æqualem sibi ipsi in bonitate, magnitudine, æternitate &c. generatur Filius, qui est æqualis Patri in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & si Pater non haberet intellectum hoc intelligentem, nec amorem hoc amantem, nec voluntatem hoc volentem, existeret absque floribus primæ Arboris; per quos flores Pater habet scire, posse & velle generandi prædictum Filium.

Gentilis quæsivit à Christiano: per quem modum Sanctus Spiritus procederet à Patre & Filio?

Respondit Christianus dicens: secundùm solutionem prædictæ quæstionis potest tibi responderi ad hanc quæstionem; quoniam flores primæ Arboris significant hunc modum, & significant, illum modum esse diversum à processione, quam aliæ creaturæ habent ab aliis; nam secundùm quòd divina perfectio convenit cum bonitate, magnitudine & æternitate, intelligente & diligente Patre se ipsum & Filium, quem generat, & intelligente & diligente Filio Patrem & se ipsum, convenit, quòd ab ambobus procedat altera Persona ipsis æqualis in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hæc est Sanctus Spiritus, de quo tu quæris: & si ab intellectu & amore Patris & Filii, & etiam ab eorum bonitate, magnitudine, æternitate, perfectione non procederet altera Persona æqualis Patri & Filio in bonitate, magnitudine &c., in voluntate Patris & Filii esset defectus; & hoc est evidenter impossibile.

Dixit Gentilis: quare Sanctus Spiritus non procedit ab una Persona tantùm, sed procedit ab utraque Persona?

Respondit Christianus: quantò magìs Pater convenit cum nobilitate, & Filius similiter convenit cum eadem, tantò minùs nobilis esset Sanctus Spiritus, nisi procederet ab utroque: unde ut flores Arboris meliùs conveniant cum Sancto Spiritu, convenit, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

Dixit Gentilis: quare non exit à Sancto Spiritu alia Persona æqualis ipsi in bonitate, magnitudine &c.? vel quare Filius non generat aliam Personam æqualem in bonitate, magnitudine &c. sibi ipsi?

Respondit Christianus: sicut tu te sentis perfectum in esse humano, & nihil tibi deest ad essendum homo, ita & multò meliùs sinè comparatione convenit, quòd Pater tantum perfectionis in bonitate & magnitudine intelligat in se ipso, & in Filio, & Sancto Spiritu, quòd ipse non desideret esse Pater alterius Filii, nec quòd alter Sanctus Spiritus procedat ab ipso; quod si desideraret, desideraret superfluitatem & excessum: & hanc ipsam perfectionem habet Filius, & etiam Sanctus Spiritus, & ex hoc conservatur perfectio in floribus Arborum, & in qualibet Personarum: quod si sic non esset, sequeretur, quòd in Personis & in floribus nulla esset perfectio bonitatis, magnitudinis &c.: igitur convenit, quòd in divina Essentia non sit nisi una Paternitas, & una Filiatio, & una Persona Sancti Spiritûs.

Ait Gentilis: quæro à te, ut mihi dicas, utrùm Sanctus Spiritus procedat à Patre intelligente & diligente Filium? vel utrùm Sanctus Spiritus procedat à Filio intelligente & diligente Patrem? aut utrùm Pater intelligens & diligens Sanctum Spiritum generet suum Filium?

Respondit Christianus: totus Filius generatur à toto Patre, & totus Sanctus Spiritus procedit à toto Patre, & à toto Filio; quod si sic non esset, sicut tu quæris, prædicta totalitas non concordaret cum floribus Arborum, & perfectio contradiceret floribus Arborum; quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, totalitatem existere, sicut tu eam quæris in conditionibus florum.

Dicas mihi Christiane: quare in Deo existit Trinitas Personarum, & quare non esset in Deo perfectio absque Trinitate, ita quòd duæ Personæ sufficerent ad omnia, ad quæ sufficiunt tres Personæ?

Respondit Christianus: manifestum est, quòd conveniat, quòd in Deo sit Trinitas, secundùm quòd jam probavimus per prædictos flores Arborum; *& adhuc dicimus, quòd esse meliùs conveniat in creaturis cum numero trinitatis & unitatis, quàm cum alio numero; cùm ita sit, quòd omnis creatura sit una in substantia, & in tribus individuis, ex quibus ipsa substantia componitur*; sicut corpus, quod non potest esse unum absque longitudine, latitudine, & profunditate, & absque hoc, quòd corpus esset unum longum, latum & profundum simul, non posset existere: unde cùm hoc ita sit, quòd in creaturis meliùs conveniat numerus unitatis & trinitatis, idcirco convenit, quòd in Deo, qui habet perfectius esse, quàm creaturæ, esse concordet cum Unitate & Trinitate in numero; quòd si non, sequeretur, quòdesse & numerus meliùs concordarent in creaturis, quàm in Deo; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò conveniat, quòd Deus sit una Essentia in tribus Personis sinè pluribus & paucioribus; quod si sic non esset, non existeret concordantia in floribus primæ Arboris, nec ejus conditiones possent conservari.

Quæsivit autem Gentilis: utrùm una Persona in Deo posset esse nobilior alterâ? & utrùm in Deo una Persona posset existere absque alia? vel utrùm una Persona in Deo posset existere per se ipsam?

Respondit Christianus: si una Persona esset nobilior alterâ, minùs nobilis esset imperfecta; & si in Deo una Persona posset existere absque alia, divina Unitas posset esse sinè Trinitate; sed nos jam probavimus, in Deo necessariò existere Trinitatem: & si quælibet Persona non existeret per se ipsam, non haberet perfectionem in bonitate, magnitudine &c.: unde cùm quælibet habeat perfectionem in bonitate &c., quælibet existit per se ipsam.

Gentilis interrogavit Christianum: utrùm Sapientes, qui cum ipso essent, intelligerent, quòd ipse crederet prædictam Trinitatem?

Christianus autem respondens ait: Judæi & Saraceni non intelligunt Trinitatem, quam nos credimus, putantes, nos credere aliam Trinitatem, in quam tamen non credimus, quæ etiam in divina Essentia nec est, nec potest esse; & ideo non concordamus cum ipsis, nec ipsi nobiscum: veruntamen si ipsi intelligerent Trinitatem, quam nos credimus in Deo existere, necessitas rationis & concordantia florum primæ Arboris ipsos inclinarent ad credendam veritatem de sanctissima Trinitate nostri Domini Dei.

ARTICULUS V.

De Creatione.

Christianus aspexit quinque Arbores, & voluit colligere de floribus, ut Gentili ostenderet Creationem; Gentilis verò dixit, quòd non esset necessarium ipsi probare Creationem mundi; nam satìs & sufficienter eam probâsset Judæus: & ideo Christianus omisit probare hunc Articulum, & collegit de floribus ad probandum Articulum, qui post istum proximè continetur, videlicet Recreationem.

ARTICULUS VI.

De Recreatione. De Bonitate & Magnitudine.

Dixit Christianus Gentili: in nihilo nihil boni existit; quoniam si in nihilo aliquid boni existeret, sequeretur, quòd nihil esset aliquid; unde si Deus facit aliquod bonum ex nihilo, videtur, quòd magna bonitas Dei sit major per talem operationem, quàm esset, si ex uno bono faceret alterum bonum: veruntamen si Deus aliquod bonum, quod esset alterius bonitatis, quàm ipse, sibi ipsi uniret, & faceret, quòd illud bonum esset una Persona secum, sequeretur majus bonum in bono, quod esset secum una & eadem res, & in toto bono, cujus naturæ illud bonum esset, quàm sit bonum, quod est creatum ex nihilo: & hoc est propter nobilitatem boni divini, & boni, quod est alterius naturæ, Deo uniti, & boni, à quo est illud bonum, quod est conjunctum divino bono; nam bonum, quod est creatum ex nihilo per creationem, est unum tantùm; bonum autem divinum, & bonum divino bono conjunctum, hoc est, Humanitas JESU CHRISTI, & bonum, à quo Humanitas JESU exivit, hoc est, nostra Domina Sancta Maria sunt tria bona; & ideo est majus bonum in hoc opere, quàm sit, bonum ex nihilo producere seu creare; quòd si hoc non esset majus bonum, bonitas, magnitudo, æternitas & alii flores Dei contrariarentur perfectioni & majoritati; quod est impossibile: nam si esset possibile, minoritas & imperfectio concordarent cum floribus primæ Arboris; hoc autem est impossibile, ût patet: tu autem Gentilis consentis, *quòd secundùm conditiones primæ Arboris majorem nobilitatem, quam homo possit considerare & intelligere, debeat Deo attribuere & de eo cognoscere*; nam aliter flores Arboris & consideratio & intellectus hominum non concordarent: unde cùm Deo attribuere & cognoscere, ipsum esse Creatorem omnium, quæ sunt, sit cognoscere

magnam bonitatem Dei; & dicere & conſiderare ac cognoſcere, quòd Deus velit eſſe una & eadem res cum aliquo bono creato, ſit meliùs cognoſcere & amare bonum Dei, & bonum divino bono unitum, & cùm per hoc magna bonitas Dei in infinita magnitudine, æternitate, poteſtate &c. meliùs ſignificetur, & cùm hoc, per quod magna bonitas Dei meliùs manifeſtatur, ſit affirmabile ſecundùm conditiones Arboris, igitur Recreatio eſt affirmabilis; quæ Recreatio facta fuit cum bono, quod Deus in ſemet ipſo habet, & cum bono, quod ſibi ipſi univit; quod bonum aſſumpſit ab altero bono creato, hoc eſt, à beata Maria Virgine.

In nihilo non eſt culpa nec peccatum; quod ſi eſſet, nihil poſſet eſſe aliquid; unde removere culpam & peccatum ab aliquo bono, majus eſt, quàm ſit, creare aliquid ex nihilo; cùm culpa & peccatum contradicant bono & merito: unde ſi Deo debet attribui creatio, quæ non eſt facere tantum bonum, quantum eſt removere culpam & peccatum ab aliquo bono, quantò magis convenit Deo attribuere, quòd ipſe bonum, in quo erat peccatum & culpa, glorioſiſſimè recreaverit; & cùm in tali operatione recreandi ſit majus bonum, quàm in operatione creandi, igitur convenit, quòd ad faciendum tale opus majus bonum exiſtat, quàm ad creandum aliquid ex nihilo; quod majus bonum eſt Unio, quam neceſſe eſt fieri de bono creato cum bono increato, ut bonum creatum corruptum per peccatum & culpam per Unionem boni increati eſſet recreatum: unde cùm major & melior operatio meliùs demonſtret & ſignificet magnam bonitatem noſtri Dei, quàm minor operatio, igitur in hac majori demonſtratione magnæ bonitatis Dei humano intellectui, qui habet notitiam hujus majoris ſignificationis, Recreatio eſt demonſtrata; quæ Recreatio eſt conjunctio Filii noſtræ ſanctæ glorioſæ Dominæ & ſemper Virginis Mariæ (benedicta ſit ipſa & ſua ſanctiſſima virtus) cum conjunctione Filii Dei; per quam conjunctionem, & per Paſſionem humanæ Naturæ JESU CHRISTI humanum genus lavacro regenerationis fuit reparatum ab originali peccato; quod peccatũ habebamus à primo Parente, hoc eſt, Adamo, qui lapſu inobedientiæ non ſervavit præcepta Dei; propter quod ſumus mortales, & patimur famem & ſitim, calorem & frigus, ac etiam ſubjicimur ignorantiæ, ac multis aliis defectibus, quos non haberemus, ſi Adam primò non peccâſſet: & ſi Filius Dei non aſſumpſiſſet carnem, nec ſuſtinuiſſet mortem, in quantum erat Homo, omnes eſſemus æternaliter in igne infernali; ſed per glorioſiſſimam Sanctitatem conjunctionis Filii Dei & Naturæ humanæ Chriſti, quæ ſunt una Perſona tantùm, per Sanctitatem pretioſiſſimi Sanguinis, quem JESUS CHRISTUS effudit è proprio corpore ad recreationem mundi, ſumus nos omnes, qui credimus in Recreationem, liberati à poteſtate diaboli, & ſumus recreati ad gloriam ſinè fine.

De Poteſtate & Charitate.

DIxit Chriſtianus Gentili: certum eſt, quòd Deus creaverit creaturas & earum proprietates & poteſtates ad ſignificandum & demonſtrandum ſuam maximam poteſtatem & ſuam maximam charitatem; & ideo Deus dedit igni proprietatem & poteſtatem extendendi ſuam quantitatem ad infinitum comburendo ligna ſeu quodlibet aliud paſſum ſibi obediens, ſi ei darentur infinita ligna & infinitus locus, qui conveniret igni, ſecundùm quòd iſte locus illi convenit, in quo ſumus; quia tamen ignis non habet infinitam materiam, igitur non comburit infinitum corpus: unde ſi ignis, qui eſt creatura terminata & finita, habet hanc poteſtatem & proprietatem, & iſtam proprietatem & poteſtatem non habet à ſe ipſo, ſed à Deo, qui illi dedit ipſam, quantò magis habet Deus poteſtatem faciendi, creaturam eſſe infinitum bonum, ſi creatura poſſet illud recipere: quod ſi ſic non eſſet, ſequeretur, quòd divina voluntas & poteſtas eſſent oppoſitæ, & quòd Deus dediſſet majorem poteſtatem igni, quàm ſibimet ipſi, quod eſt impoſſibile.

"Si Deus creavit unam creaturam, & fecit, illam eſſe meliorem, quàm ſint omnes aliæ creaturæ, & ſi ipſa habet majorem poteſtatem, ſapientiam & voluntatem, quàm omnes aliæ creaturæ, meliùs ſignificatur, quòd Deus faceret infinitam creaturam in poteſtate, ſapientia & charitate, ſi creatura illud poſſet recipere, quàm ſi Deus non faceret hujusmodi creaturam; & cùm hoc, per quod poteſtas & charitas Dei meliùs demonſtrantur ad faciendum bonum infinitum in creatura, ſi creatura illud poſſet recipere, conveniat eſſe, idcirco convenit, quòd Deus fecerit unam creaturam nobiliorem

liorem in virtute & virtutibus, quàm ſint omnes aliæ creaturæ: & cùm hujusmodi creatura poſſit eſſe melior, quàm omnes aliæ creaturæ, ſi eſt unita ad eſſendum una Perſona cum Natura divina, & ideo eſt propinquior, quòd ſit infinita in virtute, ſi poſſet recipere infinitatem, quàm eſſet, ſi non eſſet unita nec conjuncta cum poteſtate & charitate Dei; & cùm hoc, per quod Deus meliùs demonſtrat ſuam poteſtatem & charitatem, ſit neceſſariò affirmandum, igitur in hac affirmatione, quæ convenit cum eſſe contra ſuum contrarium, hoc eſt, negationem, demonſtratur Recreatio, quam nos quærimus.

Si poteſtas creata & charitas creata ſunt in homine creato, qui homo ſit una Perſona increata, ex hoc poteſt eſſe major concordantia poteſtatis & amoris inter poteſtatem increatam & charitatem increatam cum poteſtate & charitate creatis, quàm eſſet, ſi poteſtas increata & creata non eſſent una Perſona; & cùm hoc debeat affirmari, per quod virtutes increatæ & creatæ meliùs conveniunt, & per quod eſt magis impoſſibile, quòd adinvicem contrarientur, idcirco conjunctio poteſtatis increatæ & creatæ in unam Perſonam eſt demonſtrabilis, quâ demonſtratione Recreatio manifeſtè demonſtratur.

De Perfectione & Gula.

MAjor eſt operatio recreare, quàm creare; nam Deus creavit Adam; veruntamen in Adam cecidit peccatum gulæ, quando comedit de fructu, & in ipſum cecidit peccatum inobedientiæ & ſuperbiæ, quando fuit inobediens Deo; ſed in Humanitatem JESU CHRISTI nunquam potuit cadere aliquod peccatum: unde operatio, in quam peccatum non poteſt cadere, eſt perfectior & nobilior, quàm operatio, in quam peccatum poteſt cadere; & quantò eſt perfectior operatio, tantò magis eſt contraria culpæ & peccato: igitur cùm hoc ita ſit, & cùm homo, qui eſt unitus Deo, poſſit eſſe magis contrarius gulæ & ſuperbiæ, quàm homo, qui non eſt unitus Deo, ideo ille homo, qui magis poteſt eſſe contrarius peccato, poteſt eſſe magis perfectus; & quantò major poteſt eſſe ſua perfectio, tantò meliùs poteſt in ipſo ſignificari divina perfectio; & cùm hoc, per quod divina perfectio eſt meliùs demonſtrabilis, conveniat eſſe, idcirco in majori ſignificatione Dei Recreatio eſt omnibus manifeſtè demonſtrabilis.

Divina perfectio meliùs convenit ad parcendum, quàm ad creandum; nam majus eſt parcere culpæ, quàm creare; cùm hoc, quod nihil eſt, non contradicat Deo, culpa verò neceſſariò contradicat Deo: unde ſi peccatum Adami fuit generale, major culpa fuit, quàm eſſet, ſi eſſet ſpeciale: & quantò major fuit culpa, & quantò gravius vulnus peccati, tantò majorem perfectionem ſignificat miſericordia ad parcendum, & medicina ad ſanandum, quando parcit & ſanat peccatum generale, quàm ſi parceret & ſanaret ſpeciale.

Si peccatum non eſſet generale, divina perfectio conveniſſet cum bonitate, magnitudine, poteſtate &c. in creando generale bonum, & nihil eſſet, in quo conveniſſet cum miſericordia parcendo generali culpæ; ſed cùm divina perfectio & miſericordia ſint unum & idem per eſſentiam (cùm omne, quod eſt in Deo, ſit in ipſo eſſentialiter unum & idem) igitur demonſtratur, quòd in humana ſpecie ſit generalis culpa, quæ ſignificat opus miſericordiæ & medicinæ in parcendo & ſanando generalem plagam; per quam generalitatem declaratur Recreatio.

De Fide & Spe.

FIdes eſt virtus, per quam homo credit in Deum, & in gloriam Paradiſi; Spes autem eſt virtus, per quam homo confidit in ejus miſericordia & in ejus juſtitia: unde ſicut tu Gentilis vides corporalibus oculis res corporales, ita cum fide & ſpe, quæ ſunt ſpirituales oculi, homo videt ſpiritualiter opera Dei; & quantò majores ſunt fides & ſpes, tantò meliùs homo poteſt videre opera Dei: unde ſi Deus voluit eſſe homo & ſuſtinere mortem propter Recreationem hominis, fides & ſpes ex hoc poſſunt eſſe majores, quàm eſſent, ſi Deus non fuiſſet factus Homo, nec eſſet mortuus propter hominem; nam quantò plura Deus facit propter hominem, tantò major fides & major ſpes poſſunt eſſe in homine contra infidelitatem & deſperationem, quæ ſunt culpæ, vitia & peccata; & cùm major fides & major ſpes meliùs conveniant cum eſſe, quàm minor, idcirco ſecundùm conditiones Arborum hoc, quod eſt cauſa majoris ſpei & majoris fidei, convenit cum eſſe;

in

in quo esse significatur major Recreatio, quam tu quæris.

De Justitia & Ira.

MAjus bonum, quod Deus creaturæ possit dare, & majus donum, quod creatura possit recipere, est, quòd Deus faciat, creaturam esse unum & idem cum se ipso, & quòd ad recreandum & exaltandum creaturam velit, quòd illa creatura, quæ secum est unum & idem, sustineat majorem passionem & majorem mortem, quàm sit passio sive mors, quam alia creatura possit sustinere: unde si Deus est Homo propter Recreationem hominis, & ille homo fuit mortuus propter justitiam ad pacificandum humanum genus cum ira Dei, in quam homo per peccatum primi Parentis cecidit, ex hoc manifestatur minor ira & major justitia; & cùm major justitia & esse conveniant, & minor ira meliùs conveniat cum esse, quàm major ira, igitur in hac prædicta majoritate & minoritate secundùm conditiones Arborum Recreatio demonstratur.

Major est justitia, si morte punitur unus Rex, quàm si puniatur unus rusticus; & major justitia ac major misericordia est in homine innocente, qui vult ferre culpam alicujus hominis culpabilis, quàm est in homine culpabili sustinente justitiam: unde major justitia, quam Deus potest facere in creatura, & illa, quæ meliùs convenit cum misericordia, est, quòd ipse velit esse homo innocens, & quòd ille homo propter culpas totius humani generis puniatur: quòd si hoc non esset major justitia, sequeretur, quòd majoritas contrariaretur floribus primæ Arboris; hoc autem est impossibile: per quam & in qua impossibilitate demonstrata est Recreatio.

Si Filius Dei assumpsit humanam naturam, & ille Homo fuit mortuus ad salvandum populum Dei, divina justitia & ira, quam habebunt peccatores damnati in inferno, cùm fuerint damnati, erunt magis sibi invicem contrariæ; & si homo, qui recolit in hac præsenti vita, quòd Deus assumpserit humanam naturam, & quòd illa Humanitas fuerit mortua ad redimendum ipsum de potestate diaboli, est naturaliter occasionatus ad iram, fortiùs poterit mortificare suam iram cum supradicta memoria, quàm posset alius, qui non crederet, quòd Filius Dei sit incarnatus, nec crederet, quòd ille Homo mortem susceperit, ut nos salvaret: & si Christianus, qui habet fortiorem causam mortificandi suam iram, ratione hujus, quod credit, suam iram non mortificat, divina justitia meliùs convenit ad multiplicandum in ipso multiplices pœnas, quàm in homine alterius fidei: unde cùm hoc ita sit, ergò omnibus prædictis similitudinibus, & omnibus conditionibus Arborum, significatur humano intellectui, quòd Recreatio, quam tu conaris investigare, conveniat cum esse.

ARTICULUS VII.

De Glorificatione.

De Sapientia & Amore.

DIxit Christianus Gentili: Ad probandum hunc Articulum primò colligimus hunc florem, qui est in Deo, secundùm quòd in *primo Libro* jam probatum est: unde si Deus non creâsset hominem eâ intentione, quòd ipsi daret gloriam, ut esset durabilis sinè fine, sequeretur, quòd posset esse contrarietas inter prædictum florem & æternitatem & perfectionem: & si Deus creavit hominem, ut sit durabilis in gloria, æternitas & perfectio concordant cum prædicto flore; & cùm hoc, per quod inter supradictos flores non est contrarietas, conveniat cum esse secundùm conditiones hujus Arboris, & hoc, per quod esset contrarietas, conveniat cum non esse, idcirco manifestatur, quòd Deus post resurrectionem dabit sempiternam gloriam illis, qui habebunt salvationem.

De Perfectione & Spe.

JAm probatum est, quòd in Deo sit operatio proprietatum personalium, quæ operatio est distincta per differentiam, eò quòd divinæ Personæ invicem sunt distinctæ: unde cùm Deus sit supremum bonum, & sic superior omnibus creaturis, convenit, quòd sua operatio sit superior omnibus aliis operationibus; & ideo perfectior operatio, in qua homo habeat spem, est operatio, quæ est in tribus Personis divinis: unde si anima in illa operatione habet spem, habet perfectiorem spem, quam possit habere: & si haberet spem, & sua spes non veniret ad perfectionem, sua spes contradiceret divinæ perfectioni; quòd si esset, divina voluntas & divina perfectio essent sibi invicem oppositæ; hoc autem est impossibile:

per

per quam impossibilitatem significatur, quòd conveniat, divinam perfectionem spei dare complementum; nam si illi non daret complementum, anima hominis esset nobilior in habendo spem, quàm divina perfectio in dando complementum spei; quod est impossibile: per quam impossibilitatem significatur cœlestis gloria, in quam nos habemus perfectam spem.

De Æternitate & Ira.

SI Deus post resurrectionem daret gloriam, & homo non haberet illam gloriam æternaliter, sequeretur, quòd homo haberet iram æternaliter, eò quòd privaretur in æternum gloriâ, quam jam vidisset; quod si sic esset, sequeretur, quòd divina Æternitas & ejus justitia sibi invicem contradicerent in bonitate, magnitudine, potestate &c. infinitis; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Deus dabit gloriam, quæ durabit æternaliter & sinè fine; & si Deus non daret post resurrectionem gloriam, contradiceret concordantiæ, in qua flores conveniunt, quibus Judæus probavit gloriam Paradisi: per quam probationem significatur prædictus Articulus, sinè quo gloria Paradisi non posset esse probabilis.

De Spe & Fortitudine.

SI homo, qui habet Spem in cœlesti gloria, tentatur ad committendum aliquod peccatum, ille fortior est contra illud peccatum, quàm homo, qui non habet spem in cœlesti gloria: unde si cœlestis gloria est, spes, fortitudo & veritas concordant; & si cœlestis gloria nihil est, spes & fortitudo conveniunt in falsitate contra veritatem, & per hoc, quod est falsitas, sunt majores, quàm per hoc, quod est veritas: & quia spes, fortitudo & veritas conveniunt, desperatio verò & fragilitas & falsitas concordant, significatur cœlestis gloria, eò quòd spes & fortitudo & veritas meliùs concordant contra falsitatem & sua contraria; quòd si sic non esset, hoc esset in esse, quod contradicit conditionibus Arborum.

De Prudentia & Acedia.

PRudentia est eligere majus bonum, & evitare majus malum; & per Acediam homo est magis negligens ad eligendum majus bonum, & ad evitandum majus malum; & ideo illa est major acedia, per quam homo est magis negligens ad eligendum majus bonum, quàm minus, & ad fortiùs evitandum majus malum, quàm minus: unde cùm hoc ita sit, idcirco est demonstrabile, Deum esse Glorificatorem; nam si non esset gloria, non esset infernalis pœna, nec majus bonum esset adeò eligibile, nec majus malum esset adeò evitabile, sicut est, si infernalis pœna & cœlestis gloria sunt in esse; & cùm secundùm conditiones hujus Arboris hoc conveniat cum esse, per quod prudentia & acedia fortiùs contrariantur, igitur in hoc, quod convenit cum esse, cœlestis gloria demonstratur, sinè qua hoc, quod convenit cum non esse, existeret in esse, & quod convenit cum esse, non existeret in esse, & destruerentur conditiones Arboris, quæ sunt veræ.

Dixit Gentilis Christiano: satis & sufficienter mihi probasti supradictum Articulum, precor tamen te, quòd mihi dicas modum, secundùm quem Deus glorificabit Sanctos in gloria.

Christianus verò respondens ait: modus, secundùm quem Deus glorificabit Sanctos, est altior, quàm humanus intellectus possit intelligere in hac vita; quòd si posset intelligere, haberent homines in hoc sæculo tantum gloriæ, quantum habent in altero sæculo, quando sunt in gloria; veruntamen aliquid possum tibi significare de hoc, quod quæris, secundùm hanc similitudinem.

Tu bene scis, quòd essentiæ conveniat esse, & intellectui intelligere, & voluntati diligere, & sic de cæteris rebus his similibus secundùm operationem propriorum actuum: unde si tu cum oculis tuæ considerationis inspicis modum, secundùm quem tuus intellectus convenit cum intelligere, & tua voluntas cum diligere, & si quamlibet istarum rerum vides, quomodo sint distinctæ & differentes invicem, tu de istis rebus reciperes valde magnam delectationem ac placitum; nam si videres fieri unam navem, ex hoc posses habere majus placitum, quàm si videres fieri unum scamnum; & si videres, quòd aliquis faceret solem & lunam, & stellas & cœlum & mare & terram & omnia, quæ sunt in toto orbe, reciperes inde majorem delectationem, quàm si videres aliquem, qui faceret unam navem tantùm: unde si tu esses in gloria, & videres, quomodo Pater intelligat & diligat se ipsum, & intelligendo & diligendo se ipsum &

Filium & Sanctum Spiritum generet Filium, & Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio; & si tu videres, quomodo Filius intelligendo & diligendo Patrem & Sanctum Spiritum & semet ipsum generetur à Patre, & procedat Sanctus Spiritus ab ipso; & si videres, quomodo Sanctus Spiritus exeat à Patre & Filio intelligendo & diligendo Patrem & Filium & se ipsum; & si tu videres in Deo Generationem & Processionem infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, perfectionis, sapientiæ & amoris; & si tu videres, quomodo omnes istæ tres Personæ sint una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c., potes considerare, quàm magnam gloriam haberet tua anima; quam gloriam habebis, si intraveris in gloriam Paradisi.

In gloria videbis, humanam Naturam JESU CHRISTI esse cum Deo Filio unam Personam, & videbis modum, secundùm quem Filius Dei assumpsit humanam Naturam, & videbis etiam, quomodo Natura divina & humana sint solùm unica Persona, & quomodo Deus Filius & Humanitas, quam assumpsit, se intelligant & diligant; videbis etiam humanam Naturam meliorem & nobiliorem omnibus creaturis, quæ sint & possint esse in natura; etiam poteris videre, quomodo Humanitas JESU CHRISTI diligat & honoret nostram Dominam sanctam Mariam; videbis etiam omnes Sanctos gloriæ JESU CHRISTO & beatæ gloriosæ Virgini Mariæ exhibere honorem & servitium; & videbis ordines Angelorum & Archangelorum & coronas & ordines Martyrum, Virginum, & Confessorum, & omnes Deo & humanæ Naturæ Deo unitæ cantantes dulciter laudes & ipsi dantes gloriam: unde si hoc in mente consideras videre, poteris cogitare, quàm magna erit gloria, quam videbis, si te Deus vocaverit ad suam æternam gloriam.

In Paradiso homo non comedet, nec bibet, nec habebit accessum ad fœminam; & quia in hoc sæculo corpus humanum sustinet labores & tribulationes propter nostrum Dominum Deum, ideo, ad præmiandum corpus in gloria, videbis & audies Corpus nostri Domini JESU CHRISTI unitum cum Deo Filio, & cogitabis, quòd tuum corpus & Corpus JESU CHRISTI sint ejusdem naturæ, & quòd illud Corpus fuerit morti traditum ad liberandum te à potestate diaboli: gloriam, quam tu habebis in videndo illud Corpus tam gloriosum, non quæras à me, quia non possem ipsam tibi exprimere; & signa amoris, quæ ipse tibi faciet, quis posset tibi verbis enarrare?

Postquam Christianus probavit Gentili hunc supradictum Articulum, ipse dixit: secundùm quòd ordinatum est, quomodo tu possis habere notitiam melioris legis, potes intelligere per supradictam gloriam, quòd Lex Christianorum sit procul dubio melior, quàm quælibet aliarum; cùm major & melior gloria meliùs concordet cum conditionibus Arborum, quàm minor contraria majori; quæ melior gloria non potest adeò benè significari per legem Judæorum & Saracenorum, sicut demonstratur per Legem Christianorum.

ARTICULUS VIII.

Quòd Christus sit conceptus de Sancto Spiritu.

De Bonitate & Magnitudine.

AIt Christianus Gentili: Bonitas Dei est magna in æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore; unde ad significandam adeò magnam bonitatem, qualis est divina bonitas, oportuit, quòd per operationem Sancti Spiritûs Filius Dei sibi uniret humanam Naturam in utero nostræ Dominæ sanctæ & gloriosæ Virginis Mariæ; quia majus bonum est, extrahere adeò nobile bonum, sicut est Humanitas Christi, ab humana specie, quæ per peccatum fuit corrupta, quàm sit bonum omnium entium creatorum; & si humana species non esset bonum corruptum, divina bonitas non esset in tanta magnitudine demonstrata: & cùm hoc, per quod divina bonitas significetur major, conveniat cum esse, hoc est, Incarnatio, igitur in hac concordantia ipsius esse significatur hic supradictus Articulus; absque quo Articulo opus magnæ bonitatis Dei non esset adeò manifestabile.

Si de bono corrupto extractum est bonum incorruptum, quod sit majus & melius, quàm omne bonum creatum esset, antequam corruptum esset, ex hoc meliùs demonstratur magna bonitas Dei; & si de bono creato corrupto extractum est bonum creatum, quod sit æquale alteri bono creato, quod de bono creato incorruptibili sit productum, bonum increatum demonstratur majus in producendo de bono corrupto bonum

bonum creatum incorruptibile, quàm in producendo bonum incorruptibile de bono incorruptibili: & cùm hoc, per quod major operatio & majus bonum meliùs significant magnam bonitatem Dei, quàm minor operatio & minus bonum, meliùs conveniat cum esse, idcirco revelatur, supradictum Articulum esse verum.

Si nostra Domina gloriosa Virgo sancta Maria (benedicta sit ipsa semper, & nos benedicamur ab ipsa) opere Sancti Spiritûs concepit Filium, qui sit Deus & Homo, propinquior est magnæ bonitati nostri Domini Dei, & remotior est à nostro intellectu, quòd possit in se ipso comprehendere totam immensitatem boni existentis in Filio beatæ Virginis, & existentis in ipsa beata Virgine: & quantò humanus intellectus est remotior à comprehendendo bonum divinâ bonitate creatum, tantò est remotior à comprehendendo divinam bonitatem & magnitudinem, quæ creavit illud bonum in nostra Domina & in suo Filio: & cùm hoc conveniat cum esse, per quod magna bonitas Dei est altior ad non essendum comprehensa ab humano intellectu, & bonitas & magnitudo Dei meliùs concordant cum hoc, quod magis convenit cum esse, quàm cum hoc, quod non tantum convenit cum esse, idcirco necessariâ ratione significatur Conceptio facta per opus Sancti Spiritûs.

Probatum est, quòd in Deo sit Trinitas; unde majus bonum, quod possit fieri, est operatio Trinitatis, & majus bonum, quod Sanctus Spiritus possit facere in creatura, est, quòd ejus opere Filius Dei sibi uniat creaturam, & quòd nostra Domina beata Virgo, quæ est Creatura, medio modo sit Creatura & Genitrix Creatoris: unde si Sanctus Spiritus odiret, quòd sit tale bonum & talis operatio inter Creatorem & creaturam, contradiceret majori & meliori bonitati, quæ potest esse inter Creatorem & creaturam; quòd si odiret, contradiceret immensæ bonitati Dei, quæ consistit in æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem & in qua impossibilitate manifestè demonstratur Conceptio Filii Dei, quam recepit beata Virgo cooperante Sancto Spiritu.

De Amore & Justitia.

SI Filius Dei assumpsit humanam carnem, divinus Amor fortiùs & expressiùs in homine infundit & imprimit concordantiam & justitiam, quàm infunderet, si non esset incarnatus; & cùm justitia sit bonum, injuria verò malum, & cùm divinus amor meliùs demonstretur per majorem justitiam, quàm per minorem, etiam cùm spes, fides, charitas, fortitudo, prudentia & temperantia meliùs concordent per majorem justitiam, quàm per minorem, & fortiùs contradicant vitiis per majorem justitiam, quàm per minorem, igitur secundùm conditiones hujus Arboris Filius Dei est conceptus de Sancto Spiritu; quòd si non esset, supradictus flos contradiceret antedictis conditionibus Arboris; quod est evidenter impossibile.

De Potestate & Prudentia.

POtestas, sapientia & amor Dei in perfectione conveniunt in tribus, videlicet, quod per potestatem potest fieri, per sapientiam scitur fieri, per voluntatem diligitur fieri, & per perfectionem convenit fieri; quòd si non esset hæc concordantia, sequeretur, quòd inter flores esset contrarietas, quæ in eis nullo modo potest esse: unde major potestas, quam Deus possit habere in creatura, est, quòd possit ipsam sibi ipsi unire; & hoc idem sequitur de sua sapientia, & sua voluntate, & sua perfectione: & major potestas, quàm creatura possit velle & intelligere in se ipsa, est, quòd se intelligat & diligat unam Personam cum Persona divina: unde cùm hoc ita sit, per naturam & proprietatem supradicti floris & conditiones hujus Arboris manifestatur, Filium Dei fuisse incarnatum.

Si major potestas, quæ sit & possit esse, est, quòd infinita potestas in bonitate, magnitudine &c. generet infinitam potestatem in bonitate, magnitudine &c., & à generante & à generato procedat infinita potestas in bonitate, magnitudine &c., sequitur necessariò, quòd major potestas, quæ sit & possit esse inter infinitam potestatem & finitam, sit, quòd infinita potestas sibi ipsi uniat finitam potestatem; & si hæc non esset major potestas, quæ esset inter potestatem infinitam & finitam, sequeretur, quòd potestas infinita non esset major, quàm finita, aut quòd potestas finita esset major, quàm infinita; hoc autem est impossibile & non est consonum rationi: & si prudentia non intelligeret potestatem infinitam majorem, quàm finitam, contradiceret floribus

primæ Arboris & conditionibus hujus Arboris; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem declaratur, quòd conveniat, quòd hoc necessariò sit secundùm conditiones hujus Arboris, per quod prudentia & potestas meliùs concordant; in qua concordantia manifestatur supradictus Articulus.

De Perfectione & Acedia.

PErfectio & Acedia sunt oppositæ; nam in perfectione non est defectus, qui convenit cum acedia, nec in acedia est perfectio, quæ contradicit defectui; unde si Filius Dei assumpsit humanam naturam, Deus infudit majorem perfectionem in humanam naturam, quàm si non assumpsisset humanam naturam: & quantò majorem perfectionem Deus posuit seu infudit in humanam naturam, tantò fortiùs perfectio increata & creata contradicunt acediæ & omnibus, quæ concordant cùm acedia: & cùm major contrarietas, quæ sit inter perfectionem & acediam, debeat affirmari, igitur per majorem contrarietatem cuilibet manifestè demonstrata est Incarnatio Filii Dei.

De Fide & Spe.

DIxit Christianus Gentili: Fides & infidelitas sibi invicem opponuntur, & Spes & desperatio similiter sibi invicem contradicunt; unde cùm fides & spes sint virtutes, & earum contraria sint vitia, quantò majores sunt fides & spes, tantò meliùs concordant contra sua contraria: unde si Filius Dei assumpsit carnem, fides, quæ credit in Incarnationem, & spes, quæ sperat in Incarnationem, non possunt in homine esse in altiori gradu, quàm sint: & si Filius Dei non est incarnatus, fides & spes potuissent in homine esse in majori concordantia & in altiori gradu, quàm sint: & cùm hoc, per quod fides & spes habent majorem nobilitatem, conveniat cum esse secundùm conditiones hujus Arboris, idcirco in illa majoritate & concordantiâ essendi significatur sancta Humanitas, quam Filius Dei assumpsit in nostra Domina gloriosa Virgine.

De Fortitudine & Gula.

FOrtitudo & temperantia conveniunt contra intemperantiam & Gulam; & quia homo quotidie comedit & bibit, & quia res, quas homo comedit & bibit, sunt ori & gustui valde sapidæ & placentes, idcirco Deus ordinavit, quòd fortitudo & temperantia contrarientur gulæ & intemperantiæ, ut anima possit delectari in habendo fortitudinem & temperantiam; & ut Deus vellet, quòd in homine esset magna fortitudo & magna temperantia per quotidianam mortificationem gulæ & per acquisitionem meriti, idcirco Deus voluit assumere humanam naturam ad salvandum hominem, & ut homo cum majori fortitudine & temperantia in se mortificaret gulam ad hoc, ut Deum honoraret, & ut id, quod Deo gratum & placitum esset, diligeret; quæ major temperantia & fortitudo possunt meliùs in homine existere per Incarnationem Filii Dei, quàm sinè Incarnatione, in qua meliùs significatur Conceptio Filii Dei.

Dixit Gentilis Christiano: quare non omnes tres Personæ divinæ assumpserunt carnem? & Persona Filii tantùm assumpsit carnem?

Respondit Christianus: ad meliùs significandum, quomodo quælibet trium Personarum divinarum distinguatur ab alia, à maximâ sapientiâ Dei ordinatum fuit, quòd non nisi una Persona solùm incarnaretur, ad evitandum, ne distinctio in divinis Personis videretur confusa; & ad significandum, quòd una Paternitas, & una Filiatio, & una Spiratio Sancti Spiritûs in Trinitate Dei perfectissimè sufficiant, Filius Dei tantùm voluit incarnari; nam si Incarnatio indigeret pluribus Personis, quàm unâ, non significarentur in Deo magnitudo & perfectio.

Quæsivit Gentilis à Christiano: quare Filius assumpsit carnem, & non Pater vel Sanctus Spiritus?

Respondit Christianus: Deus voluit ordinare hoc, per quod humanus intellectus possit intelligere conditiones & concordantiam florum, ad demonstrandam magnitudinem & perfectionem in suo opere; & quia Filius Dei generatus est & generatur à Patre, & ipse humanam carnem assumens generatur ab homine, igitur respectu naturæ unitas Personæ meliùs convenit inter Filium Dei & Filium hominis, quàm inter Patrem & hominem, & inter Sanctum Spiritum & hominem; eò quòd generatio convenit Filio Dei & filio hominis.

Ait Gentilis: precor te, ut mihi dicas, quid dicant Judæi & Saraceni super isto Articulo de Conceptione?

Respon-

Respondit Christianus: nostris peccatis impedientibus nos Christiani sumus negligentes ad significandum & demonstrandum infidelibus nostram Fidem; & ipsi habent dura corda & grossos intellectus ad intelligendam nostram Legem: unde nos non credimus illam Incarnationem, quam ipsi opinantur nos credere; & Fides, quâ nos credimus Incarnationem Filii Dei, est alia, quàm ipsi putent nos credere, & nobis invicem contrariamur per diversas opiniones.

ARTICULUS IX.

Quòd Christus sit natus ex Maria Virgine.

De Bonitate & Magnitudine.

INquit Christianus Gentili: *quantò majus est unum bonum, quàm alterum bonum, tantò majus & meliùs debet esse suum opus, quàm opus minoris boni:* unde major & nobilior Nativitas, quæ sit & possit esse, est Nativitas Filii Dei, qui de Deo Patre nascitur; quæ Nativitas est in infinita magnitudine, bonitate & æternitate &c., nascente bonitate, magnitudine, æternitate &c. infinitis de bonitate, magnitudine, æternitate &c. infinitis: unde si de bono nato infinito in bonitate, magnitudine, æternitate &c. est facta Unitas cum bono nato finito & creato, ambobus bonis nascentibus ex Muliere Virgine, major Nativitas & nobilior Creatura, quæ possit esse, est, Hominem & Deum nasci ex sanctâ, justâ & virtuosâ Muliere Virgine: quòd si hæc non esset nobilior Nativitas, quæ possit esse in creatura, Nativitas Filii Dei, qui nascitur à Deo Patre, non esset nobilior Nativitas, quàm quælibet alia nativitas: „unde sicut bonitati con-„venit bonificare, hoc est, bonum facere, „& magnitudini magnificare, ita signifi-„cationi convenit significare; & secundùm quòd bonum est majus, necessarium est, quòd sua significatio fiat in majori significatione: & ideo secundùm conditiones hujus Arboris Deus voluit assumere humanam naturam in Fœmina Virgine, & voluit esse una Persona cum humana Natura, & voluit etiam, quòd illa Persona nasceretur de Virgine, ad exaltandam Nativitatem factam in creatura, ut magna Nativitas Creatoris demonstraretur.

In natura non potest esse nativitas absque principio & corruptione fœminæ; in Deo Filius nascitur à Deo Patre tantùm sinè principio: conditio autem hujus Arboris est, *quòd flores non sint sibi invicem oppositi:* unde si Filius Dei voluit nasci de Muliere Virgine absque hoc, quòd contradicat æternitati, quæ non habet principium, & voluntas & potestas conveniunt in hoc, quòd Deus & Homo potest nasci de Virgine, manifestabilius est humano intellectui, quòd flores inter se non possint aliquo modo contrariari, quàm si Filius Dei noluisset esse Homo, nec nasci cum humana Natura de Virgine incorrupta; & cùm necessariò conveniat esse hoc, per quod meliùs demonstratur, quòd sit impossibile, quòd flores adinvicem contrarientur, igitur in hac impossibilitate manifestatur sancta Nativitas, quam investigamus his rationibus, & invenimus in ipsa supradictam necessitatem, per quam manifestè demonstratur concordantia florum primæ Arboris.

De Potestate & Perfectione.

MAxima Perfectio, quæ est in operibus naturalibus, est, quòd secundùm cursum naturæ una res nascatur ex altera; & ideo major & nobilior Potestas, quam natura possit habere, est, quòd per suum opus una res possit generare alteram, & quòd una res possit generari ex altera; quod si sic non esset, sequeretur, quòd naturalis perfectio & naturalis potestas essent sibi invicem contrariæ & adversæ; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur Nativitas Dei & Creaturæ, in quam nos Christiani credimus; nam de influentia Nativitatis Filii Dei, qui à Deo Patre generatur, convenit esse unam aliam Nativitatem minùs nobilem, quàm Nativitas, quam Deus Filius habet de Deo Patre, & quæ sit nobilior, quàm nativitas, quæ fit in creaturis secundùm cursum & regulam naturalem, ad demonstrandum, quòd in Deo sit major perfectio & major potestas, quàm in creatura; cui creaturæ non conveniunt potestas & perfectio supra se ipsam; quòd si convenirent, potestas & perfectio creaturæ essent increatæ; quod est evidenter impossibile: unde nisi Nativitas Christi esset supra naturam, potestas & perfectio non conveniissent adeò bene in opere, quod esset inter Deum & Creaturam, sicut conveniunt, si Nativitas sit facta supra naturam, & in illa Nativitate sit Dominus na-

turæ & natura; & quia major concordantia potestatis & perfectionis significat in Deo majorem nobilitatem, quàm minor concordantia, & cùm Deo debeat attribui major nobilitas, *secundùm conditionem Arboris, in qua flos potestatis & perfectionis scribitur*, igitur in prædicta conditione manifestè demonstratur Nativitas JESU Christi Dei & Hominis & Virginitas nostræ gloriosissimæ Dominæ sanctæ MARIÆ.

Divina potestas & perfectio adeò fortiter conveniunt in infinita bonitate, magnitudine &c., quòd secundùm cursum naturæ dederint soli virtutem, quòd cum suis radiis penetret vitrum, & cameram per vitrum intus illuminet sinè corruptione vitri, & absque hoc, quòd radii solis sint interrupti: unde si integra solaris rota sinè corruptione solis & vitri penetraret per integrum vitrum, Deus in sole & vitro posuisset nobiliorem perfectionem potestatis & virtutis, quàm posuerit in eo, quòd integer sol non possit penetrare per integrum vitrum, nec, si rota solaris per ipsum transiret, posset vitrum remanere integrum: & quia divinâ potestate & perfectione corpus glorificatum non impeditur, ne penetret integrè per alterum corpus integrum, & cùm secundùm conditionem floris conveniat, Deum ordinâsse, quòd penetratio glorificati corporis demonstretur, & cùm etiam illa penetratio demonstretur, si Homo sit natus ex Virgine, igitur convenit, quòd Homo natus sit ex Virgine ad demonstrandam humano intellectui supradictam penetrationem; sinè qua Nativitate flos & ejus conditiones non manifestarentur.

De Sapientia & Charitate.

IN Deo est Sapientia, in homine verò Charitas; unde, quantò major est divina sapientia & charitas in homine, tantò plùs potest charitas existens in homine amare divinam sapientiam: unde si Filius Dei assumpsit humanam Naturam, & est cum illa Humanitate natus in mundo, & illuminavit illam Humanitatem majori sapientiâ, quàm sit omnis sapientia, quæ est in omnibus Angelis & in omnibus hominibus, & si in illam infudit majorem charitatem, quàm sit quælibet alia creata charitas, sequitur, quòd in Nativitate Humanitatis, quam Filius Dei assumpsit, sit nata major sapientia & major creata charitas, quàm quælibet alia sapientia & charitas: & si major sapientia & charitas in illa est nata, per hoc meliùs cognoscentur & diligentur amor & sapientia increatæ; & cùm hoc, quod meliùs convenit ad cognoscendum & amandum increatum amorem & sapientiam, conveniat cum veritate & esse, igitur in hac majori concordantia ipsius esse & veritatis manifestatur Nativitas JESU Christi.

De Perfectione & Avaritia.

TU Gentilis scis, quòd in Perfectione non sit Avaritia; quia si esset, defectus contradiceret avaritiæ: in avaritia similiter nulla est perfectio; quia si esset, perfectio & defectus ad invicem concordarent: unde si una bestia nascitur ex altera, perfectior est nativitas, quàm si una arbor nascitur ex altera; & hoc est, quia natura melior & nobilior est in animato corpore sensuali, quàm in inanimato corpore sensuali: & si unus homo nascitur ex fœmina, perfectior est nativitas, quàm si unum brutum animal nascitur ex altero; & scis, quare? eò quòd homo nascitur cum anima rationali, bestia verò cum anima irrationali: unde cùm hoc ita sit, si Homo nascatur ex Fœminâ, & ille Homo sit Deus, perfectior est Nativitas, quàm sit nativitas omnium aliorum hominum; & quantò major est Nativitas in perfectione, tantò magis significat liberalitatem Dei, qui contrariatur avaritiæ; quæ avaritia est contraria liberalitati: unde secundùm hoc, Gentilis, potes scire & intelligere, quòd Deus suam largitatem significet tantò majorem, quantò fortiùs beneficiat suam creaturam; & quò largiorem ipse se ostendit, eò meliùs significat homini, quòd homo sit inimicus avaritiæ: & quia ad hanc majorem significationem perfectæ largitatis Nativitas Dei cum creatura & in creatura est necessaria, idcirco Nativitas Dei & Hominis manifestè demonstratur.

Deus dat fœminæ perfectius donum, quando ipsi dat filium, quàm quando ipsi dat filiam; & scis, quare? quia vir est perfectior in natura, quàm fœmina; & si Deus dedisset te pro filio tuæ matri, & si natus esses ex ea cum tota sapientia, quam nunc habes, & habebis à nobis Sapientibus, Deus dedisset ei nobilius donum, quàm dederit, cùm tu ab ipsa fuisti generatus sinè scientia: unde si Deus nostræ Dominæ sanctæ Mariæ dedit Filium, qui in primis cunabulis & in ipsa nativitate fuit ita sapiens, sicut

sicut fuit post perfectionem suæ completæ ætatis, dedit ei perfectius donum, quàm si fuisset natus non sapiens; & si ille Filius, quem Deus illi dedit, habuit tantam liberalitatem, quòd se totum dederit humano generi ad recipiendam & sustinendam paupertatem & miseriam, tormenta & angustias & mortem, fuit fortiùs contrarius avaritiæ, quàm si se non subjecisset supradictis rebus: unde cùm perfectio largitatis increatæ meliùs significetur per majorem largitatem creatam, quàm per minorem, igitur in supradicta majoritate & minoritate secundùm conditiones Arborum & earum flores demonstratur Nativitas, quàm tu quæris.

De Prudentia & Charitate.

DIxit Christianus Gentili: quò plùs intelligis, eò plùs potes diligere vel odire illud, quod intelligis; & quò plùs odis seu diligis, eò plùs potes illud intelligere: unde si Deus est Homo, & est Homo natus ex Fœmina existente Virgine, & si hoc intelligis & diligis, supradictus flos est major, quàm si hoc diligis, non verò intelligis, vel si illud intelligis & odis: quod si sic non esset, sequeretur, quòd prudentia & charitas essent contrariæ, & quòd prudentia & contrarium charitatis concordarent, & quòd charitas & imprudentia convenirent; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd hoc conveniat cum esse, per quod prudentia & charitas meliùs concordant; quod si non conveniret cum esse, suum contrarium concordaret cum esse; & sequeretur, quòd esse meliùs conveniret cum hoc, per quod prudentia & charitas minùs concordant, quàm cum hoc, per quod magis concordant; & sequeretur, quòd esse & major virtus opponerentur; hoc autem est impossibile: quod si esset possibile, sequeretur, quòd Deus meliùs concordaret cum minori esse contra majus esse, quod est impossibile, & manifestè est contra conditiones Arborum: in qua contradictione Nativitas Filii Dei est demonstrata.

Per intelligere miraculosa opera, quæ Deus operatur contra cursum naturæ, potes meliùs in tuo intelligere multiplicare habitum prudentiæ & habitum charitatis diligentis scientiam, quàm per intelligere miraculosa opera in creaturis tantùm secundùm regulam naturalem: igitur cùm hoc ita sit, meliùs potes multiplicare in tua anima habitum charitatis & prudentiæ, si Deus facit opus miraculosum de creatura in se ipso assumendo humanam naturam, & nascendo de Virgine, quàm multiplicares, si Deus non faceret opus miraculosum, nisi in creaturis tantùm; & cùm hoc, per quod supradictus habitus sit major in cognoscendo & diligendo Deum, conveniat cum conditionibus Arborum, igitur in majori significatione miraculosæ operationis factæ in Deo & in creatura demonstratur Nativitas Dei & Hominis.

De Justitia & Superbia.

JUstitia & Superbia sunt contrariæ; unde in nostro Patre Adam, & in nostra Matre Eva orta fuit culpa & peccatum & superbia: igitur cùm superbia & injuria conveniant contra humilitatem & justitiam, secundùm conditiones florum convenit, humilitatem & justitiam concordare cum Nativitate melioris creaturæ omnibus aliis creaturis, ad hoc, ut in creatura esset major justitia & humilitas, quàm sint peccatum & culpa, quæ ceciderunt in hominem per injuriam & superbiam; quod si sic non esset, sequeretur, quòd destruerentur conditiones floris; & in flore perfectiònis & justitiæ esset contrarietas, per quam in flore perfectionis & superbiæ demonstraretur concordantia; quæ concordantia est evidenter impossibilis: per quam impossibilitatem significatur, quòd Filius Dei sit natus cum humana Natura, ut in humana natura oriatur major virtus humilitatis & justitiæ.

Postquam Christianus Gentili probaverat supradictum Articulum, Gentilis ipsum interrogans ait: dicas mihi, illa Fœmina, quam tu dicis, ex qua Filius Dei natus est, cujus Regis Filia fuit? vel quæ nobilitas Fœminæ potuit sufficere ad hoc, ut in ea Deus vellet assumere humanam Naturam, & ex eadem divina nobilitas vellet nasci?

Respondit Christianus: verum est, quòd nostra Domina sancta Maria fuerit de genere Davidis, qui fuit Rex honorabilior & nobilior, qui unquam fuit in populo Judæorum; veruntamen Pater nostræ Dominæ sanctæ Mariæ non fuit Rex, nec ejus Mater fuit Regina, imò fuerunt personæ pauperes; & gloriosa Virgo beata Maria fuit pauperrima istorum bonorum

tempo-

temporalium, fuit tamen virtutibus (excepto ſuo Filio) ditior omnibus creaturis; & hæc Domina habuit tantam paupertatem & inopiam, quòd, quando ex ea fuit natus Salvator mundi, non habuerit habitaculum, in quo diſcumberet & pareret ſuum Filium; & in ſtabulo, quod eſt commune beſtiis, peperit: unde hoc factum fuit in ſignificationem magnæ humilitatis Filii Dei, qui plùs contradicit ſuperbiæ, quàm omnes creaturæ; nam ſi Filius Dei voluiſſet naſci ex Regina Domina omnium Reginarum hujus mundi, bene potuiſſet; veruntamen non demonſtraſſet adeò magnam concordantiam humilitatis & juſtitiæ contra injuriam & ſuperbiam.

ARTICULUS X.

Quòd Chriſtus ſit crucifixus. De Bonitate & Æternitate.

TU bene ſcis, Gentilis, quòd gloria & paſſio ſeu pœna ſint contrariæ; & ideo potes ſcire, quòd paſſio ſit contraria Æternitati, in quantum convenit cum non eſſe; & gloria convenit cum æternitate, in quantum convenit cum eſſe: unde cùm eſſe & non eſſe opponantur, & non eſſe concordet cum minoritate, & eſſe conveniat cum majoritate, ideo majoritas convenit cum æternitate; quæ convenientia in Paſſione noſtri Domini JESU Chriſti fuit ſignificata; quoniam Filius Dei in illa Paſſione voluit ſignificare, quòd in ipſo magnitudo & æternitas concordent; nam ſi Filius Dei cum Humanitate JESU Chriſti fuit una Perſona, & illa Humanitas fuit mortua, & ſuſtinuit Paſſionem, per quam tradita fuit morti, & ab eſſe hominis devenit in non eſſe hominis, natura tamen Filii Dei in ſua magnitudine & æternitate absque alteratione infinitæ bonitatis, magnitudinis &c. remanſit ſalva & illæſa, ex hoc Filius Dei ſe fortiùs manifeſtavit immortalem & impaſſibilem, quàm ſe manifeſtaſſet ſinè Unione Humanitatis, quam aſſumpſit, & ſinè Paſſione & morte, quam humana Natura ſuſtinuit; & cùm hoc, per quod Filius Dei ſe ipſum meliùs demonſtrat immortalem & impaſſibilem ad ſignificandum ſuam magnitudinem & æternitatem, ſit affirmabile ſecundùm conditiones hujus Arboris, igitur in hac affirmatione Paſſio JESU Chriſti eſt manifeſtata.

Angelus & anima rationalis ſunt creaturæ immortales; & quia anima & corpus ſunt una perſona, id eſt, unus homo, & in annihilatione ſive morte illius hominis anima non moritur, ſed remanet in ſe ipſa, idcirco per experientiam humano intellectui meliùs demonſtratur immortalitas animæ, quàm immortalitas Angeli: unde per hoc ſignificatur, quòd Deus ad demonſtrandum ſuam immortalitatem voluerit, Filium eſſe unam Perſonam cum Homine, & quòd in morte illius Hominis non eſſet cauſa, propter quam Filius eſſet immortalis; & cùm hoc, per quod meliùs demonſtratur immortalitas divinæ Naturæ, conveniat cum eſſe, idcirco in hac convenientia eſſendi demonſtrantur Incarnatio & mors Filii Dei, quam aſſumpſit Humanitas.

Dixit Chriſtianus Gentili: nos credimus, quòd Deitas remanſerit cum corpore JESU Chriſti, quod in patibulo Crucis remanſit ſuſpenſum, quando anima deſcendit ad inferos, & credimus, quòd anima non fuerit à Deo ſeparata, licèt ipſa anima fuerit à ſuo corpore ſeparata: unde ſi Deitas ſic fuit una Perſona cum Humanitate Chriſti, quando fuit occiſus, ſicut fuerat ante mortem, licèt natura humana poſt mortem non eſſet homo, ex hoc nobis datur major demonſtratio magnitudinis & æternitatis, quæ ſunt in Deo; nam in quantum Filius fuit in Cruce cum corpore, & fuit in inferis cum anima, quæ deſcendit ad inferos ad extrahendum Adam & alios Prophetas ab inferis, oſtenditur ejus magnitudo; in eo autem, quòd remanſerit unitas Naturæ divinæ & Naturæ humanæ, licèt ille, qui habebat humanam Naturam, deſcenderet, manifeſtatur æternitas unitatis Filii Dei: unde ſi cum Natura humana ſic fuit una Perſona, licèt humana Natura eſſet mortalis, quantò magis manifeſtatur, quòd ſit unus in Eſſentia cum Patre & Sancto Spiritu, qui ſunt immortales: unde ad oſtendendum, hanc Unitatem Perſonarum exiſtere in Deitate, voluit in Paſſione & Unione Hominis demonſtrare ſuam æternitatem & magnitudinem; per quam voluntatem, quæ concordat cum perfectione, Paſſio JESU Chriſti eſt oſtenſa, ſinè qua magnitudo & æternitas in Deo non adeò perfectè manifeſtarentur.

De Amore & Charitate.

DIxit Chriſtianus Gentili: ſecundùm conditiones *primæ Arboris* convenit, *quòd homo Deo attribuat & in illo cognoſcat majorem amorem, quem homo poſſit Deo attribuere;* od ſi non faceret, contradiceret divinæ bilitati, quæ concordat cum infinita bo- tate & magnitudine &c.: unde cùm hoc ſit, *ex conditionibus primæ Arboris ſequun- conditiones ſecundæ Arboris*, videlicet, quòd ud, per quod homo meliùs poteſt obli- ri ad diligendum Deum, conveniat cum e; nam ſi non conveniret cum eſſe, ſe- ieretur, quòd diligere Deum eſſet malum; oc autem eſt impoſſibile: per quam im- oſſibilitatem ſignificatur, quòd Deus, ſe- ndùm quòd ſuus amor concordat cum finita bonitate, magnitudine &c., velit eſſe homo ad multùm diligendum hominem; nam plùs diligitur amatus per amantem, quando amans vult eſſe unum cum ſuo amato, quàm ſi amans non diligeret eſſe unum cum ſuo amato: unde in hoc majori amore demonſtratur, quòd Deus velit eſſe homo: & quia homo plùs poteſt diligere Deum, eò quòd Deus voluit eſſe Homo & mori propter hominem, in quantum erat Homo, & cùm adeò magnus amor non poſſet eſſe in hominibus absque hoc, quòd Deus eſſet Homo, & Chriſtus ſuſtineret mortem propter hominem, in hoc adeò magno amore illius Hominis, quem Hominem Deus ſe eſſe voluit, demonſtratur Paſſio; quòd ſi hæc non eſſet vera ſignificatio, ſequeretur, quòd conditiones Arborum eſſent falſæ; quod manifeſtè eſt impoſſibile.

Secundùm ſupradictas conditiones ſequitur, quòd hoc, per quod ſit magis inconveniens, quòd amor Dei homini & charitas hominis Deo contrarientur, conveniat cum eſſe, & hoc, quod eſt cauſa, propter quam amor Dei & charitas hominis ſint contrarii, conveniat cum non eſſe; per quod non eſſe & per quam cauſam charitas non poteſt eſſe in homine, dum homo eſt contrarius divino amori: unde cùm hoc ita ſit, & cùm nullo alio modo ſit tantùm inconveniens, voluntatem Dei contrariari voluntati hominis, quantùm per hoc, quòd Deus ſit Homo, & quòd ille Homo voluerit mori propter ſalvationem hominum, igitur ſignificatur, quòd Deus ſit Homo, & quòd ille Homo ſit mortuus propter hominem, ut homo non habeat voluntatem contrariam divino amori.

De Bonitate & Gula.

CErtum eſt, quòd in Adam divina bonitas ſublimaverit & honoraverit naturam ſupra cœlum, terram & mare ac omnia, quæ ſunt in terra, & etiam ſupra omnia, quæ componuntur ex quatuor elementis; nam in nulla iſtarum rerum eſt adeò nobilis creatura, ſicut homo; & quia Adam peccavit, & fuit inobediens Deo in Paradiſo terreſtri, igitur in Adam & per Adam humana natura facta eſt vilior, quàm omnes ſupradictæ creaturæ; cùm per peccatum & culpam Adam fuerit contrarius divinæ bonitati, cui ſupradictæ creaturæ non ſunt contrariæ: unde cùm hoc ita ſit, convenit ſecundùm bonitatem Dei, & ſecundùm conditiones hujus Arboris, quòd, ſicut Adam deſtruxit hoc, quod Deus tantum exaltaverat, ſic Deus reduceret humanam naturam ad altiorem ſtatum, quàm antea fuerat; qui ſtatus nobilior non habuiſſet complementum absque hoc, quòd Natura humana eſſet una Perſona cum bonitate, magnitudine &c. infinitis, per quam Perſonam noſtra natura recrearetur, ut rediret concordantia eſſendi inter nos & finalem cauſam, propter quam Deus nos creavit in hoc ſæculo, hoc eſt, contemplari Deum in ſua gloria.

De Charitate & Juſtitia.

QUantò plùs Charitas facit, quòd diligas Deum, tantò plùs Juſtitia facit, quòd odias injuriam; & quantò fortiùs odis injuriam, tantò plùs amas juſtitiam, & quantò fortiùs diligis juſtitiam, tantò plùs potes diligere Deum: unde cùm hoc ita ſit, per hoc ſignificatur concordantia inter charitatem & juſtitiam ad ſerviendum Deo: unde ſi verum eſt, quòd Deus ſit Homo, & judicaverit illum Hominem ad Paſſionem & Mortem ad complendum in illo Homine magnum ſervitium, quod Deus vult habere à charitate & juſtitia, quæ ſunt in illo Homine, & ſi etiam voluit judicare illum Hominem ad mortem, ad ſalvandum omnem hominem, qui diligat illum Hominem, & diligatur ab illo Homine, manifeſtum eſt, quòd in te & in me & in illo Homine poſſit eſſe major concordantia charitatis & juſtitiæ, & poſſimus meliùs contrariari contrariis charitatis & juſtitiæ, quàm ſi Deus non fuiſſet Homo, nec propter ſalvationem hominum ſuſtinuiſſet pœnas graviſſimæ mortis: & cùm ſecundùm conditiones hujus Arboris hoc, per quod virtutes conveniunt cum eſſe, debeat eſſe, igitur in conditionibus hujus Arboris & in ſupradicto

De modo quo glorificantur sancti in gloria.

In genere et in specie esse et perfectio non conveniunt, nec contrariantur cum non esse et defectu, et econverso; quia si hoc facerent conveniret quod in genere et in specie esset aliqua operatio, et hoc est impossibile.

temporalium, fuit tamen virtutibus (excepto ſuo Filio) ditior omnibus creaturis; & hæc Domina habuit tantam paupertatem & inopiam, quòd, quando ex ea fuit natus Salvator mundi, non habuerit habitaculum, in quo diſcumberet & pareret ſuum Filium; & in ſtabulo, quod eſt commune beſtiis, peperit: unde hoc factum fuit in ſignificationem magnæ humilitatis Filii Dei, qui plùs contradicit ſuperbiæ, quàm omnes creaturæ; nam ſi Filius Dei voluiſſet naſci ex Regina Domina omnium Reginarum hujus mundi, bene potuiſſet; veruntamen non demonſtraſſet adeò magnam concordantiam humilitatis & juſtitiæ contra injuriam & ſuperbiam.

ARTICULUS X.

Quòd Chriſtus ſit crucifixus. De Bonitate & Æternitate.

TU bene ſcis, Gentilis, quòd gloria & paſſio ſeu pœna ſint contrariæ; & ideo potes ſcire, quòd paſſio ſit contraria Æternitati, in quantum convenit cum non eſſe; & gloria convenit cum æternitate, in quantum convenit cum eſſe: unde cùm eſſe & non eſſe opponantur, & non eſſe concordet cum minoritate, & eſſe conveniat cum majoritate, ideo majoritas convenit cum æternitate; quæ convenientia in Paſſione noſtri Domini JESU Chriſti fuit ſignificata; quoniam Filius Dei in illa Paſſione voluit ſignificare, quòd in ipſo magnitudo & æternitas concordent; nam ſi Filius Dei cum Humanitate JESU Chriſti fuit una Perſona, & illa Humanitas fuit mortua, & ſuſtinuit Paſſionem, per quam tradita fuit morti, & ab eſſe hominis devenit in non eſſe hominis, natura tamen Filii Dei in ſua magnitudine & æternitate absque alteratione infinitæ bonitatis, magnitudinis &c. remanſit ſalva & illæſa, ex hoc Filius Dei ſe fortiùs manifeſtavit immortalem & impaſſibilem, quàm ſe manifeſtaſſet ſinè Unione Humanitatis, quam aſſumpſit, & ſinè Paſſione & morte, quam humana Natura ſuſtinuit; & cùm hoc, per quod Filius Dei ſe ipſum meliùs demonſtrat iñortalem & impaſſibilem ad ſignificandum ſuam magnitudinem & æternitatem, ſit affirmabile ſecundùm conditiones hujus Arboris, igitur in hac affirmatione Paſſio JESU Chriſti eſt manifeſtata.

Angelus & anima rationalis ſunt creaturæ immortales; & quia anima & corpus ſunt una perſona, id eſt, unus homo, & in annihilatione ſive morte illius hominis anima non moritur, ſed remanet in ſe ipſa, idcirco per experientiam humano intellectui meliùs demonſtratur immortalitas animæ, quàm immortalitas Angeli: unde per hoc ſignificatur, quòd Deus ad demonſtrandum ſuam immortalitatem voluerit, Filium eſſe unam Perſonam cum Homine, & quòd in morte illius Hominis non eſſet cauſa, propter quam Filius eſſet immortalis; & cùm hoc, per quod meliùs demonſtratur immortalitas divinæ Naturæ, conveniat cum eſſe, idcirco in hac convenientia eſſendi demonſtrantur Incarnatio & mors Filii Dei, quam aſſumpſit Humanitas.

Dixit Chriſtianus Gentili: nos credimus, quòd Deitas remanſerit cum corpore JESU Chriſti, quod in patibulo Crucis remanſit ſuſpenſum, quando anima deſcendit ad inferos, & credimus, quòd anima non fuerit à Deo ſeparata, licèt ipſa anima fuerit à ſuo corpore ſeparata: unde ſi Deitas ſic fuit una Perſona cum Humanitate Chriſti, quando fuit occiſus, ſicut fuerat ante mortem, licèt natura humana poſt mortem non eſſet homo, ex hoc nobis datur major demonſtratio magnitudinis & æternitatis, quæ ſunt in Deo; nam in quantum Filius fuit in Cruce cum corpore, & fuit in inferis cum anima, quæ deſcendit ad inferos ad extrahendum Adam & alios Prophetas ab inferis, oſtenditur ejus magnitudo; in eo autem, quòd remanſerit unitas Naturæ divinæ & Naturæ humanæ, licèt ille, qui habebat humanam Naturam, deſcenderet, manifeſtatur æternitas unitatis Filii Dei: unde ſi cum Natura humana ſic fuit una Perſona, licèt humana Natura eſſet mortalis, quantò magis manifeſtatur, quòd ſit unus in Eſſentia cum Patre & Sancto Spiritu, qui ſunt immortales: unde ad oſtendendum, hanc Unitatem Perſonarum exiſtere in Deitate, voluit in Paſſione & Unione Hominis demonſtrare ſuam æternitatem & magnitudinem; per quam voluntatem, quæ concordat cum perfectione, Paſſio JESU Chriſti eſt oſtenſa, ſinè qua magnitudo & æternitas in Deo non adeò perfectè manifeſtarentur.

De Amore & Charitate.

DIxit Chriſtianus Gentili: ſecundùm conditiones *primæ Arboris* convenit, *quòd homo Deo attribuat & in illo cognoſcat majorem amorem, quem homo poſſit Deo attribuere;* quod ſi non faceret, contradiceret divinæ nobilitati, quæ concordat cum infinita bonitate & magnitudine &c.: unde cùm hoc ita ſit, *ex conditionibus primæ Arboris ſequuntur conditiones ſecundæ Arboris*, videlicet, quòd illud, per quod homo meliùs poteſt obligari ad diligendum Deum, conveniat cum eſſe; nam ſi non conveniret cum eſſe, ſequeretur, quòd diligere Deum eſſet malum; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem ſignificatur, quòd Deus, ſecundùm quòd ſuus amor concordat cum infinita bonitate, magnitudine &c., velit eſſe homo ad multùm diligendum hominem; nam plùs diligitur amatus per amantem, quando amans vult eſſe unum cum ſuo amato, quàm ſi amans non diligeret eſſe unum cum ſuo amato: unde in hoc majori amore demonſtratur, quòd Deus velit eſſe homo: & quia homo plùs poteſt diligere Deum, eò quòd Deus voluit eſſe Homo & mori propter hominem, in quantum erat Homo, & cùm adeò magnus amor non poſſet eſſe in hominibus absque hoc, quòd Deus eſſet Homo, & Chriſtus ſuſtineret mortem propter hominem, in hoc adeò magno amore illius Hominis, quem Hominem Deus ſe eſſe voluit, demonſtratur Paſſio; quòd ſi hæc non eſſet vera ſignificatio, ſequeretur, quòd conditiones Arborum eſſent falſæ; quod manifeſtè eſt impoſſibile.

Secundùm ſupradictas conditiones ſequitur, quòd hoc, per quod ſit magis inconveniens, quòd amor Dei homini & charitas hominis Deo contrarientur, conveniat cum eſſe, & hoc, quod eſt cauſa, propter quam amor Dei & charitas hominis ſint contrarii, conveniat cum non eſſe; per quod non eſſe & per quam cauſam charitas non poteſt eſſe in homine, dum homo eſt contrarius divino amori: unde cùm hoc ita ſit, & cùm nullo alio modo ſit tantùm inconveniens, voluntatem Dei contrariari voluntati hominis, quantùm per hoc, quòd Deus ſit Homo, & quòd ille Homo voluerit mori propter ſalvationem hominum, igitur ſignificatur, quòd Deus ſit Homo, & quòd ille Homo ſit mortuus propter hominem, ut homo non habeat voluntatem contrariam divino amori.

De Bonitate & Gula.

CErtum eſt, quòd in Adam divina bonitas ſublimaverit & honoraverit naturam ſupra cœlum, terram & mare ac omnia, quæ ſunt in terra, & etiam ſupra omnia, quæ componuntur ex quatuor elementis; nam in nulla iſtarum rerum eſt adeò nobilis creatura, ſicut homo; & quia Adam peccavit, & fuit inobediens Deo in Paradiſo terreſtri, igitur in Adam & per Adam humana natura facta eſt vilior, quàm omnes ſupradictæ creaturæ; cùm per peccatum & culpam Adam fuerit contrarius divinæ bonitati, cui ſupradictæ creaturæ non ſunt contrariæ: unde cùm hoc ita ſit, convenit ſecundùm bonitatem Dei, & ſecundùm conditiones hujus Arboris, quòd, ſicut Adam deſtruxit hoc, quod Deus tantum exaltaverat, ſic Deus reduceret humanam naturam ad altiorem ſtatum, quàm antea fuerat; qui ſtatus nobilior non habuiſſet complementum absque hoc, quòd Natura humana eſſet una Perſona cum bonitate, magnitudine &c. infinitis, per quam Perſonam noſtra natura recrearetur, ut rediret concordantia eſſendi inter nos & finalem cauſam, propter quam Deus nos creavit in hoc ſæculo, hoc eſt, contemplari Deum in ſua gloria.

De Charitate & Juſtitia.

QUantò plùs Charitas facit, quòd diligas Deum, tantò plùs Juſtitia facit, quòd odias injuriam; & quantò fortiùs odis injuriam, tantò plùs amas juſtitiam, & quantò fortiùs diligis juſtitiam, tantò plùs potes diligere Deum: unde cùm hoc ita ſit, per hoc ſignificatur concordantia inter charitatem & juſtitiam ad ſerviendum Deo: unde ſi verum eſt, quòd Deus ſit Homo, & judicaverit illum Hominem ad Paſſionem & Mortem ad complendum in illo Homine magnum ſervitium, quod Deus vult habere à charitate & juſtitia, quæ ſunt in illo Homine, & ſi etiam voluit judicare illum Hominem ad mortem, ad ſalvandum omnem hominem, qui diligat illum Hominem, & diligatur ab illo Homine, manifeſtum eſt, quòd in te & in me & in illo Homine poſſit eſſe major concordantia charitatis & juſtitiæ, & poſſimus meliùs contrariari contrariis charitatis & juſtitiæ, quàm ſi Deus non fuiſſet Homo, nec propter ſalvationem hominum ſuſtinuiſſet pœnas graviſſimæ mortis: & cùm ſecundùm conditiones hujus Arboris hoc, per quod virtutes conveniunt cum eſſe, debeat eſſe, igitur in conditionibus hujus Arboris & in ſupradicto

prædicto flore demonstratur Passio nostri Domini JESU Christi.

De Spe & Avaritia.

AVaritia est contraria Spei; & ideo pauperes desperant de divitibus avaris, & habent spem in hominibus largis & liberalibus: unde si Deus est Homo, & voluit mori ad salvandum me & te & illum hominem, in te ipso considera, utrùm per aliquem alium modum absque isto possis melùs sperare & confidere in Deo, & plùs contradicere avaritiæ; & cùm per Incarnationem Filii Dei & per Passionem JESU Christi possis habere majorem spem, & plùs contradicere avaritiæ, idcirco in majori spe & majori contrarietate spei & avaritiæ demonstrantur Incarnatio Filii Dei & Passio JESU Christi.

Saraceni dicunt, quòd JESUS Christus non fuerit mortuus; & scis, quare hoc dicant? eò quòd putant illi attribuere majorem honorem, affirmando, quòd non sit mortuus; veruntamen ipsi non cognoscunt honorem, quem JESUS Christus recipit in essendo spes & consolatio cujuslibet hominis, quantumcunque sit culpabilis sive pauper, cui non esset adeò vera spes absque hoc, quòd Deus fuisset Homo, & sustinuisset pœnam mortis propter salvationem hominum.

Valdè miror, ait Gentilis, quomodo JESUS permiserit se sic occidi, cùm esset adeò nobilis Persona, ût dicis?

Respondit Christianus: tu audis & non intelligis; *& ideo de audire & non intelligere generatur admiratio; quæ generatio corrumpitur, quando intelligitur, quod auditur:* unde cùm hoc ita sit, „intellige, quomodo in humana Natura JESU Christi & in „ejus Passione ac Morte Deus nobis signi„cet ac demonstret perfectionem florum „primæ & secundæ & quartæ Arboris; & „sicut in speculo demonstratur dispositio „tui corporis, ita in malis hominibus con„trariis Deo demonstrantur supradicti flo„res per flores tertiæ & quintæ Arboris; sinè „qua tertia & quinta Arbore prædicti flo„res non adeò bene demonstrarentur hu„mano intellectui.

ARTICULUS XI.

Quòd Christus descenderit ad Inferos.

De Magnitudine & Perfectione.

DIxit Christianus Gentili: major Perfectio, quæ possit esse in creatura, est, quòd possit uniri Creatori ad essendum una Persona cum Creatore; unde si hæc est nobilior perfectio in creatura, convenit, quòd nobilior usus, qui possit esse in creatura, sit, quòd creatura possit uti creaturis sicut Deus: unde si hic est major & nobilior usus, qui possit esse in creatura, convenit, quòd nobilior usus, quem creatura possit recipere, sit in creatura; quod si non esset, creatura posset recipere nobiliorem usum, quàm haberet; & sequeretur, quòd magnitudo & perfectio in flore essent contrariæ bonitati, æternitati & potestati &c., & quòd concordarent cum avaritia, acedia & superbia; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, in creatura esse tantum usûs & dominii, quantum in ipsa secundùm conditiones Arborum potest capi: quo usu & posse recipere est nobis demonstrata Incarnatio Filii Dei; & per Incarnationem & supradictum florem significatur Passio JESU Christi, & per Passionem ostenditur dominium, quod humana Natura JESU Christi habet supra creaturam; quæ creatura secundùm florem significat, Animam JESU Christi descendisse ad inferos ad liberandum Adam, Abraham & alios Prophetas, ut compleret eorum spem, ut medio modo cum Natura divina, cui Anima erat unita, remitteret eis culpas; per quam divinam Naturam habebat majorem potestatem, quàm omnes aliæ creaturæ, ad ostendendum, in Deo esse supradictum florem.

Perfectio solis est, quòd cum suis radiis transeat per fimum & loca sordida, & quòd ab illis locis, per quæ transit, non accipiat in se sordes; & perfectio animæ est, quòd sit unum cum corpore, & quòd per corruptionem corporis ipsa nullo modo corrumpatur: unde sicut sol & anima habent aliquid, per quod ipsorum perfectio sit demonstrabilis, ita convenit, quòd divina perfectio habeat aliquid, per quod sit demonstrabilis creaturis; quod si non haberet, sequeretur, quòd divina perfectio non esset major, quàm perfectio solis & animæ, neque tanta, quanta est perfectio solis & animæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem perfectio & magnitudo

tudo Dei sunt demonstrabiles: per quam demonstrabilitatem significatur, quòd oportuerit, Animam Christi descendisse in locum, in quo tormentabantur Animæ Prophetarum, & quòd ipsa nullo modo habuerit tormentum ad significandum suam perfectionem; quam perfectionem habet per divinam perfectionem, in significationem, quòd divina Natura fuerit cum ipsa in inferis, absque passione Deitatis & Animæ: nam si Anima Christi non habuit passionem, quantò minùs Deitas in inferis habuit passionem, licèt essentialiter esset in illis: unde cùm sinè descensu Animæ Christi non tam perfectè significarentur magnitudo & perfectio Dei, & conveniat, illam magnitudinem & perfectionem significari, secundùm quòd ipsis convenit, & secundùm conditiones floris, igitur in congruitate significationis demonstratur, Animam Christi descendisse ad inferos, ut flores perfectè significarentur.

De Magnitudine & Æternitate.

INfinita Magnitudo non potest moveri ab uno loco in alterum; cùm omnis locus sit finitæ & terminatæ quantitatis; nec Æternitas potest esse alterabilis seu commutabilis; cùm omne alterabile & commutabile sit inceptum: unde, ad significandam divinam magnitudinem & æternitatem, Anima Christi, quæ est unita cum Filio Dei, qui est unitus cum Corpore Christi, descendit ad inferos, ad ostendendum, quòd Filius Dei sit simul in Corpore & in Anima, licèt Corpus in uno loco, & Anima in altero separatim existerent, & quòd Corpus esset alterabile à vita in mortem, & Anima per naturam mutabilis de uno loco in alterum: & cùm hujusmodi significatio conveniat ad demonstrandum prædictum florem in Persona Filii Dei, & illa significatio fiat, si Anima Christi descendit ad inferos, idcirco per conditiones Arboris demonstratur, Animam Christi descendisse ad inferos.

De Potestate & Justitia.

SI Potestati Dei convenit attribuere majorem nobilitatem, quæ in altera potestate sit seu possit esse, convenit, quòd Animæ unitæ divinæ potestati attribuatur major Justitia, quàm alicui alteri creaturæ, & in majori creata justitia significatur major increata potestas, quæ illam creatam justitiam exaltavit supra cæteras creatas justitias: unde si Anima JESU Christi descendit ad inferos ad ostendendam suam justitiam, ut per hanc justitiam divina potestas sit manifestabilis, sequitur, quòd justitia melùs demonstret divinam potestatem: & cùm hoc, per quod potestas Dei est melùs manifestabilis, conveniat cum veritate & cum esse, igitur in hac veritate & esse manifestatur, Animam Christi descendisse ad inferos.

De Bonitate & Superbia.

DIvina Bonitas creavit in Paradiso Angelos, & creavit & posuit Adam in terrestri paradiso; per Superbiam autem dæmones ceciderunt de cœlo, & Adam fuit ejectus è terrestri paradiso: unde ad significandum, divinam bonitatem fortiter contrariari superbiæ, ipsa voluit esse adeò humilis, quòd voluerit sibi ipsi unire creatam humilitatem, quæ existeret in humana Natura Christi, quæ etiam esset humiliata ad mortem ad restaurandum hoc, quod homo perdiderat per superbiam, & quòd cœli recuperarent veritatem, per quam in ipsis manifestâ significatione divina bonitas videretur: unde ut hujus significatio fieret, convenit, quòd Anima Christi in inferis repræsentaret humilitatem Corporis occisi in Cruce, & divinam bonitatem, quæ vocabat animas Adæ, Abrahæ & aliorum Prophetarum & Sanctorum, ut ipsas animas exaltaret ad cœlos, à quibus dæmones ceciderant per superbiam & peccatum; & cùm sinè descensu Animæ Christi ad inferos supradicta demonstratio adeò convenienter non potuisset fieri, idcirco in majori convenientia secundùm conditiones Arboris demonstratur, Animam Christi descendisse ad inferos ad vocandum Sanctos, qui erant in pœnis inferorum, ad gloriam sempiternam.

De Fide & Spe.

ABraham & alii Prophetæ credebant in Adventum Messiæ; Judæi autem nunc existentes credunt, Messiam esse venturum, ut ipsos extrahat à temporali captivitate; Christiani autem credunt, quòd Messias jam venerit, & quòd compleverit desiderium Prophetarum, & quòd desiderium Prophetarum fuerit, ut in Unione Dei exaltaretur humana natura, & recrearetur ab originali peccato: & cùm hujusmodi desiderium

Christianorum conveniat cum majoritate & cum majori necessitate, quàm desiderium, in quod credunt Judæi, igitur Fides & Spes secundùm nostram Legem meliùs concordant cum majoritate, quàm secundùm Legem Judæorum: & cùm majoritas & esse conveniant, idcirco in majoritate & esse fidei & spei Fides Christianorum demonstratur esse vera, quæ non posset esse vera, si crederemus, Animam Christi descendisse ad inferos, & hoc non esset verum; & cùm nostra fides significetur esse vera in majori concordantia fidei & spei, manifestatur, Animam Christi descendisse ad inferos.

De Charitate & Ira.

SI Anima Christi descendit ad inferos, ut extraheret Sanctos, Corpus Christi autem fuit morti traditum pro ipsorum recreatione, ex hoc significatur major charitas in Anima Christi, & major in Deo, si est unum cum Anima & Corpore Christi, & damnati ex hoc habent majorem iram, & fortiùs eorum conscientia est eis occasio tormentorum; & cùm hoc, per quod Charitas & Ira plùs distant ab invicem, & ira convenit cum majori pœna, charitas verò cum majori gloria, debeat esse secundùm conditiones Arborum, ideo in majori differentia charitatis & iræ & in conditionibus Arborum manifestatur, Animam Christi descendisse ad inferos, ad significandum distantiam & deviationem, quæ naturaliter debet esse inter charitatem & iram.

ARTICULUS XII.

Quòd Christus resurrexerit.

De Magnitudine & Perfectione.

MAnifestum est, quòd quælibet creatura se habeat ad unum finem, videlicet ad illum finem, qui illi meliùs convenit; si ergò est una Creatura, quæ sit finis finium omnium aliarum creaturarum, illius autem creaturæ finalis ratio sit Deus, ex hoc ostenditur major perfectio in Deo & Creatura, quàm si una Creatura medians inter Deum & creaturas non esset finis omnibus creaturis: & cùm hoc, per quod demonstratur major perfectio in Deo & creaturis, meliùs conveniat cùm esse secundùm conditiones Arborum, idcirco demonstratur Incarnatio Filii Dei in Creatura; per quam creaturam significatur mors, quæ sit finalis ratio Resurrectionis; per quam Resurrectionem supradictus flos meliùs demonstratur, quàm per aliam resurrectionem; cujus nobiliorisResurrectionis nobilitas manifestat, ipsam esse, antequam sit aliqua alia resurrectio minùs nobilis; quòd si non esset, supradictus flos & conditiones Arboris essent ad invicem oppositi; hoc autem est impossibile.

De Potestate & Spe.

ANimæ habent Spem recuperandi corpora ad redeundum in humanitatem, in qua consueverunt esse cum corporibus: unde si Corpus JESU Christi est resuscitatum, animæ, quæ ipsum intelligunt, poterunt habere majorem spem, quàm habuissent, si ejus Corpus non resurrexisset: & quò majorem potestatem animæ habent habendi spem in resurrectionem, eò majorem potestatem recipiunt à divina potestate; & quò magis à Deo recipiunt, eò magis ipsum cognoscunt & diligunt, & divina potestas plùs utitur gratiâ seu possificare, id est, posse operari, in animabus Sanctorum gloriæ Paradisi: unde cùm hoc ita sit, si Corpus Christi est resuscitatum, & est in gloria, flos & conditiones Arboris ex hoc meliùs concordant; & ideo in eo, in quo meliùs concordant, & in conditionibus Arboris Resurrectio manifestè demonstratur.

De Perfectione & Acedia.

PRobatum est in multis locis hujus Libri, quòd Filius Dei assumpserit carnem, & illa caro, quam assumpsit, propter salutem humani generis fuerit mortua ad repræsentandam divinam perfectionem, & perfectionem, quam ipse dedit creaturis: unde in Corpore Christi per divinam voluntatem fuit completum hoc, quod Filio Dei placuit; complementum autem corporis non fuisset in Corpore absque hoc, quòd Corpus esset resuscitatum; quòd si Corpus Christi non esset resuscitatum, major perfectio videretur in corpore, quàm in Filio Dei; nam corpus per suam passionem & mortem satisfecisset voluntati Filii Dei, Filius Dei autem concordâsset cum acedia contra illud Corpus, cum quo est una Persona; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem Resurrectio nostri Domini JESU Christi evidenter est demonstrabilis.

De

De Fide & Spe.

DIxit Christianus Gentili: Judæi & Saraceni non credunt, adhuc aliquod corpus resurrexisse; tu etiam, cùm per desertum oberrabas, eras in maxima tristitia & tribulatione, eò quòd non habebas Fidem nec Spem in resurrectionem: cogita ergò in te ipso, utrùm habeas tantam lætitiam contra tristitiam, in qua solebas esse, habendo fidem & spem in Resurrectionem, si credis, aliquod corpus jam fuisse resuscitatum, quantam habes, si discredis, aliquod corpus jam resurrexisse: unde hoc, per quod fides & spes in resurrectione meliùs concordant ad multiplicandam in te lætitiam per resurrectionem, meliùs convenit cum flore, quàm hoc, per quod non habes tantam lætitiam contra tristitiam, quam habebas, cùm non credebas aliquam resurrectionem: & cùm hoc conveniat cum esse, per quod fides & spes meliùs concordant contra tristitiam, igitur in hac majori concordantia Resurrectio Christi est demonstrata.

De Justitia & Gula.

COrpus tuum & meum & illud sunt mortalia propter peccatum Gulæ, quod noster Pater Adam commisit; unde oportuit, Justitiam & temperantiam, quæ sunt contrariæ gulæ & injuriæ, existere in aliquo homine, per quem corpus recuperaret immortalitatem, in qua omne humanum corpus fuit creatum; sed propter accidens supradicti peccati fuit factum accidentaliter corruptibile & mortale: unde cùm Corpus Christi fuerit mortuum propter justitiam, ut per excellentem temperantiam mortificaret gulam, & per excellentem justitiam mortificaret injuriam, conveniens fuit, quòd si per culpam unius corporis fuit mortalitas, per meritum alterius corporis immortalitas esset restaurata; quòd si non, sequeretur, quòd injuria & gula haberent majorem potestatem contra immortalitatem, quàm justitia & temperantia contra mortalitatem; quod manifestè est impossibile: per quam impossibilitatem demonstrantur Incarnatio & Resurrectio; significatur etiam, quòd fuerit conveniens, quòd Corpus, quod Filius Dei assumpsit, priùs resuscitaretur, quàm aliud corpus; quod si non esset, conditiones Arborum essent corruptæ; quod est evidenter impossibile.

ARTICULUS XIII.

Quòd Christus ascenderit in Cœlos.

De Magnitudine & Perfectione.

SOl in die dat majorem claritatem, Luna autem in nocte, quàm omnes aliæ stellæ; unde si in cœlo est una Creatura, per quam gloria sit nobilior, quàm per omnes alias creaturas, ex hoc cognoscitur major perfectio Dei: unde si humana Natura JESU Christi non esset in cœlo, sed esset in terra, non esset in cœlo creatura, quæ omnibus creaturis daret perfectionem gloriæ, per quam convenienter significaretur in Deo perfectio; quòd si non, voluntas & potestas Dei essent contrariæ supradicto flori; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Humanitas JESU Christi ascenderit ad cœlos.

Si JESUS Christus adhuc esset in terra, & si non ascendisset in cœlos, justitia & charitas, quæ sunt in animabus sanctorum hominum, qui sunt in cœlis, essent magis gratæ prædicto flori, quàm justitia & charitas JESU Christi; hoc autem est impossibile: quod si esset possibile, flos contradiceret majori charitati & justitiæ; quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Humanitas JESU Christi sit in cœlis.

De Sapientia & Justitia.

CErtum est, quòd hic mundus non sit locus glorificati corporis, nec sit locus rationalis animæ; unde si illa Humanitas JESU Christi, quæ venit ad mortem propter nostram salutem, non esset in suo loco, divina Sapientia & Justitia JESU Christi essent contrariæ; quòd si essent, justitia increata & justitia creata contradicerent sibi invicem: per quam contrarietatem increata sapientia & increata justitia, quæ conveniunt, contrariarentur creatæ sapientiæ & creatæ justitiæ, quæ conveniunt; quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Ascensio sanctæ Humanitatis nostri Domini JESU Christi.

Divina Sapientia scit, multos Sanctos & multos Martyres honoratos in hoc mundo, & scit multos Principes honoratos in hoc mundo; si igitur in hoc mundo esset Humanitas JESU Christi, supradicti in hoc mundo essent plùs honorati, quàm JESUS

Christus; quòd si essent, divina sapientia sciret injuriam in se ipsa, & sapientia JESU Christi sciret justitiam in se ipsa: & cùm divina sapientia sit una Persona cum Humanitate JESU Christi, & justitia & injuria sint contrariæ, idcirco secundùm hoc, quod prædictum est, significatur Ascensio JESU Christi.

De Potestate & Superbia.

AIt Christianus Gentili: dæmones ceciderunt de cœlo per Superbiam, corpus Christi autem venit ad mortem per humilitatem, per quam possimus ascendere ad locum, à quo dæmones ceciderunt: unde si per adventum & mortem JESU Christi possumus ascendere in cœlum, ût probavimus, Christum esse Recreatorem, necessariò convenit, quòd JESUS Christus secundùm suam divinam & humanam Potestatem possit priùs ascendere in cœlum, quàm aliquis alius homo; quòd si non ascenderet, sequeretur, quòd sua potestas non plùs contradiceret superbiæ, quàm nostra; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem & in conditionibus Arboris declaratur Ascensio Christi humano intellectui, qui ipsam per talem modum investigat.

De Spe & Charitate.

SCias Gentilis, quòd, si JESUS Christus est in cœlo, & tu in ipso habeas spem, quòd te adjuvet, & tibi parcat, & tibi det gloriam, plùs potes ipsum diligere, & majorem spem in ipso habere, quàm haberes, si JESUS Christus esset in terra, & tu crederes, ipsum esse in cœlo, aut si esset in cœlo, & tu crederes, quòd non esset in cœlo: unde cùm hoc conveniat esse, per quod spes & charitas possint meliùs concordare, in hac majori concordantia secundùm conditiones Arboris Ascensio est manifestè demonstrabilis.

De Charitate & Ira.

SI JESUS Christus est in gloria, Sancti inde habent majorem gloriam inter se invicem, & quilibet in se ipso, quàm haberent, si non esset in cœlo: quod si sic non esset, Sancti, qui sunt in gloria, qui habent majorem gloriam alii per alios, fortiùs & meliùs convenirent cum gloria, quàm Humanitas JESU Christi; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Christus sit in gloria, & quòd per suam gloriam Sancti habeant majorem charitatem alii cum aliis; & quantò major est charitas eorum, tantò remotior est ab ira damnatorum, qui sunt in inferno; quæ ira est tantò major, quantò plùs gloriæ habent benedicti: unde cùm secundùm conditiones Arboris hoc, per quod charitas & ira sunt fortiùs contrariæ, conveniat cum esse, idcirco in majori contrarietate charitatis & iræ demonstratur Ascensio Filii Dei.

ARTICULUS XIV.

De Judicio.

De Magnitudine & Potestate.

CHristianus collegit à prima Arbore supradictum florem, ad probandum, quòd JESUS Christus sit venturus ad judicandum bonos & malos in Die Judicii: & Gentilis ei dixit, quòd non oporteret, ipsum probare Diem Judicii; eò quòd Judæus hoc satis & sufficienter probâsset; veruntamen Christianus respondens dixit, quòd, in quantum ipse crederet, quòd JESUS Christus sit Deus & Homo, & conveniat, quòd ille, qui feret sententiam, sit Deus & Homo, oporteret, ipsum probare, quòd ille necessariò sit Deus & Homo, qui habet ferre sententiam.

Dixit Christianus Gentili: si tu haberes per te ipsum adeò magnam potestatem, quòd posses judicare omnes homines, qui sunt, ad gloriam, sive ad pœnam, tu non esses creatura, imò esses Creator; & scis, quare? eò quòd hujusmodi potestas convenit soli Deo: unde convenit, quòd potestas virtutis, per quam tu de creatura, quæ es, transubstantiareris in Creatorem, sit in Deo; quòd si non esset, Deus non esset Creator per suam potestatem solùm; & si posses generare unam infinitam potestatem, quæ judicaret omnes homines, adhuc meliùs esses Deus per generare hujusmodi potestatem, quàm per creare seu producere creaturas; & scis, quare? eò quòd majus est generare infinitam potestatem, quàm creare creaturas: unde cùm hoc ita sit, tibi manifestatur, quòd in Deo sit, qui generat infinitam potestatem; quoniam si tu, si esses Deus, posses creare creaturas, quantò magìs convenit, quòd in Deo sit aliquid, quod sit Deus per hoc, quod est generare infinitam potestatem, quod est majus, quam producere creaturas.

Igitur

Igitur cùm hoc ita sit, ostenditur in Deo infinita Generatio, per quam manifestatur, in Deo esse Trinitatem, per quam tibi significatur sententia, quæ per Deum & Hominem necessariò debet ferri; nam si tu per creare creaturam esses transubstantiatus in esse divinum, quantò magìs creatura per unionem sui cum infinita potestate potest & debet esse Judex cujuslibet creaturæ secundùm conditiones Arboris.

De Magnitudine & Sapientia.

DIxit Christianus Gentili: justitia concordat cum Magnitudine & Sapientiâ; quoniam, quantò major est sapientia, tantò sapientiùs dirigitur justitia ad judicandum, & tantò magìs est remota ab ignorantia: unde si Judex, qui in die judicii dabit sententiam, est Homo, & ille Homo scit omnia bona & omnia mala, quæ omnes alii homines commiserunt, & ille Homo habet adeò magnam sapientiam, eò quòd est unitus in una Persona cum infinita sapientia, quam Deus habet in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quantò meliùs igitur ex hoc magna sapientia Dei significabitur esse magna & concordare cum justitia, quàm significaretur, si homo non esset Deus; & cùm secundùm conditiones Arboris conveniat esse hoc, per quod magna sapientia meliùs significetur, & meliùs concordetur cum justitia, idcirco in hac majori significatione demonstratur, quòd ille Judex necessariò erit Deus & Homo, qui habet ferre sententiam; quòd si non esset, divina voluntas contradiceret huic, per quod supradictus flos meliùs revelaretur humano intellectui; quod est impossibile.

De Magnitudine & Justitia.

CErtum est, Gentilis, inter nos, quòd, quantò majus bonum vel majus peccatum homo facit, ad tantò majus meritum pro bono & ad tantò majorem pœnam pro culpa poterit judicari; & ideo ubi justitia plùs potest judicare, ibi plùs demonstratur sua magna actualitas; quod si sic non esset, sequeretur, quòd in dando te ipsum Deo non haberes majus præmium, quàm in dando unum denarium; nec in occidendo unum hominem haberes majorem pœnam, quàm si faceres unum peccatum veniale; quod est manifestè falsum.

In Deo misericordia & justitia sunt unum & idem, & ideo misericordia æqualiter convenit cum eadem magnitudine, cum qua concordat justitia; unde quantò plùs tu eris peccator, & quantò majorem contritionem habebis de tuis peccatis, tantò majorem culpam & peccatum misericordia Dei tibi poterit remittere; & quantò plùs tibi remittet, tantò majorem potes intelligere ipsam.

Scias Gentilis, quòd in judaico & saracenico populo non sint tot homines Religiosi & Martyres, & homines, qui faciunt eleemosynas, & qui propter Deum deserunt mundum, quot sunt in christiano populo; & idcirco demonstratur, quòd magna justitia Dei meliùs conveniat ad judicandum in illis magna præmia, quàm in aliis hominibus, qui tantum non faciunt ex amore nostri Domini Dei; quòd si non, sequeretur, quòd magnitudo & justitia essent inter se contrariæ; hoc autem est impossibile: per quam & in qua impossibilitate significatur, illos esse in via veritatis, in quibus justitia plùs potest præmiare; quòd si sic, & illi credunt, Judicem esse Deum & Hominem, sequitur, quòd sit Deus & Homo, qui est daturus sententiam.

Si Filius Dei, qui est adeò nobilis & magnus Dominus, secundùm quòd poteris considerare, & adhuc major, quàm tu possis intelligere, propter salvationem sui populi voluit esse Homo, & voluit illum Hominem ex amore hominis tradere paupertati & tormentis & morti, Christiani homines, qui peccant contra illum Hominem, sunt majores peccatores, quàm infideles, qui peccant per ignorantiam contra ipsum; & si sunt majores peccatores, possunt judicari ad majores tribulationes & tormenta, vel possunt eis remitti majora peccata, quàm aliis hominibus; quòd si sic, justitia & misericordia meliùs possunt significari in majori magnitudine in Christiano populo, quàm in ullo alio populo sive fide; & si sic est, convenit, Christianos esse in via salutis; sed cùm ipsi credant, Judicem esse Deum & Hominem, ergò hoc necessariò convenit esse; quòd si non, essent in errore, & sequeretur, illos esse in via veritatis, per quos misericordia & justitia non concordarent adeò fortiter ad utendum in creatura tantâ magnitudine; hoc autem est impossibile: quod si esset possibile, destruerentur conditiones Arborum, quod non potest esse verum.

De

De Amore & Ira.

SI Deus est Judex, magìs grata & magìs vera, magis amabilis ac terribilis ex hoc erit sententia, quàm esset, si aliquis alius judicaret præter Deum; & si Deus est Judex, convenit, quòd ejus Essentia sit magìs intelligibilis animabus illorum, quos judicabit, & sit sensibilis naturæ corporali eorum, quos similiter habet judicare; & si Deus & Homo non essent una Persona, esset impossibile, Judicem esse, út convenit; cùm Deus sit invisibilis oculis corporalibus, & ejus Essentia non sit visibilis oculis spiritualibus peccatorum, quos judicabit ad infinitos labores & tribulationes; qui non possent habere pœnam, si ipsum viderent; & non timerent iram suæ sententiæ; quòd si non haberent sententiam, eis non daret passionem, neque iram; & hoc est impossibile: quod si esset possibile, visio contradiceret sententiæ; hoc autem est manifestè falsum: per quod demonstratur, quòd Judex erit Deus & Homo.

De Charitate & Justitia.

CHaritas & Justitia conveniunt, & quantò meliùs concordant, tantò magìs contradicunt odio & injuriæ: unde si Filius Dei est Homo, & si ille Homo in die judicii veniat & monstret charitatem, quam habuit erga suum populum, monstrans Crucem, in qua voluit pati & occidi, & monstrans sua Vulnera, ex quibus propter salutem sui populi effudit suum pretiosissimum Sanguinem, per hoc significabitur major charitas contra odium & injuriam: & quantò major charitas significabitur, tantò major demonstrabitur justitia: & cùm hoc, per quod significatur major charitas & justitia, sit affirmabile secundùm conditiones Arboris, igitur manifestatur, JESUM Christum venturum esse in die judicii ad judicandum suum populum; quòd si non, flores primæ Arboris essent contrarii supradicto flori; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Justitia Christi per hoc meliùs ordinabitur ad fruendum illis, qui contra ipsam utuntur odio & injuriâ in hoc mundo.

De Spe & Superbia.

SPes & Superbia sunt contrariæ propter concordantiam spei & humilitatis, quæ contradicunt desperationi & superbiæ: unde si tu speras, quòd in die judicii judiceris ab Homine, per hoc tua spes habet majorem concordantiam cum humilitate; & si es ita superbus, quòd non credas, quòd Homo te possit & debeat judicare, per hoc formatur in tua superbia major desperatio; & cùm spes & humilitas conveniant cum esse, & superbia & desperatio conveniant cum non esse, ideo convenit, quòd hoc sit in esse, secundùm conditiones Arboris, per quod spes & humilitas conveniunt cum majoritate & cum esse, & disconveniat hoc, per quod superbia & desperatio concordant cum majoritate & cum esse: unde cùm hoc ita sit, ideo in supradicta majoritate demonstratur, quòd Filius Dei & Homo in die judicii habeat ferre sententiam supra populum Dei.

Postquam Christianus Gentili probaverat suos Articulos per conditiones & flores Arborum, dixit ei hæc verba: scias Gentilis, quòd Deus Rex gloriæ (benedictus sit ipse) dederit homini memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum Deum & suas operationes: unde quantò majorem memoriam, & majorem intellectum, & majorem amorem anima habet ad Deum, tantò nobilior est, & tantò meliùs concordat cum finali ratione, propter quam fuit creata: unde cùm hoc ita sit, ergò si tu fortiùs recolis intelligis & diligis Deum per verba, quæ ego tibi dixi, probando meos Articulos, quàm per verba, quæ tibi dixit Judæus, & quæ tibi habet dicere Saracenus, per quæ verba non potes adeò altè recolere nec intelligere nec diligere Deum, sicut per verba, quæ tibi in supradictis narravi, per hoc significatur, quòd mea Lex sit vera: & cùm omnem nobilitatem, quàm Judæi & Saraceni secundùm eorum leges possunt Deo attribuere, & in illo cognoscere, etiam nos possimus, & adhuc plùs, in quantum credimus in divinam Trinitatem & Incarnationem Filii Dei, & cùm secundùm mea verba possis concordare tuam memoriam, & tuum intellectum, & tuam voluntatem cum floribus & conditionibus Arboris secundùm ordinem & *novum Modum Disputationis, in quem nos posuit & direxit Domina Intelligentia*, idcirco convenit, quòd credas meis verbis & rationibus, si velis habere benedictionem in sempiterna gloria Dei.

Cùm Christianus dixisset hæc verba, Gentilis

Gentilis respondens dixit illi: audivi tua verba & tuas rationes, & eas intellexi; veruntamen antequam tibi respondeam, volo audire legem & modum Saracenorum, secundùm quem concordant suos Articulos cum floribus & conditionibus Arboris; & ideo precor Saracenum, ut mihi dicat hoc, quod intelligit.

INCIPIT
LIBER QUARTUS
De Fide Saracenorum.

DUm Saracenus vidit, quòd esset tempus & hora, quòd ipse loqueretur, tunc ivit ad fontem, & lavit suas manus & faciem & aures, nasum & os; postea lavit suos pedes & alia membra sui corporis in significationem originalis peccati, & in munditiem sui cordis; post hoc extenso capite in terram & flexis genibus osculans terram, in ipsa tribus vicibus posuit suum caput, & ad cœlum erigens suum cor, suas manus & oculos dixit ista verba: In nomine summi Opificis misericordiosi, cui detur laus & honor, quoniam ipse est Dominus mundi, ipsum adoro, & in ipso confido; quia ipse est directio veritatis & salutis: multa alia verba dixit Saracenus, sicut consueverat in suis orationibus.

Postquam Saracenus finivit suam orationem, ait Gentili, quòd *Articuli* suæ Legis sint *duodecim*, videlicet:

Primus, Credere unum Deum.

Secundus, Creatorem.

Tertius, Mahometum esse Prophetam.

Quartus, Alcoram esse Legem à Deo datã.

Quintus, Interrogari ab homine mortuo in sepulchro per Angelum, an Mahometus fuerit Propheta?

Sextus, Quòd morientur omnia, excepto Deo.

Septimus, Resurrectionem.

Octavus, Mahometum in Die Judicii exaudiri.

Nonus, Deo in Die Judicii reddere rationem.

Decimus, Quòd ponderabuntur Merita & Culpæ.

Undecimus, Quòd transibunt per viam.

Duodecimus, Credere Pardisum & Infernũ.

ARTICULUS I.
De Uno Deo.

CUm Saracenus aspiceret Arbores ad eligendum flores, quibus indigebat ad

ARTICULUS II.
De Creatione.

SAracenus voluit probare, Deum esse Creatorem mundi & omnium, quæ in ipso sunt; Gentilis verò dixit ei, quòd non esset necesse iteratò probare, Deum esse Creatorem, quia satìs perfectè hoc fuerat probatum à Judæo; tamen precor te, ut mihi dicas, an Deus creaverit malum & culpam & peccatum?

Saracenus respondit: nos credimus, Deum creasse omnia, & credimus, quòd ipse creaverit malum & bonum, & culpam & peccatum, & meritum, & quòd omnia à Deo veniant & venerint; nam si esset aliquod creatum, quod veniret ab altero, essent duo Dii; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, quòd omnia bona & mala processerint à Deo.

Dixit Gentilis Saraceno: de conditionibus secundæ Arboris est, *quòd flores primæ & secundæ Arboris nullo modo invicem opponantur*: unde si hoc, quod tu dicis, esset verum, sequeretur, quòd divina voluntas contrariaretur justitiæ, & concordaret cum injuria; nam si Deus creaverit peccatum, convenit, quòd dilexerit illud creare; quia si non habuisset voluntatem, non creasset illud: & si creavit peccatum & culpam, injustè dat pœnas illis, quos judicat ad infernum, eò quòd habent uti peccato, quod ipse creavit: & quia est impossibile, quòd in floribus primæ & secundæ Arboris sit contrarietas, est impossibile, quòd Deus creaverit peccatum.

Respondit Saracenus: tu scis Gentilis, quòd Deus (benedictus sit ipse) habeat perfectam sapientiam, secundùm quòd in *primo Libro* est demonstratum: unde si Deus habet sapientiam, sequitur, quòd Deus sciverit peccatum, antequam mundus esset, & sciverit, quòd, si crearet mundum, homo esset peccaturus; & quia Deus hoc sciebat, & ipse creavit hominem & mundum, manifestatur, quòd Deus creaverit peccatum, & quòd sit causa peccati.

Respondit Gentilis dicens: Deus habet perfectionem potestatis & sapientiæ, quòd si non haberet, sua magnitudo haberet terminum & finem in sua potestate & sapientia; sed cùm sit sinè fine, igitur in infinita potestate & sapientia demonstratur, quòd Deus possit scire peccatum absque hoc, quòd sua potestas & sapientia & voluntas sint causa peccati: & si Deus non haberet potestatem, quòd hoc posset scire, quin vellet esse causa peccati, sua potestas & sapientia & voluntas non haberent perfectionem: sed dimittamus hanc quæstionem, & transi ulteriùs ad probandum alios Articulos; quoniam de hac quæstione nolo plura à te quærere.

ARTICULUS III.

Quòd Mahometus sit Propheta.

De Potestate & Magnitudine.

Dixit Saracenus Gentili: tempus fuit, quo omnes habitantes in Mecha & in Trip, ubi Mahometus fuit Propheta, erant idololatræ, & nullam notitiam habebant de Deo; sed erant in illo errore, in quo tu eras, antequam veneras in hunc locum, & habueras notitiam de Deo: unde sicut tu indigebas consolatione tuæ tristitiæ, in qua solebas esse, ita supradictæ gentes indigebant auxilio & illuminatione fidei; & quia divina bonitas est valde magna, Deus habuit pietatem de illis gentibus, & voluit illas illuminare, & eis dare notitiam de sua gloria & se ipso; & idcirco misit eis Mahometum pro Propheta, qui ipsos illuminavit, & eis dedit veram notitiam de Deo; quæ illuminatio & quæ notitia conveniunt cum magna bonitate Dei, cum qua non convenirent, nisi Mahometus esset Propheta; & cùm unum bonum debeat convenire cum altero, igitur in bono Dei, & in bono, quod fecit Mahometus, dirigendo errantes, probatur, Mahometum esse Prophetam & Nuntium Dei.

Respondit ei Gentilis dicens: secundùm hoc, quòd tu dicis, sequeretur, quòd divina perfectio non concordaret cum magna bonitate Dei, cùm hoc esset necessarium in terra, in qua ego sum oriundus, in qua sunt tot gentes, quæ quotidie tendunt ad perditionem, eò quòd non est, qui eis det notitiam de Deo: & cùm divina bonitas non satisfaciat omni bono, quod est necessarium, contradicit magnitudini, cum qua conveniret, si satisfaceret omni bono, quod est necessarium: & si divina bonitas est contraria magnitudini, est impossibile, quòd possit concordare cum perfectione; hoc verò contradicit conditionibus Arborum.

Respondens Saracenus dixit: certum est, quòd Deus in homine ordinaverit liberum arbitrium operandi bonum, & evitandi malum: unde si omnes homines, qui sunt, essent in via veritatis, illi, qui sunt in via veritatis, non haberent materiam, in qua possent uti libero arbitrio; & ideo Deus permittit aliquas gentes in errore, ut nos, qui sumus in veritate, ex amore Dei eamus ad prædicandum eis, & ad convertendum & ducendum ipsos ad viam æternæ salutis, ut nos ex hoc possimus esse magis glorioſi in divina gloria.

De

De Potestate & Prudentia.

Consuetudo Regum est, quòd utantur suo populo in eisdem consuetudinibus, in quibus volunt; unde cùm Deus in homine creaverit prudentiam, per quam intelligat magnam potestatem Dei, ideo Deus, ad demonstrandam suam magnam potestatem, misit in diversis temporibus Prophetas & consuetudines, ad demonstrandum, quòd Deus sit potens in diversis temporibus facere diversa Statuta; & idcirco misit Moysen Prophetam, & dedit Judæis Legem, quam Deus voluit servari usque ad tempus, quo venit JESUS Christus Propheta, qui fuit natus Spiritu Dei ex sancta Muliere & Virgine, & tunc dedit Christianis Legem, quæ duravit, usque quò misit Mahometum, qui nobis Saracenis revelavit Alcoram, quæ est nostra lex continens verba Dei: unde si Deus non faceret has mutationes legum & consuetudinum per diversos Prophetas & per diversa tempora, prudentia non illuminaretur ad cognoscendum divinam potestatem: & cùm hoc, per quod humana prudentia meliùs possit cognoscere potestatem Dei, conveniat cum esse, igitur in esse & concordantia divinæ potestatis & humanæ prudentiæ demonstratur, Mahometum esse Nuntium Dei.

Respondit Gentilis: secundùm flores Arborum & earum conditiones sequitur, quòd Deus non mittat unum Prophetam contra alterum, ne unus aut tertius discredat hoc, quod alter de Deo jam prophetizaverat: unde cùm Lex Christianorum & tua sint contrariæ, est impossibile, quòd ambæ Leges sint à Deo; quòd si sunt, convenit, quòd flores primæ Arboris conveniant cum falsitate, & sint oppositi veritati; quod est impossibile: adhuc sequitur ex dictis à te, quòd Deus deberet mittere alterum Prophetam, qui destrueret dicta Mahometi, & post illum adhuc alterum, & sic ulteriùs in infinitum, usque ad finem mundi; hoc autem est impossibile, & contradicit divinæ perfectioni & sapientiæ: nam quemlibet magistrum decet amare suum opus, propter quem amorem suo operi detur perfectio, si in magistro sint sapientia & potestas.

De Sapientia & Superbia.

Dixit Saracenus Gentili: Mahometus erat homo laicus ignorans literas, & Deus revelavit ei Alcoram, qui est liber magnæ sapientiæ, & nobiliori modo dictatus & editus, qui sit & possit esse in natura; quia omnes homines, qui nunc sunt, & omnes Angeli & omnes dæmones non possent facere adeò pulchrum dictamen, sicut est Alcora, quæ in se continet totam nostram legem: unde cùm sit moris hominum sapientum & prudentum vilipendere superbiam & vanam gloriam insipientum, ideo divina sapientia voluit illuminare Mahometum, qui adeò magnam sapientiam habuit, quòd sciverit revelare Alcoram, quæ est verbum Dei, tamen non fuit superbus, ad destruendam superbiam & vanam gloriam in exemplo humilitatis Dei, qui tantum voluit exaltare humilitatem & sapientiam in Mahometo: & cùm magnitudo sapientiæ & humilitatis in Mahometo fuerit, igitur in hac magnitudine, sapientiæ & humilitatis demonstratur, quòd Mahometus sit Propheta.

De Charitate & Justitia.

Convenit, quòd homini, in quo est Charitas & Justitia, fiat reverentia & honor; unde cùm Mahometus fuerit adeò honoratus in hoc sæculo à tot gentibus, convenit, quòd in ipso justitia concordet cum divina charitate; quòd si non concordaret, Deus non permitteret, ipsum tantùm honorari, quantùm permisit; & si hoc permitteret, sequeretur, quòd injuria & honor concordarent cum charitate contra charitatem, dedecus & justitiam; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur in honore, in quo Deus tantum tenuit Mahometum, ipsum esse Prophetam.

Dixit Gentilis Saraceno: secundùm hoc, quod tu dicis, sequitur, quòd JESUS Christus, qui sic honoratur in hoc mundo, sit Deus, & quòd sui Apostoli & alii Martyres, qui in hoc mundo recipiunt tantum honorem, sint mortui in via veritatis; quoniam si Deus non permitteret, quòd in hoc mundo honorarentur mortui, qui in falsitate sunt mortui, conveniret, quòd ea, quæ revelata sunt de Christo, essent vera; quòd si essent vera, tua lex non esset vera, nec Mahometus esset dignus, quòd honoraretur, nec quòd esset Propheta.

De Spe & Gula.

Dixit Saracenus Gentili: secundùm quòd refertur in Alcora, quod est verbum Dei, in Paradiso erit valde magna gloria in multis cibis diversorum modorum, qui e-

runt valde placidi ad comedendum, & in illo erunt valde multa pretiosissima vestimenta & hospitia palatiorum & camerarum magnæ pulchritudinis, in quibus erunt pulcherrimi lecti, in quibus jacebunt pulcherrimæ mulieres nimis magnæ pulchritudinis & aspectûs, cum quibus homo habebit plurimas delectationes corporales: unde, ad destruendam gulam & avaritiam & luxuriam hujus mundi, Deus voluit mittere Mahometum, ut gentes sperarent in deliciis Paradisi, ut non delinquerent in deliciis hujus mundi: & cùm hoc conveniat esse, per quod spes & gula fortiùs possint esse contrariæ, spes autem & gula fortiùs possint contrariari, si in Paradiso sit supradictum bonum, igitur in majori contrarietate secundùm conditiones Arboris, in qua supradictus flos colligitur, demonstratur, Mahometum esse Prophetam.

Respondit Gentilis, secundùm conditiones sequitur, *quòd, si unus flos significet, aliquam rem esse, ille flos non sit contrarius aliis floribus, qui significant, illam rem non esse:* quòd si sic non esset, sequeretur, quòd flores invicem contrariarentur; quod est manifestè impossibile.

ARTICULUS IV.

De Alcora.

De Potestate & Amore.

DIxit Saracenus Gentili: Mahometus fuit homo laicus expers scientiâ, Alcora verò est pulchrius dictamen, quod sit & possit esse: unde nisi esset per divinam voluntatem & operationem, Mahometus non potuisset facere nec dictare adeò pulchrum dictamen, nec adeò ordinata verba, sicut sunt in Alcora; & cùm per divinàm potestatem Alcora sit adeò pulchrum carmen, & sit traditum per Mahometum, qui ignorabat literas, nec habebat per se ipsum potestatem dictandi ita pulchras parabolas, convenit, quòd Alcora sit verbum à Deo datum.

Potestas & Amor in Deo conveniunt, & cùm in Alcora contineantur tot bona, quæ Deus promittit illis, qui habebunt divinam gloriam, idcirco per Alcoram significatur magnus amor, quem Deus habet erga suum populum; & cùm per nullam legem homini sint promissa tot bona, quot promissa sunt per Alcoram, demonstratur, quòd Alcora sit Deo magis amabilis, quàm aliqua alia lex; quòd si sic non esset, sequeretur, quòd homo magìs posset diligere Deum, si Deus promitteret minora bona, quàm si promitteret majora; hoc autem est impossibile & contradicit conditionibus Arborum.

Si Alcora non esset à Deo, esset contraria veritati, & cùm veritas habeat potestatem supra falsitatem, & veritas sit Deo amabilis, falsitas verò sit Deo odibilis, & cùm Alcora non possit destrui per legem Christianorum & Judæorum, significatur, quòd sit à Deo, ad significandum concordantiam inter divinam potestatem & voluntatem, quæ in hoc conveniunt, quòd potestas possit, & voluntas velit hoc, quod populi Christianorum & Judæorum non possunt destruere, licèt habeant voluntatem destruendi illud.

De Potestate & Justitia.

SCias Gentilis, quòd honorabilior & magìs exoptatus locus à Christianis & Judæis, qui sit in hoc mundo, sit una civitas, quæ vocatur Jerusalem; illa civitas fuit Caput Prophetarum in principio sæculi, & in illa civitate fuit Christus crucifixus & occisus in Cruce, & ibi est ejus Sepulchrum, sicut Christiani certissimè credunt, & illam civitatem tenent & possident Saraceni invitis Christianis & Judæis, & in illa civitate legitur Alcora, & nullus alius liber nec lex ibi tantum legitur & tolleratur, ût Alcora: unde totum hoc est exemplar & significatio potestatis divinæ justitiæ; nam quia populi Christianorum & Judæorum non credunt Alcoram, Deus punit illos in illo loco nobiliori & desiderabiliori, quem habeant; & ideò manifestè demonstratur, quòd Alcora sit verbum Dei: quod si sic non esset, sequeretur, quòd divina potestas & justitia contrariaretur justitiæ Christianorum & Judæorum; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Alcora à divina potestate sit missa & conservetur.

De Sapientia & Invidia.

AD significandum, quòd divina Sapientia sit contraria Invidiæ, Deus misit Alcoram in terram, in qua promittit plurima bona, quæ homo habebit in Paradiso, ad significandum, ne homines haberent invidiam delectationum temporalium in hoc mundo, nec alii viri moverentur ex invidia ad aliorum mulieres & divitias; quoniam homines in Paradiso habebunt tantam copiam bonorum, quòd homo in hoc mundo nullo modo debeat esse invidus: & cùm per Alcoram promittantur plura & majora bona, quàm per aliam legem, ad mortificandum invidiam in hoc mundo, si Alcora non esset verbum Dei, significaretur secundùm conditiones Arborum, quòd divina sapientia & invidia possent ad invicem concordare; quod est impossibile: per quam impossibilitatem manifestè demonstratur, Alcoram esse verbum divinum.

De Spe & Charitate.

PRomittere multas res nobiles, significat Charitatem, & quantò fortiùs significatur charitas, tantò fortiùs multiplicatur Spes: unde cùm hoc ita sit, ubi meliùs spes & charitas possunt concordare ad essendum in magna quantitate & actualitate, ibi secundùm conditiones Arboris significatur veritas; & cùm in Alcora homini promittantur plura & majora bona, quàm in alio libro, idcirco secundùm concordantiam spei & charitatis significatur, quòd Alcora in se contineat veritatem; per quam veritatem significatur, quòd Deus ipsam miserit ad augmentandam spem & charitatem.

De Justitia & Ira.

QUantò major est Justitia, tantò magìs potest multiplicari Ira per injuriam in hominibus ex justitia damnatis: unde cùm in Alcora promittantur tot bona illis, qui sunt in Paradiso, illi autem, qui sunt in inferno, & non fuerunt obedientes Deo, habebunt majorem iram, quando recolent gloriam, quam amiserunt, quæ ipsis promittebatur & revelabatur per Alcoram in hoc sæculo, quàm habebunt Judæi & Christiani, quibus non promittebatur tanta gloria in eorum legibus, quanta promittitur Saracenis; & quia hoc de se dat majus signum veritatis, quod facit majorem contrarietatem inter iram & justitiam, quàm hoc, quod inter illas facit minorem contrarietatem, idcirco in majori & minori contrarietate justitiæ & iræ demonstratur, quòd Alcora sit verbum Dei.

ARTICULUS V.

De interrogatione hominis mortui in sepulchro per Angelum.

DIxit Saracenus Gentili: nos credimus, quòd, quando homo moritur & sepelitur, duo Angeli illi faciant *quinque* Quæstiones, videlicet: Quid sit Deus? De quo sit sua Lex? Quæ sit sua Lex? An Mahometus sit Propheta? An Mecha sit in meridie? & si Deus illi det gratiam respondendi, quòd Deus sit suus Creator, & quòd sua lex sit à Deo, & quòd sua lex sit Alcora, & quòd Mahometus sit Nuntius Dei & Propheta, & quòd concedat, quòd Mecha sit in meridie, tunc usque ad diem judicii valde lætus & lætanter jacebit in sepulchro, & videbit Paradisum & gloriam, quam Deus promittit beatis, & videbit pœnas inferni, à quibus per misericordiam Dei erit liberatus: & si ille homo neget omnia supradicta, & ignoret conditiones, quæ conveniunt illis quæstionibus, tunc erit illi sepulchrum strictum, & erit in pœna & tristitia usque ad diem judicii, & videbit pœnas inferni, quæ pro ipso parantur, & gloriam Paradisi, quam perdidit.

Secundùm quòd suprà dictum est, credunt Saraceni de hominibus mortuis: unde ad probandum hunc Articulum primò colligimus istum florem.

De Magnitudine & Potestate.

AD demonstrandum, potestatem Dei esse magnam in hoc, quòd per suam potestatem homines, qui sunt in sepulchro, possint videre omnia supradicta, Deus vult, quòd fiant supradictæ quæstiones; & cùm divina potestas absque prædicta interrogatione & visione non esset ita manifestabilis, & cùm hoc, per quod divina potestas sit meliùs demonstrabilis, conveniat cum esse, ideo in majori demonstratione & visione potestatis demonstratur, quòd supradictus Articulus sit verus.

Dixit Gentilis: quomodo potest homo mortuus videre ea, quæ tu dicis, cùm corpus sit sinè anima, corpus autem sinè anima non possit videre, nec intelligere, nec loqui, nec respondere?

Respondit Saracenus: aliqui nostrûm credimus, quòd Deus reducet animam ad corpus; alii verò credunt, quòd anima sit inter corpus & sudarium; & ideo per virtutem divinæ potestatis, & per animam, quæ est in sepulchro, potest homo respondere & videre omnia supradicta: & si divina potestas non haberet tantam potestatem, quòd homo mortuus posset supradicta facere, sequeretur, quòd in Deo magnitudo

& potestas invicem contrariarentur; quod est impossibile.

De Magnitudine & Justitia.

DIxit Saracenus Gentili: manifestum est, quòd divina Justitia sit major, quàm justitia, quæ est in hominibus; & ideo secundùm magnam sapientiam Dei convenit ordinari, quòd divina justitia demonstretur esse major, quàm justitia hominum; quæ demonstratio sit in hoc, quòd justitia hominis non sufficiat ad plus, quàm vita hominis se extendit, justitia Dei autem est, antequam homo producatur in esse, & post mortem hominis; & hoc manifestatur in hoc, quòd demonstrat Paradisum & infernum, quæ fuerunt, antequam esset homo, & sunt etiam post ejus mortem, post quam mortem Deus monstrat suam justitiam in judicando hominem mortuum, secundùm quòd respondebit supradictis quæstionibus: & cùm hoc, per quod magna justitia Dei meliùs reveletur esse major, quàm justitia hominum, conveniat cum esse, igitur in hac concordantia essendi manifestatur supradicta interrogatio.

De Bonitate & Ira.

DIxit Saracenus Gentili, per magnam bonitatem Dei manifestatur ira, quam Deus habet erga iram, per quam homo fit culpabilis & peccator: unde ad significandum illam magnam bonitatem & iram, quam Deus habet adversùs peccatum & vitium, voluit homini mortuo in sepulchro revelare pœnam inferni & gloriam, ad demonstrandum, quòd Deus amet gloriam, & quòd habeat iram adversùs pœnas inferni, & quòd homo possit eligere gloriam & evitare pœnam in sepulchro, si respondeat Angelis, ût superiùs continetur; & cùm homo habeat majus spatium temporis eligendi bonum, & evitandi malum, si supradicta interrogatio est vera, quàm haberet absque interrogatione, & cùm per majus spatium temporis meliùs significetur contrarietas inter bonitatem Dei & iram, quæ est vitium, igitur in hoc majori spatio temporis, in quo homo potest eligere bonum, & evitare malum, demonstratur, supradictam interrogationem esse veram.

De Fide & Spe.

FIdes & Spes possunt esse in majori quantitate in homine, si est interrogatio, quàm si non est interrogatio; nam si homo peccator in sua vita non potest facere opera, per quæ possit salvari, saltem in ejus morte, quando Angeli ipsi facient supradictas quæstiones, poterit eligere salvationem, & effugere æternam damnationem: & cùm hoc sit concedendum, per quod fides & spes meliùs possunt convenire, & si est interrogatio, meliùs possunt convenire, igitur in hac majoritate fidei & spei & in majori concordantia demonstratur, quòd supradicta interrogatio sit vera secundùm conditiones Arborum.

De Charitate & Avaritia.

NAtura Charitatis est, quòd sit homini causa concedendi veritatem; & natura Avaritiæ est, quòd sit homini causa negandi veritatem; & ideo charitas & avaritia sunt oppositæ, per quam oppositionem charitas concordat cum largitate contra avaritiam, & avaritia concordat cum odio contra charitatem: unde cùm hoc ita sit, in supradicta concordantia & contrarietate significatur, quòd sit vera supradicta interrogatio; nam si est vera, & homo mortuus concedit Angelis veritatem, charitas meliùs concordat cum largitate contra avaritiam & odium; & si negat veritatem, meliùs concordat cum avaritia & odio contra charitatem & largitatem: & cùm hoc, per quod charitas & avaritia longiùs ab invicem distant, & fortiùs contrariantur, conveniat cum esse, igitur in majori concordantia essendi demonstratur veritas supradictæ quæstionis.

ARTICULUS VI.

De Morte omnium rerum, excepto Deo.

De Potestate & Perfectione.

DIxit Saracenus Gentili: nos credimus, quòd omnes res morientur, excepto solo Deo, videlicet morientur homines, Angeli, dæmones, & omnes aliæ res viventes; hæc autem mors erit tunc, quando Seraphin Angelus tubicinabit, & postmodum morientur, & nulla res habens vitam poterit remanere viva nisi Deus: unde ad probandum hunc Articulum supradictus flos est conveniens; quoniam si omnes res viventes moriuntur, ex hoc meliùs ostenditur in Deo potestas & perfectio; nam major potestas & perfectio est in re immortali, quàm mortali; cùm immortalitas significet perfectionem, mortalitas verò significet imperfectionem; & cùm hoc, per quod potestas & perfectio Dei conveniunt cum majori nobilitate, debeat concedi secundùm conditiones Arboris, significatur, quòd omnes res debeant mori, & morientur absque dubio omnia, præter Deum.

Dixit Gentilis: secundùm quòd ego intellexi, conditiones Arborum ordinantur sub tali forma, *quòd, si per unum modum & per unum florem in Deo significetur major nobilitas, quàm per alium modum, & per alium florem illi apparenter contrarium, ipsi esset minor nobilitas:* unde si omnia moriuntur, verum est, quòd potestas & perfectio Dei per hoc videbuntur majores, in quantum habent usum potestatis perfectæ immortalitatis; veruntamen quia Angeli & Animæ sanctorum hominum, qui non merentur mortem, & merentur vitam, morientur, idcirco divina perfectio manifestè erit contra bonitatem & justitiam; cùm mors det passionem & damnum, quæ passio & damnum non debent esse absque culpa: unde cùm sit impossibile, divinam perfectionem contrariari divinæ bonitati & justitiæ, igitur demonstratur, quòd hoc, quod tu dicis, sit falsum.

Respondit Saracenus: hoc, quod tu dicis, esset verum, si Deus non reiteraret Angelos & Animas; quia autem redibunt ad vitam, & Deus dabit eis vitam perpetuam, idcirco Deus non faciet eis in morte injuriam; & nisi in creaturis uteretur suis virtutibus, ut viderentur in majori nobilitate & perfectione, faceret injuriam sibi ipsi.

Dixit Gentilis: mors est separatio corporis & animæ; unde cùm Angeli non habeant corpora, non videtur, quomodo poterunt mori.

Respondit Saracenus: Angeli morientur, in quantum nihil erunt, & ideò dicitur, ipsos mori.

Respondit Gentilis: in hoc, quòd nihil erunt, erit Deus contrarius huic, quod concordat cum esse; cùm boni Angeli, eò quòd Deo serviunt, mereantur habere esse; quòd si nihil sunt, divinæ virtutes conveniunt cum non esse contra esse; hoc autem est manifestè impossibile.

De Perfectione & Justitia.

DIxit Saracenus Gentili: sicut aurum aut argentum purificatur in igne, ita mors erit purificatio Sanctorum; nam omne vitium & omnis imperfectio delebitur in morte, & mors erit per justitiam, per quam justitiam eorum perfectio depurabitur: unde ad demonstrandum, quòd divina perfectio concordet cum justitia & purificatione Angelorum & omnium Sanctorum, volet Deus, quòd omnia patiantur mortem; certum enim est, quòd nulla res sit perfecta nec immortalis, nisi Deus tantùm: unde si hoc, quod est immortale, non daret mortem huic, quod est mortale, non uteretur justitiâ ad significandum suam perfectionem & suam immortalitatem, nec duceret mortalitatem in actum, & esset injuriosum suæ perfectioni ac immortalitati; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd omne, quod est, excepto Deo, necessariò morietur.

De Potestate & Superbia.

AD confundendum Superbiam, errorem & lasciviam credentium, quòd sint de natura æterna, volet Deus, quòd omnes res morientur, ad significandam suam æternam potestatem, quæ potest destruere omne, quod est, & quæ omnes creaturas produxit ex nihilo; & cùm absque hoc, quòd morerentur omnia, prædictus flos non esset constitutus ex tam magnis contrarietatibus, & major contrarietas necessariò sit affirmabilis, igitur hic Articulus est probabilis in majori contrarietate floris, quæ invenitur inter potestatem & superbiam.

De Charitate & Justitia.

CHaritas & Justitia concordant; & quia charitas & timor concordant, ideo timor & justitia concordant contra odium & desperationem & injuriam; & quia mors significat timorem, idcirco Deus volet, quòd omnes res moriantur, ut homo ipsum timeat & diligat, & ut timeat iterum mori: unde si omnes res moriantur, per hoc meliùs demonstrabitur supradictus flos contra florem sibi contrarium: & cùm major contrarietas virtutis & vitii conveniat cum esse, & per mortem omnium rerum meliùs concordet cum esse, igitur significatur, quòd hic Articulus sit in esse, sinè quo Deus concordaret cum non esse contra esse; quod est evidenter impossibile.

De Charitate & Ira.

CHaritas & prudentia conveniunt contra Iram & imprudentiam; & cùm res, quæ moritur, meliùs possit scire mortem, quàm res, quæ non moritur, igitur scire & prudentia meliùs conveniunt in sciendo mortem in eo, quod moritur, quàm in eo, quod non moritur; & quò major potest esse prudentia in scire mortem, eò major potest esse charitas in hoc, quod de morte reducitur ad vitam, quàm in hoc, quod nullo tempore sustinuit pœnas mortis: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd Angeli & sancti homines habebunt majorem sapientiam in scire, quid sit mors, si moriantur, & habebunt majorem charitatem, quando resuscitabuntur, quàm haberent, si essent immortales, & non morerentur: & cùm hoc conveniat cum esse, per quod charitas & prudentia meliùs concordant cum majoritate; igitur in hac majoritate demonstratur, hunc Articulum convenire cum esse.

Si iniqui homines & dæmones moriuntur, habebunt majorem iram in redeundo in esse, quàm haberent, si nullo tempore morerentur; & cùm major ira sit magis contraria charitati, idcirco in majori ira significatur hic Articulus; quæ major ira absque hoc Articulo nunquam esset in peccatoribus.

ARTICULUS VII.

De Resurrectione & ejus Modo.

CUm Saracenus aspiceret primam Arborem volens eligere florem, per quem demonstraret Resurrectionem, Gentilis recoluit; quòd in *primo Libro* Resurrectio satis esset demonstrata, & ideo dixit Saraceno, non est necesse, quòd ampliùs probes Resurrectionem; nam satis in *primo Libro* jam est probata; precor tamen te, ut mihi dicas modum, secundùm quem vos Saraceni creditis resurgere.

Respondit Saracenus: nos credimus, quòd omnes res viventes morientur, & quòd in fine quadraginta dierum de cœlo pluet aquâ albâ, sicut lac, & tunc nascentur & crescent homines, bestiæ, aves & omnes aliæ creaturæ, quæ naturaliter habent vitam, sicut herbæ, & Angelus Seraphin tubicinabit iterum cornu, tunc gentes resurgent, & discutient terram à suis capitibus, ignis veniet de cœlo, & calor solis erit valde magnus, & gentes propter fervidum æstum, quem sustinebunt, discumbent in terrâ, quæ erit nimis calida, gentes autem erunt in maximo sudore emittentes extra linguas, & eis videbitur, quòd illa dies duret mille annis.

De primo cœlo descendent Angeli, qui plures erunt, quàm homines hîc viventes, à secundo cœlo venient plures in duplo, & post à tertio, & sic deinceps de cœlo in cœlum duplicando numerum usque ad cœlum septimum, à quo Deus descendet cum Angelis illius cœli, dicens: ego sum injuriosus, si in hac die resurrectionis à me poterit evadere aliqua vivens creatura, quin ego perfectissimam vindictam accipiam de injuriis mihi illatis: secundùm hunc modum, Gentilis, nos credimus, esse diem resurrectionis, & plura alia possem tibi dicere, in hoc tamen essem prolixæ narrationis; sed quia in hac disputatione ordinatum est, quòd loqueremur breviùs, quantò plùs possemus, ideo summatim tibi dico hoc, quod noster Propheta Mahometus refert de ista materia in Alcora, & secundùm quòd nostri Sapientes exponunt & dicunt in glossis & expositionibus nostræ legis.

ARTICULUS VIII.

Quomodo Mahometus exaudietur.

DIxit Saracenus Gentili: nos credimus, quòd Mahometus rogabit Deum pro populo, & exaudietur: unde antequam tibi probem per flores Arborum hunc Articulum, volo tibi referre modum, secundùm quem nos credimus, quòd Mahometus roget Deum, & etiam exaudiatur.

In die, quâ omnes gentes resuscitabuntur, Deus congregabit omnes in uno loco, & habebunt maximum laborem propter calorem, quem sustinebunt, & propter sudorem, quem patientur; nam aliqui erunt in sudore pleni usque ad talum pedis, alii verò usque ad genua, alii usque ad collum, & alii usque ad oculos, alii autem erunt sudore pleni, sicut magna olla, quæ est repleta aquâ; & hoc est, secundùm quòd aliqui homines erunt majores vel minores peccatores, quàm alii.

Dum Gentes sic erunt in hoc sudore & pœna, concordabunt unà omnes, quòd insimul vadant ad Adam, & rogent ipsum, ut

ut ipse supplicet Deo pro ipsis, ut eos extrahat ab illa pœna & tormento, & ut illis, qui debent salvari, det gloriam Paradisi, & illis, qui debent damnari, det pœnas inferni; Adam autem respondebit eis, ego verecundarer deprecari Deum ideo, quia ipsi fui inobediens, quando comedi de fructu, de quo ipse mihi prohibuit comedere: & Adam dicet eis, ite ad Noë, & ipse pro vobis roget Deum: ibunt ad Noë, & illas ipsas preces, quas porrexerunt Adæ, porrigent ipsi Noë: Noë verò respondebit, ego non sum dignus deprecari Deum nec exaudiri ab ipso; nam ego deserui meum populum, qui in die diluvii periit, & ideo me pudet preces porrigere summo Deo; sed ite ad Abraham, & rogate ipsum, ut Deum pro vobis nunc oret: ibunt ad Abraham, & sicut Noë dixerant, dicent ei, Abraham verò respondebit, ego non sum dignus supplicare Deo, cùm ego bis fuerim mentitus, videlicet, cùm meo Patri dixi, quòd ego non fregissem idola, sed quòd ipsa fuissent per se fracta; item aliâ vice, cùm dixi, quòd mea mulier esset mea soror, & non mea uxor: unde cùm ego sim indignus facere preces ad Deum, & ab eo exaudiri, idcirco vobis consulo, ut eatis ad Moysen, & ipsum rogetis, ut pro vobis faciat debitas preces: ibunt ad Moysen, & ipsum rogabunt, ut pro ipsis oret Deum: Moyses eis respondebit, ego non sum dignus orare, nec exaudiri à Deo, quia ego occidi unum hominem, & mandavi, ut omnes illi interficerentur, qui crediderant in vitulum aureum, de quo sibi fecerant adornatum idolum, quem sicut Deum adorabant; sed vobis consulo, ut eatis ad JESUM Christum, & ipsi supplicetis, ut pro vobis intercedat: ibunt ad JESUM Christum, & ipsum suppliciter deprecabuntur; ipse verò se excusabit, & dicet eis, ego non sum dignus deprecari Deum, nec exaudiri, & erubesco pro vobis facere preces tanto Deo, cujus causa est, quia gentes sinè licentia Dei me adoraverunt, & in me crediderunt, sicut in altissimum Deum; & consulet eis, ut vadant ad sanctum Prophetam Mahometum, & ut ipse pro ipsis debitas preces faciat Deo: ibunt ad Mahometum, & rogabunt eum, ut ipse roget Deum, ut ipsos extrahat à pœna, in qua sunt, & ut salvetur, qui debet salvari, & damnetur, qui debet damnari: Mahometus autem respondebit dicens: quòd pro ipsis libenter orabit, & in conti-

nenti coram Cathedra Dei flexis genibus se inclinabit ad solum, & intercedet apud Deum, ut ipsos liberet à pœna, in qua sunt, & qui sunt salvandi, ponantur in paradiso, & qui sunt damnandi, ponantur in inferno.

Dum Mahometus in hunc modum deprecabitur Deum, divina vox audietur in cœlo, dicens: Mahomete, non est hodie dies orationes faciendi nec deprecandi, sed pete, & dabitur tibi, & preces tuæ exaudientur: tunc Mahometus dicet, quòd Deus petat rationem à gentibus de operibus, quæ fecerunt, & qui ituri sunt ad paradisum, eant, & qui debent condemnari, remittantur ad inferos.

Hic est unus modus, Gentilis, secundùm quem nos credimus, quòd Mahometus deprecabitur Deum, & suæ preces etiam exaudientur.

Alter modus est, secundùm quem Mahometus deprecabitur Deum, & exaudietur, videlicet, cùm Deus judicaverit bonos ad paradisum, & malos ad infernum, & erunt in inferno aliqui peccatores de populo Mahometi, tunc Mahometus rogabit Deum pro illo populo; Deus autem ductus precibus Mahometi ipsos extrahet ex inferno: unde hos duos modos deprecandi credimus, secundùm quòd conditiones & flores Arborum necessariò hoc demonstrant, & quòd hoc sit verum, ecce modum, quo manifestè hoc probamus.

De Magnitudine & Perfectione.

DIxit Saracenus Gentili: audivisti, quomodo in hoc, quod suprà dictum est, nos credimus; & cùm secundùm conditiones Arboris, à qua supradictus flos extrahitur, Deo major nobilitas conveniat, quando Deus dat Mahometo tantam nobilitatem supra omnes alias nobilitates in exaudiendo ipsum, idcirco in Deo ostenditur major nobilitas & benignitas; nam in majori nobilitate exauditi demonstratur major nobilitas exauditoris; & quò major nobilitas in exaudiente & exaudito cognoscitur, eò fortiùs demonstratur magna perfectio Dei, ad cujus demonstrationem & exauditionem & manifestationem debet esse supradictus Articulus, sinè quo non adeò manifestè demonstraretur.

De Amore & Justitia.

DIxit Saracenus Gentili, nos invenimus, omnes Prophetas, postquam Prophetæ fuerunt, in aliquo deliquisse, propter quod delictum à deprecando Deum se subtraxerunt, ût superiùs est relatum; Mahometum autem, postquam fuit Propheta, non invenimus feciſſe aliquod peccatum: unde ad demonstrandum, quòd Deus fortiter diligat justitiam, & odiat injuriam, quæ est peccatum, demonstrat, Mahometum supra omnes Prophetas honorari & exaudiri: & cùm hæc demonstratio prædicti floris non adeò benè fieret absque supradicto Articulo, igitur secundùm conditiones Arboris Deus voluit concordare veritatem & hunc Articulum; per quam convenientiam hic Articulus manifestè est probabilis.

Cùm Saracenus finivit sua verba, Judæus & Christianus voluerunt respondere, Gentilis tamen noluit consentire.

Ait ergò Gentilis: dicas mihi, utrùm Mahometus, antequam fuit Propheta, peccaverit?

Respondit Saracenus: verum est, Mahometum peccasse ignoranter, antequam esset Propheta, eò quòd credebat in idola, ût erat moris gentium suæ terræ, & in consuetudine, in qua sui parentes ipsum posuerant, qui adorabant idola.

De Amore & Superbia.

DEUS diligit Humilitatem, & odit Superbiam; & quia scientia est occasio superbiæ, ad demonstrandum, quòd Deus diligat humilitatem, & odiat suum contrarium, voluit, quòd Mahometus præ cæteris Prophetis exaudiretur, qui Mahometus erat homo laicus, & prorsus expers & ignarus scientiæ, & per humilitatem habuit majorem audaciam in deprecando Deum, quàm alii Prophetæ, qui non fuerunt ausi supplicare Deo, licèt fuerint literati & valde eruditi in scientiis; & cùm hic Articulus sit valde conveniens ad significandum supradictum florem, igitur in magna significatione floris demonstratur, quòd supradictus Articulus sit verus.

De Fide & Spe.

MAnifestum est, quòd Judæi & Christiani non credant nec sperent, quòd precibus alicujus hominis ullus homo exeat de inferno, postquam in illum intraverit: unde cùm Fides & Spes per hoc sint minoris quantitatis in Judæis & in Christianis, & in Saracenis sint majoris, qui credunt & sperant, quòd peccatores, qui sunt in inferno, ex illo exeant precibus Mahometi; & cùm hoc, per quod fides & spes conveniant cum majori quantitate, necessariò debeat concedi secundùm conditiones Arboris, probatur, prædictum Articulum esse verum.

Ait Gentilis: verum est, quòd conditiones Arboris sint, ût tu dicis, excepto, *quòd ex hoc contra conditiones aliarum Arborum nullum inconveniens sequatur*; quòd inconveniens necessariò sequeretur, si esset verum, quod tu dicis; nam Deus plùs diligeret magnitudinem inter fidem & spem, quàm inter perfectionem & justitiam; quod est manifestè impossibile: „per quam im„possibilitatem probatur, te non intellige„re conditiones Arborum, ût oportet.

De Charitate & Invidia.

DIxit Saracenus: ad multiplicandam Charitatem & mortificandam Invidiam Deus volet ordinare, quòd Mahometus supra cæteros Prophetas exaudietur, & quòd omnes Prophetæ diligant Mahometum, & ipsi non invideant honorem, quem Deus illi faciet supra omnes; & cùm absque supradicto Articulo prædictus flos non adeò benè significaretur, nec multiplicaretur charitas, nec mortificaretur invidia, & cùm hoc, per quod hoc meliùs significetur, meliùs conveniat cum esse, quàm hoc, per quod non adeò manifestè significatur, idcirco ostenditur, supradictum Articulum necessariò existere secundùm conditiones Arborum, in quibus supradictus Articulus evidenter est probabilis.

ARTICULUS IX.

Quomodo Gentes debeant reddere Rationem.

DIxit Saracenus: scias Gentilis, quòd Deus ab omnibus hominibus bonis & malis petet rationem, & omnes habebunt reddere rationem de bonis & malis, quæ commiserunt in hac præsenti vita; & hominem, qui suo proximo injustè fecerit malum seu injuriam, & fecerit aliquod bonum, Deus tantum puniet, quòd præmium, quod debuerat habere pro bono, quod fecerat, habebit ille, cui fecerat injuriam in hoc mundo; do; & si bonum non fecerit, Deus dabit illi pœnas, quas debuerant habere aliqui peccatores, qui aliquod bonum fecerant; & hoc faciet ad demonstrandam suam justitiam: & Deus non solùm petet rationem ab hominibus, verùm etiam à bestiis & avibus, & puniet ipsas pro injuriis, quas aliæ aliis ad invicem intulerunt; & postquam ipsas puniverit, dicet eis, quòd revertantur in terram, & tunc revertentur in terram, & ex tunc ulteriùs nihil erunt.

Dixit Gentilis, quæ utilitas sequitur ex resurrectione bestiarum & avium & ex ratione, quam reddent, cùm habeant in nihilum redigi, & sint absque discretione, & nullam habeant notitiam de divina justitia?

Respondit Saracenus, dicens: utilitas, quæ in resurrectione bestiarum, avium & omnium irrationabilium sequitur, consistit in hoc, quòd peccatores desiderabunt sicut irrationabilia devenire in nihilum, & habebunt iram & passionem, eò quòd perpetuò permanebunt in esse.

Dixit Gentilis: quando poterit finiri ratio seu computus omnium animalium, cùm sint tot creaturæ, quæ alterutrum fecerunt injuriam in hoc mundo?

Respondit Saracenus, secundùm quòd nos credimus, non durabit ratio nisi tanto tempore, quanto potest coqui solùm unum ovum; & hoc erit ad demonstrandam magnitudinem in divina perfectione, sapientiâ & potestate: unde cùm tu intellexeris modum, secundùm quem Deus petet rationem à creaturis viventibus, oportet nos redire ad modum, secundùm quem ordinatur disputatio, in qua sumus, & oportet, quòd per flores Arborum probemus supradictum Articulum.

De Sapientia & Perfectione.

CErtum est, quòd divina Sapientia conveniat cum Perfectione; unde ad demonstrandum, divinam sapientiam esse perfectam, convenit, quòd quælibet creatura teneatur reddere rationem, ut videatur, quòd divina sapientia sit perfecta in sciendo omnia, quæ in hoc sæculo creaturæ fecerunt: unde si hic Articulus non esset Deo gratus, nec esset in veritate, sequeretur, quòd inter divinam sapientiam & perfectionem esset contrarietas, in quantum divina perfectio noluisset ordinasse, quòd divina sapientia cognosceretur in esse perfecto; & cùm sit impossibile, divinam sapientiam & perfectionem ad invicem contrariari, ideo sequitur, hunc Articulum esse verum.

De Perfectione & Justitia.

CUm in Deo sit concordantia perfectionis & sapientiæ, & cùm divina Perfectio conveniat cum Justitia ad demonstrandum, quòd divina sapientia concordet cum omni eo, cum quo convenit divina perfectio, Deus voluit demònstrare, quòd sua sapientia concordet cum justitia; & ideo voluit ordinare, quòd in die judicii reddatur ratio in præsentia omnium populorum, & quælibet creatura judicetur secundùm exigentiam operum, quæ fecerit in hoc mundo: & cùm hæc sententia & hæ rationes sint subjectum, in quo manifestabitur divina perfectio & justitia, & hoc subjectum non posset esse absque supradicto Articulo, igitur manifestatur, hunc Articulum esse verum.

De Potestate & Superbia.

PEr istum florem manifestabitur, quomodo divina Potestas conveniat cum magnitudine contra superbos & injuriosos, qui fecerunt injurias & superbias hominibus pauperibus, humilibus & justis; nam tunc Deus graviter puniet illos in præsentia populi, & non poterunt effugere judicium, nec contradicere divinæ potestati; & cùm secundùm conditionem floris illud conveniat cum esse, per quod demonstratur, potestatem Dei sub se deprimere superbos, hæc autem demonstratio non posset adeò manifestè fieri sinè prædicto Articulo, igitur demonstratur, quòd supradictus Articulus sit verus.

De Spe & Justitia.

QUantò meliùs Spes & Justitia conveniunt contra sua contraria, tantò majores possunt esse, & tantò meliùs concordare cum esse, & quantò sunt majores & in majori concordantia, tantò fortiùs manifestant virtutes Dei: unde si veritas est, prædictum Articulum esse verum, ille, cui fit injuria, potest per hoc habere majorem spem in divina justitia, & injuriosus potest per hoc plùs timere justitiam Dei, quàm illam timeret, si dictus Articulus non esset verus; & cùm omne illud conveniat cum esse & cum veritate, per quod homo habeat majorem spem in divinam justitiam,

& majorem timorem illius, igitur demonſtratur, quòd dictus Articulus ſit verus.

De Temperantia & Ira.

DIxit Saracenus Gentili: Temperantia eſt virtus, quæ eſt in medio duorum vitiorum: undè quantò fortiùs temperantia eſt in medio duorum vitiorum, tantò major eſt, & à duobus vitiis æqualiter plùs diſtat; & quantò plùs temperantia diſtat à duobus vitiis, tantò majora videntur eſſe duo vitia, & minùs convenientia cum temperantia & cum eſſe: & cùm ſecundùm conditiones floris conveniat, quòd omne illud ſit verum, per quod temperantia meliùs contradicit, & plùs diſtat à duobus vitiis, idcirco verum eſt, quòd debeant reddi rationes, & quòd Articulus ſit verus, cùm in illo Articulo, ſecundùm quòd retulimus, contineatur, quòd Deus faciet æqualitatem de uno bono cum alio, ad multiplicandum unum meritum cum altero, & ad augmentandam unam gloriam cum alia, & faciet concordantiam in hominibus peccatoribus de uno peccato cum alio, ut multiplicet eis pœnas, amovendo culpam à juſtis & injuriatis hominibus, & ipſam dando injurioſis, & dando meritum injurioſorum illis, quibus fuit facta injuria.

ARTICULUS X.

Quòd ponderabuntur Merita & Culpæ.

AIt Saracenus Gentili: nos credimus, quòd, poſtquam Deus à bonis & malis, ût ſuprà dictum eſt, receperit rationem, ponderabit bona & mala, quæ in hoc mundo homines commiſerunt; & ſi in homine plùs ponderent bona, quàm mala, ſalvabitur, & ſi plùs ponderent mala, quàm bona, condemnabitur, & ſi mala & bona æqualiter ponderent, ibunt ad unum locum, qui eſt inter Paradiſum & infernum, & in illo loco tamdiu permanebunt, quamdiu placuerit divinæ voluntati: unde ad probandum, quòd hic Articulus ſit verus, colligimus primò iſtum florem.

De Poteſtate & Sapientia.

CErtum eſt, Gentilis, quòd Poteſtas & Sapientia in Deo conveniant, & ad demonſtrandum hanc concordantiam, quam habent in bonitate, magnitudine, æternitate &c., ſcilicet, quòd divina ſapientia poſſit ſcire omnia bona & omnia mala, quæ homines fecerunt, Deus ponderans ſciet, quis homo ſit magìs bonus, quàm malus, & quis ſit magis malus, quàm bonus, & quis ſit æqualiter bonus & malus; & hæc ſapientia Dei, quæ tantum poteſt ſcire, manifeſtabitur per pondus, quod Deus de bonis & malis faciet in die judicii; & cùm absque hoc, quòd Deus ponderaret bona & mala, non poſſet eſſe adeò manifeſtabilis, & cùm hoc, per quod divina poteſtas & ſapientia meliùs manifeſtetur gentibus, conveniat cum eſſe, igitur manifeſtatur, Articulum ponderandi bona & mala, & reddendi rationem, neceſſariò eſſe verum.

De Magnitudine & Juſtitia.

DIxit Saracenus Gentili: moris eſt inter nos, quòd Reges & Principes & magni Domini teneant curias, & faciant congregare gentes, & monſtrent eis ſuos theſauros ad manifeſtandum ſuam magnitudinem; & ratio, quare faciant juſtitiam de latronibus & homicidis in præſentia omnium, eſt, ut ſua juſtitia videatur in magna quantitate: unde omne, quod faciunt in hoc mundo ad demonſtrandum ſuam magnitudinem & juſtitiam, fit in ſignificationem hujus Articuli, in quem nos Saraceni credimus; & ideo Deus, ut demonſtret ſuam magnam juſtitiam, ponderabit bona & mala, ad demonſtrandum, quòd ſua juſtitia ſit adeò magna, quòd nemini faciet injuriam neque damnum: & cùm absque pondere bonorum & malorum magna magnitudo divinæ juſtitiæ non poſſet adeò benè demonſtrari, & hoc, per quod meliùs demonſtretur, conveniat cum eſſe, eſt neceſſarium, quòd ſupradictus Articulus conveniat cum eſſe.

De Perfectione & Superbia.

PErfectio & humilitas conveniunt contra imperfectionem & Superbiam; nam homo ſuperbus, quò plùs ſe credit valere, eò minùs valet, & eò majorem defectum habet in ſe ipſo; & quo plùs homo humilis ſe humiliat, & minùs ſe credit valere, eò plùs valet, & eò plus perfectionis continet in ſe ipſo: unde cùm hoc ita ſit, & cùm divina perfectio ſit contraria ſuperbiæ, ad demonſtrandum, quòd ſuperbia ſuperborum hominum non poterit obviare divinæ perfectioni, quæ diligit humilitatem, Deus confundet ſuperbiam cum humilitate in

in ſuperbis hominibus, dando majus pondus humilibus, quàm ſuperbis, qui per ſuperbiam credunt plùs ponderare, quàm homines humiles: & cùm ſupradictus flos meliùs demonſtretur humanæ conſiderationi, ſi hic Articulus ſit, quàm ſi hic Articulus non eſſet, igitur convenit, hunc Articulum neceſſariò eſſe, ut ſupradictus flos meliùs manifeſtetur, & ut meliùs demonſtretur contrarietas, quæ eſt inter perfectionem & ſuperbiam, & concordantia, quæ eſt inter perfectionem & humilitatem, & concordantia, quæ eſt inter defectum & ſuperbiam, & contrarietas, quæ eſt inter humilitatem & ſuperbiam.

De Charitate & Juſtitia.

DIxit Saracenus Gentili: ſi hic Articulus eſt verus, per hoc potes habere majorem Charitatem & Juſtitiam ad diligendum Deum & temetipſum & tuum proximum, quàm poſſes habere, ſi Articulus non eſſet verus, & per hoc meliùs potes concordare charitatem & juſtitiam contra odium & injuriam; & cùm hoc, per quod meliùs potes eſſe virtuoſus, conveniat cum eſſe, ſi eſſet hoc, per quod non potes eſſe tantùm virtuoſus, quod eſt contrarium hujus, per quod meliùs potes eſſe virtuoſus, ſequeretur, quòd magnitudo Dei contrariaretur magnitudini ſupradicti floris; quòd ſi ſic, divina magnitudo concordaret cum minoritate, invidia & acedia; hoc autem eſt impoſſibile & contra conditiones omnium Arborum: per quam contrarietatem ſignificatur, ſupradictum Articulum eſſe verum.

De Charitate & Ira.

CHaritas & Ira ſunt contrariæ, cùm charitas ſit virtus, ira autem vitium: unde ſi Deus ponderabit bona & mala, & ſegregabit bona à malis, & mala à bonis, per hoc erit major charitas ad unam partem, & ira ad alteram, quàm ſi inſimul eſſent; nam ſi inſimul eſſent, una obfuſcaret alteram; & cùm hoc, quod dicimus, ſit verum, & conveniat, eſſe verum, ut charitas ſit major in ſalvatis, & ira major in damnatis, & ſi bona & mala ſunt partita & ponderata, charitas concordabit cum majori virtute, & ira cum majori vitio, idcirco ſecundùm conditiones floris demonſtratur, quòd Articulus ponderandi neceſſariò ſit verus.

ARTICULUS XI.

De Via Paradiſi & Inferni.

DIxit Saracenus Gentili: nos credimus, quòd in die judicii erit una via, per quam felices, qui ſunt ſalvandi, tranſibunt; altitudo illius viæ erit peragratio mille annorum, & longitudo ſimiliter peragratio mille annorum, & totidem in deſcenſu; ſubtùs hanc viam erit infernus, in quem cadent illi, qui hanc viam non poterunt pertranſire: illa via verò erit adeò ſtricta, ſicut unus capillus capitis vel ſicut acies enſis; & quidam eam tam velociter pertranſibunt, ſicut coruſcatio fulguris, alii verò ſicut equus currens, alii autem ſicut homo currens, alii ſicut infans impotens liberè ambulare, & quilibet ſecundùm ſuum meritum peragrabit illam viam, quòd ſi non meretur gloriam, ruet de acie illius viæ in infernum: unde iſte eſt unus ex Articulis, in quem nos Saraceni credimus, quem etiam primò intendimus probare per hunc florem.

De Bonitate & Magnitudine.

GLoria Dei eſt idem, quod ſua magna Bonitas; nam Deus in alio non habet gloriam, niſi ſolùm in ſe ipſo: unde cùm divina bonitas ſit infinita in magnitudine, æternitate, poteſtate, ſapientia, amore & perfectione, convenit, ejus gloriam, quæ eſt ſuamet bonitas, eſſe infinitam in omnibus ſupradictis floribus: cùm igitur hoc ita ſit, convenit, quòd, qui vadit ad gloriam Dei, in illam vadat cum maximo labore, ut meliùs mereatur habere gloriam in magna bonitate Dei; & cùm via, quam nos dicimus, ſit adeò alta & longa ac ſtricta, & infernus ſit inferiùs, igitur cum quantò majori periculo homines per ipſam tranſibunt, & quò plùs in tranſeundo durabunt, tantò digniores erunt per hoc habendi gloriam: & cùm hoc, per quod homo habet majorem gloriam, meliùs conveniat cum eſſe, quàm hoc, per quod homo habet minorem, igitur ſecundùm conditiones Arboris probatur antedictus Articulus.

De Sapientia & Prudentia.

AIt Saracenus Gentili: natura intellectûs eſt, quòd, quantò ſubtiliùs intelligit, tantò meliùs concordet cum prudentia per ſuum intelligere; & quantò major eſt prudentia,

dentia, tantò magìs multiplicat conſcientiam in homine, quam homo habet de ſuis defectibus & culpis, quos fecit contra Deum & ſuum proximum; & cùm prudentia & conſcientia in homine ſint tantò majores, quantò meliùs concordant cum divina ſapientia, quæ omnia ſcit: unde ſi prædicta via eſt ſecundùm veritatem, ſicut nos credimus, per hoc homines habebunt majorem prudentiam & conſcientiam, qui per ipſam tranſibunt, quàm haberent, ſi non eſſet dicta via, nec per ipſam homines transirent: & cùm hoc ſit verum, per quod prudentia & conſcientia meliùs conveniunt cum divina ſapientia, demonſtratur, dictam viam eſſe in veritate.

De Amore et Ira.

COnſuetudo & natura Amoris eſt alleviatio; unde quantò graviores ſunt viæ Paradiſi, & cum magno labore habentur, tantò magìs convenit, quòd homo fortificetur & vivificetur in amore Dei, ut fortiter amet Deum; & quantò fortior eſt homo propter amorem, & amor facit, illum leviter & cum lætitia ſuſtinere labores, qui ſunt graves, tantò plùs diligitur à Deo: & cùm conveniat, hoc eſſe verum, per quod divinus amor & humanus amor meliùs poſſunt concordare, & per ſupradictam viam meliùs poſſint convenire, igitur demonſtratur, quòd via, de qua loquimur, ſit vera, per quam ira & amor ſunt contrarii: unde ſi homines, qui tranſibunt per dictam viam titubando & in magno ſpatio temporis, & non poterunt ita vigorosè tranſire, ſicut illi, qui pertranſibunt velut corruſcatio per aërem, non iraſcuntur, & fortitudo magni amoris ipſos ſuſtinet lætos absque ira, per hoc amor erit magìs contrarius iræ; & cùm hoc, per quod amor plùs contradicat iræ, conveniat eſſe verum, igitur convenit, ſupradictum Articulum eſſe in veritate, ſinè quo amor non poſſet adeò fortiter contrariari iræ.

De Spe & Juſtitia.

APeri Gentilis oculos tuæ mentis, & aſpice, quomodo via, in quam nos credimus, ſit occaſio & ratio, quòd magna Spes & Juſtitia ſint in homine; nam potes cogitare, quòd, qui tranſit per pontem tantæ altitudinis & tantæ longitudinis & ſtricturæ, ſit in gravi & terribili periculo; & quò majus & durabilius eſt periculum, eò majorem juſtitiam & ſpem convenit eſſe in homine; & quia ſpes & juſtitia per hoc meliùs poſſunt convenire & majores eſſe, igitur ſignificatur, quòd ſupradicta via ſit in veritate.

De Juſtitia et Superbia.

JUſtitia cohibet Superbiam, cùm ſuperbia ſemper velit exaltari per injuriam; unde illi ſuperbi, qui cadent de via, quæ continet ſpatium mille annorum in altitudine peragrationis, de altiori loco cadent per ſuperbiam & injuriam, quàm caderent, ſi ſupradicta via non eſſet: & cùm conveniat, hoc eſſe in veritate, per quod juſtitia fortiùs contradicat ſuperbiæ, igitur convenit, ſupradictum Articulum eſſe; quòd ſi non, ſequeretur, quòd flores primæ Arboris contradicerent huic, per quod juſtitia & ſuperbia fortiùs contrariantur; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd Articulus ſit verus.

Dixit Gentilis Saraceno: ſecundùm hoc, quod tu dicis, ſequitur, quòd ſit altera via altior & longior illâ, quàm tu dicis, ut ex hoc juſtitia fortiùs contradicat ſuperbiæ.

Reſpondit Saracenus: verum diceres, niſi alio modo ſequeretur inconveniens contra flores primæ Arboris; veruntamen quia nos ſcimus, quòd Chriſtiani & Judæi & aliæ gentes non credant in aliam viam majorem, quàm ſit iſta, quam nos credimus, idcirco eſt inconveniens, quòd ſit via, quam tu dicis, & nihilominùs ignoretur; quòd ſi eſſet, & tamen ignoraretur, ſequeretur evidens inconveniens in floribus primæ Arboris; hoc autem eſt manifeſtè impoſſibile.

Dixit Gentilis Saraceno: ſi verum eſt hoc, quod tu dicis, dicas mihi, quid comedent & bibent illi, qui lentè & titubando peragrabunt illud iter? rurſùs in quo tantum iter collocabitur? quoniam iſte totus mundus non eſt tantæ quantitatis, quòd in illo poſſet capi adeò longa & alta via, ût tu dicis?

Reſpondit Saracenus dicens: quòd ſit ſcriptum in Alcora & in Proverbiis Mahometi, quòd Deus præcipiet terræ, quòd ſe extendat tantum, ut in die judicii in ea poſſint recipi omnes gentes; & hoc idem præcipiet Paradiſo & inferno, ut illi, qui in illos habent intrare, in illis poſſint collocari: & per hoc meliùs ſignificabitur magnitudo

nitùdo in divina poteſtate & voluntate; nam juxta voluntatem Dei ordinabitur, & ideo reſpondeo & dico tibi, quòd terra extendetur tantum, quousque in ipſa poſſit capi ſupradicta via.

Ait Gentilis: ſecundùm hoc, quod tu dicis, conveniret, quòd terra, Paradiſus & infernus infinitè extendantur, & quòd infinitæ gentes creentur, ut per hoc meliùs demonſtretur magnitudo in divina poteſtate & voluntate.

Reſpondit Saracenus dicens: nullam creaturam convenit eſſe infinitam, ne magnitudini Dei, quæ eſt infinita, æquetur; & ideo omne, quod Deus in creatura operatur, convenit eſſe ſub finita quantitate.

ARTICULUS XII.

De Paradiſo et Inferno.

DIxit Gentilis Saraceno: non eſt neceſſe, quòd probes Paradiſum, nec Infernum; nam ſatis & ſufficienter hoc jam probatum eſt; volo tamen ſcire modum, ſecundùm quem tu credis in Paradiſo poſſidere gloriam.

Reſpondit Saracenus & dixit: nos credimus duobus modis in Paradiſo habere gloriam: una eſt gloria ſpiritualis; altera verò eſt gloria corporalis: gloria ſpiritualis eſt videre Deum & ipſum diligere & contemplari; unde hanc gloriam habebimus in Paradiſo, ſecundùm quòd noſter Propheta Mahometus refert in ſuis proverbiis, videlicet, quòd homines, qui ſunt in Paradiſo, manè & veſperè Deum videbunt; nam per quemcunque locum ſua capita in circuitu duxerint per feneſtras palatiorum, in quibus erunt, apparebit eis Deus; hæc autem viſio erit tam magna gloria, quòd nec mens ipſam poſſit concipere, nec lingua proferre: corporalem autem gloriam habebimus in omnibus quinque ſenſibus corporalibus, cum quibus homo Deo ſervierit in hac vita; quoniam ſi in quinque ſenſibus non haberemus in Paradiſo gloriam, Deus non haberet perfectam bonitatem nec perfectam juſtitiam: per quam imperfectionem ſignificatur, quòd in Paradiſo erit gloria corporalis: unde ut tua anima poſſit lætari in bonis, quæ in Paradiſo habebis, ſi te convertas ad noſtram legem, breviter volo tibi narrare de gloria, quâ homo in quolibet corporalium ſenſuum poteſt uti.

De Viſu.

NOs credimus in Paradiſo habere pulchra palatia & pulchras cameras conſtructas ex auro & argento & lapidibus pretioſis, videlicet rubinis, ſmaragdis, ſaphyris, margaritis & aliis lapidibus ſimilibus ſupradictis; & per ſculpturam & diverſitatem colorum ac lapidum, qui erunt tam magni ſicut magni montes, erunt illa palatia & cameræ pulcherrimæ ad videndum.

In illis palatiis erunt multi pretioſiſſimi panni facti de auro & argento ac ſerico, ex quibus illa palatia valde ornabuntur; erunt etiam ibi lecti atque ſtoræ & tapetes contexti ex auro & argento, byſſo & purpurâ: rurſus in illis palatiis erunt multæ decentes mulieres miræ pulchritudinis & indutæ nobiliſſimis veſtibus, quarum aſpectus erit valde placidus ad videndum: erunt etiam ibi multæ ripariæ & prata, in quibus erunt multi fontes & fluvii & arbores abundantes multis formoſis floribus & ſaporiferis fructibus, quæ facient umbras dulcis quietis, & à quibus emanabit ſuaviſſimus odor; decorem & ornamentum iſtarum rerum quis tibi verbotenùs poſſet figurare ſeu enarrare?

In Paradiſo etiam videbimus Angelos, qui ſunt valde magnæ pulchritudinis & magnæ quantitatis, & ſunt creati in maximo numero, & videbimus Prophetas & alios Sanctos, qui ſunt Reges diverſarum gentium, ſecundùm ſtatum, in quo Deo ſerviverint in hoc mundo; & quilibet homo erit magìs corruſcans, quàm oculus ſolis, & erit indutus nobilibus veſtimentis: unde cùm hoc ita ſit, poteris conſiderare, quòd gloria Paradiſi ſit valde magna in omnibus ſupradictis multipliciter ad videndum.

De Auditu.

AUdire cantus Angelorum & virorum & mulierum in laudem & benedictionem Dei, conſiderare potes, quàm magnam gloriam dent illis, qui audient hujusmodi cantus, & maximè cùm ſint cantus dulcedinis, gloriæ & honoris.

In Paradiſo, ſi te contingat intrare, potes loqui cum tuis amicis & familiaribus de omnibus rebus, de quibus volueris loqui, & de omnibus, quæ fecisti in hoc ſæculo, & etiam de gloria, quam habebis; & illi, cum quibus locutus fueris, ſimili modo loquen-

loquentur tecum; loqui verò & audire hujusmodi verba dabunt cuicunque gratum ac dulce solatium.

De Odoratu.

NOn possum tibi referre gloriam, quam felices Sancti Paradisi habebunt olfaciendo odores, qui sunt in Paradiso; nam in Paradiso erit mirabilis odor ambræ, musci, foliorum, florum & fructuum in omnibus, quæ homo comedet & bibet, aspiciet ac tanget; ventus autem Paradisi erit suavis & placidus deferens odores, in quibus sensus olfactûs adeò delectabitur, quòd omnes odores hujus sæculi nihil sint in comparatione odorum, qui sunt in Paradiso.

De Gustu.

DIxit Saracenus Gentili: charissime Amice, crede meis verbis, audi & intellige felicitates, quas homo habebit in Paradiso, & concupisce eas cum desiderio; nam in paradiso erunt fluvii aquæ & vini, lactis, butyri & olei, & per margines fluviorum & fontium erunt multæ pulcherrimæ arbores, ad quarum umbram homo sedebit cum suis amicis & familiaribus bibens & comedens, quidquid volet: nam si homo de fructibus arborum vult comedere, in continenti habebit; & si natura desiderat comedere carnem seu rem aliam, absque mora ipsi omnia præsentabuntur, quæ desiderat, & sic erunt præparata, ut voluntas illa non possit meliùs exoptare; saporem enim & dulcorem, quos homo in comedendo & bibendo ac in omnibus supradictis rebus inveniet, humana consideratio non est sufficiens enarrare; & maximè, cùm homo in paradiso habebit majorem potestatem comedendi & bibendi, quàm in hoc sæculo; quoniam sicut gloria Paradisi est major, quàm gloria hujus mundi, ita convenit, hominem in Paradiso habere majorem potestatem multum comedendi & multum bibendi, quàm possit habere in hac vita.

De Tactu.

IN palpando, tangendo & sentiendo recipit homo delectationes & placita in hoc mundo; & ideo in Paradiso homo habebit gloriam per palpare, sentire & tangere pannos albos & lenes, & per jacere in mollibus culcitris & albis sindonibus, in aliis pannis de serico & purpura nobilibus, in quibus sensus tactûs est delectabilis.

Deus ad dandum homini in Paradiso maximam delectationem corporalem creavit multas domicellas pulcherrimas virgines, quas pro felicibus, qui sunt salvandi, elegit & custodit, cum quibus homo habebit valde delectabile placitum in jacendo cum eis, quæ nullo tempore senescent, quas etiam, quotiescunque homo ad eas accesserit, inveniet velut virgines incorruptas.

In Paradiso vir habebit accessum ad mulieres, quas in suo hospitio tenuit, ad quas jam habuit accessum in hoc mundo, & secundùm quòd quidam viri erunt digniores habendi gloriam, quàm alii, sic habebunt pro suis corporibus plures & pulchriores domicellas, quàm alii.

Deus multiplicabit in Paradiso potestatem in viro ad mulieres plurimùm accedendi, ad multiplicandum gloriam Paradisi, ut sit major, quàm gloria hujus mundi; & ideo viri habebunt in Paradiso maximam abundantiam coitûs, ut possint possidere magnam gloriam.

Scias Gentilis, quòd in Paradiso homines habebunt glorias, quas à meis verbis potuisti perpendere, & alias plurimas, quas tibi non retuli, quarum narratio esset longa, & ad quas enarrandas non possem sufficere ob illius magnitudinem.

Dixit Gentilis Saraceno: si ita est, ût tu dicis, oportet, in Paradiso esse multas sordes & immunditias; nam secundùm cursum naturalem hominis comedentis & bibentis & coëuntis convenit ab ipso sordities & corruptiones procedere, quæ valde fœtidæ sunt ad videndum & odorandum, & horribiles ad dicendum.

Respondit Saracenus: hoc, quod tu dicis, est verum secundùm cursum hujus vitæ, in qua nunc sumus; veruntamen in altero sæculo erit totum contrarium, & hoc erit per opus divinæ potestatis, quæ potest dare melioratiorem & ordinem omnibus rebus.

Dixit Gentilis: secundùm quòd ego intellexi, finalis ratio, propter quam homo est creatus, est, ut in Deo habeat gloriam, & secundùm hoc, quod tu dicis, sequeretur, quòd homo esset creatus ad habendam gloriam in prædictis: quod si esset, non sequeretur finis, propter quem homo est creatus; & si non sequeretur ille finis, sequeretur, quòd in

in Deo sapientia non concordaret cum potestate, amore & perfectione; hoc autem est impossibile, & est contra conditiones Arborum, ût videtur.

Respondit Saracenus: homo principaliter est creatus, ut Deum cognoscat & diligat; & sequitur secundùm divinam perfectionem & justitiam, quòd homo remuneretur in supradictis felicitatibus, sinè quibus homo non posset remunerari.

Dixit Gentilis Saraceno: si Deus est justus, & in Paradiso uni viro justo dabit multas mulieres, & quò magis erit justus, eò plures fœminas habebit, cum quibus jacebit, ut sua gloria sit major, secundùm hoc sequitur, quòd mulieri, quæ magis justa est, quàm vir, & etiam magis justa, quàm altera mulier, Deus deberet in Paradiso dare plures viros, qui ad ipsam haberent accessum, ut ex hoc acciperet majorem gloriam.

Respondit Saracenus: Deus in hoc sæculo plùs honoravit virum, quàm fœminam, & ideo vult ipsum plùs honorare in altero sæculo, quàm fœminam.

Dixit Gentilis Saraceno, precor te, ut mihi dicas, utrùm vos Saraceni omnes credatis eo modo, quo tu jam dixisti habere gloriam Paradisi?

Dixit Saracenus: verum est, quòd inter nos diversi diversimodè credant gloriam Paradisi; nam quidam credunt habere gloriam (secundùm quòd ego tibi retuli) & hoc intelligunt secundùm literalem expositionem, quam ab Alcora accipiunt, in qua nostra lex continetur, & à proverbiis Mahometi, & etiam à proverbiis & à glossis & expositionibus Sapientum exponentium nostram legem: aliæ tamen gentes sunt inter nos, quæ intelligunt gloriam moraliter, & spiritualiter exponunt eam, dicentes: quòd Mahometus metaphoricè gentibus absque rationali intellectu & insipientibus loquebatur; & ut eos ad divinum amorem posset trahere, referebat eis supradictam gloriam; & idcirco hi tales, qui credunt hujusmodi gloriam, dicunt, quòd homo in Paradiso non habebit gloriam comedendi & jacendi cum mulieribus, & habendi alias supradictas res; & hujusmodi sunt naturales philosophi & magni clerici non benè servantes in aliquibus præcepta nostræ legis; & ideo nos tales inter nos quasi hæreticos reputamus, ad quam hæresim devenerunt audiendo Logicam & naturas; & ideo statutum est inter nos, quòd nullus publicè ausit legere naturalia & logicalia.

Postquam Saracenus finivit suas rationes & narravit omnia, quæ erant convenientia ad probationem suæ legis, ipse proposuit ista verba: audivisti Gentilis rationes & probationes, quas tibi dedi de Articulis nostræ Legis, & audivisti felicitates Paradisi & dulcedines, quas æternaliter habebis sinè fine, si in nostram legem à Deo traditam credideris: cùm Saracenus dixisset hæc verba, clauso suo libro & finitis verbis duobus Sapientibus secundùm suam consuetudinem dedit salutem.

De Fine hujus Libri.

CUm Gentilis audivisset omnes rationes trium Sapientum, ipse incepit narrare omnia, quæ Judæus dixerat; postmodum narravit omnia, quæ Christianus dixerat; & hoc idem fecit de omnibus, quæ Saracenus dixerat, ita, quòd omnes tres Sapientes videntes, Gentilem adeò benè retinere & intelligere eorum verba, exultaverint magno gaudio; qui omnes unâ voce dixerunt Gentili, quòd benè cognosceret, se non locutos fuisse homini non sensato seu non habenti rationabilem intellectum.

Postquam Gentilis hoc, quod suprà dictum est, narravit, stetit erectus pedibus, & ejus intellectus fuit illuminatus in via salutis de doctrina supernæ gratiæ, & ejus cor incepit diligere Deum, & oculis dare uberrimas lachrymas; & intimè adoravit Deum, proferens ista verba.

De Oratione Gentilis.

O Divinum infinitum & supremum Bonum, quod es fons, origo & perfectio omnium bonorum, tuæ sanctissimæ bonitati Domine exhibeo reverentiam & honorem, ubique cognosco & regratior tam magnam felicitatem & gratiam, in quam per tuam misericordiam sum deductus.

Adoro te sancte Domine Deus, & benedico tuæ sanctissimæ magnitudini, quæ est infinita in bonitate, æternitate, potestate, perfectione, sapientia & amore.

Tuæ æternitati, Pater & Domine, sit laus & gloria; quoniam est in bonitate, magnitudine, potestate, sapientiâ, amore & perfectione sinè principio & fine.

Domine Deus, infinitam potestatem, quam tu habes in tua bonitate, magnitudine, æternitate, sapientia, amore, perfectio-

fectione, non immeritò adoro, metuo & honoro ſupra cæteras alias poteſtates.

Amantiſſime Domine Deus, qui in temet ipſo habes infinitam ſapientiam in tua bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate, amore & perfectione, & in omnibus, quæ creaſti; tuam ſapientiam, Domine, diligo, & illi ex totis meis viribus, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus, porrigo ſupplices debitas & devotas preces.

Sancte Domine, tuum amorem, qui non habet conditiones cujuscunque amoris, imò eſt ſupra cæteros amores excellens, nam amorem, qui eſt perfectus in tua perfecta bonitate, magnitudine, æternitate, poteſtate & ſapientia, illum amorem ſanctiſſime Domine diligo & adoro, & illi amori Domine offero totam meam voluntatem, & totam virtutem mei intellectûs, & totum, quidquid tuus amor mihi voluit dare, ad ſerviendum ipſi, & ad honorandum ipſum, & ad laudandum illum omni tempore meæ vitæ.

Divina perfectio, quæ omnibus imperfectionibus es lumen & medicina ac ſpeculum ſinè ruga, & quæ es ſpes ſalutaris omnium peccatorum, quæ etiam es infinita per totam tuam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, poteſtatem, ſapientiam & amorem, ad te ſingularem recurſum habeo, à te peto veniam, donum, conſilium & auxilium, quomodo tibi poſſim ſervire, & in te rehabere tempora, quæ perdidi per meam ignorantiam & culpam.

Cùm Gentilis profundis ſuſpiriis & multitudine lachrymarum ac verâ contritione cordis adoravit flores primæ Arboris, ſe flectens in terram, petiit à Deo benedictionem & gratiam, ut ſibi daret flores quartæ Arboris, proferens verba in hunc modum: ha vera fides! quæ tantum diſtuliſti venire ad illuminandam meam intelligentiam, nam mei dies transacti irrecuperabiliter ſunt amiſſi: „ha fides! cujus „notitia non habetur in terra, à qua ego „ſum oriundus, ob cujus ignorantiam tot „homines decurrunt ad ignem perpetuum „inceſſanter: ó amabilis fides, benedicta „& glorificata ſis tu ſemper in mea anima; „quoniam per te & in te recepit lumen ſapi„entiæ; nam repuliſti à mea mente tenebras „& caligines, in quibus ſteteram omnibus „diebus meæ vitæ; repuliſti dolorem & „triſtitiam, deſperationem & anguſtias, e„jeciſti multas tribulationes, in quas me„um cor devenerat nubilo ignorantiæ; Deo glorioſo & ſublimi pro te refero gratias, ut ſuâ virtute in me ſis omni tempore meæ vitæ; ego enim ſum tuus ſerviens ad multiplicandam tuam famam & honorem, & ad divulgandam multitudinem tuæ virtutis.

O ſpes amica, unde venis? vel ubi fuiſti retroactis temporibus? ſcis tu chariſſima, quomodo deſperatio mihi intulit valde multos languores & tribulationes longo tempore? dum deſperatio ſic graviſſimè me affligebat, cur mihi non præſtabas auxilium contra tuum inimicum? O ſpes, quæ es conſolatio deſolatis & miſeris, pauperibus theſaurus & divitiæ, quæ fortificas debiles & fragiles contra fortes, quæ etiam facis metuere Deum Regem gloriæ, & habere in aſſidua memoria illos, qui ipſum deſiderant & diligunt: adeò fortiter intraviſti in viſcera mei cordis, quòd ex nunc non timeo tuum contrarium, quod mihi longo tempore fuit mortalis inimicus: tecum & in te & per te ſpero in magnam poteſtatem mei Domini, quomodo ad complementum ducatur meum deſiderium, quod eſt in honorando & ſerviendo ipſi Deo, & de ſua magnitudine dare notitiam illis, qui ipſum non diligunt nec cognoſcunt: non deſpero de mea poteſtate, ſapientia & voluntate defectivis & indigentibus, & de meis graviſſimis criminibus; quoniam tu me facis recolere magnam miſericordiam illius Domini, qui poteſt omnes res perficere, & dare omnes gratias, & remittere omnia genera delictorum.

Dum Gentilis dicebat hæc verba, aſſiduè flectens genua & oſculans terram, & manus & oculos ad cœlum erigens, contigit, quòd ipſe cum charitate creata voluerit adorare & contemplari divinam increatam charitatem dignam omni gloriâ & honore.

O charitas, amabilis virtus, qui te habet & te diligit, eſt gratus & amabilis per divinam charitatem, quæ omnia, quæ diligit, infinitè diligit in æternum: charitas, quis te dabit omnibus illis, qui te volunt habere, & de te poſſunt habere, quantum volunt? quæ fortuna eſt iſta, quòd tu me volueris tenere in tuo dominio absque hoc, quòd ego te recolerem, cognoſcerem & amarem; fortuna, quæ diu mihi fuit inimica, nunc in te habendo prorſus reſtauravit omnia mea damna: unde cùm ego ſim pauper & peccator ac deſpecta perſona, tu autem me facias tantum diligere Deum &

& meum proximum, quomodo poſſem tibi præmiare magnum bonum, quod per te mihi evenit? Ha miſeri, in quanta paupertate & miſeria degunt illi, qui non diligunt nec cognoſcunt charitatem! quid absque charitate in cordibus hominum valent mundanæ felicitates & divitiæ, quæ humanam mentem detinent alligatam vano errore! Amabilis Deus, qui me illuminaſti, & fervore ignîs charitatis me feciſti calefieri, illumina cum charitate illuminante & calefaciente deſolatos & pauperes homines expertes charitatis, qui ſunt in terra, de qua ego ſum; per quam paupertatem quotidie ſubmittuntur tenebroſis viis & infinitis laboribus perpetui ignîs, in quibus afflictiones non ceſſant ipſos tormentare; ſpes tamen non ſperat aliquod refrigerium.

Exiſtimo, neceſſarium eſſe, quòd in noſtra oratione non obliviſcamur juſtitiæ; quoniam divina juſtitia ſcit omnes meos defectus & culpas, & juſtè me poteſt punire in meis defectibus; quidquid enim divina juſtitia de me faciat, ſive me ad tormenta æternalia condemnet & puniat, ſive ad perpetuam benedictionem mihi indulgeat, cuilibet me voluntariè ſubmitto, & in omnibus adoro & benedico ſanctiſſimam juſtitiam Dei, faciat de me, quidquid illi placuerit; nam charitas facit, me timere Deum, & diligere & adorare ipſum in ſua juſtitia, quæ omnia juſtè & ſinè ſcrupulo conſcientiæ operatur; & idcirco convenit, quòd mea juſtitia habeat in me tantam poteſtatem, quòd faciat, me velle & deſiderare omne illud, quòd divina juſtitia de me velit facere.

Prudentia, quæ es lumen ſalutis, & corruſcatio, per quam Sapientes diriguntur ad divinum ſplendorem, qui omnes ſuos amatores & ſequaces illuminat; meus intellectus longo tempore fuit tenebroſus, eò quòd tu in ipſo non habebas habitaculum: ex quo igitur per te tanta felicitas mihi evenit, obſecro te, quòd ex nunc impoſterum mea anima non ſit absque tuo conſortio; & placeat excellentiſſimo & ſublimi bono, quòd tecum poſſit cognoſcere ſupremam ſapientiam, quæ eſt fulgens illuminatio tui & aliorum luminum, & quòd per gratiam & illuminationem ſupremi luminis me juves ad illuminandum & erigendum tot errantes homines, qui ſunt in tenebroſo ſtatu & tempore, & qui ignorant viam ſalutis.

Fortitudo, quæ fortificas corda fidelium, ne inclinentur ad fraudes ſeu malitias; velles fortificare cor tam fragile hominis peccatoris & timidi, ad ſuſtinendum labores, pericula & mortem, quæ conveniunt ad exhibendam laudem, gloriam & benedictionem nomini illius Domini, qui dignus eſt omni honore, qui etiam non immeritò tantum vult honorari, ut nullam moleſtiam timeret ad ſerviendum ipſi, nec ſe abſentaret ab aliquo genere tormentorum. O charitas, juſtitia, prudentia & vobiſcum ſpes poſſetis concorditer unà convenire, quomodo in noſtram terram iretis, & ut ibi ædificaretis bonum & gratiam, quam ego in vobis recepi ab altiſſimo Creatore.

Temperantia, abſtinentia, patientia, fortitudo, nolite dormire in otiis; quoniam vitia, quæ vobis ſunt contraria, nocte & die vigilant, nec ceſſant continuò diſſipare & deſtruere in voluntatibus hominum guloſorum, luxurioſorum, avarorum, acedioſorum, invidorum, iraſcentium ac ſuperborum.

Dum Gentilis dicebat hujusmodi verba, ipſe recolebat & inveniebat, quòd ſui oculi non plorarent, nec emitterent lachrymas, quas ſolebant; & ut ſuum cor ſuis oculis daret aquam, quam ſolebat, per quam ſui oculi rigabant genas lachrymis, voluit recolere ſeptem peccata mortalia iſtis verbis:

Prô dolor, in quàm mala ſervitute & ſubjectione ſunt illi, qui ſunt ſervi & captivi gulæ! nam gula non ceſſat ſuis ſervitoribus quotidie dare tormenta, & nemini parcit, nec diviti nec pauperi; mors autem continuò appropinquat ad nos, & noſtrum corpus quotidie pingueſcit, ut in breviori tempore detur in eſcam vermibus.

Luxuria, quæ non ſolùm deturpas & deſtruis corpus, imò es ipſa turpitudo & ſordities memoriæ, quæ te recolit, & intellectûs, qui te intelligit, & voluntatis, quæ te diligit; & tantum es turpis & ſordida, ut omnibus quinque ſenſibus des horribiliſſimum objectum.

Avaritia, quæ divites depauperas, pauperes tibi ſubjicis, quæ etiam facis homines deſperare de gratia Dei, qui ſolus poteſt dare complementum omnium bonorum, cur es in hoc mundo? & quare facis, quòd divites deſpiciant pauperes? & quòd pauperes odiant & blasphement divites?

Acedia, quæ in tuis ſubjectis das ſignum damnationis, quæ facis tot homines negligentes & pigros, quando remunerabis illos, quos torques frigore nequitiæ, & facis expertes divinæ gratiæ? & quare dejicis ipſos

in infernum, ipsi autem sequuntur tuam voluntatem, eò quòd illos facis odire bonum?

Si tu superbia nihil esses, quid esset humilitas? & si humilitas, quæ te deprimit, te exaltaret, quantæ magnitudinis esses modò? & si tu non potes esse in gloria, quare impedis humiles ad ascendendum ad gloriam? illorum enim est gloria, quam tu perdidisti, & de qua tu mediante divinâ justitiâ cecidisti.

Invidia, quæ es tristitia animæ, si, dum tempus est, non moreris, quando morieris? & si nunquam in his, in quibus invides, fuisti satiata, & semper omnia, quæ das, tollis, cur ea desideras? & si in his omnibus facis proditiones & fraudes, estne aliquid, in quo sis veridica & fidelis?

O ira, tenebræ cogitationis, obfuscatio intellectûs, mortalis voluntas, quid facis inter nos? & quare nos devias & impedis ad diligendum honorem illius Domini, qui diligit honorem omnium sibi servientium, & omnes tuos servos & sequaces, & viles à se separat & contemnit?

Dum Gentilis moraliter dicebat supradicta verba, ipse recolebat & inveniebat, quòd non manarent lachrymæ à suis oculis, & dixit: ha miser culpabilis! quid est hoc, quod tuos oculos impedit à plorando? nam si, dum habes tempus plorandi, non plores præ nimio gaudio gratiæ & felicitatis, in quam devenisti à fortuna, nescis quomodo, nec etiam ploras tuas culpas & delicta, dum habes licitum tempus, quando plorabis miser? & jam tu plorabas graviter, antequam ad hunc diem venisses, eò quòd credebas, te post tuum obitum nihil fore.

Dum Gentilis dicebat hæc verba & multa alia, quorum narratio esset prolixa, ejus anima satagebat recolere, intelligere & diligere divinam virtutem, quæ dedit suo cordi virtutem, quòd aqua sui cordis possit ascendere ad suos oculos, ut ab ipsis effluat fluvius lachrymarum.

Valde dulciter & devotè plorabat Gentilis longo tempore, verba proferens in hunc modum: ha Deus Rex Gloriæ & virtutis! quàm magna differentia est inter lachrymas & planctus, in quibus esse consueveram, & istos planctus, in quibus nunc existo; nam illi planctus inferebant meo cordi & animæ gravia tormenta & labores, hi autem planctus mihi sunt tam grati & placidi, & tantâ felicitate vivificant meam animam, quòd nullum alterum bonum vellem habere in hoc sæculo, nisi quòd mea anima in hac inhabitabili eremo toto tempore meæ vitæ esset in amore, & mei oculi in hac dulcedine lachrymarum; veruntamen de terra in terram me oportet incedere & redire in terram, de qua ego sum, & oportet me divulgare & ostendere honorem & gloriam Dei illis, qui de Deo non habent notitiam, cujus Dei gratiâ mihi evénit tantum bonum; & ideo me oportet laborare omnibus diebus meæ vitæ; & placeat Domine Deus, quòd timor famis & sitîs, caloris, frigoris, paupertatis, fatigationis corporalis, despectionis gentium, ægritudinis, tormentorum, desolationis, derelictionis domûs, separationis à muliere seu à filiis, filiabus, amicis, bonis temporalibus, vel timor extraneitatis locorum seu gentium, sustinendi mortem, aut quamlibet aliam gravissimam pœnam, quòd, inquam, omnia ista seu illorum aliqua non possint pellere à meo corde memoriam tui honoris nec exaltationem tui glorioſi nominis.

Domine Deus, qui tot bona das, & tot culpis parcis, placeat tibi tuo peccatori culpabili parcere, qui à te petit veniam, & qui benedictis Sanctis gloriæ supplicat, ut tibi gratias referant pro bono, quod mihi fecisti, ad quod regratiandum ego non sum sufficiens; & in hac hora parce Domine delinquenti, qui tibi offert omnem suam potestatem & animam; & ipsum regula, quomodo in tuis viis dirigatur, & faciat tua opera, in quibus tu à tuis subjectis & famulis vis serviri.

Secundùm quòd supradictum est, adorabat & benedicebat Gentilis suum Dominum & Creatorem; & tantum nitebatur adorare & laudare Deum, & petere ab ipso veniam de suis defectibus, quòd omnes tres Sapientes ex hoc maximam pietatem habebant, & valde fortiter mirabantur, quàm nobiliter faceret suam orationem; & adeò magna erat devotio, quam in Gentili videbant, quòd ipsos intra se remordebat conscientia, & ipsos accusabat de peccatis, in quibus perseveraverant; & maximè, cùm cognoscebant, quòd Gentilis concepisset majorem devotionem dandi laudes nomini Dei in brevi tempore, quàm ipsi, quibus longo tempore notitia Dei fuerat demonstrata.

De Commeatu, quem tres Sapientes acceperunt à Gentili.

POstquam Gentilis finiverat suam orationem, in pulcherrimo fonte abluit suas manus

manus & faciem ratione lachrymarum, quas emiserat, & tergit se uno panno albo, quem portabat, quo consueverat tergere suos oculos, quando plorabat præ nimia tristitia, in qua erat; postmodum verò sedit juxta tres Sapientes dicens ista verba: Divinâ benedictione & gratiâ contigit, quòd ego in hoc loco vobis Dominis obviaverim, in quo Deus me voluit habere in memoria, & assumere in suum servum: unde benedictus sit ille glorioſus Dominus, & benedictus sit locus, & vos sitis benedicti à Deo; gratias etiam refero Deo, quia ipse in vestris voluntatibus posuit, ut veniretis in hunc locum; & in hoc loco tantum felicitatis & gratiæ mihi evénit: in vestra præsentia volo investigare & eligere illam legem, quæ mihi divinâ gratiâ & supradictis vestris verbis demonstratur esse vera; & pro illa volo laborare omnibus meis diebus, ad honorandum & manifestandum nomen mei Domini.

Dum Gentilis finivit hæc verba, ipse se erexit in pedes, ut genua flecteret, & flexis genibus monstrans legem, quam optabat, ipse eminùs vidit venire per nemus duos Gentiles de sua terra, qui erant in errore, in quo ipse consueverat esse, quos Gentiles etiam cognoscebat; & ideo Gentilis ait tribus Sapientibus, quòd ipse vellet exspectare illos duos gentiles, qui veniebant, & vellet in illorum præsentia eligere & manifestare legem, quæ est semita veritatis: tres Sapientes verò surrexerunt, & valde gratanter & devotè acceperunt commeatum à Gentili: quàm plurimæ benedictiones fuerunt, quas Sapientes dederunt Gentili, & Gentilis Sapientibus; amplexus, oscula, lachrymæ & planctus fuerunt in eorum discessu & in fine suorum verborum: antequam tamen tres Sapientes recederent ab illo loco, Gentilis eos interrogavit dicens: quòd de ipsis valde miraretur, cur non exspectarent, ut audirent, quam legem ipse eligeret esse veram inter alias.

Responderunt autem tres Sapientes, & dixerunt: quia quilibet habet opinionem, quòd eligeres suam legem, nolumus scire, quam legem tu velis eligere; & maximè cùm nobis sit occasio & materia, quòd nos inter nos disputemus, ut secundùm vim vivæ rationis & naturam intellectûs videamus, quam legem tu debeas eligere per naturam; & si tu coram nobis ostenderes, quam legem tu plùs diligis, non haberemus adeò benè materiam, quomodo possemus disputare & inquirere veritatem.

His verbis finitis tres Sapientes redierunt in Civitatem, à qua exierant; Gentilis autem aspiciens flores quinque Arborum, & recolens hoc, quod ex supradictis conceperat, exspectabat duos Gentiles, quos viderat venientes.

De Verbis, quæ tres Sapientes dixerunt in Regressu.

DIxit unus trium Sapientum: si Gentilis, qui longo tempore fuit in errore, concepit adeò magnam devotionem & fervorem in dando laudes Deo, & dixit, quòd non dubitet se submittere quantumcunque gravibus tribulationibus & tormentis, imò etiam morti, quantò magìs nos, qui tanto tempore habuimus notitiam de Deo, deberemus habere valde magnam devotionem & fervorem ad laudandum nomen Dei; & maximè, cùm Deus nos voluerit tantum obligare pro tot bonis & honoribus, quæ nobis dedit, & quotidie dat: igitur bonum & utile videretur, quòd prævia disputatione investigaremus, quis nostrûm sit in veritate, & quis in errore; ut sicut apud omnes manifestum est, quòd sit unus Deus, unus Creator, & unus Dominus tantùm, ita haberemus unam fidem, unam legem & unum modum laudandi & honorandi altissimum Creatorem, & ut alternatim præstaremus amorem & auxilium, & ut inter nos nulla esset differentia nec contrarietas fidei nec consuetudinum; propter quam differentiam & contrarietatem homines ad invicem sunt inimici, & præliantur, & interficiunt se invicem, etiam alii ab aliis ad invicem captivantur; & ex tali guerrâ, occisione & captivitate impeditur divina laus, reverentia & honor, ad quorum exhibitionem tenemur omnibus temporibus nostræ vitæ.

Postquam Sapiens finivit prædicta verba, incepit alter Sapiens loqui, quòd homines tantum essent radicati in fide, in qua essent, & in qua ipsos illorum parentes & antecessores posuissent, quòd impossibile esset per prædicationem seu disputationem vel aliam rem, quam homo posset facere, ipsos removere à propriis opinionibus; „& idcirco quando homo vult „cum ipsis disputare, & eis monstrare er„rores, in quibus sunt, statim omnia de„spiciunt, quæ homo ipsis loquitur, & di-

„cunt, quòd velint perſiſtere ac mori in „fide, in quam ipſos eorum parentes & „anteceſſores poſuerunt.

Alter autem Sapiens reſpondit dicens: natura veritatis eſt, quòd fortiùs radicetur in anima, quàm falſitas; cùm veritas & eſſe conveniant, falſitas autem & non eſſe conveniant; & idcirco, ſi falſitas in multis hominibus & continuè expugnaretur à veritate, neceſſariò conveniret, quòd veritas vinceret falſitatem; & maximè, cùm falſitas nec magnum nec parvum juvamen à Deo recipiat, veritas autem ſemper à divinâ virtute juvetur, quæ eſt increata veritas, quæ creavit creatam veritatem, ut deſtrueret falſitatem: veruntamen quia homines ſunt amatores bonorum temporalium, & tepidè & parvâ devotione diligunt Deum & ſuum proximum, ideo non curant deſtruere falſitatem & errorem; timent etiam ſuſtinere mortem, morbos & paupertatem, & nolunt relinquere ſuas divitias ac alia bona temporalia, nec proprias terras, nec parentes, ut illos, qui ſunt in errore, ducerent ad viam veritatis, ne ſuſtinerent infinitas tribulationes, & venirent ad gloriam ſinè fine: & maximè deberent hoc facere, ut laudarent nomen noſtri Dei, & manifeſtarent ejus virtutem, poſtquam Deus vult, quòd manifeſtetur in omnibus populis; qui etiam quotidiè exſpectat, ut ipſum honoremus inter illos, qui ipſum vituperant, deſpiciunt & ignorant, & quòd faciamus omnia, quæ poterimus, ad exaltandum glorioſiſſimum nomen Domini; nam ſi nos faceremus in laudando Deum hoc, quod poſſemus facere, quantò magìs Deus faceret ad laudem & honorem ſui nominis; quòd ſi non faceret, contradiceret ſuo honori & ſibi ipſi; hoc autem eſt impoſſibile & manifeſtè contra conditiones Arborum: *quia tamen nos non præparamus nos ad receptionem divinæ virtutis & benedictionis, quâ eſſemus ſui boni ſervi & laudatores animati & fortes ad ſuſtinendum afflictiones pro exaltatione ſui nominis & honoris, idcirco Deus nobis non dat virtutem, quæ convenit illis, qui volunt divinâ virtute deſtruere errores, in quibus ſunt homines, qui ſunt in via damnationis, credentes ſe eſſe in via ſalvationis.*

Dum Sapiens dicebat prædicta verba & multa alia, ipſi tres pervenerunt ad illum locum, in quo in exitu civitatis ſibi primitùs obviaverant, & ibi valde gratanter & amicabiliter illi tres Sapientes acceperunt alterutrum commeatum; & quilibet ab alio petiit veniam, ſi in aliquo contra ipſius legem dixiſſet aliquod verbum ruſticale, & ad invicem remiſerunt ſibi; & cùm fuerunt ad hoc, quòd debuerint ſeparari, ait alter Sapientum: de fortuna, quæ nobis accidit in foreſta, à qua nos venimus, ſequeretur nobis aliqua utilitas, ſi videretur nobis, quòd *per modum quinque Arborum & per decem Conditiones ſignificatas in earum floribus* quâlibet die ſemel in die diſputaremus, & *ſequeremur modum, quem Domina Intelligentia nobis dedit*, & tanto tempore duraret noſtra diſputatio, quousque omnes tres haberemus unum finem tantùm, & quòd inter nos ſervaremus modum mutui honoris & ſervitii, ut citiùs poſſemus concordare; nam guerra & rancor & vituperium impediunt homines, ne inſimul concordent.

Quilibet duorum Sapientum approbavit id, quod tertius dixit; & ordinaverunt locum & horam, quâ diſputarent, & modum, quomodo in diſputatione ſibi exhiberent ſervitium & honorem, ut in una fide & lege poſſent concordare, & percurrerent mundum, dando laudem & gloriam de nomine noſtri Dei: quilibet trium Sapientum receſſit ad proprium hoſpitium, & ſervavit omnia, quæ promiſit.

Finitus eſt Liber Gentilis & trium Sapientum; ex hoc ſit benedictus Deus Rex glorioſus & ſublimis, cujus adjuvante gratiâ & ſapientiâ fuit inceptus & mediatus & ad complementum finis deductus; cujus etiam cuſtodiæ eſt commiſſus, & propter cujus honorem noviter eſt editus & extractus *ab Arte Compendioſa inveniendi veritatem, quæ exquiſitiſſimè inveſtigat cauſas & principia omnium rerum in omnibus ſcientiis tàm liberalibus, quàm mechanicis; qui liber eſt modus & ratio ad illuminandum turbatum & obfuſcatum intellectum*, & ad excitandum magnos, qui dormiunt, & ad intrandum in familiaritatem & notitiam per modum diſputationis cum extraneis & notis, quærendo, quam legem exiſtiment, quòd Gentilis acceperit? ut in conſpectu ſublimis Dei fieret magìs gratus.

Qui ſcripſit & compoſuit dictamen hujus Libri, & qui hunc Librum legerit & inſpexerit, ſit gratus & placabilis in gloria ſummi Dei, & præſervetur in hoc ſæculo ab itineribus, per quæ vadunt ad ignem inferni illi, qui ſunt in ira juſtitiæ ſummi Dei.

(1)

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE SANCTO SPIRITU.

DEUS, cujus Honor & Gloria non terminatur, cum tua benedictione & adjutorio incipit Liber *de Sancto Spiritu.*

DE PROLOGO.

Divinâ gratiâ quidam homo pauper culpabilis, cujus nomen non dignatur ſcribere in hoc Libello, breviter refert, quomodo duo Sapientes (quorum unus erat *Latinus*, alter verò *Græcus*) ſibi invicem obviaverint die Pentecoſtes *juxta quendam fontem, ex quo fonte Domina Intelligentia finebat bibere ſuum palafrenum infra umbram cujusdam Arboris, quæ habebat decem flores, in quibus erant ſcriptæ literæ aureæ & argenteæ, ſignificantes decem Conditiones, per quas decurrunt Rationes hujus Libri:* quando autem illi Sapientes fuerunt ad illum fontem, quæſiverunt à Domina, quid ſignificarent flores arboris? Domina verò reſpondit & dixit eis, *quòd dicti flores ſignificarent Modum & Artem, per quam poſſet cognoſci, quæ Credentia ſit in veritate, an Credentia Latinorum, an Græcorum;* nam quilibet florum ſignificat iſtud, & quilibet florum continet ſuam conditionem ad demonſtrandam veritatem, quæ Fides prædictorum ſit vera vel falſa; *quæ eſt conditio inveſtigandi viam, ſecundùm quam duarum prædictarum credentiarum in Deo poſſit inveniri major nobilitas, & illa major nobilitas eſt affirmanda & eligenda.*

Prima Conditio primi floris eſt, quòd affirmetur & eligatur major Diſtinctio divinarum Perſonarum. *Secunda* eſt, quòd affirmetur & eligatur major Concordantia divinarum Perſonarum. *Tertia* eſt de Simplicitate & Unitate Dei; nam illa Fides, per quam Deo poſſunt attribui major ſimplicitas & unitas, debet eligi ſupra illam, quæ Deo non attribuit tantam ſimplicitatem & unitatem; & hoc idem de aliis floribus ſecundùm ordinem & regulam & artem; cùm majoritas, videlicet major nobilitas, debeat affirmari & Deo attribui ſecundùm virtutes & proprietates divinas, & ſecundùm quòd majoritas ſimul convenit cum eſſe in nobilitate & perfectione, & minoritas, quæ eſt oppoſitum majoritatis, ſimul convenit cum privatione & imperfectione, *ſecundùm Artem compendioſam inveniendi Veritatem, & ſecundùm conditiones quinque Arborum, quæ ſunt in Libro Gentilis & trium Sapientum:* poſtquam verò Domina finiverat ſua verba, palafrenus potavit ex fonte, & Domina acceptâ licentiâ à prædictis Sapientibus receſſit.

Dum duo Sapientes legebant in floribus arboris, quidam ſapiens Saracenus veniens ultra mare tranſiens per Græciam & pergens Romam venit ad *fontem*, juxta quem erat illa *arbor*, & dicti duo Sapientes morabantur: ille Saracenus quæſivit à prædictis duobus Sapientibus iter Romam, Sapientes verò interrogaverunt Saracenum de ſuo ſtatu & conditione, quos Saracenus ipſis narravit his verbis.

Dixit Saracenus: Domini, ſum ultramarinus & Saracenus, veni ad Conſtantinopolitanam Civitatem, ut fierem Chriſtianus, & crederem in Legem Græcorum; cùm verò fui in Eccleſia, vidi unum Latinum & Græcum diſputantes ſupra Articulos ſuarum Legum, & ſic me poſuerunt in dubio; & ideo volo ire Romam, ut ſciam veritatem, an Perſona Sancti Spiritûs procedat à Patre & Filio, vel an ſic ſit, velut Græcus dixit, qui negavit, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio, & dixit, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre tantùm: &

propter hoc, dixit Saracenus, non est mihi voluntas recipere Baptismum, quousque mihi detur certitudo horum Articulorum.

Finitis his sermonibus Latinus & Græcus unius voluntatis fuerunt, videlicet insimul disputare coram Saraceno, *imitando artem & regulam prædictarum Conditionum*, & hoc ad investigandum, utrùm Sanctus Spiritus procedat solùm à Patre, seu à Patre & Filio: miserunt verò sortem, quis eorum primò inciperet; sors autem evénit Græco, qui primò incepit loqui; priusquam autem inciperet, Saracenus rogavit eum, ut posset respondere ad eorum rationes, secundùm quòd sibi videretur; in hoc enim prædicti quatuor Sapientes in *Libro Gentilis* concorditer convenerant.

PRIMA PARS.

CAPUT I.

De majori Distinctione divinarum Personarum.

DIxit Græcus Saraceno: quò certiùs demonstratur distinctio divinarum Personarum, eò fortiùs debet affirmari & eligi eadem distinctio; quod si non ita esset, sequeretur, quòd esset affirmanda & eligenda confusio personalis distinctionis; hoc autem est inconveniens & contra proprietates divinarum Personarum: per quod inconveniens demonstratur, quòd Sanctus Spiritus procedat à solo Patre, & non à Filio; nam si procederet ab utroque, Persona Sancti Spiritus non esset tam distincta à Persona Filii, in quantum ab eo procederet; nec Personæ Patris & Filii essent tam distinctæ una ab alia, in quantum in Processione assimilarentur Sancto Spiritui dando, nec Pater & Sanctus Spiritus essent tam distincti à Filio; cùm autem major distinctio debeat affirmari secundùm conditionem hujus floris, ideo demonstratur & significatur per inconveniens, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio; nam si ab illo procederet, sequerentur supradicta inconvenientia.

Saracenus autem dixit Gtæco: secundùm quòd dicis, sequeretur, quòd Pater & Filius essent magis distinctæ Personæ, si Filius non esset generatus, & quòd Sanctus Spiritus esset magis distincta Persona à Patre, si non procederet ab ipso: præterea sequeretur, quòd esset affirmandum & eligendum, Filium non esse generatum, & Sanctum Spiritum non processisse.

Respondit Græcus: si Filius non esset generatus, non esset in Deo Paternitas neque Filiatio; nec esset Processio, si Sanctus Spiritus non procederet à Patre; quoniam verò est necessarium, quòd sit Paternitas, Filiatio & Processio, demonstratur, quòd tua ratio non valet.

CAPUT II.

De majori Concordantia divinarum Personarum.

DIxit Græcus: Saracene, certum est, quòd ex majori distinctione possit fieri major concordantia, sed est major distinctio, si tota distinctio sit in concordantia, & in illa nulla sit contrarietas; quare cùm in Deo nulla sit contrarietas, & tota distinctio divinarum Personarum simul conveniat ad concordantiam unius Personæ cum altera (nam aliter haberet imperfectionem) & cùm suprà probatum sit, quòd sit major distinctio in divinis Personis, si Sanctus Spiritus non procedat à Filio, ideo demonstratur, quòd in Deo sit major concordantia, si Sanctus Spiritus non procedat à Filio, & esset minor concordantia, si procederet à Patre & Filio; cùm verò debeat eligi & affirmari major concordantia, quæ sit in Personis divinis, manifestum est, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio.

Dixit Saracenus: si Sanctus Spiritus non procedit à Filio, in quo concordant Sanctus Spiritus & Filius? nam est verisimile, quòd Pater & Sanctus Spiritus simul meliùs debeant concordare, quia Sanctus Spiritus procedit ex ipso, & Pater & Filius meliùs debeant concordare inter se, quia Filius generatur à Patre: unde cùm hoc ita sit, sequitur, quòd inter Sanctum Spiritum & Filium sit minor concordantia, quàm inter Patrem & Sanctum Spiritum, & inter Patrem & Filium; hoc autem est inconveniens.

Respondit Græcus dicens: quòd Sanctus Spiritus & Filius simul concordent in concordantia Patris & Filii, quæ est adeò perfecta, quòd Sanctus Spiritus & Filius simul perfectè concordent: tunc respondit Saracenus & dixit, quòd esset possibile, quòd illa concordantia, quæ Sancto Spiritui datur à Filio, esset Processio.

CAPUT

CAPUT III.

De majori Unitate divinæ Essentiæ.

DIxit Græcus: si Sanctus Spiritus procederet à Filio, non esset tam magna Unitas inter Patrem & Sanctum Spiritum, nec inter Patrem & Filium; nam totus Sanctus Spiritus non procederet à Patre, in quantum procederet à Filio, nec Filius esset totus Filiatio, in quantum Sancto Spiritui daret Processionem; quoniam verò major Unitas Personarum, quæ consistit in hoc, quòd sint una divina Essentia, est eligenda & affirmanda, demonstratur, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio; nam si ab illo procederet, esset eligenda & affirmanda minor Unitas divinarum Personarum; hoc autem est inconveniens & contra divinas virtutes & contra divinam perfectionem.

Dixit Saracenus Græco: concedendum est secundùm veritatem, quòd inter Patrem & Sanctum Spiritum, & inter Patrem & Filium sit Unitas Essentiæ & bonitatis, magnitudinis, potestatis, sapientiæ, amoris & perfectionis; hoc enim est, quia Pater & Sanctus Spiritus simul conveniunt per modum Processionis, Pater autem & Filius simul conveniunt per modum Generationis; sed cùm Sanctus Spiritus non procedat à Filio, & sic inter Filium & Sanctum Spiritum nulla sit operatio, ideo est inconveniens, per Sanctum Spiritum & Filium esse Unitatem & simplicitatem Essentiæ distinctarum Personarum.

Respondit Græcus dicens, quòd si non sufficeret Filiatio à Patre ad Filium, & Processio à Patre ad Sanctum Spiritum, ut sit Unitas Essentiæ, esset imperfectio in Paternitate, Filiatione ac Processione; & cùm sit impossibile, quòd in tribus supradictis personalibus proprietatibus sit imperfectio, ideo esset superfluum, si Unitati Essentiæ esset necessarium, Sanctum Spiritum procedere à Filio.

CAPUT IV.

De majori Perfectione divinarum Personarum.

DIxit Græcus: manifestum est, quòd Pater sit tam perfectus in dando Processionem Sancto Spiritui, quàm in dando Generationem Filio; quia si Pater in perfecta Filiatione potest generare Filium, sequitur, quòd ipse det perfectam Processionem Sancto Spiritui, quæ esset imperfecta Processio, si esset necessarium, quòd procederet à Filio: unde cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd Sanctus Spiritus solùm procedat à Patre; nam si procederet à Filio, in Patre esset imperfectio ad generandum Filium, & ad dandum Processionem S. Spiritui; & si in Patre esset imperfectio, sequeretur, quòd etiam in Filio & Sancto Spiritu esset imperfectio.

Dixit Saracenus: secundùm tuam rationem sequeretur inconveniens, scilicet, quòd in Deo nulla Trinitas & nulla operatio esset; nam si Unitas Dei est perfecta per se ipsam sinè necessitate Trinitatis, Trinitas in divina Essentia est superflua ad perfectionem Essentiæ, & operatio Paternitatis ad generandam Filiationem, & ad dandam Processionem.

Respondit Græcus: manifestum est, quòd esse & operatio simul conveniant in creaturis; si autem esse, quod venit de potentia ad actum, simul convenit cum operatione, quantò meliùs sinè omni comparatione esse convenit in Deo cum actu & operatione intrinseca, quæ est in divinis Personis; quod si sic non esset, esset minor perfectio in divina Essentia, quàm in creaturis; hoc autem est inconveniens: per quod significatur, quòd conveniat, in Deo esse pluralitatem distinctarum Personarum, in qua consistat divina operatio; per quam operationem demonstratur Trinitas & perfectio in Essentia divina.

CAPUT V.

De majori Opere divinarum Personarum.

DIxit Græcus Saraceno: quantò majus est opus, tantò nobiliorem convenit esse operationem; quia si Pater solùm Sancto Spiritui dat Processionem; & illa Processio per se ipsam sit sinè necessitate operationis Filii in eodem opere, sequitur major perfectio operis; quantò majus verò est opus, tantò major & nobilior significatur Pater in suo opere: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio; quia si ab illo procederet, Pater esset minùs nobilis in suo opere; hoc autem est inconveniens.

Dixit Saracenus: si Sanctus Spiritus non procedit à Filio, convenit, quòd Filius non sit operativus in propria proprietate personali; & si non est operativus, ipsius status est minùs nobilis, quàm status Patris, qui

est operativus in proprietate generativa & processionali; hoc autem est inconveniens.

Respondit Græcus: secundùm tuos sermones sequeretur, quòd Sanctus Spiritus esset operativus in Patre & Filio; hoc autem est inconveniens: nam Sancto Spiritui sufficit procedere à Patre, absque eò, quòd conveniat, ipsum operari in Patre & Filio.

CAPUT VI.

De majori Gloria.

Dixit Græcus: si tu Saracene quoddam valde bonum & pulchrum opus per te ipsum sinè adjutorio alterius posses facere, illud faceres, & magìs gloriareris de illo post actionem operis, quàm gloriareris, si illud opus non posses facere sinè adjutorio alterius; quia si non, sequeretur, quòd minor potestas & minor sapientia essent magìs eligendæ & appetendæ, quàm major; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur & probatur, quòd, si Sanctus Spiritus solùm procedat à Patre, per hoc gloria Patris sit major; cùm autem major gloria debeat attribui divino Patri, est demonstrabile, quòd Sanctus Spiritus solùm procedat à Patre.

Respondit Saracenus: si gloria Patris sit major, quòd Sanctus Spiritus procedat ab ipso tantùm, & esset minor, si simul procederet à Filio, sequeretur, quòd inter Patrem & Filium posset esse invidia; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur & probatur, quòd, si Sanctus Spiritus simul procedat à Patre & Filio, & Pater per hoc non habeat minorem gloriam, inter Patrem & Filium sit major charitas; & quia major charitas est affirmanda, demonstratur, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

Respondit Græcus dicens: quòd sua ratio non esset nisi de majori gloria, & quòd in hoc Capite non conveniret tractare de majori charitate.

Respondit Saracenus dicens: *secundùm Artem & regulam hujus Libri, & secundùm Conditiones florum supradictæ Arboris* est impossibile, „quòd inter aliquos supradictos „flores sit contrarietas, sed convenit, quòd „inter ipsos sit omnis concordantia; & quo„niam inter gloriam & charitatem Patris „& Filii esset contrarietas, nisi Sanctus Spi„ritus simul procederet à Patre & Filio, ideo „non valet ratio, per quam probatur major „gloria, si repugnet majori charitati.

Græcus autem respondit dicens: quòd in Deo non sit major gloria nec major charitas, veruntamen causâ investigandi veritatem de Sancto Spiritu, scilicet, utrùm procedat à Patre & Filio, vel à Patre tantùm, fuerat taliter ordinatum per rubricas, quòd virtutes essent majores, ad investigandum secundùm quam, videlicet, aut secundùm affirmationem affirmantem, Sanctum Spiritum simul procedere à Filio, aut secundùm negationem negantem illud, necessariò conveniret, quòd in Deo esset major nobilitas Personarum.

CAPUT VII.

De majori Merito.

Dixit Græcus: manifestum est, quòd, si Sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, omnes Clerici græci sint in maximo errore, in quantum negant, Sanctum Spiritum procedere à Filio; si autem Sanctus Spiritus non procedit à Filio, Clerici latini sunt in errore, in quantum affirmant, Sanctum Spiritum simul procedere à Filio; quia cùm Clerici Græcorum non sint tam honorati nec tam potentes, quàm Clerici Latinorum, idcirco Græci, quando sunt Clerici, sunt magìs proportionati ad habendum majus meritum, quàm Latini, quando sunt Clerici: cùm autem illud conveniat cum veritate, in quo est major proportio majoris meriti, idcirco significatur, quòd Græci sint in veritate, & Latini in errore.

Respondit Saracenus: secundùm illud, quod tu dicis, sequeretur, quòd Judæi, qui sunt in captivitate Christianorum & Saracenorum, essent maximè proportionati ad habendum majus meritum; & hoc idem sequeretur de Hossaymis & hæreticis morientibus per tormenta propter credentiam falsitatis: & si sic esset, sequeretur, quòd illi, qui sunt in errore, possent lucrari majus meritum & majorem gloriam per majorem passionem; hoc autem est impossibile.

Respondit Græcus & dixit, quòd Græci & Latini insimul in pluribus concordent, quàm Christiani & Judæi seu Saraceni; & ideo potest fieri supradicta comparatio sinè consequentia inconvenientis, quam tu Saracene affirmas.

CAPUT VIII.

De majori Demonstratione.

Dixit Græcus: Deus creavit creaturas, ut sit justus Creator & Dominus; quantò verò

verò factura dat majorem & nobiliorem demonstrationem factoris, tantò major & nobilior est demonstratio; & quantò magìs materia proportionatur ad recipiendam formam, tantò majorem demonstrationem materiæ dat forma; & cùm illa demonstratio solùm procedat à forma, ideo demonstratur, secundùm quòd Deus semper demonstrat, creaturas esse signum, quòd Sanctus Spiritus solùm procedat à Persona Patris.

Dixit Saracenus: Græce, per tua verba significatur, Sanctum Spiritum procedere à Patre & Filio; sicut enim forma necessariò dat demonstrationem materiæ per modum actionis, sic materia dat demonstrationem formæ per modum passionis; & ideo demonstratio procedit à forma & materia, ad significandum, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

Respondit Græcus dicens, quòd materia & forma nec in essentia nec in substantia sint unum & idem, imò potiùs diversæ; quoniam verò divinæ Personæ sunt unum & idem, in quantum sunt una Essentia, videlicet unus Deus, idcirco de ipsis non potest fieri comparatio.

Dixit Saracenus: si de ipsis non potest fieri comparatio, sequitur, quòd Deus non creaverit creaturas, ut essent effectus demonstrativus primæ causæ.

Græcus verò respondit dicens, quòd nec ex uno nec ex alio possit fieri demonstratio & comparatio secundùm convenientiam causæ & effectûs.

CAPUT IX.

De majori Vita.

Dixit Græcus Saraceno: mundana vita est divisa in contemplativam & activam: unde cùm Clerici Græcorum non sint tam divites neque potentes, ût Clerici Latinorum, idcirco sunt magìs propinqui vitæ contemplativæ, & magìs remoti à vita activa; & cùm Clerici Græcorum sint uxorati, & Clerici Latinorum non sint uxorati, idcirco Clerici Græcorum magìs propinquant vitæ activæ, quàm Clerici Latinorum; cùm autem meliùs conveniant in vita contemplativa & activa, signum est, quòd id, quod credunt, conveniat cum majori veritate, quàm id, quod credunt Latini: unde cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd Sanctus Spiritus solùm procedat à Patre.

Dixit Saracenus: quantò majores & nobiliores vel meliores sunt vita contemplativa & vita activa, tantò magìs est possibile, hominem uti in eis nobilioribus factis; & quantò nobiliora sunt facta, tantò nobilior est vita; quantò nobilior verò est vita, tantò meliùs convenit cum veritate & cum merito & gloria: unde cùm hoc ita sit, ergò Græce secundùm tuos sermones hoc contrariatur tuæ credentiæ.

Respondit verò Græcus dicens, quòd sit inconveniens, quòd vita contemplativa & activa opponantur, cùm quælibet sit bona; si autem esset conveniens, quòd opponerentur, sequeretur, quòd unum bonum esset contrarium alteri; hoc autem est inconveniens: per quod significatur, quòd vita activa, quam habent Clerici græci, cùm habeant uxores & filios, sit melior, quàm vita Clericorum latinorum; & quoniam vita activa Clericorum græcorum est melior, quàm vita Clericorum latinorum, etiam magis concordat cum contemplativa, quàm Clericorum latinorum.

CAPUT X.

De majori Prædicatione.

Dixit Græcus: manifestum est Saracene, quòd id, quod est magìs credibile & magis intelligibile, sit magìs prædicabile: unde cùm credere & intelligere duas Processiones in Deo sit difficilius, quàm intelligere unam, idcirco significatur, quòd Sanctus Spiritus solùm procedat à Patre; si enim procederet à Patre & Filio, sequeretur, quòd illud, quod est minùs credibile & intelligibile, esset magìs prædicabile; hoc autem est inconveniens.

Dixit autem Saracenus: tam alta & excellens est divina Trinitas, quòd illius nobilitati conveniat, in ipsa esse omne id, quod minùs potest comprehendi ab humano intellectu, & propter quod homo fortiùs potest credere supra suum intellectum; & ideo Græce tu ipsemet es contrarius tuæ rationi per tuos sermones.

Respondit Græcus: secundùm hoc, quod tu dicis, sequeretur, quòd in Deo deberent esse plures Personæ, quàm tres, ut homo magìs posset credere, & minùs percipere, & ut operatio ipsarum Personarum esset prædicabilior; hoc autem est impossibile, videlicet, quòd in Deo sint plures Personæ, quàm tres: unde patet, quòd in tuis sermonibus contineatur valde magnus error.

Finita est prima Pars, & ad gloriam Dei incipit secunda Pars.

SECUNDA PARS.

CAPUT I.

De majori Distinctione divinarum Personarum.

DIxit Latinus: glorioſe Sancte Spiritus, ad honorandum divinum Filium volumus probare per majoritatem divinarum Perſonarum, te æqualiter procedere à Perſona Patris & Filii; quam probationem ſignificamus Saraceno per infraſcriptos ſermones.

Verum eſt, quòd in Deo unaquæque Perſonarum ſit diſtincta ab alia, & quælibet diſtinctio ſit infinita proprietas perſonalis; quoniam verò Pater Sancto Spiritui dat Proceſſionem, & generat Filium, & quoniam Filius eſt generatus, & Sanctus Spiritus proceſſit, idcirco quælibet Perſona eſt diſtincta ab alia; ſi autem Filius Sancto Spiritui dat Proceſſionem, inter Sanctum Spiritum & Filium eſt diſtinctio per perſonalem proprietatem & per perſonalem operationem Sancti Spiritûs & Filii; quæ diſtinctio non eſſet, ſi Sanctus Spiritus non procederet à Filio; cùm autem major diſtinctio debeat affirmari, per hoc demonſtratur, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio; quæ major diſtinctio intelligitur, in quantum Filius Sancto Spiritui dat Proceſſionem, & Filius eſt dans & eſt genitus, quàm ſi Sanctus Spiritus ſolùm proceſſiſſet à Patre.

Item dixit Latinus Saraceno: per Incarnationem JESU Chriſti poſſet probari per majorem diſtinctionem, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio; nam eſt nobilior & major diſtinctio inter Sanctum Spiritum & Filium, ſi Sanctus Spiritus procedat à Filio, & non ſit incarnatus, quamvis procedat à Filio, quàm ſi Filius aſſumpſiſſet humanam carnem, & eſſet diſtinctus à Sancto Spiritu, qui non proceſſiſſet ab ipſo. Præterea, cùm Corpus Chriſti remanſerit in Cruce, & Anima deſcenderit ad inferos, & Deitas non receſſerit à Corpore nec ab Anima ad ſignificandum, Filium ſecundùm Corpus & Animam non eſſe Perſonam diſtinctam, imò cum Corpore & Anima eſſe unam Perſonam, quamvis Corpus & Anima non eſſent in eodem loco, idcirco ſi Sanctus Spiritus non proceſſiſſet à Filio, non adeò bene fuiſſet ſignificata diſtinctio Sancti Spiritûs & Filii in Paſſione JESU Chriſti: quapropter per iſtas rationes & per multas alias demonſtratur, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio; ſuperiùs autem demonſtratum eſt, quòd ipſe procedat à Patre: ergò manifeſtum eſt, quòd procedat ab utraque Perſona Patris & Filii.

Dixit Saracenus Latino: ſecundùm tuas rationes ſequeretur, quòd quælibet divinarum Perſonarum deberet incarnari in diverſis hominibus, ut earum diſtinctio nobis meliùs manifeſtaretur.

Latinus reſpondit dicens: quòd ſignificaretur major diſtinctio Perſonarum, ſi quælibet Perſona aſſumeret carnem; quoniam verò ſequerentur alia inconvenientia contra bonitatem, ſapientiam & perfectionem Dei, idcirco non eſt conveniens, quamlibet Perſonam aſſumpſiſſe carnem; nam caro, quam aſſumpſit una Perſona, ſufficit ad ſignificandam diſtinctionem Perſonarum.

CAPUT II.

De majori Concordantia divinarum Perſonarum.

DIxit Latinus: quantò magis quælibet Perſona eſt diſtincta ab alia, tantò plùs poteſt concordare cum alia; quia Filio dante eſſe Sancto Spiritui, procedente Sancto Spiritu ab eo per modum Proceſſionis, una Perſona diſtinguitur ab alia; ſi verò Sanctus Spiritus non procederet à Filio, non fieret diſtinctio propria per Filium & Sanctum Spiritum inter unum & alium; & ſi quælibet Perſonarum non eſſet tam diſtincta ab alia, non poſſet eſſe tanta concordantia inter Perſonas: cùm autem major concordantia debeat affirmari, idcirco probatur, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio. Præterea, ſi Sanctus Spiritus non procederet à Filio, non eſſet aliquid, in quo Sanctus Spiritus & Filius concordarent, quia concordarent per alium, videlicet per Patrem, & eſſet major concordantia in Patre & Filio, quorum concordantia eſt ſimul per Generationem; & ſimiliter in Patre & Sancto Spiritu, qui invicem concordant per Proceſſionem, quàm inter Filium & Sanctum Spiritum; hoc autem eſt impoſſibile & contra æqualem nobilitatem Perſonarum.

Dixit Saracenus Latino: ex majori diſtinctione poteſt fieri major contrarietas; quantò major autem eſt contrarietas, tantò fortiùs poteſt deſtruere concordantiam; ex quo ſequitur, quòd, ſi in Deo eſt major diſtinctio, in ipſo poſſit eſſe major contrarietas oppoſita concordantiæ.

Latinus verò reſpondit dicens: quæſtionem

ſtionem eſſe veram in rebus, in quibus invenitur actualis ſeu potentialis contrarietas; quoniam verò in Deo eſt infinita concordantia perſonalium infinitarum proprietatum, idcirco non valet quæſtio, cùm in Deo non ſit actualis nec potentialis contrarietas; nam ſi ſic, eſſet impoſſibile, quòd in ipſo eſſet infinita concordantia infinitarum proprietatum.

CAPUT III.

De majori Unitate divinæ Eſſentiæ.

SCiendum eſt, quòd, Patre generante Filium & dante Proceſſionem Sancto Spiritui, Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſimul conveniant, ut ſint una ſimplex Eſſentia, & ut ſint una bonitas, æternitas, poteſtas, perfectio, ſapientia & amor: unde ſi Sanctus Spiritus non procederet à Filio, Sanctus Spiritus & Filius non haberent, in quo ad invicem concordarent, ut eſſent una ſimplex Eſſentia in bonitate, æternitate &c.; cùm autem neceſſariò conveniat, quòd Sanctus Spiritus & Filius habeant aliquam relationem & proprietatem, per quam conveniant, ut ſint una ſimplex Eſſentia, idcirco demonſtratur, Sanctum Spiritum procedere à Filio; cùm major unitas & ſimplicitas ſit eligenda. Præterea ſi Filius & Sanctus Spiritus concordent per modum Proceſſionis, Sancto Spiritu procedente à Filio, eſt magis contrarium & magis inconveniens, quòd in Deo poſſit eſſe compoſitio, & meliùs convenit in illo ſimplicitas: & cùm major ſimplicitas debeat affirmari, ſignificatur, quòd Filius det Proceſſionem Sancto Spiritui.

Dixit Saracenus: ſi Pater generat Filium, & Filius dat Proceſſionem Sancto Spiritui, ſignum eſt, quòd Filius priùs fuerit generatus, quàm Sanctus Spiritus proceſſerit à Filio; ſi verò Sanctus Spiritus non procedit à Filio, ſed ſolùm à Patre, ſignificatur, quòd tam citò ſit unus æqualiter, ſicut alius: unde cùm hoc ita ſit, videtur propter hoc, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio.

Reſpondit Latinus: ſuppoſito, quòd in Deum non cadat tempus nec anterioritas, ſequitur, quòd una Perſona non ſit priùs, quàm alia; cùm verò iſta ſuppoſitio ſit neceſſaria ſecundùm perfectionem divinarum Perſonarum, meliùs demonſtratur ſimplicitas & unitas divinæ Eſſentiæ, quæ eſt una in tribus Perſonis, quamvis Pater generet Filium, & Sanctus Spiritus procedat à Filio, quàm demonſtraretur, ſi Sanctus Spiritus non procederet à Filio: & cùm major demonſtratio debeat affirmari, demonſtratur, quòd quæſtio non ſit vera, & quòd ex illius errore ſignificetur veritas, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio.

CAPUT IV.

De majori Perfectione divinarum Perſonarum.

DIxit Latinus Saraceno: eſt perfectio in Patre generante Filium, & dante Proceſſionem Sancto Spiritui, quem Filium & Sanctum Spiritum Pater facit ſibi æquales in infinitate, bonitate, æternitate & perfectione cæterarum virtutum; ſi verò Sanctus Spiritus non procederet à Filio, non haberet perfectionem, per quam eſſet in Patre per perfectionem, quæ eſt inter Filium & Sanctum Spiritum; & ſi ſic eſſet, ſequeretur, quòd Pater haberet perfectionem ſecundùm reſpectum ſui ipſius cum Filio & Sancto Spiritu, & quòd ipſe ſolùm haberet defectum ſecundùm reſpectum Filii & Sancti Spiritûs; cùm verò ſit impoſſibile, quòd in Patre poſſit eſſe defectus, per hoc ſignificatur humano intellectui, Sanctum Spiritum procedere à Filio. Præterea ſi Sanctus Spiritûs non procederet à Filio, ſignificaretur, quòd Filius non eſſet genitus ex toto Patre, in quantum Pater ſibi ſolùm daret, quòd Sancto Spiritui daret Proceſſionem, quod donum eſſet impropriùm ad dandum Filio: & ſi Filius non generaretur ex toto Patre, eſſet finitus & terminatus; hoc autem eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem ſignificatur, quòd Sanctus Spiritus ſimiliter procedat à Filio, & quòd Pater generet illum perfectum & æqualem ſibi ipſi in dando Sancto Spiritui perfectum donum, ex quo ſignificatur in Deo major perfectio, ſi Sanctus Spiritus procedat à Filio.

Dixit Saracenus: Latine, ſecundùm tuam rationem ſignificatur, quòd Sanctus Spiritus non totus procedat à Patre, in quantum procedit à Filio; & ſi non totus procedit à Patre, eſt in ipſo defectus & in Patre defectus.

Reſpondit Latinus & dixit: eſt neceſſarium, quòd totum ſignificetur in Eſſentia & tribus Perſonis, ut ſignificetur, quòd divina totalitas ſit ſuprema in perfectione ſupra totalitem creaturarùm; & ideo totus Pater & totus Filius dant Proceſſionem toti S. Spiritui, & totus S. Spiritus recipit Proceſſionem à toto Patre & à toto Filio: ſi verò S. Spiritus non procederet, niſi ſolùm à Patre, prædicta totalitas non eſſet adeò demonſtrabilis, nec adeò ſuprema ſupra totalitatem creaturarû;

ex

ex qua totalitate creata non potest sequi perfectio, quæ sequitur ex totalitate increata.

CAPUT V.

De majori Opere divinarum Personarum.

DIxit Latinus: manifestum est, quòd majus & nobilius opus, quod est & fuit & potest esse, sit opus divinarum Personarum, quod opus Personæ habent in Natura divina; si enim sic non esset, sequeretur, quòd opus æternum & infinitum in tota perfectione non esset majus & nobilius, quàm opus, quod habet principium & finem; hoc autem est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd, sicut opus Patris est nobilius, quàm opus creatum, sic opus Filii sit nobilius, quàm opus creatum; quia si S. Spiritus non procederet à Filio, non haberet nobilitatem operis in se, nec haberet majorem nobilitatem in alio, quàm sit nobilitas, quam habet supra creaturas, eò quòd in illis nobiliùs operatur, quàm ipsæ possint operari in se ipsis & in aliis: unde cùm hoc ita sit, & quia Filio Dei debet attribui nobilior operatio, demonstratur, S. Spiritum procedere à Filio.

Dixit Saracenus Latino: secundùm tua verba significatur, quòd à Sancto Spiritu debeat procedere alia Persona, vel quòd ipse debeat generare Personam; quia si non, sequeretur ex hoc inconveniens, quod sequeretur secundùm tua verba, si Sanctus Spiritus non procederet à Filio.

Respondit Latinus: secundùm nobilitatem operis intrinseci divinarum Personarum convenit, quòd aliquod opus sit factum absque eo, quòd sit necessarium, aliud opus generari sive procedere ab illo, sicut enim Patri convenit, quòd ipse generet Filium, à quo procedat alia Persona æqualis in nobilitate Patri & Filio, & Filio convenit, quòd ab ipso procedat Spiratio æqualis in nobilitate Spirationi, quæ procedit à Patre, sic Personæ Sancti Spiritus, qui est Spiratio procedens à Patre & Filio, convenit, quòd ipsa sit opus ita perfectum, quòd non conveniat, ipsam operari aliam Personam; nam si sic non esset, sed esset ejus oppositum, sequeretur, quòd in Essentia divina essent infinitæ Personæ in numero, & conveniret, quòd quælibet Persona infinitè fuisset generata ab alia, & quælibet Persona processisset ab alia; hoc autem est impossibile & contra divinam perfectionem: per quam perfectionem demonstratur, quòd in intrinseca operatione Dei necessariò conveniat opus per modum actionis & passionis, & quòd passio non habeat necessitatem in habendo actionem in alia Persona, nisi solùm Filiatio, ad significandum, quòd Pater possit operari æqualem sibi ad dandam Processionem Sancto Spiritui; quem Sanctum Spiritum convenit esse passionem æqualem per actionem Patris & Filii; quia si S. Spiritus non procederet à Filio, esset impossibile, quòd opus esset tam magnum & cum tanta perfectione.

CAPUT VI.

De majori Gloria.

DIxit Latinus: Saracene, si tu alteri naturæ posses dare infinitam gloriam secundùm cursum naturalem, deberes habere majorem gloriam ex illa largitate, quàm ex ea, quam in te ipso habes terminatam & finitam; si verò Pater dat Filio infinitam gloriam illi dando esse, & Filius dat Sancto Spiritui infinitam gloriam ipsi dando esse, dat majorem gloriam, quam Pater & Filius habet, quàm si Sanctus Spiritus non procederet à Filio; si verò non sic esset, & esset oppositum illius, sequeretur, quòd donum gloriæ non conveniret duobus, sed solùm uni, videlicet Patri; hoc autem est impossibile: cùm meliùs conveniat, infinitam gloriam dari per duos, quàm per unum, qui duo sunt Pater & Filius. Præterea, si Sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, anima ex hoc est magis similis Deo, & ex hoc potest habere majorem gloriam, cùm ex recolere generetur intelligere, & ex recolere & intelligere procedat velle; & quia major gloria debet affirmari, ideo demonstratur, Sanctum Spiritum procedere à Filio.

Dixit Saracenus: secundùm tua verba videtur, quòd Sanctus Spiritus alteri Personæ debeat dare gloriam, & quòd illa Persona debeat alteri dare gloriam, & sic infinitè in infinito numero Personarum.

Respondit Latinus: hæc solutio convenit cum supradicta solutione, & ideo Saracene illud, quod jam superiùs tibi dictum est, iterum volo narrare: non enim convenit, quòd in Deo sint nisi tres Personæ, quòd necessariò probatum est *in Libro Demonstrationum*, & *in Arte compendiosa inveniendi Veritatem*, & etiam *in Libro Gentilis*, nec Sanctus Spiritus debet generare nec dare gloriam alicui Personæ divinæ; nam ex hoc, quod illi dant Pater & Filius, debet esse contentus, ne inde sequatur infinitus numerus Personarum; Filius autem debet Sancto Spiritui dare Processionem ad significandum, quòd, sicut potest recipere infinitum esse à Patre, sic possit dare esse spirituale ac personale.

CAPUT

CAPUT VII.

De majori Merito.

QUantò major & altior est fides, tantò majoris meriti est occasio, & quantò altius intellectus intelligit in divina Trinitate, tantò majus meritum habet intelligere, si voluntas id tantum amet, quod intellectus intelligit; si autem Sanctus Spiritus procedat à Filio, homo credens vel intelligens, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio, altiùs fruitur Trinitate, quàm non credens, ipsum procedere à Filio, sed solùm à Patre: & hoc est propter multiplicationem objectorum assumptorum per potentias animæ: cùm autem majus meritum conveniat cum gloria & cum esse, idcirco significatur, S. Spiritum procedere à Filio; si enim hoc non esset ita, sequeretur, quòd majoritas fidei, intellectûs, meriti ac gloriæ conveniret cum minori esse & cum privatione, & minoritas opposita majoritati conveniret cum esse & majoritate; hoc autem est contradictio: per quam significatur, quòd S. Spiritus procedat à Filio.

Dixit Saracenus: fides & intellectus essent altiores, si homo intelligeret & crederet, quòd procedat alia Persona à S. Spiritu, seu quòd esset generatus, & quòd processisset à Patre & Filio.

Respondit autem Latinus: Saracene, verum est, quod tu dicis, nisi inde sequeretur inconveniens in Divinis; propter inconveniens autem, quod sequeretur, si Pater & Filius & S. Spiritus haberent confusas proprietates in distinctionibus, est impossibile, quòd fides & intellectus possint exaltari per aliquod inconveniens, quod sequeretur in Trinitate.

CAPUT VIII.

De majori Demonstratione.

DIxit Latinus: certum est Saracene, quòd Deus creaverit mundum, ut effectus sit demonstratio primæ causæ; „ quoniam verò mundus est quoddam compositum ex „ sensualitate & intellectualitate, à duobus e„ greditur unum quoddam suppositum in es„ se, videlicet mundus; & hoc idem sequi„ tur de supposito sensuali, quod est composi„ tũ ex materia & forma; & hoc idem sequi„ tur de supposito animali, quod est composi„ tum ex corpore & anima; & hoc idem est „ de conclusione, quæ concluditur ex duabus „ propositionibus; & hoc idem invenitur in „ omni alio esse reali & actuali creato, quod „ est substantia creata: unde cùm hoc ita sit, secundùm causam & effectum est concordantia ad primam causam meliùs demonstrandam per opus, si Sanctus Spiritus procedit à Filio, quàm esset, si S. Spiritus solùm procederet à Patre; cùm autem major demonstratio debeat affirmari, idcirco significatur, quòd S. Spiritus procedat à Patre & Filio.

Dixit Saracenus: quantò perfectius est opus, tantò majorem perfectionẽ demonstrat sui artificis; unde si S. Spiritus solùm procedit à Patre, magis demonstratur sua perfectio.

Respondit Latinus: major perfectio est in opere à duobus perfectis constructo & recipiente perfectionem ab utroque construentium, si unus non impediat alteri perfectionem sui operis, quàm sit, si opus demonstraret imperfectionem ex una causa, & reciperet perfectionem ex alia causa: hoc autem est propter perfectionem & opus duarum causarum in suo opere convenientium & concordantium: quod si sic non esset, sequeretur, unam causam perfectam contrariari alteri, & impedire illam; hoc autem est inconveniens & contra majorem demonstrationem perfectionis in causa & causato; „ veruntamen „ causa & causatũ non debent esse in Natura „ divina secundùm causam & causatum, quæ „ sunt in creatura; & idcirco loquimur impro„ priè, quia caremus vocabulis sufficientibus „ ad loquendum perfectè de Trinitate Dei.

CAPUT IX.

De majori Vita.

DIxit Latinus: certum est Saracene, Romam semper fuisse caput mundi, & ideo ad significandum, quòd dominium romanum debeat subjugare totum mundum, sancto Domino Apostolico per opus mirificum datum est dominium romanum, secundùm quòd refertur in vita S. Sylvestri; quoniam verò Deus S. Petrum constituit Procuratorem mundi, hoc est, Sanctæ Ecclesiæ, & S. Petrus & S. Paulus Romæ fuerunt, & ibidem jacent, demonstratur, quòd Romanus Imperator debeat subjugare Græcũ Imperatorem. Et adhuc ulteriùs cùm Græcus Clericus non sit Princeps, nec dominium constantinopolitanum per miraculum sit datum Ecclesiæ Græcorum, demonstratur, quòd Latinis conveniat major & nobilior vita, quàm Græcis.

Ulteriùs, Latini exceduntGræcos in numero, & habent plures Principes & Prælatos, majorem potestatem, majorem libertatem, plures Clericos, plures Religiosos & majorem scientiam, & dant plures eleemosynas: amplius, Latini habent plures Religiosos, qui habent magis asperam & magis contemplativam vitam, quàm Græci; & Clerici latinorum magis honorantur, quàm Clerici græcorum; & in quantum Clerici latinorum non

habent uxores, sunt magis dispositi ad divinum officium: & per has rationes & multas alias significatur, quòd Latini meliùs sint in veritate, quàm Græci; si autem Latini essent in errore, & Græci essent in veritate, illud, quod est magis conveniens & habet nobiliorem vitam, & est magis proportionatum ad serviendum divino officio, esset contra veritatem, & concordaret cum errore, & illud, quod est magis inconveniens, concordaret cum veritate; hoc autem est impossibile & contra divinas virtutes: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio.

Dixit Saracenus: certum est, quòd Clerici latinorum possint esse magis dispositi ad luxuriam, quàm græcorum; cùm verò luxuria sit contra divinum officium, ideo apparet, quòd illi, qui magis vivunt contra luxuriam, sint in majori & nobiliori vita.

Latinus verò respondit: quòd Clericus, qui non habet uxorem, magis possit odire luxuriam & magis diligere castitatem, quàm Clericus, qui habet uxorem; quoniam verò id, per quod magis potest multiplicari meritum, meliùs convenit cum divino officio, quàm id, per quod meritum non potest tantum multiplicari, ideo scias Saracene, quòd tua ratio non valet.

CAPUT X.

De majori Prædicatione.

MAjor prædicatio potest fieri de Deo & de divinis Personis, si Sanctus Spiritus procedat à Filio, quàm si solùm procedat à Patre; nam prædicare, Sanctum Spiritum procedere à Filio, est honorare Patrem, qui generat talem Filium, quòd ab ipso procedat Persona infinita in bonitate & omni perfectione; & prædicare, Filium dare Processionem Sancto Spiritui, est honorare Sanctum Spiritum procedentem à tam nobili Persona, ût est Filius; & prædicare, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio, est honorare Filium dantem Processionem tam nobili Personæ, ût est Sanctus Spiritus; cùm autem omnis iste honor non posset verè prædicari, si Sanctus Spiritus non procederet à Filio, idcirco demonstratur, S. Spiritum procedere à Filio.

Dixit Saracenus: si Sanctus Spiritus procedit à Filio, humanus intellectus minùs potest intelligere in Trinitate, quàm si non procedit à Filio; cùm difficilius sit intelligere duas Processiones, quàm unam tantùm: cùm verò minor intelligentia non conveniat cum prædicatione, & major conveniat, idcirco significatur, quòd S. Spiritus non procedat à Filio.

Respondit Latinus: ad prædicandum verè de Deo & proprietatibus personalibus, convenit, hominem per fidem & per intelligentiam prædicare; quantò altiùs autem homo per fidem & per necessarias rationes potest prædicare, tantò altior & nobilior est sermo: quapropter si Sanctus Spiritus procedit à Filio, homo meliùs potest Deum credere & intelligere, quàm si solùm procedit à Patre; sicut in homine potest prædicari de pluribus creaturis, quàm in equo, quia ex pluribus est constitutus; & hoc idem sequitur de equo, in quo potest prædicari de pluribus, quàm de arbore, in eo enim sunt plures creaturæ: & quantò plura inveniuntur in homine, quàm in animali, & in animali, quàm in plantis, tantò plura possunt in illis intelligi seu plura ignorari; quia si Filius dat Processionem S. Spiritui, in illo potest plus ignorari & intelligi, quàm si S. Spiritus solùm procedat à Patre: cùm autem id, per quod plus potest credi, ut plura ignorentur, & plus intelligi, ut plura sciantur, in Deo sit affirmandum & meliùs prædicandum, idcirco demonstratur, Sanctum Spiritum procedere à Filio.

Dixit Saracenus: secundùm tuam rationem sequeretur, quòd in Deo essent plures Personæ, quàm tres, ut in Deo plura possent prædicari à nobis.

Latinus verò respondit: quæstio, quæ est inter nos & Græcos, est, utrùm S. Spiritus procedat à Filio, nec ne? & ideo huic quæstioni sufficit nostra responsio: utrùm autem in Deo sint plures Personæ, quàm tres, aut non? ad hanc quæstionem potest responderi per alias rationes & probationes, quæ sunt *in Libro Demonstrationum*, de quibus nolumus in hoc Libello tractare, ne variemus quæstionem, quæ est inter nos & Græcos.

Quamprimùm Saracenus intellexit supradictas rationes Sapientum, dixit ad Sapientes, quòd totâ illâ die vellet ibi morari, legendo in floribus arboris rationes, quas audiverat, meditando, ut ipsi meliùs possit demonstrari certitudo veritatis; Sapientes verò gratanter acceperunt licentiam à Saraceno: dum autem Sapientes revertebantur, intraverunt concordantiam toto tempore suæ vitæ insimul societatem faciendi & eundi per terras Latinorum & Græcorum & diversarum credentiarum, disputando, quam legem deberet eligere Saracenus: hanc autem concordantiam Sapientes fecerunt, ut haberent occasionem disputandi cum latinis & græcis Sapientibus, & ut essent in una fide, credendo in S. Trinitatem nostri Domini Dei.

Explicit Liber Disputationis de S. Spiritu.

DIVI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE QUINQUE SAPIENTIBUS.

DEUS, qui es abundans & perfectus in omnibus bonis, in virtute tuæ gratiæ Incipit Liber *de Quinque Sapientibus*.

DE

PROLOGO.

IN quadam magna silva *sub umbra cujusdam pulchræ arboris juxta magnum fontem* sedebant quatuor Sapientes, qui longo tempore studuerant in Philosophia: unus erat *Latinus*, alter *Græcus*, tertius *Nestorinus*, quartus *Jacobinus*, qui omnes cum suspiriis & lachrymis invicem loquebantur de DEO, multùm dolentes de perturbato & misero statu mundi, & etiam de hoc, quòd Deus adeò parùm cognosceretur & amaretur à suo populo, cùm sit dignus omni amore & honore, & sit magnum dedecus ac malum, ipsum non amari, nec cognosci, nec honorari, ût decet.

Cùm quatuor Sapientes sic invicem loquerentur de DEO, viderunt quendam *Saracenum* venientem, qui erat peritus in Scientia Philosophiæ; dum ipsum videbant, unus ipsorum incepit dicere: heu! quantum damnum imminet Christianis, prô dolor, quantum dedecus & vituperium recipit Deus in hoc mundo, videlicet in hoc, quòd Saraceni, qui sunt in errore, capiant & occupent nostras terras, & teneant illam sanctam terram, in qua JESUS CHRISTUS pro nobis peccatoribus fuit natus, crucifixus & mortuus.

Alter eorum respondit ei: quòd diceret veritatem; & adhuc de alio periculo esset timendum, ne scilicet Saraceni convertant Tartaros ad sectam eorum; nam cùm sit facilè Saracenis, fieri hujusmodi conversionem, si Tartari essent conversi ab eis (quod absit) leve quid esset Saracenis destruere quasi totum populum christianum.

Dixit tertius: adhuc est timendum aliud periculum, scilicet, quòd, si Saraceni vel Tartari possent devincere Græcos, faciliter possent debellare Latinos.

Quartus verò tristis plorando dixit hæc verba: cùm Christianitas sit subjugata in tot & tantis periculis, quare non omnes Christiani hujus mundi habent unitatem, postquam habent concordantiam credendo in sanctissimam Trinitatem Dei & suam Incarnationem? & quare non concordant, si

si usque nunc inter eos fuit discordia super aliquibus Articulis? nam si concordarent, leviter possent devincere omnes Saracenos, & postea illos convertere, & illos & Tartaros & alios Paganos subjugare christianæ Fidei.

Domine, dixit ei unus ex illis, scires tu, quomodo Latini possent uniri & concordari cum aliis Christianis in hoc, quod credunt de Deo? qui discordant ab eis; (sicut sunt Græci, Nestorini & Jacobini) qui respondit dicens: quòd concordantia & unio Latinorum cum illis posset fieri, si insimul disputarent homines sapientes, qui cognoscerent errores, per quos ab invicem sunt separati & discordes, ita, quòd illi errores fierent vani, & in perpetuum cassarentur, & sic Christiani essent invicem concordes & uniti in veritate.

Domini, dixit unus ex ipsis, placétne vobis, & haberetísne pro bono, quòd inter vos & me esset Disputatio *secundùm Ordinem Philosophiæ & Viam naturalium Rationum*, ut videremus, qui ex nobis sint in errore, & finitâ Disputatione nos ipsam ostenderemus Christianis Magnatibus, qui de diversis partibus possunt congregare Sapientes, qui congregati viderent nostram Disputationem, & corrigerent ea, in quibus errâssemus, & qui aptarent & multiplicarent nostras rationes, prout eis meliùs videretur; posset enim esse, quòd ista nostra Disputatio in tantum exaltaret animos nostrorum Magnatum & Superiorum, quòd ordinarent, quòd fieret generalis Disputatio super schismatibus & discordiis Christianæ Fidei, quæ tamdiu duraret, donec in Fide Catholica esset facta unio per universum mundum ex omnibus fidelibus Christianis quarumcunque linguarum.

Omnes Sapientes multùm commendantes verba hujus Sapientis ordinaverunt Disputationem hoc modo: videlicet, quòd *primò* disputarent de Processione Sancti Spiritûs: *secundò* de duabus Personis, quas Nestorini credunt in nostro Domino JESU CHRISTO: *tertiò* de Unitate Divinæ & Humanæ Naturæ, quam Jacobini credunt esse in CHRISTO: & quia super istis *tribus Punctis* est major discordia & lis, ordinaverunt inter se invicem disputare super istis, concordantes, quòd Latinus primò loqueretur & ostenderet modum, secundùm quem ipse credat Processionem Sancti Spiritûs.

Cùm autem Latinus vellet incipere, dictus Saracenus, quem viderant venientem, eis supervénit, & interrupit eorum sermones, & eos curialiter salutavit secundùm suum modum: quatuor Sapientes verò mutuâ vice salutârunt ipsum, & dixerunt: quòd noster Dominus JESUS CHRISTUS verus Deus & verus Homo ipsum poneret in via veritatis & salutis. Per verba Sapientum cognovit Saracenus, quòd omnes essent christianæ Fidei, & dixit eis: si vos Christiani habeatis lumen veritatis, quod ex meo corde possit expellere tenebras, & si potestis illuminare meum intellectum cum lumine veritatis, supplico, quatenùs intuitu pietatis me velitis illuminare, & mihi dare veram doctrinam, mediante quâ possim intelligere & amare Deum, & effugere perpetuas pœnas inferni, & pervenire ad gloriam veri Dei: supplici devotione cum suspiriis & fletibus dictus Saracenus humiliter petebat doctrinam à Sapientibus; cui unus ex ipsis respondens dixit: amice dicas, si placet, causam, propter quam ita devotè petas lumen veritatis & doctrinam?

Respondit Saracenus dicens: Domine, sum Saracenus, & longo tempore credidi, legem Saracenorum esse veram; veruntamen *propter Philosophiam*, in qua diu studui, sum deductus ad maximum dubium de veritate nostræ Fidei; quia Mahometus fecit multa inhonesta, propter quæ apparet, ipsum non fuisse Prophetam: quare occasione dubii, in quo jam steti longo tempore, & adhuc sum, accessi ad quendam Christianum, qui morabatur juxta meam terram super quodam magno monte, ubi agit pœnitentiam de peccatis; & quia erat fama in illis partibus de ipso, quòd ipse esset sapiens in Fide Christianorum & verax, & quòd ipse esset verus devotus in orationibus, & plenus magnâ sanctitate, accessi ad eum, & tamdiu disputavi cum ipso de fide Saracenorum, quòd mihi dederit ad intelligendum, fidem Saracenorum esse falsam; quam notitiam mihi dedit per necessarias rationes, quibus meus intellectus non potuit contradicere nec mea syntheresis: quare mea conscientia me remordens à me abstulit omnem quietem, & timeo pœnas inferni, & nihil aliud desidero, nisi scire, quomodo possem cognoscere & diligere Deum, & æternaliter esse in illius gloria.

Postquam prædictus sanctus Eremita omninò solverat & destruxerat meas rationes,

nes, quas oppositeram ad fortificandum, Alcoram, in qua est fides Saracenorum, esse veram, humiliter rogavi eum, ut mihi daret necessarias rationes de Fide Christianorum; qui respondit, quòd Fides christiana sit adeò alta, quòd humanus intellectus ipsam non possit demonstrativè apprehendere: vel dato, quòd ipsam intelligeret per demonstrationem, *tunc Fides non haberet meritum:* quare suasit mihi, quòd crederem Fidem, quia ipsam non possem intelligere, & credendo acquirerem meritum, per quod essem in gratia Dei, & in via æternæ salvationis: cui ego admirans sua verba respondi: Domine, „esset satìs grave & difficile „cuicunque dimittere unam fidem propter „alteram minùs notam, & novam suppo„nere vel credere, & non scire: veruntamen leve quid est, dimittere fidem, quæ „est sub credulitate, propter aliam, quæ „posset demonstrari per probationes seu „necessarias demonstrationes: quare precor te ex parte tui Dei, quem diligis, ut mihi des necessariam doctrinam de tua Fide, si eam scis; nam si de ipsa ero certificatus per necessarias rationes, statim volo fieri Christianus, & redire ad Saracenos, ad docendum eos veritatem christianæ Fidei: & quia in Philosophicis & in Lege Saracenorum reputor (quanquàm indignus) unus de sapientioribus inter eos, fortè per me cum adjutorio Dei multi Saraceni fierent Christiani mediantibus meis verbis; quia vix est aliquis Saracenus peritus in Philosophia, qui credat, quòd fides Mahometi sit vera; & si Philosophi & periti converterentur, per exemplum ipsorum facilè converterentur illi, qui ignorant scientiam; cùm ipsi, quantum ad hoc, in omnibus sequantur sapientes; unus enim sapiens docens & agnoscens viam veritatis citiùs converteret mille homines per viam Disputationis, dando eis necessarias rationes super fidem, quàm converterentur duo vel quatuor cujuscunque sectæ occidendo aliquos; nam grave quid est uni soli homini occidere alium, & ab illo aufferre suas terras & possessiones, cùm unus se possit defendere ab alio cum armis corporalibus, imò etiam aliquando à duobus; sed nemo, qui est in falsitate, potest se defendere cum armis spiritualibus, nec defendere ab illo, qui scit & monstrat plenariam veritatem.

Quare rogo te, Domine Eremita, quòd non desistas propter timorem amissionis acquirendi meriti credendo, quando mihi à te demonstratur veritas tuæ Fidei, eò quòd nec ego nec alius sit creatus principaliter propter se ipsum, sed potiùs, ut ex omnibus viribus corporalibus & spiritualibus diligat, timeat & honoret Deum, & ipsi serviat, & procuret exaltationem illius, qui est veritas, nec principaliter cogitet de acquirendo meritum, sed sufficiat ei gratia, quam Deus illi dabit.

Hæc & multa alia demonstravi Eremitæ, cùm me remitteret ad id, quod priùs dixerat: quare recessi ab eo valde tristis & dolens, & exul discurro per totum mundum quærendo veritatem, quam jam diu quæsivi, & super omnia vellem scire: unde humiliter rogo vos Dominos propter Deum, qui videmini Sapientes secundùm modum & habitum, quem tenetis, ut illuminetis & accendatis meam animam veritate; quia si vos sciatis & doceatis me eandem, multa bona mihi & aliis ex hoc poterunt sequi per gratiam Dei.

Multùm placuerunt Sapientibus verba, quæ dixerat Saracenus, & compatiebantur illi, eò quòd ejus anima sustinebat tantas tribulationes; & unus ex Sapientibus dixit ei hæc verba: mi amice, nos sumus Christiani, inter nos est facta ordinatio, quòd nos disputemus super certis punctis, in quibus sumus contrarii; quam contrarietatem volumus destruere, & Christianos reducere ad unitatem, charitatem, amorem & concordantiam: tu autem sis in prædicta Disputatione, & audias eandem: postea cum auxilio Dei, à quo procedit omne bonum, nos invicem disputabimus tecum; & quantò plùs poteris fortificabis tuas rationes & Saracenorum, & nihilominùs facies nobis objectiones, quantò fortiores poteris, & nos cum gratia Dei destruemus tuas rationes, & solvemus tuas objectiones. „Postea dabi„mus tibi tales positiones de Fide Catholi„ca, *quòd nec tu nec ullus alius per quascun„que rationes poteris ipsas destruere*; & istud „debebit tibi sufficere ad consolationem tui „animi: & sic tuus intellectus per hæc erit „illuminatus de Fide Catholica, Fide re„manente integrâ, & retinente suum meri„tum, postquam intellectus est illumina„tus & certificatus de ipsa: & hoc sequendo modum & doctrinam *Artis Inventivæ & Tabulæ Generalis*, quæ nuper in hunc mundum venerunt per gratiam nostri Domini JESU CHRISTI.

Quidam alius ex ipsis allocutus est Saracenum dicens: *Inter veritatem & falsitatem est contrarietas, veritas autem habet concordantiam cum esse & cum claritate, falsitas verò cum privatione, tenebris & non esse:* & propter hoc Deus ordinavit & voluit, quòd veritas haberet lumen & prærogativam super falsitatem, cum quo lumine intellectus cognoscat veritates rerum, & cognoscat falsitatem, quæ est contraria veritati: & ideo, nisi Deus ordinasset, quòd veritas præponeretur falsitati, & haberet lumen, per quod humanus intellectus illuminaretur ad cognoscendum veritatem rerum & falsitatem, quæ opponitur veritati, conveniret, quòd veritas & falsitas æqualiter crederentur, & humanus intellectus periclitaretur in tenebris, & esset otiosus; hoc autem secundùm divinam sapientiam est inconveniens, quæ ordinavit totum mundum, ut Deus in mundo cognosceretur & amaretur: „ nec tu a- „ mice credas, quòd de Fide Christianorum „ possit dari Demonstratio *propter quid*, nec „ Demonstratio palpabilis, sicut de rebus „ sensualibus, ût fit in scientia Geometriæ; „ cùm Deus sit invisibilis, & cùm talis fides „ non possit haberi pro Fide Dei, nec pro „ illa reputari; attamen tibi dabuntur ta- „ les rationes per *Æquiparantiam, & quen- „ dam modum noviter inventum*, quòd per „ hujusmodi rationes tuus intellectus mul- „ tùm fortificabitur ad cognoscendum ve- „ ritatem nostræ Fidei, & errores, quos In- „ fideles opponunt contra Christianos: hæc enim poterunt & debebunt sufficere tibi & aliis, qui sequuntur tuam opinionem.

Saracenus multùm valde fuit gavisus & consolatus, & elevavit suas manus ad cœlum lachrymando dicens: Benedictus sis tu Domine Deus meus, qui me visitando in pulcherrima spe mihi dedisti consolationem; nam eram die & nocte in maxima desperatione & tristitia, & tu per tuam sanctam pietatem, gratiam, amorem & misericordiam fecisti me pervenire ad talem locum, in quo, spero, quòd meus intellectus illuminetur de tua sancta veritate, & liberetur de tenebris & erroribus, in quibus longo tempore fui. Postquam hæc dixerat, sedit cum quatuor Sapientibus, quamdiu insimul disputaverunt, auscultando diligentissimè eorum verba; & illi statim inceperunt disputare.

De Divisione hujus Libri.

Iste Liber seu Disputatio habet *quatuor Partes*, quarum *Prima* est de Processione Sancti Spiritûs. *Secunda* est de Opinione Nestorinorum. *Tertia* est de Opinione Jacobinorum. *Quarta* & ultima erit de Disputatione, quæ fiet cum supradicto Saraceno.

INCIPIT
PRIMA PARS

Disputatio Latini & Græci.

Quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

INcepit Latinus, ût fuerat ordinatum, & voluit probare, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio, & dixit: Domini, plures sunt rationes, per quas potest probari, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio; sed ut evitemus prolixitatem, quantum poterimus, pro nunc volo probare istum punctum per *Decem Rationes* tantùm: ad probationem, quam volo dare, possent applicari multæ authoritates; *verùm quia nulla vera authoritas potest esse contraria necessariæ rationi, & authoritates possunt diversimodè exponi, & de ipsis haberi diversæ opiniones, nolumus in hoc Tractatu mentionem facere de authoritatibus, quoad necessarias probationes*; cùm propter expositiones earum & diversas opiniones verba multiplicentur inter illos, qui disputant per ipsas, & exinde generetur confusio in intellectu.

Latinus post hæc verba dixit Græco: Domine, quia est necesse, quòd in hac Disputatione hinc inde nobis fiant objectiones, *conveniens esset, quòd in principio nostræ Disputationis ordinaremus positiones communes, in quibus nos concordaremus invicem, & quas Græci communiter tenent cum Latinis, ut haberemus recursum ad communem assensum, quando esset necesse, & per hoc concordanter & communiter concluderemus veritatem.*

Hoc

Hoc multùm placuit Græco, & rogavit Latinum, ut ipse ordinaret & diceret pro utroque positiones communes; sed Latinus honorans eum voluit, quòd ipse poneret, quid uterque credat de divina Unitate & sancta Trinitate.

De Ordinatione & Positione communi Græci & Latini de DEO.

INcepit Græcus dicens: quòd tota Deitas sit Unitas, & sit unus Deus, & non plures, una Essentia, una Natura; & quòd sit Trinitas, scilicet Pater, & Filius, & Sanctus Spiritus, & non plures, nec pauciores numero: & quælibet Persona sit distincta ab alia; & proprietas unius Personæ sit sibi ita propria, quòd nulli aliarum Personarum conveniat, nisi sibi; sicut Patri Paternitas, & Filio Filiatio, & Sancto Spiritui passiva Spiratio.

Postea, dixit Græcus, convenit in Deo considerare communitatem Essentiæ in proprietatibus personalibus, ita, quòd in qualibet Personarum sit una eadem tota Essentia; & una Natura communis omnibus Personis: convenit etiam considerare, quòd Filius generetur à Patre, & quòd Sanctus Spiritus exeat à Patre: dixit Latinus, & à Filio: dixit Græcus, hoc non concedimus: & sic in isto passu fuit discordia inter ambos super dicta positione; unde mutaverunt istam positionem dicentes tantùm, quòd Sanctus Spiritus sit procedens.

Dixit Græcus: amice, videtúrne tibi, quòd positio, quam fecimus, sit communis mihi & tibi? Respondit Latinus & dixit: quòd se haberet pro contento de illa positione; veruntamen videretur ei, quòd alia positio eis esset necessaria, scilicet supponere, quòd in Deo sint dignitates, ut se possent juvare cum ipsis, & in Disputatione ad ipsas recurrere, & per ipsas destruere falsas objectiones, ac sequi & concludere veritatem: quæ dignitates (dixit Latinus) sunt istæ: scilicet *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Potestas, Sapientia, Voluntas, Virtus, Veritas & Gloria*, & *Differentia* seu *Distinctio* & *Concordantia* Personarum & *Æqualitas* earundem.

Græcus consensit in istam positionem, quia secundùm quòd Græci credunt, non poterat contradicere prædictæ positioni.

Dixit Latinus: adhuc convenit, nos supponere, quòd in Deo sit Distinctio Generationis & Spirationis & Objectationis; quia Generatio non est Spiratio, nec è converso: Objectatio verò est, Patre intelligente & amante se ipsum, & Filium, & Sanctum Spiritum; & Filio intelligente & amante se ipsum, & Patrem, & Sanctum Spiritum; & hoc idem de Sancto Spiritu intelligente & amante se ipsum, & Patrem, & Filium: & istam Objectationem convenit esse bonam, magnam, æternam, potentem, scientificam, amorosam, virtuosam, veram, gloriosam & plenam omni complemento sinè omni defectu.

Multùm consideravit Græcus in ista positione, quam Latinus ipsi fecerat, timens, ne in se haberet aliquam duplicitatem, quâ mediante Latinus cum vellet decipere, & dixit: Pater objectat se ipsum, & in quantum intelligit se ipsum, generat Filium: ergò Filius est genitus secundùm istam Objectationem, quam Deus facit de se ipso per naturam ipsius intelligere; quapropter volo scire, quòd mihi dicas, utrùm facias differentiam inter istam propriam Objectationem & communem, quam jam dixisti?

Dixit Latinus: amice, convenit, quòd duobus modis consideremus Objectationem in Deo, scilicet propriam & communem; cùm omne, quod est in Deo, sit proprium vel commune: proprium, ût Objectatio, quam quæsivisti; commune verò, sicut Objectatio, quam suppono: ex propria Objectatione sequitur personalis proprietas & productio ex ipsa, ponendo hypostases in communitate Essentiæ & Naturæ; ex communi Objectatione autem non sequitur productio, sed sequitur communis contemplatio & delectatio communium dignitatum, quas diximus; sicut in bonitate, in qua convenit, quòd sit essentialis bonificativus, bonificabilis & bonificare, & in magnitudine essentialis magnificativus, magnificabilis & magnificare; & sic de cæteris supradictis: & hæc omnia sunt reducibilia ad communitatem objectationis, in qua convenit, quòd sit objectativum, objectabile & objectare, existente quâlibet dignitate in qualibet alia in unitate numeri; sicut bonitas, quæ est magnitudo, & magnitudo bonitas; & sic de cæteris: idem est de bonificativo & magnificativo, qui sunt idem numero; & sic de cæteris hujusmodi delectationibus: & omnia sunt reducibilia ad objectationem, ut dignitates Dei non sint otiosæ in supradicta Objectatione propria personali.

Modò Græcus fuit contentus de his, quæ Latinus dixerat, & dixit: quòd ulteriùs procederet, & probaret id, quod intenderet.

PRIMA RATIO
Primæ Partis.

LAtinus signans se signo sanctæ Crucis dixit: in nomine Patris, & Filii, & Sancti Spiritûs, incipio & dico tibi Filio Dei incarnato humiliter & devotè supplicans, quatenùs mihi indigno de tali & tanta probatione des tuam benedictionem & gratiam, ita, quòd ipsâ mediante possim probare, quòd Sanctus Spiritus à te exeat & procedat; quia magna gloria & delectatio est tibi Domine, te unà cum Patre spirare adeò excellentem Personam, scilicet, Sanctum Spiritum, in quo completur & finitur numerus sanctissimæ Trinitatis, & operatio intrinseca & objectatio vestrùm trium suppositorum distinctorum in proprietatibus & Personis, & unius in Essentia, Dignitatibus & Natura: „ nihilominùs Do-„ mine Deus protestor, si fortè in aliqui-„ bus errarem, loquendo impropriè vel con-„ tra veritatem, quòd submittam me, & „ quidquid dico in hoc Tractatu vel in aliis, „ quos feci, Correctioni Fidei Catholicæ & „ sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Dixit Latinus Græco: amice, tu scis, quòd in Symbolo, quod nos dicimus *Credo*, contineatur: *Deum de Deo, Lumen de Lumine:* propter quod nos convenit considerare, quòd Deus sit principium Dei, & sit Lumen Luminis: sicut Deus Pater, qui est principium Dei Filii, quem principiat ex se ipso; & sic habemus, quòd unum sit principium alterius in divina Trinitate, in qua est numerus triplex, scilicet *unum, duo, tria:* in numero, qui est unum de uno, habemus, quòd Deus sit principium Dei; & quia in isto numero, qui est dualitas, & qui habet principium, est ita magna magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis & aliarum dignitatum, sicut in isto numero, qui est unum, hoc est, Pater, convenit, quòd principium sit ita nobile in dualitate numeri, sicut in Unitate, scilicet, quòd duo sint principium unius principiati ex ambobus, hoc est, Sancti Spiritûs principiati à Patre & Filio, qui illum principiant de se ipsis; & quòd duo sint principiati ab uno, hoc est, Filius à Patre, & Sanctus Spiritus à Patre, tamen Sanctus Spiritus est principiatus à Patre & Filio: & si non esset ita, principium in Deo esset nobilius & in majori magnitudine bonitatis, æternitatis & aliarum dignitatum de uno ad unum, quàm de duobus ad unum, & fieret injuria numero duali & principio in ipso numero; ex qua injuria sequeretur malitia contra bonitatem, & parvitas contra magnitudinem, & privatio contra æternitatem, & debilitas contra potestatem, & ita de aliis: quæ consequentia est impossibilis, cùm in Deo non sit contrarietas nec majoritas nec minoritas, quia ipse est suamet æqualitas & concordantia: ergò necessariò convenit, quòd à personali dualitate Sanctus Spiritus ita exeat & procedat, sicut à personali unitate Filius generatur, ut principium sit æquale cum magnitudine bonitatis æternitatis &c. numeri dualis in unum, & unius in dualem.

Adhuc convenit secundùm nobilitatem principii considerare, quòd principium sit in Personis duobus modis, scilicet, quòd Pater sit principians & non principiatus, & Sanctus Spiritus sit principiatus & non principians, id est, quòd ipse non producat aliquam Personam; ergò convenit, quòd Filius sit principiatus & principians, ut principium sit magis perfectè in sancta Trinitate cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; nam si Filius esset principiatus à Patre, & non principiaret Sanctum Spiritum cum Patre, principium non posset esse adeò nobile in sancta Trinitate, nec redundaret in tanta magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; & principium esset nobilius per negationem, quàm per affirmationem, postquam Pater non esset principiatus, & Filius & Sanctus Spiritus non principiarent, ita, quòd non principiare esset in dualitate Filii & Sancti Spiritûs, & principiare esset in unitate Patris: & quia summum principium convenit considerare cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c., necessariò sequitur secundùm nobilitatem supremi principii, & secundùm perfectionem, quæ illi convenit, & secundùm fœcunditatem, quæ est in dignitatibus Dei, quòd illud supremum principium sit triangulatum de principiante non principiato, & de principiante principiato, & de principiato non principiante.

Multùm cogitavit Græcus in probationibus, quas Latinus illi dederat, & dixit ad Deum Filium ista verba: O Domine Deus, tota mea intentio est ad veritatem; unde placeat tibi per tuam humilitatem

& pietatem me sic illuminare, quòd possim defendere credulitatem, in qua sum natus & nutritus, & manifestare fœcunditatem & complementum Patris secundùm magnitudinem bonitatis, æternitatis, potestatis &c. in spirando Sanctum Spiritum per se solùm, sicut in generando te per se solùm.

Dixit Græcus: amice, secundùm naturam principii convenit, quòd unum sit principium unius & plurium; sicut Deus, qui est unus, & principiavit unum mundum & multa in ipso, & unus homo, qui principiat unum hominem & multos, in quantum unus homo potest habere multos filios; & hoc idem in planta, velut arbor, quæ principiat unum fructum & multos, & sic de cæteris rebus similibus istis: & ideo secundùm naturam principii convenit, quòd unum sit principium unius & multorum, & non duo unius: per quod manifestatur & probatur, quòd Deus Pater sit principium Dei Filii & Dei Sancti Spiritûs, & quòd Sanctus Spiritus non sit principiatus, nec exeat à Filio. Præterea nobilitas & bonitas, magnitudo, duratio & aliæ dignitates numeri dualis est in hoc, quòd duo sint principiata per unum; & sic tua ratio nihil valet.

Latinus respondit: amice, in Deo convenit dupliciter considerare Unitatem & pluralitatem; Unitatem, scilicet propriam & communem: Unitas propria est, sicut Unitas personalis, ita, quòd Pater sit unus, Filius sit unus, Sanctus Spiritus sit unus; & sic habemus propriam Unitatem: Unitas communis est, sicut Unitas Deitatis, Essentiæ & Naturæ, & est unus Deus & non plures, una bonitas & non plures, & sic de magnitudine &c.: similiter convenit dupliciter considerare pluralitatem in Deo, scilicet pluralitatem dualitatis & Trinitatis: pluralitatem dualitatis, velut Patrem & Filium, qui sunt duæ Personæ, & Patrem & Sanctum Spiritum, qui similiter sunt duæ Personæ, & sic de Filio & Sancto Spiritu; ista pluralitas est in dualitate Personarum: consideratio pluralitatis, quæ est in Trinitate, est, sicut Pater, Filius, Sanctus Spiritus, qui sunt tres Personæ: secundùm istos modos considerandi Unitatem & pluralitatem numerus est multiplicatus in Trinitate, & est in Unitate & pluralitate, ût dixi, & principiatur ab utroque, hoc est, ab Unitate & pluralitate: ab Unitate principiatur, sicut ab uno Patre, qui principiat unum Filium; & similiter pluralitas numeri principiatur ab uno in alium; & convenit, quòd, sicut numerus principiatur de Unitate in dualitatem, ita terminetur de dualitate in numerum ternarium, hoc est, Sanctum Spiritum; & sicut numerus principiatur de Unitate & pluralite, sic finitur & terminatur in Unitate & pluralitate: in Unitate personali finitur, ût in Sancto Spiritu; in pluralitate verò, ût in numero omnium trium Personarum: ergò secundùm nostram considerationem natura principii est conservata in Unitate & pluralitate, ût diximus: & ista natura principii, quæ est in Deitate, est significata & figurata in creaturis, quæ sunt creatæ & principiatæ ad significandum Unitatem & pluralitatem, quàm Deus habet in se ipso; sicut ipse, qui creavit unum mundum ad significandum suam Unitatem, & in mundo creavit plures res ad significandum suam pluralitatem: ergò unum principium est principiator alterius, & pluralitas Dei est principium pluralitatis mundi: & quia in Deo Unitas & pluralitas sunt unum & idem, ideo Deus, in quantum est unus, est principium unius & plurium; & in quantum est pluralitas, est principium plurium & unius: hoc autem, quod dictum est, figuratur & repræsentatur in Adam, qui fuit unus homo principium alterius, scilicet Evæ, ad significandum, quòd Deus Pater sit principium Dei Filii, & Adam & Eva fuerunt principium tertii, scilicet Cain, ad significandum, quòd Deus Pater & Deus Filius sint principium Sancti Spiritûs; & hoc idem de humano intellectu, in quo intelligere principiatur ab intellectivo & intelligibili; & de voluntate, in qua amare principiatur ab amativo & amabili; & de potentia visiva, in qua videre principiatur à visitivo & visibili; & hoc idem in potentia vegetativa, in qua vegetare principiatur à vegetativo & vegetabili; & de igne, in quo ignire principiatur ab ignitivo & ignibili; & hoc idem sequitur in substantia composita de spirituali & corporali natura, sicut homo, qui est compositus ex anima & corpore; & in JESU Christo, qui est de divina & humana Natura: propter omnes istas significationes & figurationes & repræsentationes concludunt Latini, verum esse, quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio.

Et cùm dixeris, quòd sufficiat, quòd Filius & Sanctus Spiritus faciant dualem numerum,

merum, numerus amborum sufficiat nobilitati bonitatis, magnitudinis &c., in quantum sunt principiati ab uno numero, qui est unus Pater, verum dicis ratione passionis; sed quia negas actionem numeri dualis, quam dixi, negas in numero duali perfectionem activam bonitatis &c.; & sic mea ratio vera non est rupta, & nobiliùs significatur per ipsam numerus Trinitatis, quàm significetur per tuam.

SECUNDA RATIO
Primæ Partis.

Dixit Latinus: in divina Trinitate est perfecta relatio & necessitas cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis & cæterarum dignitatum; videlicet, quòd, si est una Persona, conveniat, quòd sit alia Persona; & si est una Persona, conveniat, quòd sint aliæ duæ Personæ; & si sunt duæ Personæ, conveniat, quòd sit tertia Persona; & ita convenit esse, ne una Persona possit esse sinè alia, nec sinè aliis duabus, nec duæ Personæ sinè tertia, ut relatio cujuslibet Personæ sit magis necessaria & magis perfecta: ergò est necessarium, quòd, si est Pater, sit Filius, & quòd, si est Filius, conveniat, esse Patrem; quia unus non potest esse sinè alio; & si est activa Spiratio, convenit, quòd sit passiva Spiratio, & si est passiva, convenit, quòd sit activa: ergò sequitur secundùm istam necessariam relationem, quòd Filius non possit esse sinè Sancto Spiritu, nec sinè Patre, spirante ipso Patre unà cum Filio Sanctum Spiritum; & si Pater & Filius sunt, convenit, quòd sit Sanctus Spiritus, Patre & Filio spirantibus Sanctum Spiritum; & si est Sanctus Spiritus, convenit, quòd sit Pater & Filius, exeunte Sancto Spiritu à Patre & Filio.

Ista relatio est necessaria secundùm Ecclesiam Latinorum, & non necessaria secundùm credulitatem Græcorum; nam secundùm Græcos Filius & Sanctus Spiritus non se habent ad invicem substantialiter relativè in hoc, quòd negent, Sanctum Spiritum exire à Filio; & necessitas, quam dant, in hoc, quòd dicant: *si Filius est, convenit, quòd sit Sanctus Spiritus*, est secundùm eos ratione Patris, eò quòd sequitur: *si Pater est, convenit, quòd sit Filius & Sanctus Spiritus:* est ergò relatio, quæ est inter Filium & Sanctum Spiritum cum medio, & venit, per accidens: est etiam relatio in Trinitate substantialiter & accidentaliter; substantialiter, in quantum est de Patre ad Filium, & de Patre ad Sanctum Spiritum; accidentaliter, in quantum est de Filio ad Sanctum Spiritum: est etiam relatio in majoritate & minoritate magnitudinis, bonitatis, æternitatis, potestatis &c., in quantum ipsæ dignitates sunt majores in substantia, & minores in accidente; quia autem est impossibile, quòd in Deo sit accidens, majoritas & minoritas, necessariò sequitur, quòd Sanctus Spiritus exeat & spiretur à Patre & Filio.

Respondit Græcus dicens: communiter credimus tu & ego, quòd Pater spiret Sanctum Spiritum; præterea per utrumque nostrùm concessum est, quòd in illa Spiratione sit magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis & cæterarum dignitatum; ergò convenit, quòd Pater habeat omne complementum in se ipso & in spirando Sanctum Spiritum: unde sequitur, quòd Sanctus Spiritus sit completus in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate & omnibus dignitatibus, quia completè spiratur & procedit à Patre; ergò non convenit, quòd Filius juvet Patrem ad illam Spirationem; nam si suum juvamen esset necessarium Patri, Pater non esset completus (ût diximus) in se ipso, nec Sanctus Spiritus; & quia Pater & Sanctus Spiritus sunt completi, probatum est per eorum complementum, quòd Sanctus Spiritus spiretur à Patre tantùm.

Respondit Latinus & dixit: Pater generat Filium intelligendo, se ipsum esse Patrem, sed non spirat Sanctum Spiritum, intelligendo se esse Patrem; quia si sic, conveniret, quòd Sanctus Spiritus esset Filius, ut relatio ipsorum, scilicet Patris & Sancti Spiritûs, esset in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.: & quia convenit, quòd in Trinitate sit distinctio inter Generationem & Spirationem, convenit, quòd Pater per unum modum generet Filium, & per alium modum spiret Sanctum Spiritum: modus, secundùm quem generat Filium, est, quoniam objectando, se ipsum esse Patrem, concipit Verbum, quod est Filius & intellectus, & producit illum cum bonitate magnitudinis, æternitatis, potestatis &c., ut ex suo intelligere sequatur ita magna agentia, sicut est sua existentia, ad hoc, ut Deus sit ita Deus ratione sui agere, sicut ratione sui existere; nam aliter deficeret bonitas magnitudinis, æternitatis, potestatis &c. sub ratione agendi, & esset completa sub ratione existendi; qui defectus est impossibilis: modus,

modus, secundùm quem Pater spirat Sanctum Spiritum, est in se & in Filio sub ratione amandi, Patre amante Filium, & Filio amante Patrem; & ex illa objectatione amborum exit amare, quod est Sanctus Spiritus, ut illud amare sit ita magnum in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., sicut est existentia Patris & Filii; & hoc necessariò convenit sic esse, ut agentia amborum sit æqualis existentiæ amborum; quæ æqualitas requirit esse proprietas personalis, & requirit esse in illa objectatione amborum, ut inter Generationem & Spirationem sit distinctio, quæ est in hoc, scilicet, cùm Pater objectando se ipsum producit Filium, & cùm Pater objectat Filium, & Filius Patrem, spirant Sanctum Spiritum.

Postquam ergò convenit, Sanctum Spiritum sic esse spiratum ab utroque, dicendum est, quòd Pater sit completus spirando Sanctum Spiritum unà cum Filio, & Filius similiter sit completus cum Patre, & Sanctus Spiritus sit completus exundo ab utroque: sed si Pater spiraret Sanctum Spiritum sinè Filio, nec conveniret, quòd Sanctus Spiritus esset spiratus per modum jam probatum, Pater bene posset esse completus spirando Sanctum Spiritum sinè juvamine Filii, ût est completus in generando Filium sinè juvamine Sancti Spiritûs; sed quia modus spirandi non potest esse alius, nisi jam dictus, cùm per ipsum sequatur distinctio inter Generationem & Spirationem, Pater non posset esse completus, si spirando faceret contra prædictum modum: & propter hoc, amice, dixit Latinus Græco, non valet tua objectio, nec potes contradicere objectationi amoris, quæ est inter Patrem & Filium, etiam secundùm quòd Græci credunt; nam si velles dicere, quòd Pater spiret Sanctum Spiritum amando se ipsum, sicut generat Filium intelligendo se ipsum, conveniret, quòd Pater æquè bene esset Pater Sancti Spiritûs ratione amandi, sicut est Pater Filii ratione intelligendi; cùm in Deo sapientia & amor sint idem numero: & si ita esset, conveniret, quòd Sanctus Spiritus esset Filius; & sic in Trinitate esset unus Pater, & duo Filii: vel si dicis, quòd Pater amando Sanctum Spiritum, & Sanctus Spiritus amando Patrem per viam objectationis spirent ipsum, affirmas, quòd Sanctus Spiritus sit causa suæ productionis in hoc, quòd exiverit à se ipso & à Patre; quod est impossibile.

TERTIA RATIO
Primæ Partis.

Supponamus, dixit Latinus, quòd Persona Patris sit A., Persona Filii autem sit B., & Persona Sancti Spiritûs sit C., cùm verò sit distinctio inter A. B. C., convenit, quòd sit distinctio personalis, & cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; & convenit, quòd distinctio remaneat communis omnibus tribus, sub qua sunt distincti, sicut in bonitate, quæ omnibus tribus est communis forma, sub qua sunt boni: ergò convenit, quòd distinctio, quæ est inter B. & C., sit ita bene personalis ratione ipsorum B. & C., sicut est personalis ratione ipsorum A. & B., & ipsorum A. & C.; non autem potest esse personalis, nisi inter B. & C. sit actio & passio personalis; quia non esset dare fundamentum, in quo esset fundata distinctio personalis ipsorum B. & C. sinè actione & passione ipsorum B. & C.; sicut bonitas, quæ non posset esse in distinctione nec operatione sinè actione bonificativi & passione bonificabilis: ergò necessariò convenit, quòd Filius simul cum Patre spiret Sanctum Spiritum, ut distinctio amborum habeat personalia subjecta, in quibus sustentetur & possit stare: & hoc idem, quod de distinctione dicimus, sequitur de concordantia & æqualitate, quæ est inter ambos, hoc est, B. & C.; ergò secundùm nos triangulus est completus de proprietatibus personalibus & substantialibus concorditer, æqualiter & distinctè cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; sed secundùm Græcos est triangulus (ita loquendo) defectivus in linea ipsorum B. C., in qua non possunt stare distinctio, concordantia nec æqualitas substantialiter nec personaliter nec cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.: & quia in divina Trinitate nullus est defectus, sequitur, quòd hoc, quod vos creditis, sit cum defectu, & hoc, quod nos credimus, sit cum perfectione.

Respondit Græcus dicens: Operatio Patris & Filii in Sanctum Spiritum, hoc est, Processio, vel est una vel plures in Sancto Spiritu? plures non, secundùm quòd creditis, Patrem & Filium esse unum principium Sancti Spiritûs tantùm; ergò est una communis Processio de A. & B., & sic negatis, proprietatem ipsius A. esse singularem; & hoc idem affirmatis, in quantum fuit concor-

datum, quòd Patri sit proprium spirare Sanctum Spiritum, sicut ipsi est proprium generare Filium; ergò sequitur, quòd in Deo sit contradictio secundùm vos, scilicet, quòd Patri sit proprium & non proprium spirare: & hoc idem est de B.; quia si B. spirat C., est illi proprium & non proprium spirare, in quantum Patri est proprium spirare: & quia in Deo non potest esse contradictio, nec hoc, quod est proprium, potest esse commune, convenit, quòd Patri sit proprium spirare sinè Filio: & in hoc, quod dixisti, quòd linea ipsorum B. C. in triangulo non sit plena, dicis contra objectationem, quæ est inter B. C. objectantes se invicem secundùm modum amandi & intelligendi, de quibus est completa cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.

Latinus respondens ait: proprietas potest considerari multis modis, ùt in prima ratione diximus, scilicet singularis sive propria, & communis; singularis, sicut ipsi A., cui est proprium generare Filium per se ipsum; non tamen concedimus, quòd habeat proprietatem spirandi sinè Filio, ut Spiratio sit communis proprietas amborum, in quantum activa, & propria Sancto Spiritui, in quantum passiva; etiam Spiratio sit communis omnibus tribus Personis, ut proprietas possit esse una in A., alia in B., alia in C., & possit esse communis in A. & B. per dualitatem, & in A. B. C. per Trinitatem, per communitatem numeri ternarii: & sic est totus triangulus completus de proprietate, & proprietas similiter de ipso triangulo, in numero singulari & binario & ternario; nec ex hoc sequitur contradictio; & sic est tua objectio soluta: remanes enim deceptus, eò quòd non distinguis inter proprietatem singularem & communem; & etiam facis positionem, quòd Patri sit proprium spirare sinè Filio. Quòd autem dicas, quòd linea ipsorum B. C. sit plena objectatione per modum intelligendi & amandi, verum est secundùm communitatem Essentiæ; sed inter nos non est quæstio nisi de proprietatibus personalibus singularibus & communibus; quare mea ratio adhuc manet firma.

QUARTA RATIO
Primæ Partis.

IN Deo, dixit Latinus, sunt generare & spirare, ut suæ dignitates sint formæ plenæ concretis essentialibus, ne in eis sit otiositas, & ut Deus habeat rationem agendi in se ipso ratione suarum propriarum *Rationum*, quas vocamus *Formas* vel *Dignitates*.

Deus Pater generando sub ratione bonitatis generat bonum Filium, & sub ratione magnitudinis magnum, & sub ratione potestatis potentem, sapientiæ sapientem, amoris amabilem, virtutis virtuosum, veritatis verum, & sub ratione gloriæ gloriosum: unde in qualibet rationum realium est ista declinatio, scilicet in bonitate bonificativus, bonificabilis & bonificare, & in magnitudine magnificativus, magnificabilis & magnificare, & in æternitate æternificativus, æternificabilis & æternificare, & in potestate possificativus, possificabilis & possificare, & in sapientia intellectivus, intelligibilis & intelligere, in voluntate amativus, amabilis & amare, in virtute virtuificativus, virtuificabilis & virtuificare, in veritate verificativus, verificabilis & verificare, in gloria glorificativus, glorificabilis & glorificare.

Deus Pater generat Deum Filium per modum intelligendi, & omnes supradictæ rationes concurrunt ad illud generare, ut sit bonum, magnum, æternum, & sic de cæteris, & ut Pater sit bonificativus, magnificativus, & sic de cæteris, & ut Filius sit bonificabilis, magnificabilis, & sic de cæteris: & hoc idem sequitur de spirare, quod est per modum amandi; ad quod spirare concurrunt omnes dignitates, ut sit bonum, magnum, æternum, potens &c.: ergò convenit, quòd sit spirare Patris & Filii in Sanctum Spiritum, ut omnes dignitates inter Patrem & Filium & Sanctum Spiritum possint esse æquales; nam si Sanctus Spiritus exiret à Patre, & non à Filio, prædictæ dignitates non possent esse in actione personali inter Filium & Sanctum Spiritum, & essent otiosæ & majores per modum objectationis amandi & intelligendi, quàm bonificandi & magnificandi &c., ita, quòd bonitas esset major in amare & in intelligere, quàm in bonificare, & in alia, quàm in se ipsa; & magnitudo similiter esset major in amare & in intelligere, quàm in magnificare; & idem de cæteris: & etiam essent majores inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum, quàm inter Filium & Sanctum Spiritum; quod est impossibile, & contra unitatem, quam habent in numero, & contra æqualitatem omnium dignitatum: quæ scilicet unitas & æqualitas sunt necessariæ; ergò probatum est, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio.

Græcus autem volens destruere prædictas rationes per hunc modum, dixit: si Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio secundùm eundem modum, ille modus est unus & non plures; in quo modo convenit, Patrem & Filium esse unam Personam & non multas; nam sicut sunt unum in uno modo spirationis activæ, ita convenit, quòd sint unum in una Persona activa: ergò duæ Personæ in illa Persona sunt confusæ, & illa Persona est confusa & composita ex duabus; hoc autem est impossibile: si verò dicas, quòd Pater & Filius non habeant unum modum spirandi Sanctum Spiritum, tu dicis contra hoc, quod credunt Latini, qui credunt, quòd Pater & Filius habeant idem principium in spirando.

Etiam multa alia inconvenientia sequerentur, si Sanctus Spiritus procederet à Filio; nam videtur, quòd Pater scindat ac dividat ex se suam proprietatem personalem, & id, quod partitur ex se, communicet Filio, & sic non remanet integrè unus Pater, nec Filius similiter integrè unus Filius; & quia in Paternitate non est partitio nec scissio, non potest Filio communicare id, quod propriè pertinet ad se ipsum, scilicet, ipsum solum spirare; & hoc idem de Filio, qui non tantum est genitus, sed spirat.

Sequitur etiam, quòd Sanctus Spiritus in illa communitate, quam Pater & Filius insimul habent spirando, nullam partem habeat de hujusmodi actione, quia totus remanet singularis passivus, ita, quòd nec generet nec spiret: ergò Filius est nobilior in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., quàm Sanctus Spiritus; nam Filius est passivus ratione Generationis, & activus ratione Spirationis; Sanctus Spiritus verò non est activus, nec spirando, nec generando; ergò est minor, quàm Filius; quæ minoritas est impossibilis.

Et quòd dicas, dixit Græcus, quòd inter Filium & Sanctum Spiritum non possint intrare bonificare, magnificare, æternificare &c., si Sanctus Spiritus non procedat à Filio, eò quòd unus alium non bonificat, magnificat, æternificat, nec possificat &c., respondeo ad hoc, & dico, quòd bonificare & magnificare, æternificare & possificare &c. sint & intrent inter Filium & Sanctum Spiritum per modum amandi & intelligendi, se invicem intelligentes & amantes; quia ista objectatio & delectatio & claritas amborum est bona ratione bonitatis, magna ratione magnitudinis, æterna ratione æternitatis, potens ratione potestatis &c.: unde consideratis omnibus istis rationibus probatum est, quòd Sanctus Spiritus non procedat à Filio.

Respondit Latinus dicens: *ad tuam primam Rationem* respondeo hoc modo: communis credulitas & fides est inter me & te, quòd Patri conveniat generare & spirare, Patre existente unâ eâdem Personâ & non pluribus, & distinctione existente inter generare & spirare; nullum autem inconveniens sequitur, quòd duæ Personæ sint unum principium spirandi, velut non est inconveniens, quòd una Persona sit principium generandi & spirandi: quia si duæ Personæ essent confusæ in unum idem spirare, conveniret, quòd una Persona esset divisa & scissa in generare & spirare, ita, quòd de una medietate esset Generatio, & de alia medietate Spiratio: & est repræsentatum & figuratum in igne & aëre, qui cum una & eadem proprietate, quæ est calor, sunt unum principium calefaciendi aquam & terram sinè confusione essentiæ & naturæ amborum: unde si hoc sequitur in creaturis, quòd duo supposita distincta per essentiam & naturam possint esse unum principium in una proprietate, quantò magis in suprema Essentia & Natura Dei duæ Personæ possunt esse unum principium in una proprietate, cùm ipsæ Personæ sint unum per Essentiam & Naturam, & habeant infinitam potestatem, & utriusque proprietas sit æterna.

Unde *ad secundam Rationem* concedo, dixit Latinus, quòd Pater sit indivisibilis; & quamvis ex toto se ipso generet Filium, non tamen communicat Filio proprietatem generativam, quam ipse Pater retinet, ut ipse solus sit Pater, & ut Filius non sit Pater, & sit solus unus Filius, & non plures: & quamvis Pater non communicet Filio proprietatem generativam, non ideo sequitur, quòd Pater dividat & scindat se ipsum, & quòd Filius non sit ex toto Patre; & proprietatem, quam Filius habet in spirando, habet, ut ipsa proprietas sit communis utrique, ût in *prima Ratione* probavimus.

Ad tertiam Rationem respondeo & dico, quòd illa objectio, quam facis, non pertineat ad te, nec deberes ipsam facere, imò potiùs Saraceni, qui non credunt in divi-

nam Trinitatem; quia Latini & Græci concedunt, quòd Sanctus Spiritus non producat Personam, & quòd sua actio sit in objectatione & in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., & quòd sua passio sit in proprietate personali passiva cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis & omnium cæterarum dignitatum: & ista responsio tibi sufficiat ad tuam tertiam rationem.

Ad quartam Rationem respondeo, quòd inter Patrem & Filium, & inter Patrem & Sanctum Spiritum sit bonificare, magnificare &c. secundùm modum objectandi & personandi; sed secundùm tuam rationem inter Filium & Sanctum Spiritum est solùm bonificare, magnificare &c. secundùm modum objectandi, non autem secundùm modum personandi; quia bonificare, magnificare &c. sunt inter Patrem & Filium secundùm modum objectandi & personandi; & hoc idem de Patre & Sancto Spiritu: sed si Sanctus Spiritus non procederet à Filio, omnes dignitates essent otiosæ inter ambos secundùm modum personandi, scilicet inter Filium & Sanctum Spiritum; per quam otiositatem essent minores inter ambos in bonificare, magnificare &c., & majores inter Patrem & Filium, & Patrem & Sanctum Spiritum: & quia in Deo non est majoritas nec minoritas, est probatum, quòd tua ratio non valet.

QUINTA RATIO
Primæ Partis.

Dixit Latinus: in divinis Personis convenit circulariter considerare æqualitatem (ût ita loquamur) & per ordinem, & hoc *quatuor Modis*: sequendo ordinem & æqualitatem dignitatum Dei, sicut æqualitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis &c., & æqualitatem suorum concretorum, scilicet, æqualitatem bonificativi, bonificabilis & bonificare, magnificativi, magnificabilis & magnificare &c.: nam bonificativum & bonificabile sunt sibi invicem æqualia, & sunt æqualia uni concreto communi, quod est de ambobus, scilicet bonificare: igitur *in Deo est æqualitas propria & communis*; & secundùm istam æqualitatem convenit, quòd sit æqualitas in Personis.

Primus Modus: in divinis Personis est æqualitas singularum proprietatum, sicut in Patre & Filio & Sancto Spiritu, qui sunt æquales in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c. *Secundus Modus* æqualitatis est unius & multorum, sicut Pater totus solus est æqualis duobus, & duo sunt æquales illi; & Filius, qui est totus solus æqualis duobus, & duo sunt æquales illi; & sic de Sancto Spiritu, qui totus solus est æqualis duobus, & duo sunt æquales illi. *Tertius Modus* est ipsius generare, generativi & generabilis; nam generare est æquale duobus, & illa duo sunt æqualia illi; & ista æqualitas duorum singularium est ad unum commune. *Quartus Modus* est ipsius generare & spirare, quæ sunt æqualia dualitati & Trinitati, ipso generare existente duorum, scilicet Patris & Filii; & spirare trium, scilicet Patris & Filii & Sancti Spiritûs: ista æqualitas est circularis & continua & indivisibilis secundùm nostram credulitatem; veruntamen secundùm credulitatem Græcorum non potest esse circularis nec continua, quia non credunt, quòd in Trinitate sit æqualitas proprietatis singularîs & communîs, nec inter dualitatem & Trinitatem, neque inter singularitatem Filii & Sancti Spiritûs in hoc, quòd negant communitatem Patris & Filii in Sanctum Spiritum, negantes, Sanctum Spiritum exire à Filio; quia si non exit ab eo, non est, in quo se possint adæquare; sinè quo adæquare non potest esse æqualitas duorum, quia in æqualitate sic debet esse æquativum, æquabile & æquare, sicut in amore amativum, amabile & amare; & sic est impossibile, quòd inter æquativum & æquabile possit esse æqualitas sinè æquare, sicut est inter amativum & amabile sinè amare: unde cùm sit impossibile, quòd circularitas æqualitatis (ût ita loquamur) quæ est in sanctissima Trinitate, possit scindi aut dividi aut rumpi, & secundùm Græcos esset discontinuata ac rupta, & secundùm Latinos remanet indivisibilis (ût probatum est) manifestum est, quòd Sanctus Spiritus non tantùm procedat à Patre, sed etiam à Filio.

Græcus dixit: in hoc, quòd dicas, convenire, quòd Pater & Filius spirent Sanctum Spiritum, ut ambo sint æquales, secundùm hoc conveniret, quòd Pater & Sanctus Spiritus generarent Filium, ut similiter essent æquales; nam aliter Sanctus Spiritus non posset esse æqualis Patri, & per consequens nec Filio, postquam non est æqualis Patri, & Pater & Filius sunt æquales; & etiam, quòd Pater magis influat gratiam & virtutem in Filium,

Filium, quàm in Sanctum Spiritum, in hoc, quòd ipsum faciat sibi æqualem in spirando, & Sanctum Spiritum non faciat sibi æqualem in generando. Et si dicis, quòd Sanctus Spiritus non possit generare Filium, dicis, quòd Pater possit sibi æquare Sanctum Spiritum in spirando cum eo quartam Personam spiratam ex ambobus, vel generando ipsam; & si Pater hoc non vult facere, est invidus & avarus & otiosus in magnitudine æqualitatis, & Sanctus Spiritus remanet infirmus & oditus, & figuratus parvitate bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; quæ figura est impossibilis: igitur Sanctus Spiritus est à solo Patre.

Respondit Latinus dicens: æqualitas est in divina Trinitate æqualiter & completè in circularitate, ût suprà dictum est, in qua circularitate æqualitas non potest magis multiplicari, nec magis minui; & ideo non potest magis aut minùs recipere; quia si posset magis aut minùs recipere, circularitas non esset completa; & quia est completa de singularibus & communibus proprietatibus, ût dictum est, non convenit, quòd Pater & Sanctus Spiritus generent Filium, ut sint æquales in ipso, neque quòd generent aut spirent quartam Personam; quia ambo sunt æquales in Filio in hoc, quòd Pater & Filius spirent ipsum de tota eorum entitate & essentia, & de tota magnitudine, quam habent in bonitate, æternitate, potestate &c.

SEXTA RATIO
Primæ Partis.

Latinus dixit: convenit, quòd illud sit verum, per quod bonitas, magnitudo, æternitas, potestas & aliæ dignitates sunt in Sancto Spiritu rationes majores; & convenit, quòd contrarium illius veri sit falsum, quod esset verum secundùm credulitatem Græcorum; quia si Sanctus Spiritus non exit à Filio, ipse est bonificatus, magnificatus ex bonitate & magnitudine Patris, & sic de æternitate Patris &c., & Sanctus Spiritus est tantùm bonitas, magnitudo, æternitas &c. per Patrem; sed secundùm credulitatem Latinorum Sanctus Spiritus à bonitate Patris & Filii est bonificatus, & à magnitudine & æternitate eorum amborum magnificatus, æternificatus, & per Patrem & Filium Sanctus Spiritus est bonitas, magnitudo, æternitas & aliæ dignitates: ergò secundùm nostram credulitatem Sanctus Spiritus est in majori existentia & agentia ratione bonitatis, magnitudinis, æternitatis & aliarum dignitatum, & in ipso dignitates sunt fœcundiùs & abundantiùs in existere & agere, & sunt ipsemet Sanctus Spiritus, quàm secundùm Græcos: ergò convenit, quòd Sanctus Spiritus exeat à Patre & à Filio, ut Pater & Filius ex bonitate, magnitudine, æternitate &c. possint meliùs producere & entificare Sanctum Spiritum.

Respondit Græcus: si Sanctus Spiritus exit à Patre & Filio, habet unam proprietatem à Patre, & aliam à Filio, sicut Filius, qui habet unam proprietatem, in quantum generatur à Patre; & si Sanctus Spiritus habet duas proprietates, & Filius unam tantùm, Sanctus Spiritus est major, quàm Filius, & una Persona est composita ex duabus proprietatibus: & quia convenit, quòd Filius sit æqualis Sancto Spiritui, necessarium est, quòd sit ex duabus proprietatibus, scilicet generandi & spirandi: & si non, bonitas, magnitudo, æternitas &c. sunt majores rationes in Sancto Spiritu, quàm in Filio; cùm in Sancto Spiritu sint duæ proprietates, una per Patrem, & alia per Filium, & in Filio non sit nisi una proprietas tantùm: & quia ista inconvenientia sunt impossibilia, est impossibile, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio; ut Filius & Sanctus Spiritus sint æquales in proprietatibus, Filio genito à Patre solùm, & Sancto Spiritu spirato à Patre solùm; in qua Generatione & Spiratione bonitas, magnitudo, æternitas sunt rationes æquales, & sic de potestate &c. in Filio & Sancto Spiritu absque aliquo inconvenienti.

Item dixit Græcus: tu dicis contra unitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., in quantum dicis, quòd Pater ex sua bonitate, & Filius ex sua bonitate, & sic de magnitudine &c., spirent Sanctum Spiritum, quia bonitas Patris & Filii est una; & secundùm quòd dicis, essent duæ bonitates distinctæ, & duæ essentiæ; quod est impossibile.

Respondit Latinus dicens: Pater habet proprietatem generativam & proprietatem spirativam; veruntamen spirativam habet cum Filio, quia est communis proprietas ambobus; & si esset propria Patri sinè Filio, conveniret, quòd Pater esset gemina Persona, ut utraque proprietas responderet Personæ, sicut genitum esse, quod in

Filio respondet Personæ, & exire, quod in Sancto Spiritu respondet Personæ: & quia non convenit, quòd Pater sit duæ Personæ, habet cum Filio proprietatem spirativam, quæ est communis ipsis duobus.

Unde in hoc, quòd dicis, quòd Sanctus Spiritus habeat unam proprietatem à Patre, & aliam à Filio, verum esset, si spiratio non esset proprietas communis; sed quia est proprietas communis Patri & Filio per unum principium, per unam bonitatem, magnitudinem, æternitatem, & per unam Essentiam & Naturam, Sanctus Spiritus non potest recipere duas proprietates distinctas, scilicet unam à Patre, & aliam à Filio, quia esset duæ Personæ; & Unitas, quam Pater & Filius habent in spirando, conservat, quòd Sanctus Spiritus sit una Persona tantùm, & una proprietas passiva spirata; & propter hoc Sanctus Spiritus non potest esse major, quàm Filius, quia una Persona respondet alteri in æqualitate; nec bonitas, magnitudo &c. sunt majores in Sancto Spiritu, quàm in Filio, postquam Sanctus Spiritus non habet duas proprietates personales; & etiam Pater & Filius cum omni & tota sua bonitate, magnitudine & æternitate spirant Sanctum Spiritum, quoniam ipsi communicant, quidquid habent, & dant illi sub ratione Essentiæ & Naturæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., & Sanctus Spiritus recipit illud; & id, quod Pater sibi retinet, est sua Paternitas; & quod Filius sibi retinet, est sua Filiatio, ne Personæ sint in confusione: quare tua ratio non valet.

Et quia dicis, quòd dixerim contra Unitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., respondeo & dico: „quòd in „quibusdam non possimus propriè loqui „de Deo; nam sua entitas & realitas est al„tior, quàm nostra verba possint significa„re: veruntamen impropriè nos oportet „loqui de ipso, ut exinde possimus signifi„care id, quod intelligimus de ipso.

Diximus ergò, quòd Pater de sua bonitate & cæteris dignitatibus spiret Sanctum Spiritum, & quòd hoc idem faciat Filius; & bonitas & Essentia amborum est una; & propter hoc est unum principium in Sancto Spiritu spirato à Patre & Filio & ab Essentia & bonitate amborum, cùm Pater & Filius sint Essentia & bonitas &c., & sint unum per Essentiam & per bonitatem & per Naturam, & distincti per proprietates personales.

SEPTIMA RATIO
Primæ Partis.

DIxit Latinus: in divina Trinitate non est contrarietas; & convenit, quòd omne illud sit in Trinitate, per quod est magis remota à contrarietate: ergò convenit, quòd in Trinitate sit concordare, in quo sint bonificare, magnificare, æternificare, possificare &c.: convenit autem, quòd illud concordare sit actus communis concordativi & concordabilis, ut concordantia in se habeat *potentiam*, *actum* & *objectum*, quæ sint de sua Essentia, & ipsa sit de illis: in hac concordantia sunt Pater & Filius & Sanctus Spiritus, & per eam sunt remoti à contrarietate bonitatis & malitiæ, magnitudinis & parvitatis, æternitatis & temporis, potestatis & impotentiæ &c., existente concordantiâ unum idem numero cum bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c.: ergò necessariò convenit, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio, ut inter ipsos duos sit concordantia, & in ipsa sint concordativum, concordabile & concordare, bonificativum, bonificabile & bonificare &c.: hoc autem non posset esse, nisi Sanctus Spiritus esset objectum Filii, & nisi inter ipsos duos esset actus producendi; quem actum Græci negant, eò quòd dicunt, quòd in Sancto Spiritu non sit concordare bonificare, magnificare, æternificare, possificare &c.; & in hoc, quòd negant, quòd Filius bonificet & magnificet Sanctum Spiritum; ex qua negatione sequitur, quòd ipsi sint contra positionem, quam diximus, scilicet, quòd in Trinitate sit omne id, per quod Trinitas sit magis remota à contrarietate: ergò necessariò probatum est, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio, cùm concordantia & contrarietas sint contrariæ, & similiter concordare & contrariari, bonificare & malificare &c.

Græcus dixit: quidquid est in Trinitate, aut est proprium uni, aut est commune omnibus tribus; & id, quod non est proprium nec commune, non est in divina Trinitate; & si Spiratio Sancti Spiritûs esset communis, esset causa sui ipsius, & causaret se ipsam; quod est impossibile, scilicet, quòd aliquid possit causare seu principiare se ipsum: si autem dicis, quòd non sit communis, sed propria unius, habeo propositum, quia est Patris, cui est proprium spirare: & si dicis, quòd non sit Patris, sed Filii, aufers Patri, & negas contra hoc, quod credis, quia dicis, quòd Pater spiret Sanctum Spiritum: & si dicis, quòd non sit Patris nec Filii, tu dicis contra hoc, quod credis, & adhuc præsupponis, quòd Processio non sit in Trinitate; quapropter probatum est, quòd Sanctus Spiritus non exeat à Filio. Et quia tu dicis, quòd Filius bonificet & magnificet Sanctum Spiritum, & ita de aliis, tua verba significant, quòd Sanctus Spiritus non sit per se bonus, magnus &c., nec per Patrem tantùm; quoniam bonificare est, de non bono facere bonum, & magnificare est, de non magno facere magnum &c.: & adhuc tua verba significant, quòd in Deo sint plures Personæ, quàm tres, quia alia esset ipsum bonificativum, & alia bonificabile, & alia magnificativum, & alia magnificabile &c.

Latinus dixit: ad positionem, quam facis, respondeo & dico, quòd verum est, quòd omne, quod est in Trinitate, sit proprium vel commune; sed nos Latini credimus, quòd sit distinctio inter unam communitatem & aliam, & unam proprietatem & aliam (ùt superiùs in pluribus locis ostendimus) quoniam una est communitas, quæ pertinet ad omnes tres, sicut bonitas, quæ pertinet ad Patrem & Filium & Sanctum Spiritum; & sic de magnitudine & cæteris: alia est communitas, quæ pertinet ad duos, sicut Generatio, quæ pertinet ad Patrem & Filium tantùm, existente ipso actu generationis communi Patri activè, & Filio passivè: & hoc idem de proprietate spirativa, quæ est communis Patri & Filio, spirantibus ambobus Sanctum Spiritum, quæ est singularis proprietas, sicut Paternitas, quæ est singularis proprietas, & Filiatio similiter: idcirco tua ratio non valet, quæ esset vera, nisi in Trinitate proprietas spirativa esset communis ambobus. Et quòd dicis, quòd mea verba in Trinitate significent defectum, in quantum pono, quòd Filius bonificet Sanctum Spiritum, respondeo, quòd bonificare possit dupliciter intelligi; primò, sicut subjectum, quod non est bonum, & aliud facit, quòd ipsum sit bonum, in quantum ipsum ordinat ad aliquem bonum finem; & istud bonificare est in creaturis & in tempore, & habet terminum limitatum & comprehensum; sed suprema bonificatio, quæ est in Trinitate, est in æternitate & in infinitate, sicut Pater, qui est bonitas æterna & infinita, de tota illa cum Filio, qui est ipsa eadem bonitas, & Filius cum Patre, & Pater per se ipsum, & Filius per se ipsum, communiter de totis se ipsis spirant bonum Sanctum Spiritum; in quo spirare est bonificare; & Pater & Filius sunt unus bonificativus & unus spirativus & unus magnificativus, æternificativus, possificativus &c., & Sanctus Spiritus est spirabilis, bonificabilis &c.: & sic remanet unus numerus ternarius, nec major, nec minor, in divina Trinitate, & Sanctus Spiritus remanet spiratus & spirabilis, bonificatus & bonificabilis, & sic de cæteris; & hoc est in æternitate & in infinitate, & completus omnibus complementis; quapropter tua ratio non valet.

OCTAVA RATIO
Primæ Partis.

DIxit Latinus: illud, per quod Filius & Sanctus Spiritus sunt magis remoti à minoritate, necessariò convenit esse in ipsis; quoniam aliter essent prope minoritatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis &c.; quod est impossibile: istam autem remotionem volumus investigare cum magnitudine Essentiæ, Unitatis & Naturæ, & cum magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; & cum ea volumus probare, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio; & sicut bonitas est remota à minoritate cum bonificare, & magnitudo cum magnificare, & æternitas cum durare, ita Essentia est remota à minoritate cum essentiare, Unitas cum unire, & Natura cum naturare; sed Filius est bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, & est Essentia, Unitas & Natura, ergò Filius est remotus à minoritate bonitatis cum bonificare, bonificando simul cum Patre Sanctum Spiritum & essentificando ipsum, in quantum ambo eidem dant Essentiam; & sunt remoti à minoritate Unitatis cum unire; quoniam ambo uniuntur in una unitate spirativa spirantes Sanctum Spiritum, cum quo spirare sunt remoti à minori spiratione: & in quantum Sancto Spiritui dant Naturam, cum naturare sunt remoti à minori natura.

Magnitudo durandi & possificandi est in distinctione, quam Pater & Filius personaliter habent, & in Unitate, quam habent essendo una proprietas spirativa; quoniam duratio conservat distinctionem Personarum, & potestas possificat illud unire, quod habent ad spirandum unam Personam, & magnitudo se extendit in prædicta distinctio-

ctione & Unitate significans distinctionem Personarum in earum singularibus proprietatibus, & in significando communem Unitatem, Essentiam & Naturam per conjunctionem Unitatis, quam habent in propria Unitate communi spirativa.

Secundùm istum modum est probatum & significatum, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio, sinè quo exitu non essent remoti à minoritate, quam diximus; quoniam in Patre & Filio privaretur bonitas potestate bonificandi, & magnitudo magnificandi, & æternitas æternificandi, & potestas possificandi, in bonificare, magnificare, æternificare & possificare, etiam in essentiare, unire & naturare, & sic de cæteris; propter quam privationem Pater, Filius & Sanctus Spiritus non essent remoti à minoritate; quoniam non haberent cum quo; & si non essent remoti à minoritate, essent in minoritate bonitatis magnitudinis, æternitatis, potestatis, Essentiæ, Unitatis & Naturæ; & hoc est impossibile: ergò de necessitate probatum est, quòd Sanctus Spiritus procedat à Filio.

Dixit Græcus: secundùm tuam rationem sequitur confusio in Filio & in Patre, & in Sancto Spiritu erit diminutus numerus Trinitatis; quoniam secundùm Latinos unus solus est Pater, & alius Filius; ergò sunt duæ Personæ secundùm relationem amborum; & in quantum sunt una spirativa proprietas, sunt una Persona confusa & composita; & alia est Sanctus Spiritus, qui exit ab illa Persona composita & confusa; quem Sanctum Spiritum convenit esse Personam confusam & compositam secundùm suum principium: ergò in divina Essentia sunt duæ Personæ & non tres, compositæ & non simplices, confusæ & non distinctæ; & sic sequitur secundùm tuam rationem, quòd in Deo sit minoritas in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., & etiam in Essentia, Unitate & Natura; cùm plùs sit esse tres Personas, quàm duas, & simplex sit dignius, quàm compositum, clarum, quàm confusum.

Respondit Latinus & dixit: sinè æternitate & ejus natura, & sinè magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, Essentiæ, Unitatis & Naturæ esset verum id, quod dicis; sed quia æternitas habet naturam, quæ Patrem facit durare, quòd sit Pater, scilicet, quòd Pater, in quantum est æternitas, est inalterabilis & impermutabilis, & idem est de Filio, qui Filius, in quantum est æternitas, est inalterabilis & impermutabilis: & in quantum æternitas conservat simplicitatem & distinctionem in ambobus, ita conservati per æternitatem sunt una proprietas spirativa, ita in ipsa conservati in simplicitate & distinctione, ût conservati in una Essentia, unâ Deitate, unâ Naturâ, uno Deo, unâ bonitate, uno bonificare, unâ magnitudine, uno magnificare, & sic de aliis: ergò mea ratio est vera & non vana; sed tuum argumentum non valet.

NONA RATIO
Primæ Partis.

LAtinus procedens ad nonam Rationem dixit: *convenit, quòd id necessariò sit in Deo, quod infert majorem necessitatem*, ne in Deo sint plures vel pauciores Personæ, quàm trestantùm; & hoc volumus investigare *cum majoritate medii.*

Magnitudo & complementum medii habetur *tribus Modis. Primus Modus* est per *Medium conjunctionis*; sicut duæ personæ, quæ se invicem conjungunt in unum & per unum & cum uno. *Secundus* est per *Medium extremitatum*, sicut medium, quod æqualiter est inter duo extrema. *Tertius* est per *Medium mensurationis*, sicut medium, quod est per totum principium & finem, & est ita magnum & ita nobile in principio, sicut in fine & è converso: concessum autem est, quòd in Trinitate Pater sit in medio Filii & Sancti Spiritûs in generando Filium, & in spirando Sanctum Spiritum; sed in quantum non est concessum, Sanctum Spiritum procedere à Filio, Filius non esset in medio Patris & Sancti Spiritûs; quoniam bonificare, magnificare, æternificare, possificare, essentificare, naturare & unire sunt inter Patrem & Filium, & non essent inter Filium & Sanctum Spiritum; illa eadem existentia esset inter Patrem & Sanctum Spiritum; quia Sanctus Spiritus non esset in medio Patris & Filii: ergò deficeret majoritas medii in æqualitate; quia non haberet subjectum, in quo posset esse; & deficeret in conjunctione; quoniam subjectum non haberet, in quo Personæ possent uniri; & deficeret, in quantum Pater & Filius non possent se habere simul ad principiandum nec ad finiendum, scilicet ad complendum: & quia convenit, quòd in Trinitate sit majus medium, quod possit considerari in magnitudine bonitatis &c., necessariò convenit, quòd Sanctus Spiritus exeat à Filio, ut bonificare, magnificare &c. existant inter Filium & Sanctum Spiritum ita conjunctim, æqualiter & extensè, sicut inter Patrem & Filium, & Patrem & Sanctum Spiritum.

Dixit Græcus: secundùm tuam rationem sequitur, quòd in Trinitate non possit esse medium cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quia in hoc, quòd dicis, quòd Pater & Filius spirent Sanctum Spiritum, medium æqualitatis non potest habere subjectum in Trinitate; quoniam Pater est principium non principiatum principians Filium & Sanctum Spiritum, & Filius est principium principiatum à Patre, & est principium principians Sanctum Spiritum; & propterea medium non potest esse inter principium non principiatum, quod est principians, & principium principiatum, quod est principians; & quia medio deficit subjectum in Trinitate, non potest esse in majoritate, sed convenit, quòd in ipsa Trinitate sit in privatione; quæ privatio est impossibilis: & adhuc sequerentur alia plura inconvenientia, si Sanctus Spiritus exit à Filio; quoniam non principiatum & principiatum conjunguntur & convertuntur in unitate spirativa, & inter non principiatum & principiatũ distinctio non habet subjectum, in quo possit esse; quia illi deficit subjectum ratione unitatis, quam Pater & Filius habent in spirando; & ideo tertia ratio medii non habet, in quo se possit extendere: & sic est destructus totus ordo medii in destructione distinctionis & principii, quæ jam dixi.

Respondit Latinus dicens: quòd, quamvis Pater non sit principiatus, & sit principians, & Filius sit principiatus, & principians, non tamen sequatur, quòd medio æqualitatis deficiat subjectum, postquam remanet distinctio Patris & Filii, & in ipsa sunt generans & generabilis, & sunt æquales, & generare est æquale duobus: & hoc idem de bonitate, quæ est in ipso generare cum bonificare, quod est æquale medium bonificativo & bonificabili; & similiter de magnitudine, æternitate, potestate &c. Et in quantum dicis, quòd de non principiato & principiato non possit sequi medium conjunctionis, verum esset, nisi æternitas conservaret distinctionem, quam Pater & Filius habent in generare, quæ remanet & non destruitur in unitate, quam habent in spirare; cùm sit distinctio inter generare & spirare, & distinguere & unire, propter quam distinctionem est medium in conjunctione generandi, & in conjunctione spirandi, & potest extensè esse per totam Trinitatem; & ideo tua ratio non inducit necessitatem.

DECIMA RATIO
Primæ Partis.

DIxit Latinus, *convenit, quòd id sit verum in Filio & Sancto Spiritu, per quod inter ipsos potest esse major finis*; nam aliter essent in minoritate finis, & bonitas, æternitas, potestas & cæteræ dignitates amborum essent in parvitate contra magnitudinem; quod est impossibile: igitur verum est, quòd inter Filium & Sanctum Spiritum sit major finis, qui potest esse: & major finis, qui potest esse inter ipsos, est, quòd à Filio procedat Sanctus Spiritus; quoniam major finis non potest esse, quàm ille finis, qui est Deus de Deo & per Deum: & major finis, qui potest esse in Patre, est major finis, qui potest esse in Filio; quia in nobilitate Filii existit nobilitas Patris: igitur nobilitas Patris est in nobilitate, quam habet Filius in spirando Sanctum Spiritum, & Sanctus Spiritus est nobilis in nobilitate amborum.

Præterea si Filius spiret Sanctum Spiritum, finis, id est, complementum, est æqualiter in omnibus tribus sinè magis & minùs; velut in Patre, qui est complementum Filii & Sancti Spiritûs, generando Filium, & spirando Sanctum Spiritum; & de ipso potest fieri perfecta definitio, ût si quæreretur, quid est Deus Pater? respondetur: Pater est una sola Paternitas generans Filium & spirans Sanctum Spiritum: & hoc idem potest dici de Filio, qui habet finem in se, in quantum est finis per se ipsum, & est finis Patris & Sancti Spiritûs; quoniam per ipsum Pater, & per ipsum Sanctus Spiritus est hoc, quod est, in quantum est ab eo spiratus; quapropter de Filio potest fieri perfecta definitio; ût si quæratur, quid est Filius? & respondetur, quòd Filius sit illa sola Filiatio seu Persona, quæ à Patre est genita, & spirat Sanctum Spiritum: & similiter eodem modo potest dici de Sancto Spiritu, qui est finis & complementum sui ipsius & Patris & Filii; est enim complementum sui ipsius, quoniam ipse est una sola Spiratio; finis verò Patris & Filii, quia in ipso completur & finitur numerus omnium trium; & in ipso bonitas, magnitudo, æternitas, potestas &c. habent quietem in hoc, quòd non transeant usque ad quartam Personam: quapropter si quis quærat,

quid sit Sanctus Spiritus? potest responderi faciendo perfectam definitionem, quòd Sanctus Spiritus sit illa Persona, quæ exit à Patre & Filio, in qua actus seu actio Patris & Filii habet quietem, quæ non requirit quartam Personam.

Secundùm modum, quem diximus, est significatum & probatum, quòd Filius spiret Sanctum Spiritum; nam si Sanctus Spiritus non exiret à Filio, non haberetur finis inter ambos, nec posset fieri tam perfecta definitio ipsorum; definitio Filii enim fieret tantùm secundùm se ipsum & secundùm Patrem, dicendo: Filius est illa Persona, quæ generatur à Patre: & similiter de Sancto Spiritu dicendo: Sanctus Spiritus est illa Persona, quæ procedit à Patre; quare minoraretur definitio amborum. Præterea non potest dici, quòd Pater & Filius essent illæ duæ Personæ, quæ sunt distinctæ in Generatione, & unum principium in Spiratione: & nisi Sanctus Spiritus exiret à Filio, sequerentur multa alia inconvenientia, quæ sunt impossibilia: ergò Sanctus Spiritus exit à Filio.

Dixit Græcus: Patre generante Filium, in Generatione omnes dignitates sunt activæ in Patre, qui Pater est ipsæ dignitates; & in Filio omnes (ùt ita loquar) passivæ, qui Filius est eædem dignitates; nam Pater dat ipsas omnes Filio: & si Sanctus Spiritus exeat à Filio, sequitur in dignitatibus alteratio & mutatio; quia cùm in Filio sint passivæ, de passivis convertuntur, mutantur & alterantur in activas, in quantum Filius spirat Sanctum Spiritum, & ei dat ipsas: & sic mutas totum ordinem dignitatum quantum ad actionem & passionem; nam possent esse activæ in Filio, & passivæ in Patre, existente Patre Filio & è converso: & etiam in ipsis dignitatibus esset destructa majoritas finis contra æternam durationem, unde sequeretur parvitas durationis contra magnitudinem, & per consequens malitia contra bonitatem, & debilitas contra potestatem &c.; hoc autem est impossibile: & ideo de necessitate est probatum, quòd Sanctus Spiritus non exeat à Filio, nec est rationabile, quòd hoc fiat.

Respondit Latinus dicens: quòd verum sit, quòd in Deo non sit alteratio, nec in suis dignitatibus; quoniam in æterna & infinitâ operatione nullo modo potest esse mutatio nec alteratio; sicut bonitas & magnitudo, quæ in Patre sunt dignitates activæ, & in Filio passivæ per modum Generationis, & in Sancto Spiritu passivæ per modum Spirationis; nec propter hoc fit mutatio vel alteratio per modum generandi, nec per modum spirandi; quia sicut est perpetua actio generandi & spirandi, sic est perpetua actio, quam habent Pater & Filius in spirare; & hujusmodi actio & natura existit in magnitudine distinctionis & unitatis Spirationis & bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: quare tua ratio non valet, cùm Filius & Sanctus Spiritus habeant distinctionem personalem; tamen esset vera, nisi esset distinctio inter generare & spirare: & si Filius generaret Patrem, dignitates essent in ipso activæ & passivæ, & in Filio similiter, uno generante alterum; & una Persona esset alterata in quamlibet aliam; quæ alteratio est impossibilis.

Amice, dixit Latinus Græco: secundùm decem rationes, quas audivisti, potes considerare & videre rationes, quas Latini habent contra Græcos; & ad alias rationes, quas tu posses contra nos dicere, perfectè possumus respondere secundùm exempla, quæ audivisti ex meis responsionibus, quas tibi feci.

Respondit Græcus, & dixit: quòd bene videret modum utriusque; & ideo desideraret, quòd fieret judicium super opinionibus Græcorum & Latinorum secundùm prædictas rationes: & Latinus transivit ad probandam secundam partem.

INCIPIT SECUNDA PARS Disputatio Latini & Nestorini.

Quòd in JESU Christo non sit nisi una Persona tantùm.

Dixit Latinus: mea positio est, quòd Deus Filius sit incarnatus, & sit tantùm una Persona divina, simplex, indivisibilis, æterna, infinita, bona, potens, sapiens, amorosa, virtuosa, vera, gloriosa & perfecta omnibus perfectionibus sinè aliquo defectu. Caro, quam assumpsit est de nostra humana natura; veram carnem assumpsit cum vera anima rationali,

tionali, & ipsam carnem assumpsit simul cum vera anima rationali sinè successione in utero nostræ Dominæ beatæ MARIÆ gloriosæ Virginis, quæ concepit Filium verum Deum & verum Hominem, qui vocatur JESUS Christus, Deum quoad divinam Naturam, Hominem quoad humanam Naturam.

Postquam Latinus finiverat istam positionem, quæsivit à Nestorino, an ei placeret positio, quam fecerat?

Nestorinus respondit & dixit: quòd ipse esset contentus illâ positione, veruntamen vellet scire ab eo, quem modum vellet tenere ad probandum, quòd in JESU Christo non sit nisi una Persona, & per quot rationes, & etiam quòd ipsi diceret modum, secundùm quem intelligeret, quòd Filius Dei assumpserit humanam Naturam?

Dixit Latinus: quòd modus, secundùm quem vellet probare, quòd in JESU Christo sit una Persona tantùm, esset ille, quem tenuerat cum Græco, scilicet *secundùm Dignitates Dei*, & quòd per *decem Rationes* vellet probare, quòd in JESU Christo sit una Persona tantùm; *quoniam per illas decem poterit haberi modus solvendi alias peregrinas quæstiones.*

Modus Incarnationis est iste: Deus Filius est ùna Persona, & est bonitas, magnitudo, æternitas, potestas &c.; ratione bonitatis assumpsit bonam humanam Naturam, & ratione magnitudinis magnam, & ratione æternitatis perpetuam & inseparabilem, & ratione potestatis potentem &c.; & propter hoc fuit Incarnatio secundùm magnum modum bonitatis creatæ & increatæ, & idem de aliis, assimilando dignitates creatas increatis, quantum potuit, ut magnitudo bonitatis &c. in illa Incarnatione non esset otiosa, nec bonitas invida &c.: & Incarnatio fuit facta secundùm Annuntiationem sancti Angeli Gabrielis, & Conceptionem nostræ Dominæ sanctæ MARIÆ, & de bonitate & magnitudine ipsius.

Præterea omnes partes humanæ Naturæ, quas vocamus bonitatem, magnitudinem, durationem &c., tam spirituales, quàm corporales & differentes in numero, fuerunt eædem in numero in divina Natura, & sustentatæ in ipsa, & in uno eodem numero in illo numero, secundùm quem divinæ dignitates sunt unum idem numero; sicut bonitas Dei, quæ est magnitudo Dei, & magnitudo Dei, quæ est bonitas Dei, & sic de aliis: & quia istæ dignitates sunt indutæ in Deo Filio partibus humanæ Naturæ, quæ partes sunt invicem diversæ secundùm humanam Naturam, ita, quòd una non est alia, Filius Dei est factus Homo secundùm prædictum modum, & ille Homo est factus Deus. Iste modus & multi alii fuerunt in divina Incarnatione, dixit Latinus, & ideo rogo, ut mihi dicas modum, secundùm quem Filius Dei est incarnatus, prout vos creditis?

Nestorinus respondens ait: pro parte contentus sum de modo, quem dicis; sed placeret mihi, quòd dixisses, quòd partes humanæ Naturæ aliæ in aliis invicem sustentarentur, sicut bonitas, quæ sustentatur in magnitudine & è converso, existente bonitate magnâ ratione magnitudinis, & magnitudine bonâ ratione bonitatis, & quòd de omnibus partibus esset una Persona humana, in qua sint sustentatæ partes, & ipsa in eis, & quòd ista Persona sit per se existens unus Homo creatus & conceptus in gloriosa Virgine, & ipso indutus Filius Dei existens una Persona divina per se ipsam, habitans in humana Persona, & participans per gratiam cum ea, & ex ambabus Personis haberetur unus Deus JESUS Christus, verus Deus & verus Homo, in quo participant increata & creata bonitas & magnitudo &c.; secundùm quam participationem fuit facta Incarnatio Filii Dei: & iste est modus, secundùm quem nos credimus Incarnationem Filii Dei. Nunc potes procedere, dixit Nestorinus Latino.

PRIMA RATIO Secundæ Partis.

INcipiens Latinus primam rationem dixit: Sapientia Dei intellexit, & illius voluntas dilexit majorem magnitudinem bonitatis, durationis, potestatis, virtutis, veritatis & gloriæ, quæ possit esse in illa Incarnatione Filii Dei: unde sicut sapientia & voluntas habuerunt se ad illam Incarnationem cum majori objectatione bonitatis, magnitudinis &c., conveniens fuit, quòd hoc ita compleverit bonitas, magnitudo &c., ut sint æquales prædictæ objectationi in illa Incarnatione: ergò fuit conveniens, illam Incarnationem esse majorem, quæ possit esse objectata per sapientiam & voluntatem, & completa per bonitatem, magnitudinem &c.; non autem esset major, si in JESU Christo essent duæ Personæ; quoniam humana

mana Persona sustentaretur in se ipsa, & suæ partes in ea, & ipsa in eis; & sic non posset esse unio ipsius & Personæ divinæ, nisi essent sub eadem essentia; sicut tres Personæ divinæ, quæ sunt sub una divina Essentia, vel sicut anima rationalis & humanum corpus conjunctum animæ, quæ sunt sub una humana essentia: quoniam autem convenit, quòd Deus & Homo per Essentiam sint distincti, & convenit, quòd in Incarnatione fiat conjunctio divinæ & humanæ Naturæ, ut sit unus JESUS Christus, est impossibile, quòd in JESU Christo sint duæ Personæ, hoc est, divina & humana; ergò JESUS Christus est una Persona divina, in qua humana Natura est Homo, & ille Homo in Persona divina est Deus, & Persona divina in humana Natura est Homo; & ita fit unio Naturæ humanæ & divinæ, & unio bonitatis divinæ & bonitatis humanæ &c.; & ideo est una Persona & unus JESUS Christus, qui est verus Deus & verus Homo.

Nestorinus voluit destruere, quidquid Latinus dixerat, & dixit: secundùm objectationem voluntatis & sapientiæ, & secundùm complementum bonitatis, durationis, potestatis &c. non posset esse facta Incarnatio, nisi Homo per se ipsum posset esse Homo, ita quòd in alia natura esset Homo, & in sua non: ergò convenit, quòd ille Homo deificatus esset in se homo personatus & homificatus, ne sua natura concordaret cum minoritate bonitatis, magnitudinis, durationis &c.: & quia convenit, quòd ille Homo sit nobilior, quàm omnes alii, in humana Natura, sequitur, quòd per se ipsum sit Persona, & per se ipsum sustentatus.

Respondit Latinus dicens: quantò fortiùs humana Natura Christi participat cum divina, tantò longiùs distat à minoritate bonitatis, magnitudinis, durationis &c., & tantò propinquior est earum magnitudini, & habet nobilius subjectum & sustentamentum; & quia est magìs propinqua divinæ Naturæ, si Persona sit una, & Naturæ duæ, & esset magìs remota, si essent duæ Personæ, ideo tua ratio non valet, & mea positio & probatio est vera.

SECUNDA RATIO
Secundæ Partis.

AIt Latinus Nestorino, si in JESU Christo essent duæ Personæ, ex illis duabus sequeretur tertia, sicut ex anima & corpore sequitur aliquod tertium, scilicet homo compositus ex anima & corpore; & hoc est impossibile, & contra bonitatem, magnitudinem & æternitatem Personæ Filii Dei: sed in hoc, quòd Persona est una & non duæ, inter ipsas duas naturas non sequitur ternarius numerus, & remanet in illa Persona Filius Deus, & Homo Deus, & Deus Homo, qui est unus idem Christus, & una eadem Persona.

Respondit Nestorinus & dixit, quòd id, quòd communiter vocatur Incarnatio, sit participatio Naturæ divinæ & Naturæ humanæ, & Personæ divinæ & Personæ humanæ, participante in Christo Naturâ divinâ cum Natura humana per majorem gratiam bonitatis, magnitudinis, durationis &c., quàm cum aliqua alia natura humana; quæ scilicet participatio non posset esse per majorem gratiam bonitatis, magnitudinis, durationis &c. sinè dualitate Personarum.

Dixit Latinus, tu es contra communem opinionem cujuslibet Christiani; quoniam secundùm tua dicta non esset Incarnatio, sed participatio, quæ esset extra unionem divinæ & humanæ Naturæ; & secundùm veritatem non esset licitum, quòd diceretur, unus JESUS Christus, nec quòd in eo Deus esset Homo, nec Homo Deus: & ista opinio est extra Fidem christianam, & de opinione Saracenorum & Judæorum, qui non credunt, Deum esse Hominem, & Hominem esse Deum.

TERTIA RATIO
Secundæ Partis.

AMice, dixit Latinus: ignis calefacit aërem, quare licitum est dicere, quòd aër sit calidus, sed non est licitum dicere, quòd ignis sit aër, vel è converso; & hoc est ideo, quia est differentia inter unam essentiam & aliam: à simili, si in Christo essent duæ Personæ, esset differentia inter unam Personam & aliam; nec esset licitum dicere, quòd una Persona sit alia; & tamen esset licitum dicere, quòd una Persona sit alia, in hoc, quòd licitum est dicere, quòd Deus sit Homo, & Homo sit Deus; & hoc est contradictio, quæ non potest stare: & si dicatur, quòd Deus sit incarnatus, secundùm quòd dictum est, quòd aër sit calidus, quia est calefactus, licitum est dicere, quòd Deus sit incarnatus secundùm accidentia Humanitatis, & non secundùm substantiam; quod est inconveniens & impossibile secundùm

dùm bonitatem & magnitudinem Incarnationis, & secundùm veram prædicationem.

Dixit Nestorinus: convenit, quòd Incarnatio sit secundùm naturam divinarum Personarum; sicut Pater, qui est Persona, & Filius Persona, & Sanctus Spiritus Persona, & omnes tres Personæ sunt unus Deus; ita in Christo Deus Filius est una Persona, & Homo Christus est alia Persona, & ambæ Personæ sunt unus Christus; si enim esset, sicut tu dicis, Incarnatio esset contra interiorem actionem, quoniam non transmitteret suam similitudinem extrà.

Respondit Latinus dicens: quia Pater producit Filium de sua Essentia, & Pater & Filius producunt Sanctum Spiritum de sua Essentia, omnes tres Personæ possunt esse distinctæ; sed in quantum Filius non producit Humanitatem Christi de sua Essentia, sed producit ipsam in sua Essentia, non potest esse unus Christus cum ipsa, existente Filio unâ Personâ, & Humanitate aliâ: & hoc per ea, quæ suprà diximus, est probatum, & ideo tuum exemplum nihil valet.

QUARTA RATIO
Secundæ Partis.

AIt Latinus: convenit, quòd illud sit in Incarnatione, per quod sequitur major conjunctio, major concordantia & major finis, & major magnitudo bonitatis, durationis, potestatis &c.; & hoc convenit ita esse, ut Incarnatio sit in majoritate & non in minoritate conjunctionis concordantiæ &c.; Incarnatio autem est in majoritate, si in Christo sit una Persona tantùm, & Homo sit Persona & personatus in ipsa unâ Personâ, in qua est sustentatus, deificatus & homificatus; & quia ista majoritas esset in privatione, si homo esset persona & personatus in se ipso, & in se ipso sustentatus, cujus majoritatis privatio esset contra magnitudinem bonitatis &c., ideo necessariò concluditur, quòd in Christo sit una Persona tantùm.

Nestorinus dixit: quodlibet ens est in se majus, quàm in alio; sicut bonitas, quæ major est in suo proprio bonificabili, quàm in alio extrà; & intellectus, qui major est in suo proprio intelligibili, quàm in intelligibili extrà; & visus in suo proprio visibili, quàm extrà in exteriori; & ignis in se ipso, quàm in aëre: & ista majoritas est secundùm majoritatem bonitatis &c.; idcirco, si homo non sustentaretur & non personaretur in se ipso per suam propriam personalitatem, esset major in extranea personalitate, & haberet in ea magis de entitate & magnitudine bonitatis &c., quàm in se ipsa; & exinde sequerentur multa inconvenientia; sicut homo, qui meliùs esset homo in alio, quàm in se ipso, & sua bonitas esset major in alio, quàm in se ipsa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sequitur, quòd in Christo sint duæ Personæ.

Latinus respondens ait Nestorino: secundùm cursum naturæ dicis veritatem; veruntamen quia Incarnatio est supra cursum naturalem, sequitur secundùm ordinem operationum, quæ sunt supra naturam, quòd entia inferiora sint majora & nobiliora in entibus superioribus, quàm in se, velut amativum creatum, quod est majus in magnitudine bonitatis amando supremam amabilitatem divinam, quàm amando suam amabilitatem creatam; & hoc idem de bonitate ignîs, quæ est major in magnitudine finîs in potentia sensitiva, quàm in se ipsa; & potentia sensitiva, quæ est major in ratiocinativa, quàm in se ipsa.

QUINTA RATIO
Secundæ Partis.

DIxit Latinus: finis, propter quem est Incarnatio, est, ut Deus sit Homo; & ista est prima & principalior intentio, quare Deus est incarnatus; & secunda intentio est, ut Homo sit Deus: ista secunda intentio autem est prima habito respectu ad Redemptionem humani generis; quæ Redemptio est per secundam intentionem: ergò Incarnatio est secundùm ordinem & secundùm gradus intentionum, quos diximus: ergò secundùm istum ordinem & ipsas intentiones convenit, quòd non sit nisi unica Persona in Christo, & quòd illa divina Persona sit Deus & Homo, ita, quòd Homo sit, ut illa Persona, quæ est Deus, sit ille Homo: & si in JESU Christo essent duæ Personæ, Persona humana esset, ut esset Homo, & non ut Persona divina esset Homo; & sequeretur, quòd Persona divina esset, ut Persona humana esset Persona divina: unde in isto gradu Persona divina esset per secundam intentionem, & Persona humana per primam; quod est impossibile & contra magnitudinem finîs & bonitatis &c.: ergò in JESU Christo est una Persona tantùm.

Dixit Neſtorinus, & reſpondit: in humanitate majus quid eſt perſona, quàm natura; quoniam natura humana eſt, ut ſit homo, qui homo eſt unum & idem numero cum ſuamet perſona; & ideo ſequitur major finis de Perſona divina & Perſona humana, quàm de Perſona divina & Natura humana: & quia convenit, quòd in Incarnatione ſit major finis, ſequitur, quòd finis ſit de Perſona divina & de alia Perſona, quæ ſit humana; nam ſi non eſſet ita, finis Incarnationis eſſet in parvitate finîs contra magnitudinem finîs, & in minoritate finîs contra majoritatem finîs, & in malitia contra bonitatem, & in vitio contra virtutem, & in falſitate contra veritatem; quod eſt impoſſibile.

Reſpondit Latinus dicens, quòd id, quod Neſtorinus diceret, verum eſſet ſecundùm curſum naturæ, ſed ſecundùm conjunctionem, quæ eſt ſupra naturam, factam de divina Perſona & humana Natura in Incarnatione eſt major finis, quàm ſi dicta Incarnatio eſſet de duabus Perſonis; quoniam finis humanæ Naturæ ſuſtentaretur in ſe ipſo, in quantum illa Perſona eſſet per ſe ipſam, & finis humanæ Naturæ non ſuſtentaretur in divina Perſona, cujus ſuſtentationis privatio poneret in Incarnatione parvitatem finîs contra magnitudinem finîs, & minoritatem & malitiam & vitium finîs contra majoritatem, bonitatem & virtutem finîs, & falſitatem contra veritatem; quod eſt impoſſibile.

SEXTA RATIO
Secundæ Partis.

Dixit Latinus: ſi in Chriſto eſſent duæ Perſonæ, eſſet differentia inter Perſonam & Perſonam, propter quam eſſent duo Chriſti diſtincti unus ab alio; & ideo diſtinctio amborum deſtrueret poſſibilitatem unius Chriſti tantùm; quia Deus & Homo non poſſent eſſe unus Chriſtus: ergò eſt una ſola Perſona in Chriſto, ut Incarnatio fuerit poſſibilis & ſit poſſificata.

Oppoſuit Neſtorinus & dixit: ſi non eſſet in JESU Chriſto niſi una Perſona, JESU Chriſto exiſtente ex Perſona divina & Natura humana, deſtrueretur differentia in illa Unitate perſonali; quoniam Perſona divina & Natura humana eſſent unum idem numero; ex quo ſequeretur, quòd JESUS Chriſtus non eſſet ex duabus Naturis ab invicem diſtinctis, & ſequeretur, quòd duæ Naturæ eſſent diſtinctæ una ab alia, ſcilicet divina & humana; & hoc eſt contradictio: ergò in Chriſto ſunt duæ Perſonæ.

Reſpondit adhoc Latinus & dixit, quòd ignis calefaciat aërem; propter quam calefactionem eſt differentia inter calorem & calorem, exiſtente uno calore propriâ qualitate ignîs, & exiſtente altero calore appropriatâ qualitate ipſi aëri: veruntamen in calefaciendo elementatum utraque qualitas, ſcilicet propria & appropriata, ſunt ſub ſpecie caloris unum & idem numero; & ſic differentia non remanet in unitate caloris, ſed remanet in ſupradictis diſtinctis qualitatibus. Simili modo poteſt conſiderari, quomodo in Incarnatione ſint unitas & differentia; quoniam in unitate Perſonæ Natura divina & humana ſunt unum numero, in quantum Homo eſt Deus, & Deus eſt Homo; nihilominùs in quantum Naturæ ſunt diſtinctæ, ſic, quòd una non eſt alia, remanet differentia ſuſtentata in Natura divina vel Perſona, & in Natura humana; & ideo tua ratio non valet.

SEPTIMA RATIO
Secundæ Partis.

Dixit Latinus Neſtorino: Amice, homo eſt naturaliter corruptibilis & mortalis; & ideo, ſi in JESU Chriſto eſſent duæ Perſonæ, ille homo eſſet corruptibilis & mortalis, & incorruptibilis & immortalis, in quantum eſſet deificatus & æternificatus, cùm deificatum & æternificatum ſint incorruptibilia & immortalia; & quia talis contradictio non poteſt ſtare, convenit, quòd in JESU Chriſto ſit una Perſona tantùm, & quòd in illa Homo deificatus & æternificatus ſit incorruptibilis & immortalis; ſi enim eſſet corruptibilis & mortalis, non poſſet eſſe deificatus nec æternificatus; & ſic non poſſet eſſe Incarnatio.

Contra hoc arguit Neſtorinus dicens: eſt communis opinio, quòd Chriſtus, in quantum homo, fuerit mortuus; quoniam dum fuit in Cruce, & Anima fuit ſeparata à Corpore, Chriſtus non fuit Homo; nam ſi tunc fuiſſet Homo, Anima non receſſiſſet à Corpore, nec fuiſſet mortuus; & quia fuit mortuus, erat mortalis & corruptibilis ante mortem: quoniam autem Perſona divina eſt incorruptibilis & immortalis, fuit conveniens, quòd mortalitas & corruptibilitas habuerint propriam Perſonam, in qua fuerint ſuſtentatæ; quæ Perſona fuit alia à Perſona divina: ergò in JESU Chriſto ſunt duæ Perſonæ, ſcilicet una Perſona immortalis & incorruptibilis, & alia Perſona mortalis & corruptibilis.

Reſpondens Latinus ait: quamvis Corpus in Cruce fuerit ſinè Anima & mortuum, non propter hoc ſequitur, quòd Chriſtus in illo tempore non fuerit Homo; quoniam erat Homo in divina Perſona, in qua Corpus & Anima erant ſuſtentata, per Incarnationem deificata & æternificata: & propter hoc quoad talem ſuſtentationem Homo deificatus & æternificatus non fuit mortalis nec corruptibilis; ſed quoad Naturam humanam fuit mortalis, & fuit mortalis ad honorandum divinam Naturam, & ad recreandum humanum genus; non tamen fuit corruptibilis, in quantum fuit deificatus & æternificatus.

OCTAVA RATIO
Secundæ Partis.

Latinus procedens ad octavam Rationem dixit: Incarnatio fuit de Eſſentia deificativi, & de Eſſentia homificabilis; & in illa Incarnatione Eſſentia deificativi, quæ deificavit Hominem, & Eſſentia ipſius homificabilîs, hoc eſt, Filii, qui homificavit ſe ipſum, fuit una; & fuit diſtinctio inter divinam Eſſentiam Filii, & humanam Eſſentiam deificatam; & ſic fuit una Perſona & duæ Eſſentiæ: & ſi humana Eſſentia eſſet per ſe Perſona, eſſent multæ Perſonæ: unde ſequeretur iſtud inconveniens & plura alia, ſcilicet, quòd Perſona Filii non eſſet Perſona Hominis; & in quantum non eſſet Perſona Hominis, non eſſet Homo; & in quantum Perſona Hominis non eſſet Perſona Filii Dei, Homo non eſſet Deus, & per conſequens nec Incarnatio: ergò convenit, quòd in JESU Chriſto ſit una Perſona tantùm.

Dixit Neſtorinus contra hoc: in creatione creare fuit de Eſſentia creabilîs, & non de Eſſentia creativi; ita in propoſito per contrarium in Incarnatione incarnare, ſecundùm tua dicta, fuit de Eſſentia perſonativi, & non de Eſſentia perſonabilis; nam poſtquam Homo carebat Perſonâ, non poterat per ſe habere Eſſentiam perſonabilitatis: unde ſequitur, quòd ex duabus Naturis non poſſit eſſe una Perſona tantùm: & ſic fuit conveniens, quòd in Incarnatione eſſent duæ Perſonæ.

Reſpondit Latinus dicens: quemadmodum Natura humana fuit deificata in Natura divina, & remanſit cum ea unus Filius Deus, ita in Perſona divina fuit perſonata, & remanſit una Perſona divina cum ea, in qua fuit perſonabilis, velut Natura humana in divina, in qua fuit deificabilis; & propter hoc tua ratio non concludit.

NONA RATIO
Secundæ Partis.

Dixit Latinus Neſtorino: Amice, ſicut Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſunt unum, hoc eſt, unus Deus, una ſubſtantia per Eſſentiam, ita in Incarnatione Natura divina & humana ſunt unus Chriſtus per unicam Perſonam, & non per multas; nam ſi eſſent plures, earum pluralitas impediret Naturam divinam & humanam, ne eſſent unus Chriſtus perſonaliter; imò eſſent neceſſariò plures Chriſti, ſicut plures Perſonæ: & quoniam eſt unus Chriſtus tantùm, & non multi, convenit, quòd ſit una Perſona tantùm, & non multæ, per quam & in qua Natura divina eſt humana, & humana eſt divina.

Dixit Neſtorinus: ſi ſit differentia inter bonitatem & magnitudinem, ita, quòd una forma non ſit alia, ſequitur, quòd bonificare & magnificare non ſint numero unum & idem: à ſimili, ſi ſit differentia inter Naturam divinam & humanam, eſt impoſſibile, quòd duæ Naturæ nec per unam Perſonam nec per multas poſſint eſſe unum & idem numero; quapropter Incarnatio non potuit eſſe per unitatem unius Perſonæ, potuit tamen eſſe per pluralitatem plurium Perſonarum, participante unâ Perſonâ cum altera; ſicut bonitas, quæ participat cum magnitudine, in quantum per magnitudinem eſt magna, & magnitudo, quæ participat cum bonitate, in quantum per bonitatem eſt bona.

Reſpondit Latinus Neſtorino: quamvis bonitas & magnitudo differant, non tamen ſequitur, quòd bonificare & magnificare non poſſint eſſe unum & idem numero, ſuppoſito, quòd bonificare ſit magnitudo, & magnificare ſit bonitas; ſicut in Incarnatione, in qua deificare eſt bonitas & magnitudo Humanitatis deificatæ, & homificare eſt bonitas & magnitudo Dei homificati: & hoc apparet in ſimplici puncto, in quo multæ lineæ concurrentes ad eum ſunt punctificatæ, unâ exiſtente aliâ in punctificare; *velut in puncto nigro, in quo una linea*

linea rubea & alia crocea concurrentes ad eum sunt unum & idem in nigredine, & distinctiones ipsarum remanent extrà in distinctione colorum.

DECIMA RATIO
Secundæ Partis.

DIxit Latinus Nestorino: ex deificativo homificativo & ex deificabili homificabili sequitur unum deificare, unum homificare, quæ sunt unus Christus numero, qui numerus est una Persona: & si essent plures Personæ, non posset esse unus numerus Deitatis & Humanitatis; quoniam non haberent subjectum, in quo possent converti, imò esset destructum; propter quam destructionem homificabilitas esset destructa in Deitate, & deificabilitas in Humanitate; & per consequens magnitudo Incarnationis esset denudata personativitate & personabilitate & personare; quoniam in Incarnatione non sufficeret unum personativum, nec unum personabile, nec unum personare; cujus magnitudinis destructio est impossibilis, ne Incarnatio sit in minoritate, nec in parvitate bonitatis, magnitudinis: ergò Incarnatio est unius Personæ tantùm, & non multarum.

Dixit Nestorinus contra hoc: personare non potest esse sinè personativo & personabili, ergò humana Natura non potest esse personabilis sinè proprio personativo & proprio personare: & quia personare est de humana Natura, convenit, quòd in Incarnatione sint duæ Personæ, hoc est, divina & humana.

Respondit Latinus: Natura humana fuit personabilis in personabilitate Deitatis, sicut in ipsa fuit deificabilis; & hoc apparet in creatione, in qua creare fuit creabile in creativitate Creatoris, & non in creabilitate creaturæ; quoniam sic creatura fuisset antequam crearetur; quod est impossibile: ergò in JESU Christo est una Persona tantùm, & non plures.

Multùm consideravit Nestorinus in rationibus Latini; & dum ipse cogitabat in eas, Latinus transivit ad tertiam Partem hujus Tractatûs, ut Jacobino probaret, quòd in JESU Christo sint duæ Naturæ.

INCIPIT
TERTIA PARS
Disputatio Latini & Jacobini.
Quòd in Christo sint duæ Naturæ.

DIxit Latinus Jacobino: amice, quæ est tua positio, quam facis de Incarnatione Filii Dei?

Respondit Jacobinus dicens, quòd sua positio satis concordaret cum positione Latinorum quoad unitatem Personæ, & cognosceret, quòd Latinus ipsam Nestorino satis & sufficienter probasset; veruntamen ejus opinio esset contraria Fidei Latinorum, in quantum Jacobini credunt, quòd in Christo sit tantùm una Natura, una voluntas, una sapientia, una bonitas, una magnitudo &c.: & tunc dixit Latino, quòd procederet, & sequeretur ordinem, quem tenuerat cum Nestorino.

PRIMA RATIO
Tertiæ Partis.

INcepit Latinus & dixit: communis opinio est inter Christianos, quòd JESUS Christus sit verus Deus & verus Homo, Deus per Deitatem, Homo per Humanitatem; & ideo sequitur, quòd in Christo sint duæ Naturæ, scilicet divina & humana, & sint ab invicem distinctæ; quia si non essent distinctæ, Christus esset Deus per Humanitatem; quod est impossibile.

Respondit Jacobinus & dixit: in Incarnatione Natura divina & humana convertuntur in hoc, quòd in JESU Christo Deus sit Homo, & Homo sit Deus; & subjectum istius conversionis est unitas personalis, in qua non est differentia Personarum: unde cùm Christus & sua Persona convertantur in unitate numeri, convenit, quòd ambæ Naturæ convertantur in tanta unitate, quòd una sit alia, ita, quòd nulla distinctio sit inter ipsas; quoniam aliter Deus non posset esset Homo, nec Homo posset esse Deus.

Respondit Latinus dicens, quòd Incarnatio

natio sit speculum & figura sanctæ Trinitatis divinæ; quoniam in ipsa Pater & Filius & Sanctus Spiritus convertuntur per Essentiam & Naturam, & remanent una Essentia, una Natura, una Deitas, unus Deus; sed remanent distincti per proprietates personales, in quantum una Persona non est alia: simili modo est in Incarnatione, quoniam conversio Naturæ divinæ & humanæ est in unitate Personæ; & differentia ambarum remanet, in quantum una Natura non est alia: & hoc, per quod Deus est Homo, & Homo est Deus, est per conversionem, quam ambæ Naturæ habent in unitate Personæ: & ideo tua ratio non est vera; nam si esset vera, Incarnatio esset similitudo & speculum obliquum contra sanctam Trinitatem divinam & contra distinctionem ipsius; quod est impossibile.

SECUNDA RATIO
Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: amice, ex anima & corpore sequitur homo; & unitas corporis & animæ est in unitate hominis; remanet autem distinctio inter corpus & animam; propter quam distinctionem voluntas animæ est una, & appetitus naturalis corporis est alter: & propter hoc homo, qui est tertius, habet voluntatem per animam, quæ est rationalis, cum qua diligit vel odit, & habet appetitum naturalem per corpus, velut per potentiam sensitivam, per quam habet appetitum ad sentiendum; si autem in homine voluntas & naturalis appetitus converterentur, sequeretur, quòd, quidquid homo vellet, sentiret, & quidquid sentiret, vellet & amaret; quod est impossibile: ergò secundùm hanc metaphoram demonstratur, quòd in JESU Christo sint plures voluntates, una per Naturam divinam, alia per Naturam humanam; quoniam si ambæ voluntates converterentur in unam voluntatem, illa una voluntas esset composita ex duabus, & esset in numero ternario, sicut homo, qui est tertius numerus animæ & corporis; nec esset licitum dicere, quòd divina voluntas & humana voluntas sit in tertia voluntate, sicut non est licitum dicere, quòd anima sit homo, nec quòd corpus sit homo, nec anima corpus, nec corpus anima.

Dixit Jacobinus Latino: secundùm tuam opinionem sicut ex anima & corpore resultat homo, ita ex unione & conjunctione facta de divina & humana Natura resultat unus Christus, & simili modo de divina & humana voluntate una voluntas; quoniam ex conjunctione Naturæ divinæ & humanæ non posset resultare unus Christus, nisi ex ambabus voluntatibus resultaret una voluntas: ergò apparet, quòd in Christo sit unica voluntas.

Respondens Latinus ait: si ex Natura divina & humana sequeretur tertius numerus, non esset licitum dicere, ût jam diximus, Deum esse Hominem, & Hominem esse Deum; quoniam autem Deus est Homo, & Homo est Deus per Incarnationem, Incarnatio non transit in tertium numerum, imò remanet in duali, ut Deus sit Homo, & Homo Deus; & remanet in Christo in primo singulari numero, scilicet unus Christus & non plures: & ideo voluntas divina & humana remanent distinctæ, & non transeunt in tertium numerum, hoc est, in tertiam voluntatem; & sunt invicem una voluntas, in quantum Deus est Homo, & Homo est Deus; & sunt unius Christi, in quantum est ambarum voluntatum, ipso Christo existente voluntate divinâ secundùm divinam Naturam; veruntamen humana voluntas non est in Christo secundùm humanam Naturam, sed secundùm Incarnationem Naturæ divinæ & humanæ.

TERTIA RATIO
Tertiæ Partis.

DIxit Latinus: amice, in elementato quatuor elementa sunt mixta & invicem unita, & ex omnibus his quatuor sequitur elementatum, scilicet substantia equi vel arboris vel lapidis; & sic de cæteris elementatis individuatis, quæ sub speciebus existunt: & ideo quamvis elementa sint invicem mixta & unita, non ideo sequitur, quòd unum elementum sit aliud; & hoc idem est de naturis & partibus elementorum, quæ sunt in prædicta unione seu mixtione; quoniam ipsæ partes remanent ad invicem distinctæ: simili modo possumus considerare in Incarnatione, quòd alia sit sapientia divina, & alia sit sapientia humana, quamvis una sapientia sit in alia, & invicem participent una cum alia; tamen una sapientia est alia, in quantum Deus est Homo, & Homo est Deus; sed tamen, in quantum prædictæ Naturæ, scilicet divina & humana, remanent distinctæ, remanent similiter ambæ Essentiæ distinctæ, existente

utrâque in ſua Natura propria hoc, quod eſt. Eſt adhuc alia per appropriationem, ſicut divina ſapientia, quæ humanæ ſapientiæ appropriat ſe ipſam & ſuam Deitatem, & appropriat ſibi ipſi ſapientiam humanam & ejus proprietatem, in quantum recipit eam per Incarnationem.

Oppoſuit Jacobinus & dixit: ſicut exiſtente differentiâ inter Perſonam & Perſonam Perſonæ non poſſunt eſſe una Perſona, ſic exiſtente differentiâ inter unam ſapientiam & aliam ambæ ſapientiæ non poſſunt eſſe una ſapientia: unde ſecundùm tuam rationem deſtruis in Incarnatione unitatem Perſonæ, & multiplicas plures Perſonas, & hoc deſtruendo unitatem multarum ſapientiarum, & ponendo inter ipſas differentiam, cum qua una ſapientia non poteſt eſſe alia; & ideo negas Incarnationem & licitam prædicationem, ſcilicet, quòd Deus ſit Homo, & Homo ſit Deus.

Latinus reſpondens Jacobino dixit: amice, hoc, quod dicis, eſſet verum, ſi in Incarnatione negarem unitatem Perſonæ & unitatem ſapientiæ divinæ & humanæ in unitate Perſonæ; ſed confiteor & affirmo, quòd in unitate Perſonæ divina ſapientia ſit humana ſapientia, & humana ſapientia ſit divina; ſed in quantum nego, quòd ſapientia divina ſit humana, & humana ſit divina, conſervo diſtinctionem inter ambas ſapientias: unde ſecundùm hoc non ſum contra Incarnationem, poſtquam affirmo unitatem Perſonæ in Natura divina & humana, & ambæ Eſſentiæ ſunt conjunctæ.

QUARTA RATIO Tertiæ Partis.

DIxit Latinus: amice, *ubi non eſt differentia, ibi non poſſunt eſſe concordantia nec majoritas nec minoritas*; ergò ſecundùm tuam rationem ſequitur, ſi in Chriſto non ſit niſi una bonitas, una magnitudo &c., quòd in eo non ſit concordantia bonitatis & bonitatis, magnitudinis & magnitudinis, & quòd ibi non ſit majoritas nec minoritas in hoc, quòd una bonitas ſit major, quàm alia, & una magnitudo ſit major, quàm alia; & deſtruitur concordantia, cui contradicit unitas bonitatis & bonitatis, magnitudinis & magnitudinis; & ideo in Chriſto ſequitur contrarietas contra concordantiam: etiam ſequitur, quòd finitum & infinitum convertantur, poſtquam divina bonitas & humana bonitas in unitate numeri convertuntur: quia autem iſta omnia ſunt impoſſibilia & inconvenientia, ſequitur, quòd in Chriſto ſit una bonitas, una magnitudo per Deitatem, & alia bonitas & alia magnitudo per Humanitatem.

Oppoſuit Jacobinus dicens: ſi in Chriſto eſt tantùm una bonitas, quæ ſit de bonitate divina & de bonitate humana, major eſt unitas, conjunctio & participatio Naturæ divinæ & humanæ, quàm ſi eſſent duæ bonitates, duæ magnitudines; quoniam diſtinctio bonitatis & bonitatis, magnitudinis & magnitudinis privat majoritatem unionis, conjunctionis, participationis & Incarnationis; quoniam differentia elongat unam bonitatem ab alia, & unam magnitudinem ab alia, & ſic de aliis: & quia convenit concedere omne id, per quod Incarnatio ſit major, & ſic de unitate, conjunctione & participatione, neceſſariò convenit affirmare, quòd in Chriſto ſit una bonitas tantùm, una magnitudo, & ita de aliis.

Reſpondit Latinus: ſi non eſſet unitas Perſonalis, in qua & per quam Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus, & per quam bonitas divina eſt humana, & bonitas humana eſt divina, in quantum Deus eſt Homo, & Homo Deus, ſequerentur illa inconvenientia, quæ dixiſti; & ſi non eſſet differentia inter bonitatem & bonitatem, magnitudinem & magnitudinem, ſequerentur illa inconvenientia, quæ ſuprà diximus, quæ non poſſunt eſſe in JESU Chriſto: ergò convenit affirmare ſecundùm unum modum, quòd in JESU Chriſto bonitas creata & bonitas increata, & ſic de magnitudine, una ſit alia, in quantum Deus eſt Homo, & Homo eſt Deus; ſed in quantum eſt differentia inter ambas bonitates per Creatorem & Creaturam, neceſſariò convenit affirmare, quòd una ſit bonitas creata, & alia ſit bonitas increata.

QUINTA RATIO Tertiæ Partis.

DIxit Latinus: amice, ſi per Incarnationem converterentur ambæ naturæ & ambæ voluntates & ambæ ſapientiæ &c., ita, quòd non remaneret differentia inter ipſas, humana Eſſentia eſſet divina, & divina Eſſentia eſſet humana ſinè differentia; & propter converſionem Filii Dei & Hominis Homo ſpiraret Sanctum Spiritum, in quantum Homo; hoc autem eſt impoſſibile, quòd Homo ſit ſpirans, & Deus ſpiratus per ipſum:

ipſum: & ideo probatum eſt, quòd in Chriſto alia ſit actio Dei, & alia ſit actio Hominis.

Contradixit Jacobinus hoc modo: in quantum JESUS Chriſtus eſt Deus & Homo, una eſt actio Dei & Hominis, ut una actio ſit alia, ſicut convenit, Deum per Incarnationem eſſe Hominem, & Hominem eſſe Deum; ſed in quantum Deus Filius cum Patre ſpirat Sanctum Spiritum ſinè Incarnatione, non convenit, quòd per Incarnationem Homo, qui eſt Deus Filius, ſpiret Sanctum Spiritum; & ideo tua ratio non valet.

Reſpondit Latinus & dixit: verum eſt, quòd Deus Filius unà cum Patre ſpiret & ſpiraverit Sanctum Spiritum, antequam eſſet illa Incarnatio; & ideo Incarnatio nihil facit illi ſpirationi; nec dico, quòd faciat, ſed ſecundùm tuam poſitionem faceret in hoc, quòd aufers differentiam, quam pono inter actionem divinam & humanam, in quantum dicis, quòd una actio ſit alia ſinè diſtinctione, cùm nullam habeant in JESU Chriſto; quoniam ubi non eſt diſtinctio, non poteſt eſſe pluralitas actionum; & ideo tua ratio non valet amice, ſed es deceptus in opinione converſionis, in quantum non facis differentiam inter unam converſionem & aliam, ût diximus.

SEXTA RATIO Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: tu ſcis, quòd ſit communis opinio inter Chriſtianos, quòd JESUS Chriſtus fuerit mortuus in Cruce, & ſcis, quòd inter mortalitatem & immortalitatem ſit differentia; & ideo ſi tua opinio eſſet vera, ſequeretur, quòd non eſſet differentia inter mortalitatem & immortalitatem, & quòd Chriſtus eſſet mortuus & non mortuus; hoc autem eſt contradictio, quòd immortale ſit mortale & non mortale: & ideo converſio, quæ fuit facta de Deo & Homine per Incarnationem, tenet ſolùm, in quantum Deus eſt Homo, & Homo Deus; ſed in quantum eſt Deus, eſt in Incarnatione immortalis, ſed Homo fuit mortalis: quare mihi videtur, quòd ignores naturam & modum Incarnationis, cùm de ipſa facias falſam poſitionem.

Reſpondit Jacobinus: eſt impoſſibile, quòd unum totum convertatur in aliud totum ſinè converſione partium, cùm totum ſit ſuæ partes, & partes ſuum totum; ſicut bonitas & magnitudo &c. Humanitatis Chriſti, quæ ſunt partes ipſius: unde ſi bonitas Humanitatis non converteretur cum bonitate divina, ita, quòd eſſent una & non plures, unum totum non poſſet converti in aliud totum, ita quòd totus Homo non eſſet totus Deus, neque totus Deus totus Homo in Incarnatione; quoniam autem totus Deus eſt Homo Chriſtus, & totus Homo Chriſtus eſt totus Deus, convenit, quòd in Chriſto ſit una bonitas & non plures; & ſic de magnitudine &c.

Reſpondit Latinus dicens: verum eſt, quòd tota Humanitas Chriſti ſit tota Deitas Filii, & tota Deitas ſit tota Humanitas; & hoc eſt per unitatem Perſonæ, in qua diſtinctæ Naturæ ſunt conjunctæ, in quantum ſunt unitæ taliter, quòd Deus ſit Homo, & Homo ſit Deus; ſed non adeò converturtur, quin ſit diſtinctio inter ipſas: quoniam ſi converſio privaret diſtinctionem ab eis, non eſſet diſtinctio in eisdem Naturis inter magnitudinem finitam & infinitam: ex quo ſequeretur, quòd Humanitas eſſet infinita in extenſitate in tantum, quantum eſt Deitas, & ille Homo Chriſtus eſſet major, quàm totus mundus, & ſuum corpus eſſet collocatum intra mundum, & non eſſet collocatum extra mundum; extra quem mundum eſſet infinitum in quantitate ſinè ſuperficie & colore, & eſſet corpus & non corpus; hoc autem eſt contradictio: quapropter mea poſitio eſt vera, & tua objectio nihil valet.

SEPTIMA RATIO Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: amice, tu potes intelligere, quòd ens æternum & ens principiatum in tempore non poſſint converti in unitate numeri; quoniam ſi poſſent converti, ſequeretur, quòd ens non principiatum eſſet ens principiatum, & ens principiatum eſſet ens non principiatum, & ſic ens eſſet principiatum & non principiatum; & hoc eſſet contradictio, quæ ſtaret ſecundùm tuam opinionem, ſi in Deo æternitas converteretur cum ente non æterno: & ideo ratione Incarnationis convenit ponere diſtinctionem inter unam converſionem & aliam; quoniam una converſio eſt illa, quæ remanet ſinè differentia, ſicut homo & riſibile, quæ convertuntur, & ſicut bonitas & magnitudo, quæ ſunt unum idem numero in Deo: alia converſio eſt, quæ eſt

Incarnationis; ſicut Deus, qui eſt Homo, & Homo, qui eſt Deus; & in iſta remanet differentia, quæ eſt inter durationem æternam &non æternam,& inter poteſtatem æternam & poteſtatem non æternam; & ſic de aliis.

Reſpondit Jacobinus, & dixit: ſicut non convenit in Deo niſi una voluntas,una ſapientia, una bonitas &c. (& hoc idem eſt in quolibet homine, & in quolibet Angelo) ita nec convenit, quòd in Chriſto, qui eſt unum ſuppoſitum, ſit niſi una voluntas,una ſapientia, una bonitas; & ideo ſecundùm hoc eſt ſignificatum, quòd in Chriſto non ſit niſi una voluntas, una ſapientia, una bonitas & una magnitudo &c., ut ſequatur curſum & naturas aliorum prædictorum entium: ſi enim hoc non eſſet, magnitudo ſufficeret unitati voluntatis Dei & illius ſingularitati; & hoc idem eſt de magnitudine, quæ ſufficeret ſingulari voluntati cujuslibet hominis, & deficeret unitati & ſingularitati voluntatis Chriſti; quod eſt inconveniens, & contra bonitatem voluntatis &c., & ſic de ſapientia &c.

Reſpondit Latinus dicens: quòd in ſubſtantia Dei ſufficiat una voluntas, una ſapientia, quia voluntas eſt infinita, & eſt de eſſentia ſubſtantiæ, & in ſubſtantia Martini vel Raymundi ſufficit una voluntas, quoad unam perſonam & unam eſſentiam humanam: veruntamen ſi Martinus eſſet unitus cum alia ſubſtantia, non ſufficeret una poteſtas ambabus ſubſtantiis diſtinctis per eſſentiam; quoniam quælibet ſubſtantia requireret ſuam propriam poteſtatem & naturam ſuæ propriæ poteſtatis; & hoc idem de voluntate, veluti ſi potentia viſiva & auditiva converterentur, cui converſioni non ſufficeret potentia viſiva tantùm, ſed ibi eſſet neceſſaria potentia auditiva, ſinè qua in illa converſione non poſſet eſſe audire: ſimili modo convenit, quòd in Chriſto ſit una voluntas per Deitatem, & alia per Humanitatem, ut Chriſtus ſit amans per divinam & humanam voluntatem.

OCTAVA RATIO
Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: anima rationalis & corpus conjunctum cum ea ſunt, ut ſi homo; & non convertuntur; quoniam homo non eſt, ut ſit anima & corpus: unde ſequitur, quòd finis ſit nobilior propter hominem, quàm propter animam & corpus: ſimili modo potes conſiderare, dixit Latinus, quòd in Incarnatione ſit Homo, ut Deus ſit Homo, ſed non è converſo, ſcilicet, quòd ſit Deus, ut Homo ſit Deus: igitur in Incarnatione finis eſt nobilior, ut Deus ſit Homo, quàm ut Homo ſit Deus; & ideo Natura divina & humana non poſſunt converti per eundem finem; quoniam ſi poſſent converti, unus finis eſſet adeò nobilis ſicut alter; quod eſt impoſſibile: ergò concluditur, quòd ſit differentia inter Naturam divinam & humanam propter differentiam diverſorum finium; & hoc idem de bonitate divina, quæ differt à bonitate humana, in quantum in Incarnatione divina bonitas habet nobiliorem finem, quam humana; & ita de magnitudine, duratione, poteſtate, ſapientia &c.

Jacobinus contra hoc arguebat hoc modo: ſi in Incarnatione eſſet differentia inter finem & finem, unus finis non eſſet alius; & ſic Deus non poſſet eſſe Homo, nec Homo poſſet eſſe Deus: unde convenit, quòd finis ſit unus, propter quem Deus eſt factus Homo,& propter quem Homo eſt factus Deus; & ideo ſicut eſt unus finis,propter quem Deus eſt factus Homo, & Homo eſt factus Deus, ita convenit, quòd utraque Natura, ſcilicet divina & humana, ſit una; & ſic de voluntate, ſapientia, bonitate, magnitudine &c.

Reſpondit Latinus dicens: Quamvìs in Incarnatione ſit differentia inter unum finem & alium, ût jam dixi, propter hoc non ſequitur, quin Deus poſſit eſſe Homo & è converſo, ſcilicet Homo Deus; quoniam in unione utriusque naturæ non eſt talis converſio, quòd Deitas relinquat ſuam naturam, eſſentiam & voluntatem, & aſſumat humanam naturam, eſſentiam & voluntatem; quoniam tunc, cùm factus eſſet Homo, non eſſet Deus: idem ſequitur de Homine, qui in Incarnatione non deſeruit ſuam naturam, ſuam voluntatem, nec alias ſuas conditiones naturales humanas, aſſumendo naturam, eſſentiam & voluntatem Deitatis & conditiones illius; quoniam ſi hoc feciſſet, Deus non fuiſſet Homo; & ideo neſcis amice, ût videtur, conditiones nec modum, ſecundùm quem Deus fuit factus Homo, qui modus fuit talis: voluntas Dei voluit, quòd Deus eſſet Homo, & executus fuit, poſtquam voluit, ut compleretur ſua voluntas; item ſapientia Dei ſcivit, Deum fore Hominem, & ſecutum fuit, Deum eſſe Hominem ita ſecundùm modum ſapientiæ,

ſapientiæ, ſicut voluntatis: & hoc idem ſequitur de poteſtate divina & de ſuo modo, & de modo Naturæ divinæ & bonitatis, magnitudinis &c.; converſio enim eſt in tali prædicatione, ſcilicet, quòd Deus ſit Homo, & Homo Deus, Deo remanente Deo, & Homine remanente Homine.

NONA RATIO
Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: inter naturam corporalem & ſpiritualem eſt differentia, per quam una natura non eſt alia; ſi enim ab illis auferretur differentia, natura corporalis eſſet ſpiritualis, & natura ſpiritualis eſſet corporalis,& ſic ſinè differentia non eſſet licitũ dicere, quòd per Incarnationem natura ſpiritualis ſit corporalis,& quòd natura corporalis ſit ſpiritualis; ſinè qua differentia non eſſent hoc, quod ſunt; quoniam ita ſunt hoc, quod ſunt, per differentiam, ſicut per poteſtatem poſſunt eſſe hoc, quod ſunt; & ſicut per veritatem eſt verum hoc, quod ſunt; & ſic de aliis: & ideo ſecundùm iſtum modum eſt Incarnatio,dixit Latinus Jacobino; & conſidera ipſam, & intellige eam ſecundùm iſtum modum, & non per contrarium; per quem modum contrarium tu credis ipſam intelligere, in quantum dicis, quòd inter Naturam divinam & humanam non ſit differentia; & hoc dicis, ut ex ambabus Naturis ſit una Natura ſinè differentia: ex quo ſequeretur, quòd Natura corporalis & ſpiritualis invicem converterentur exiſtentes ſinè differentia; quæ converſio eſt impoſſibilis.

Reſpondit Jacobinus dicens: Perſona Filii eſt ſimplex, & eſt ſuamet ſimplicitas infinita, propter quam infinitatem non poteſt recipere diminutionem nec augmentum; & per hoc ſequitur, ſi ſic eſſet Incarnatio, ſicut dicis, quòd prædicta ſimplicitas reciperet diminutionem & augmentum, in quantum intraret in compoſitionem cum Natura humana, ſi eſſet differentia inter Naturam divinam & humanam; quoniam autem eſt impoſſibile, quòd divina ſimplicitas recipiat augmentum vel diminutionem, ſequitur, quòd Perſona divina & Natura humana ſint unum & idem ſinè differentia.

Reſpondit Latinus, & dixit: Latini non tenent, quòd Perſona Filii ſit de Natura divina & de Natura humana; veruntamen tenent, quòd Perſona Filii & Natura divina ſint idem numero: etiam non tenent, quòd Chriſtus ſit compoſitus de Natura divina & humana, ſed quòd in Chriſto ſit utraque Natura, & quòd per divinam ſit Deus, & per humanam Homo; & quia Deus aſſumpſit Naturam humanam, ipſe per Naturam humanam eſt Homo, & ipſe Homo per Naturam divinam eſt Deus; nec propter aſſumptionem hujus Humanitatis ſequitur, quòd Chriſtus ſit compoſitus de Deo & Homine; quia antequam Deus eſſet Homo, Deus Filius erat una Perſona, ſicut probavimus Neſtorino: & ideo ratione ſingularitatis & unitatis Perſonæ Perſona non poteſt intrare in compoſitionem cum Natura humana; ſi enim poſſet, Natura humana eſſet per ſe ipſam Perſona, & Perſona divina per Incarnationem poſſet recipere diminutionem & augmentum; ſed quia Natura humana non poteſt per ſe ipſam eſſe Perſona, ſed per Incarnationem, divina Perſona non poteſt recipere diminutionem vel augmentum; quoniam hoc, quod eſt, exiſtit ſimpliciter in ſe ipſa, quamvis ſit induta Naturâ humanâ: & hoc apparet in corpore hominis induti aliquâ veſte; quia propter veſtem non recipit in ſe diminutionem nec augmentum, ſed remanet id, quod erat, antequam indueret illam veſtem.

DECIMA RATIO
Tertiæ Partis.

DIxit Latinus Jacobino: amice, tu ſcis, quòd JESUS Chriſtus habeat Animam rationalem & Corpus humanum, & ſcis, quòd ſit differentia inter Animam & Corpus, ſinè qua differentia JESUS Chriſtus non poſſet eſſe Homo: etiam eſt differentia inter voluntatem & ſapientiam Animæ, ſinè qua differentia Anima non poſſet eſſe hoc, quod eſt: hoc idem eſt de differentia, quæ eſt in Corpore Chriſti, in quo membra differunt ab invicem, ſicut caput, manus & pedes, quorum unum non eſt aliud; & ſinè tali differentia Corpus Chriſti non eſſet Corpus humanum: unde ſi tua poſitio eſſet vera, ſcilicet, quòd Natura divina & Natura humana converterentur in unitate Perſonæ, ita, quòd non eſſent duæ Naturæ, ſed una tantùm, ſequeretur, quòd in illa unione deſtrueretur ſupradicta differentia, & ita Chriſtus non remaneret Homo; ſed quia remanet Homo, convenit, quòd Natura divina remaneat una, & Natura

humana remaneat alia in dicta unione Perſonæ, ut ſit dare ſubjectum, in quo ſuſtentetur dicta differentia.

Dixit Jacobinus: Domine, in Deo voluntas & ſapientia ſunt unum & idem numero, & Perſona Filii Dei & ſua voluntas & ſua ſapientia convertuntur: unde cùm in Perſona Filii Dei Homo ſit ſuſtentatus & factus Homo, convenit, quòd voluntas & ſapientia Hominis & Animæ & Corporis Chriſti convertantur; & ſic de membris corporis, quod totum convertitur in unitate numeri ratione converſionis voluntatis & ſapientiæ Dei & Perſonæ Filii Dei; quoniam ſinè tali converſione in Incarnatione non poſſet fieri unio Hominis & Dei: & ideo convenit, quòd mea poſitio ſit vera, & tua falſa.

Reſpondit Latinus dicens: quamvis ſit differentia inter humanam voluntatem & ſapientiam, & inter animam & corpus, & inter membrum & membrum, nihilominùs non ſequitur impoſſibilitas Incarnationis; ſicut perſona Martini eſt una habens duas naturas, ſcilicet naturam corporis & animæ differentes ab invicem, nec converſas inter ſe invicem in unitate Martini: & hoc idem ſequitur in Incarnatione, in qua duæ Naturæ remanent, eſt tamen una Perſona: & præterea ſi eſſet, ùt dicis, ſequeretur contradictio, ſcilicet, quòd in illa converterentur partes Humanitatis, ita, quòd una eſſet alia; & Deus eſſet Homo, & Deus non eſſet Homo; Deus eſſet Homo quoad communem opinionem, quæ eſt inter me & te, ſcilicet, quòd Deus ſit Homo; & Deus non eſſet Homo, in quantum eſſet deſtructa differentia inter partes hominis, ſinè qua differentia non poſſent eſſe plures partes, ſinè quibus partibus diſtinctis & multis Chriſtus non poſſet eſſe Homo: & quoniam contradictio non poteſt ſtare, probatum eſt, quòd tua poſitio nihil valeat.

Jacobinus multùm fuit miratus de verbis Latini, & cogitavit in ſuo animo, utrùm haberent majorem colorem veritatis, quàm ſua: dum ſic conſideraret, tranſivit Latinus ad quartam Partem, & dixit Saraceno: amice, ſi de Deo velis intelligere veritatem, quæras, quia ſum paratus de illa tibi oſtendere id, quod ſcio.

Saracenus voluit incipere, & voluit quærere de divina Trinitate: dum verò conſideraret modum, ſecundùm quem de Trinitate proponebat quærere & objicere contra rationes Latini: ecce ſuper his venit ad eos quidam ſapiens Hebræus, & ſalutans eos dixit Latino hæc verba.

Magiſter, ego ſum Judæus, & multùm vellem ſcire modum, ſecundùm quem Chriſtiani in Deo credant Trinitatem, & quomodo credant, Deum fuiſſe incarnatum, & quomodo in Sacramento Altaris fiat tranſubſtantiatio Panis in Carnem, & Vini in Sanguinem. Præterea vellem ſcire modum, ſecundùm quem credunt reſurrectionem, & intelligunt prædeſtinationem & liberum arbitrium; & quomodo ſint certi, quòd ſit originale peccatum: item dicunt, quòd ſit Paradiſus & Infernus; vellem ſcire ſecundùm credulitatem Chriſtianorum omnia ſupradicta: ſed præter omnia, quæ deſidero ſcire, plùs vellem videre, quòd mihi probaretur, neceſſariò Deum eſſe; quoniam ſi Deus non eſt, quidquid credimus de alia vita, eſt falſum & vanum, neque conſequemur aliquam utilitatem de bonis, quæ facimus; quoniam homo poſt mortem nihil eſt, ſi non ſit Deus; nec eſt ullus, per quem homini mortuo ſatisfieret pro ſuis meritis, nec habet aliquam felicitatem præter illam, quam habuit in hoc mundo: quapropter Domine Latine, dixit Judæus, rogo te, ut mihi oſtendas, ſi aliqua ſcias de prædictis, & illa tali modo doceas, quòd poſſim ea intelligere per neceſſarias rationes, & quòd contrarium ſit impoſſibile; quoniam ſi poſitivè velles prædicta oſtendere, non tenerem me pro contento hujusmodi poſitionibus.

Reſpondit Latinus Judæo: amice, *in quodam Commento facto ſuper Arte Inventiva & Tabula Generali* ſunt omnes ſupradictæ quæſtiones & plures aliæ; in illo enim eſt probatum per neceſſarias rationes, quòd Deus ſit, & ita de aliis quæſtionibus, quas ſuperiùs nominaſti, *ita, quòd in dicto Commento tantum poſſis invenire de Philoſophia & Theologia, quòd exinde eris contentus, ſi benè ſtuderis in illo*; veruntamen iſte Sapiens, qui eſt prope te, eſt Saracenus, „ & ideo „volo probare Trinitatem & Incarnatio„nem; & ſi volueris advertere, potes intel„ligere modum, ſecundùm quem volumus „probare Trinitatem & Incarnationem per „neceſſarias rationes; & per iſtum modum „meliùs potes intelligere illum, qui eſt te„nendus in *prædicto Commento, qui eſt novus modus* ad probandum illas quæſtiones & alias, quæ quæruntur.

Judæus

Judæus mirabiliter fuit gaviſus de verbis Latini, & laudavit & benedixit omnipotentem Deum, illi agens gratias, quòd ſibi contulerat tantum beneficium, quòd in talem locum venerat, in quo invenerat Sapientes, & deſiderabat magno affectu videre *Commentum*, & rogavit Latinum, ut procederet, quoniam ei valde multùm placebat audire modum, quem proponebat tenere ad probandam Trinitatem & Incarnationē: veruntamen quæſivit ab eo, priusquàm procederet, utrùm alii tres, qui ibi erant, eſſent Chriſtiani, vel cujus alterius credulitatis eſſent?

Dixit Latinus: iſti tres ſunt Chriſtiani, unus eorum eſt Græcus, alius eſt Neſtorinus, & alius Jacobinus; & vellem, quòd à principio huc veniſſes, quoniam audiviſſes aliquas rationes, per quas ſciviſſes, in quibus nos ab invicem diſcordamus, & quis noſtrûm ſecundùm veritatem meliùs ſequatur viam ſanctæ Fidei Catholicæ.

Cui reſpondens Judæus ait, quòd valde doleret, quòd non veniſſet citiùs, ut potuiſſet intelligere, quis eorum quatuor eſſet in majori veritate; & alloquens omnes quatuor dixit eis: ſciatis Domini, quòd inter alia, propter quæ nos Judæi dubitamus, an Fides Chriſtianorum ſit vera, iſtud ſit primum, propter diſcordiam, quam inter vos Chriſtianos habetis, cùm quidam veſtrûm per unum modum credant, alii verò per alium contrarium, & cùm propter hujusmodi contrarietatem ſitis vobis invicem inimici: nos Judæi enim non ſumus in noſtra credulitate in tanta contrarietate erga invicem, ſicut vos eſtis: item inter Saracenos non eſt tanta contrarietas nec inimicitia propter credulitatem, quanta eſt inter vos Chriſtianos: tunc Judæus ſuper hoc finivit ſua verba.

INCIPIT

QUARTA PARS

Diſputatio Latini & Saraceni.

Quòd in DEO ſit Trinitas & Incarnatio.

Sciendum eſt, quòd ad inquirendum & inveniendum noſtrum propoſitum ſequamur modum *Artis Inventivæ & Tabulæ Generalis*, & ſecundùm talem modum intendimus *Primò* probare, quòd in Unitate divinæ Eſſentiæ ſit Trinitas Perſonarum: *Secundò*, quòd Perſona Filii Dei aſſumpſerit noſtram Humanitatem in Unitate Perſonæ.

DISTINCTIO I.

De Trinitate.

AD probandum autem, quòd in DEO ſit Trinitas, *primò* probabimus illam per *quinque Rationes principales*, quarum unaquæque habet *quinque Rationes ſpeciales* ad probandum, quòd in Deo ſit Pluralitas. *Secundò*, quòd illa Pluralitas ſit in Paternitate, Filiatione, & Spiratione, & hoc per *quinque Rationes*. *Tertiò*, quòd illa Pluralitas ſic ſit in tribus Perſonis, quòd non poſſit eſſe in pluribus nec in paucioribus; & hoc ſimiliter per *quinque Rationes*. *Quartò* ponemus Solutiones Objectionum.

Dum autem Latinus vellet probare Trinitatem & Incarnationem; tunc dixit Saracenus Latino: Domine, ſi tibi placeret, vellem tecum tenere illum modum, quem tenuerunt alii Sapientes, ſcilicet, quòd tibi faciam objectiones, & tu ipſas ſolvas, ſi ſcias.

Reſpondit Latinus, quòd ſibi ſatis placeret; veruntamen quia vos Saraceni, dixit Latinus, putatis, quòd nos Chriſtiani multa credamus de Trinitate & Incarnatione, quæ non credimus, eſſet conſultiùs, quòd ego ipſe facerem objectiones, & illas tali modo ſolverem, quòd eſſes contentus illis; quoniam ſi objiceres multas opiniones de his, quæ nos non credimus, multiplicarentur verba inter nos, ex quibus nulla utilitas ſequeretur.

Multùm commendavit Saracenus verba, quæ dixerat Latinus, & dixit: Domine, placet mihi, & ideo rogo te, ut incipias, ſi placet; tunc Latinus incepit, & dixit iſta verba.

CAPUT I.

Quòd in DEO ſit Pluralitas.

PRIMA

PRIMA RATIO
Quartæ Partis.
Per Unitatem.

1. DEUS est unus, & sua Unitas est completa, quia in illa non potest esse ullus defectus, cùm sit completa de essentiali bonitate, magnitudine, æternitate & aliis formis pertinentibus ad Deum; non posset esse completa bonitate, magnitudine &c., si in illa esset aliqua vacuitas, quæ in illa esset, si Unitas Dei non haberet in se ipsa essentialem unitivum, unibilem & unire, ita, quòd unus non sit alius; & si omnes tres insimul non essent una essentialis communis Unitas; quia si in Deo omnes tres essent una Essentia Unitatis, & si quilibet esset alius & unus in numero sinè aliqua distinctione Unitatis, Unitas Dei esset completa per unum modum, & vacua per alium; esset completa in unitivo, unibili & unire, quæ essent unum per Essentiam; esset vacua, in quantum non haberet in se unam individuitatem distinctam ab alia: & quia in Unitate Dei non potest esse vacuitas Unitatis, convenit, quòd in illa unitivus, unibilis & unire sint realiter distincti: unde sequitur in Deo pluralitas Personarum; sicut in bonitate, quæ est una per Essentiam, & habet in se multa ab invicem distincta per opus essentiale, hoc est, bonificativum, bonificabile, bonificare; & ideo bonitas est plena per Unitatem, sicut unitas est bona per bonitatem; quod complementum non haberet per Unitatem, si quodlibet illorum non esset distinctum ab alio: ergò sequitur secundùm hoc, quod suprà diximus, quòd in Deo sit Pluralitas.

2. Unitas Dei est magna; magnitudo autem Unitatis Dei est, sic unire & individuare unum, quòd illud non sit aliud sub ratione individuitatis & distinctionis unius & alterius ratione operis essentialis intrà: unde si in Unitate Dei unitivus, unibilis & unire essent unum & idem numero, in ipsa non esset magnitudo Unitatis, cùm in illa non esset sic unire unius, quin unus esset alter numero indivisè; sicut in voluntate non esset adeò magnum amare, si amans non realiter distingueretur ab amato, quàm si realiter distinguitur ab eo; nam magnitudo non haberet, in quo se perfectè diffunderet & magnificaret in tali voluntate; & sic deficiens voluntas ipsi magnitudini ratione subjecti deficeret unitati magnitudinis, qui defectus esset malus & parvus & contrarius aliis formis: igitur ex magnitudine, quæ non esset magna sinè magno unire, probatur, quòd in Deo sit Pluralitas.

3. In Unitate Dei est potestas, per quam potest esse Unitas, sicut potestas, quæ per unitatem est una; sed si potestas in unitate non potest realiter individuare & distinguere unum ab alio, scilicet unitivum ab unibili & unire, & è converso, ratione individuitatis & distinctionis, potestas in unitate non potest unire per unitatem, nec unitas potest esse per potestatem; quod est inconveniens: ergò in Deo est realis pluralitas, ut potestas possit unire in unitate: quòd si potestas in unitate sibi essentiali non posset facere, quòd unitivus sit realiter distinctus ab unibili & unire, & è converso, cùm hoc ei sit bonum & magnum posse, nec per consequens posset in aliqua alia voluntate diligente unire aliud à se amatum distinctum ab amante & amare (cujus contrarium experimur in nobis) quia hoc posse in aliena parva voluntate est minus posse, quàm in sua propria magna: quòd autem hoc non posset in aliena, si non posset in propria, probatur per hoc, quia si potestas Dei, cùm sit infinita, non posset id, quod est majus, & ejus potestatem significat majorem (cùm ei sit magis conveniens) tunc non posset id, quod est minus, & significat minorem: & si potest id, quod significat minorem, secundùm convenientiam potest etiam id, quod significat majorem, hoc est, infinitam, quæ in hoc est contraria potestati finitæ; nam non sequitur, si potestas finita potest facere florem pictum, ergò potest facere florem verum & naturalem: in hoc tamen potestas Dei & creaturæ conveniunt, quòd, si non habet virtutem interiorem, sequitur, quòd non habet exteriorem, & si habet exteriorem, sequitur, quòd habet interiorem, quæ illi magis convenit, quàm exterior. Et si subtiliter consideretur, convenientia secundùm locum à majori & à minori eodem modo sunt in Deo & in creatura; sed id, quod dicitur in quibusdam major potestas secundùm creaturam, secundùm convenientiam dicitur minor in Deo; veruntamen semper est perfectior in Deo; nam si habet exteriorem, potest habere interiorem, cùm nihil possit ipsum impedire: ergò ex prædictis sequitur, quòd in Deo sit Pluralitas.

4. Unitas Dei est æterna, & durat per æternitatem, sicut æternitas in se est una per unitatem; & si in æternitate Dei non est unus, qui non sit alius, & si unitivus, unibilis & unire sint unum idem numero, deficit æternitas unitati unius, qui non potest durare, ita, quòd non sit alius; sed si in unitate Dei remanet unitivus in tantum, quòd non sit unibilis, nec unibilis sit unitivus, & hoc idem de unire, æternitas completur de se ipsa & de unitate, in quantum ita facit durare unum, quòd ille non sit alius; quod complementum est necessarium ad hoc, ut æternitas habeat subjectum in unitate, in qua ita possit æternare unum, quòd ille non sit alius æternus, sic & multò meliùs, sicut in elementato, in quo duratio facit durare unum elementum simplex, ita, quòd non sit aliud elementum, nec aliud sit illud: igitur est probatum, secundùm quòd diximus, quòd in Deo sit Pluralitas.

5. Si in Unitate Dei unitivus esset unibilis & unire, & unibilis esset unitivus & unire, & unire esset unitivus & unibilis, ita, quòd essent unum & idem numero, sapientia Dei haberet confusum intelligere in opere Unitatis, quia non posset distinguere inter unum & aliud, quia ita esset unus in Unitate, quòd in illa non esset alius; & ideo intelligere esset confusum; quæ confusio est impossibilis: ergò ita est unus in Unitate, quòd ille non sit alius, nec alius sit ille; & ideo sapientia habet subjectum in Unitate, per quod potest habere clarum intelligere & non confusum: igitur convenit, quòd in Deo sit pluralitas, intelligente sapientiâ Dei, quòd in Deo sint multa, & unum non sit aliud ratione individuitatis & distinctionis, scilicet multa distincta supposita, sinè quibus esset impossibile, quòd Deus posset intelligere se vel alia; nam suppositi est habere actum, & non essentiæ: Deus autem habens in se distincta supposita potest perfectè intelligere se & alia; nam intellectivus intelligit se intellectivum producendo intelligibilem, & intelligibilis intelligit se intelligibilem productum, producendo cum intellectivo intelligere, & ipsum intelligere intelligit se productum procedendo ab intellectivo & intelligibili, & ipsos in actu omnium dignitatum connectendo: ipse intellectivus etiam intelligit, se esse Deum, & intelligibilis, se esse Deum, & intelligere, se esse Deum, per unum & secundùm unum intelligere commune, quod est divina sapientia; & hæc est perfecta & completa Unitas divinæ intellectionis, in se habens potestatem perfectè intelligendi alia à se, quod non posset, nisi intellectivus, intelligibilis & intelligere essent realiter distincti: exemplum patet in intellectu hominis, & multò meliùs, in quo sub forma intellectûs & suæ operationis intellectivum non est intelligibile nec intelligere; quoniam si hoc esset, intellectus non intelligeret aliquid præter se ipsum, & intelligit se ipsum, & est per se ipsum intellectus; tamen non est suum intelligere, quia suum intelligere est pars, cujus est totum: ita Deus, & multò meliùs, intelligit se ipsum, & est per se ipsum intellectus, & est suummet intelligere, quia in ipso non est pars: unde secundùm hoc, scilicet secundùm communitatem divini intellectûs non dicimus, quòd unus sit intelligens, & alius sit intellectus, & aliud sit intelligere, quia essent multi Dii; sed secundùm naturam unitatis intelligendi sub forma individuitatis personalis, dicimus, quòd in Deo sint multæ Personæ, ut sapientia in unitate possit habere clarum objectum & non confusum, ût jam diximus.

Quapropter operatio non potest ita perfectè esse in creatura, sicut in Deo, neque essentia creaturæ est in eodem gradu perfectionis cum Deo, nec est possibile, cùm jam non esset creatura, sed Deus; *& propterea neminem debet movere imperfectio exemplorum creaturarum, ad ostendendum per exempla creaturarum ea, quæ de Deo debemus tenere; sed debemus concedere, omnem perfectionem, quàm reperimus in creaturis, esse in Deo, removendo omnem imperfectionem, & addendo omnem perfectionem.*

Unde consideratis his, quæ sunt in anima intellectiva, quæ inter alias creaturas est proxima imago Dei, remotis tamen ab ea omnibus imperfectionibus & additis perfectionibus, potest aliqualiter videri, quomodo in Divinis sit Pluralitas, ex quo elevatus intellectus supra se considerando perfectionem divinæ Naturæ, videt, quòd Deus nullo modo possit esse Deus, nisi in se ipso habuerit supposita realiter distincta, cùm Deus sit quid summè perfectum.

SECUNDA RATIO
Quartæ Partis.
Per Potestatem.

1. NUllum ens potest entificare se ipsum, scilicet, quòd entificativum producat se ipsum in esse; nam si produceret se ipsum in esse, sua potestas esset, antequam esset, quod est contradictio, quæ est impossibilis; cùm nihil possit esse extra rationem entis: ergò Deus, qui est summè entificativus, non potest entificare se ipsum entificativum; nec potest entificare entificabilem de sua Essentia sinè distinctione realium suppositorum: igitur si in sua Essentia non sint distincti, ita, quòd unus non sit alius, Deus nec potest entificare in se ipso nec in alio sibi essentiali & personali; quod est inconveniens & contra infinitatem suæ entitatis, bonitatis, æternitatis & cæterarum sibi essentialium dignitatum: igitur Deus, qui est summè entificativus, potest entificare entificabilem, sicut possificativus potest possificare possificabilem, & intellectivus intelligere intelligibilem in suamet Essentia: unde sequitur in Deo Pluralitas realium suppositorum distinctorum, ut divina potestas possit habere subjectum, in quo ex se ipsa possit possificare substantialiter & essentialiter.

2. Si in divina potestate non est distinctio possificativi, possificabilis & possificare, qui sunt ejusdem Essentiæ, ipsa nihil potest de bonitate, magnitudine, æternitate &c.; cùm ipsa cum bonitate, magnitudine, æternitate &c. sit idem numero per Essentiam; ex quo sequitur parvitas potestatis, cùm non posset possificare de magnitudine, nec esset bona potestas, cùm non posset possificare de bonitate, & sic pateretur defectum per omnes alias dignitates; sed cùm hoc sit impossibile, quòd potestas Dei sit defectiva, necessariò convenit, quòd potestas Dei de bonitate, magnitudine &c. possit possificare, id est, quòd possificativus, qui in Deo est bonitas, magnitudo &c., de bonitate, magnitudine &c. possit possificare possificabilem bonum, magnum &c., qui non sit ipse possificativus, sub ratione individuitatis & distinctionis personalis: igitur in Deo est Pluralitas.

3. Potestas Dei est bona per bonitatem, & magna per magnitudinem, & æterna per æternitatem, & scita per sapientiam, & amata per voluntatem, & virtuosa per virtutem, & vera per veritatem, & gloriosa per gloriam, & justa per justitiam, & perfecta per perfectionem, & sic de reliquis formis, quæ sunt Deus, quæ omnes, quæcunque sint, possunt esse per potestatem; hoc autem non posset esse, nisi in Deo essent realia substantialia suppositа & distincta ab invicem per numerum individuatum Personarum, ita, quòd possificativus, qui est potestas, sit bonus per bonitatem, & possificabilis, qui similiter est potestas, sit bonus per bonitatem, & quòd possificativus non sit possificabilis, quia per hanc distinctionem amborum omnes formæ, quæ sunt idem numero secundùm Essentiam, possunt sibi invicem esse rationes, ita, quòd quælibet forma sit ratio omnibus aliis formis; quod non esset sinè operatione intrinseca productiva, cùm sint unum & idem in numero secundùm Essentiam sinè ulla distinctione; & quia convenit, quòd quælibet forma sit ratio aliis, sicut potestas, quæ est bona per bonitatem, & bonitas, quæ potest per potestatem, convenit, quòd in Deo sit Pluralitas, in qua quælibet forma cuilibet sit ratio per distinctionem & individuitatem. NB. *in Exemp. Lat. plura continentur, sed non sunt in Catal. nec ipsius Auth. sed alicujus Discipuli, ut patet ex stylo.*

4. Si in Deo non esset Pluralitas suppositorum, potestas Dei nihil posset in concordantia & æqualitate, quæ sunt ipsius Essentiæ; cùm in ente, in quo non est pluralitas, non possit esse concordantia nec æqualitas; & sic divinæ potestati deficeret subjectum concordantiæ & æqualitatis, & sequeretur, quòd in bonitate Dei non esset æqualitas bonificativi, bonificabilis & bonificare, nec in sapientia intellectivi, intelligibilis & intelligere, nec in voluntate amativi, amabilis & amare, nec in potestate possificativi, possificabilis & possificare &c.; & sic potestas Dei esset defectiva in semet ipsa & in bonitate & in magnitudine & in omnibus aliis formis; & cùm hoc sit impossibile, convenit, quòd in Deo sit Pluralitas, ut potestas possit esse in concordare & æquare bonificativi, bonificabilis & bonificare & omnium aliarum.

5. Divina potestas est major & nobilior in se ipsa, quàm in creaturis, cùm plùs possit de bonitate, magnitudine &c. in se ipsa, quàm in quocunque alio ente, quod non est Deus: & hoc est, quia, cùm entia sint creata, non possunt recipere tantam bonitatem, magnitudinem, durationem &c., quantam Deus essentialiter habet in se ipso: unde si Deus benedictus non posset in se ipso distinguere inter possificativum, possificabile & possificare, plus posset in creaturis de

de earum magnitudine & bonitate &c, quàm in se ipso de sua essentiali bonitate, magnitudine &c.; nam constat, quòd in creaturis possit distinguere & distinguat inter possificativum & possificabile, sicut in igne, in quo ignitivum est aliud ab ignibili, differens ab eo; sed cùm hoc sit impossibile, quòd potestas Dei sit major in creaturis, quàm in se ipsa, convenit, quòd in Divinis sit Pluralitas, sinè qua potestas Dei non esset major, imò esset minor in se ipsa, quàm in creaturis.

TERTIA RATIO
Quartæ Partis.
Per Amorem.

1. DEUS operatur in se ipso intrinsecè per amorem, in quantum amat se ipsum; hæc autem operatio est in sua voluntate, in qua sunt amans, amabilis & amare; & per istos tres est ejus operatio, & ipsi tres sunt per operationem: sed convenit, quòd in hac operatione amoris, quam Deus habet intrinsecè, sit concordantia amantis, amabilis & amare, & bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; per quam concordantiam sunt remoti ab omni contrarietate, quæ est contraria concordantiæ; concordantia ibi non potest esse, in quantum amans, amabilis & amare sunt unum per Essentiam, & bonitas, magnitudo, æternitas &c. sunt idem numero; quia concordantia non potest esse sinè rebus differentibus ab invicem: & quia in operatione intrinseca Dei convenit esse hoc, per quod est remotus à contrarietate amantis, amabilis & amare, & quòd illa differentia sit subjectum, per quod bonitas, magnitudo, æternitas possunt habere concordantiam, igitur in operatione Dei est differentia, per quam in illa est Pluralitas amantis, amabilis & amare.

2. Nullum opus potest esse sinè principio, scilicet, quòd operans sit principium activum, & operatum sit principium passivum, & operari principium principiatum ab utroque; talia principia autem non possunt esse in opere, quod Deus habet in se, intelligendo & amando se ipsum, per bonitatem, magnitudinem, æternitatem, sapientiam & voluntatem sinè differentia vel distinctione operantis, operati & operari: ergò convenit, quòd in intrinseco opere Dei sit differentia omnium trium, ut supradicta principia possint esse, & illud opus, quod Deus habet in se, & ut sit differentia amantis, amabilis & amare: sed cùm in opere Dei, ût dictum est, differentia sit subjectata tribus suppositis, quæ in illo opere sunt infinita & æterna & bona & magna, necessariò convenit, quòd in Deo sit Pluralitas rerum distinctarum, sinè qua Pluralitate non posset esse differentia.

3. In opere Dei intrinseco, quod est intellectivi, intelligibilis & intelligere, convenit esse illud, per quod intellectivus, intelligibilis & intelligere magis distent à majoritate & minoritate, scilicet, quòd unus non sit major, quàm alius; nam si esset major, deficeret in illo opere magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; quod est impossibile: igitur necessariò convenit, in opere Dei ponere æqualitatem intellectivi, intelligibilis & intelligere, cùm Deus per æqualitatem magis distet à majoritate & minoritate sive ab inæqualitate, quæ est contraria æqualitati: sed cùm æqualitas non possit esse sinè differentia rerum æqualium, convenit, quòd in divino opere sit differentia taliter, quòd intellectivus non sit intelligibilis, in quantum est intellectivus, nec intelligibilis sit intellectivus, in quantum est intelligibilis, nec intelligere similiter sit intellectivus & intelligibilis, in quantum est productus ex utroque: sed cùm in tali intrinseco opere Dei, quod Deus habet per bonitatem, magnitudinem, æternitatem, sapientiam & alias proprietates, necessariò conveniat, esse differentiam, & realis differentia non possit esse, nisi inter plures res numero reali differentes, necessariò convenit, quòd in Deo sit Pluralitas.

4. Convenit, quòd in Deo necessariò sit majus opus, quod potest esse ratione bonitatis, magnitudinis, æternitatis; quia si non, erit in ipso ponere defectum magnitudinis, scilicet, quòd magnitudo deficiat majoritati operis bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ &c.; sed in Divinis ponere defectum est impossibile: igitur convenit, quòd in Deo sit majus opus, quod possit esse per supradictas rationes; tale autem est, quòd bonus producat bonum, ita, quòd productus sit de Essentia producentis & de tota illa, & quòd producens & productus sint unum & idem numero in Essentia, & ambo remaneant unum per Essentiam bonitatis, & quòd sint distincti unus ab alio per activitatem & agibilitatem sive productivitatem & producibilitatem (ita loquendo) & quòd producere sit amborum, &

distinctum ab ambobus, in quantum est operatio cujuslibet.

Adhuc tale majus opus bonitatis convenit esse infinitum per magnitudinem, ut ipse producibilis nullo modo per quantitatem possit esse limitatus, nec productivus in aliquo possit esse otiosus, & ut producere non remaneat in potentia, sed sit infinitus actus. Item hoc majus opus bonitatis convenit esse æternum, ne productivus, producibilis & producere sint terminati & comprehensi per tempus, nec sint vacuabiles, imò sint in infinita duratione, sic, quòd nullo modo per tempus vel per quodcunque aliud in aliquo possint variari: & hoc idem sequitur de opere magnitudinis, & de opere æternitatis &c., quod superiùs dictum est de opere bonitatis & de opere Deitatis; nam majus opus non potest esse in Deitate, quàm illud, in quo deificativus, qui est Deitas & Deus, de toto se ipso producit deificabilem per bonitatem magnitudinem, æternitatem &c., qui est distinctus numero à deificativo, & est eadem Deitas & Deus cum deificativo, & in quo deificare est ab utroque totus deificatus, numero ab utroque distinctus, eadem Deitas numero & Deus cum utroque; & sic per tale opus Deus producit Deum, & remanet unus Deus per Essentiam in deificativo, deificabili & deificare, ipsis ab invicem distinctis per opus: & quia convenit, quòd in Deo sit majus opus, quod potest esse sub supradictis rationibus, & opus non possit esse sinè distinctione operantis, operati & operari, convenit esse & concedere realem distinctionem in opere, quod Deus habet intrinsecè in se ipso; quâ distinctione concessâ sequitur Pluralitas in Divinis.

5. Omne illud, quod est in Deo, est Deus; sed in Deo est operatio intrinseca ratione bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., igitur illa operatio est Deus; nam si non esset Deus, omne illud, quod est in Deo, non esset Deus, & magnitudini deficeret ratio sapientiæ, voluntatis, bonitatis &c., sic, quòd operatio bonitatis non esset magna; similiter de æternitate &c.; & bonitas & æternitas &c. deficerent magnæ operationi, sic, quòd earum operatio non esset bona &c.; & quia talis defectus est impossibilis in operatione divina, convenit, quòd opus, quod Deus habet in se ipso, sit de illo; & quia opus est Deus, convenit, quòd opus sit ita Deus per agere, sicut per existere; sed cùm sit Deus per existere, convenit, quòd sit Deus per agere, sicut bonus est per bonitatem, magnus per magnitudinem &c.: unde sequitur, quòd, sicut Deus per existere est bonus, magnus, æternus &c., sic Deus per operari & producere sit bonus, magnus, æternus &c.; & sicut non esset Deus, nisi esset bonus, magnus, æternus &c, sic nec esset Deus, nisi produceret bonum, magnum, æternum &c.: igitur probatum est, quòd Deus sit Deus per operari; sed cùm operari non possit esse sinè differentia operantis & operabilis (si enim non esset, non esset amborum, nec esset id, quod est) & ut operari possit esse amborum, & manere hoc, quod est, & ut Deus sit tantùm Deus per operari, quantùm per existere, necessariò convenit, quòd sit differentia in opere Dei intrinseco inter operativum, operabile & operari; per quam differentiam sequitur, quòd in Deo sit necessariò Pluralitas.

QUARTA RATIO
Quartæ Partis.
Per Finem.

1. IN Deo est finis, hoc est, complementum, propter quem finem sua bonitas, magnitudo, æternitas, potestas &c. sunt completæ; sicut finis est bonus per bonitatem, magnus per magnitudinem, æternus per æternitatem &c.: hic autem finis est ita magnus in bonitate, sicut in sapientia; magnitudo verò sapientiæ & finis est, quòd Deus per sapientiam intelligat totum se ipsum; sed magnitudo bonitatis & finis non esset, si Deus bonificaret se ipsum totum; nam si se ipsum totum bonificaret, non esset finis per magnitudinem & bonitatem, quia bonificativus & bonificabilis essent idem numero; & sic finis non haberet subjectum, in quo existeret, & esset hoc, quod est; nam bonificativo, in quantum est bonificativus, non convenit, quòd sit bonificabilis; & bonificabili, in quantum est bonificabilis, non convenit, quòd sit bonificativus: igitur finis esset magnus in sapientia, & non magnus in bonitate; ex quo sequeretur, quòd bonitas & sapientia non essent idem numero per Essentiam; quod est impossibile: sed cùm conveniat, quòd sint idem numero, & quòd finis sit ita magnus in bonitate, sicut in sapientia, convenit, quòd Deus bonificet totum se ipsum per eundem modum, per quem intelligit totum se ipsum, scilicet, quòd

quòd bonificativus, qui est Deus, bonificet se ipsum totum in bonificabilem, producendo bonificabilem de toto se ipso, manente bonificativo per magnitudinem finis uno, & manente bonificabili per magnitudinem finis alio, sic, quòd unus non sit alius; & hoc idem per magnitudinem finis ipsius bonificare, ita, quòd bonificare non sit bonificativus, nec bonificabilis, in quantum est bonificare amborum: igitur convenit, quòd sit distinctio inter bonificativum, bonificabile & bonificare ad hoc, ut Deus possit tantùm bonificare se ipsum totum, quantùm potest intelligere se ipsum totum; quia sinè distinctione non posset bonificare se ipsum totum: & hoc idem sequitur de intellectivo, intelligibili & intelligere, qui sinè distinctione non possent esse æquales magno fini bonitatis: igitur in Deo est distinctio personalis, per quam in Deo convenit esse pluralitatem, sine qua non posset esse distinctio.

2. In Deo magnitudo est bona per bonitatem, & bonitas magna per magnitudinem; sed si in Deo non est distinctio divinarum Personarum, nullus est finis, propter quem magnitudo sit bona, vel bonitas sit magna; cùm bonitas & magnitudo sint idem numero per Essentiam: cùm verò necessariò conveniat, quòd in bonitate Dei sit finis magnitudinis, & in magnitudine sit finis bonitatis, & sic de omnibus aliis formis Dei, quæ omnes sunt unica forma per Essentiam, necessariò convenit, quòd in Deo sit distinctio suppositorum, ut bonitas possit esse finis magnitudinis, & magnitudo possit esse finis bonitatis &c., bonificativo existente uno bono, magno &c., & bonificabili similiter uno bono, magno &c.; & sic de bonificare: igitur in Deo est distinctio, ac per consequens Pluralitas.

3. In Deo est bonus per bonitatem, & bonitas per bonum, ut finis bonitatis & boni possit esse tantus in bonitate, quantus est in bono, & tantus in bono, quantus in bonitate; hæc autem æqualitas non potest esse in fine bonitatis & boni per unitatem numeri, quæ est per Essentiam: igitur convenit, quòd sit aliquod subjectum personale, in quo sit distinctio per æqualitatem finis existentis in bonitate & in bono: igitur est distinctio in Divinis, & per consequens Pluralitas.

4. Si in Deo non est distinctio personalis, finis concreti non potest esse in bonitate, nec finis bonitatis in concreto; cùm in Deo bonitas & bonus sint idem numero per Essentiam: unde privato fine bonitatis in bono, & boni in bonitate, bonitas in abstracto & bonus in concreto remanent distincti ab invicem per Essentiam; quæ distinctio est impossibilis: igitur convenit, quòd sit distinctio suppositorum distinctorum numero per finem bonitatis in bono, & boni in bonitate; sed quia bonificans est bonus per bonitatem, & bonificabilis similiter bonus per bonitatem, distincti ab invicem, finis bonitatis habet existere in bono, & finis boni in bonitate: ergò in Deo est distinctio, & per consequens Pluralitas.

5. Si in Deo non est distinctio amativi, amabilis & amare, ita, quòd amabilis sit de Essentia amativi, & amare sit de Essentia amborum, in Deo est finis per amativum, & in creaturis per amabile, & in amare per Essentiam Creatoris & creaturarum; & sic finis est defectivus in amabili & amare, & per consequens in ipso amativo, in quo non potest esse finis per magnitudinem bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; sed cùm talis defectus sit impossibilis, convenit, quòd in Deo sit distinctio, in qua finis amativi, amabilis & amare possint existere per magnitudinem bonitatis, æternitatis, potestatis &c.: hic autem finis est per supradictas formas, in quantum amativus habet in se ipso suum proprium amabilem & amare, cum quibus est unus & idem per Essentiam, & ab eis distinctus per finem amativi, amabilis & amare; existente fine magno per bonitatem magnitudinis, æternitatis &c.: igitur in Deo est distinctio, & per consequens Pluralitas, sinè qua non potest esse distinctio, cùm aliter non haberet, de quo esset.

QUINTA RATIO
Quartæ Partis.
Per Libertatem.

1. SIcut Deus benedictus per bonitatem est bonus, sic per libertatem est liber & remotus ab omni coactione & servitute, & per libertatem sua bonitas est libera, & sic de magnitudine, æternitate &c.; sed si in Deo non esset Pluralitas Personarum, non posset in se ipso habere libertatem ad dandum bonificare sibimet ipsi, taliter, quòd bonificare sit unus per se ipsum; nam unitas numeralis bonificativi & bonificabilis cogeret bonitatem, quòd non haberet libertatem, per quam bonus alteri bono posset dare semet ipsum, ita, quòd non esset

bonificativus & bonificabilis: igitur bonitas Dei esset coacta, & ipsum bonum esset coactum, & esset destructa libertas in Essentia Dei sinè reali pluralitate; sed cùm sit impossibile, quòd in Deo non sit libertas & liberalitas, convenit, quòd in Deo sit Pluralitas, per quam bonificativus sit liber ad dandum esse bonificabili, & ambo dent esse ipsi bonificare, omnibus tribus existentibus distinctis ab invicem.

2. Voluntas Dei est magna in velle, non autem potest esse magna in velle sinè libertate, per quam possit liberè velle quidquid vult; hanc verò libertatem non potest habere, nisi in eo sit pluralitas distinctarum rerum; nam sinè pluralitate non haberet libertatem ad volendum amatum distinctum ab amante, si amans sit unus numero cum amato; nam ex tali unitate numeri oritur contrarietas, quæ resistit, quòd voluntas coacta per unitatem numeralem non possit amare alietatem existentem inter amantem, amatum & amare; si autem in Deo sit pluralitas suppositorum, voluntas est libera in amare unum amantem & alium amatum & unum amare amborum; per quam libertatem voluntas est magna in amare alietatem & distinctionem personalem amantis, amati & amare: igitur convenit, quòd in Deo sit Pluralitas, ut voluntas habeat libertatem in amare.

3. Deus est justus per justitiam, & sua justitia est libera per libertatem, sicut est bona per bonitatem, magna per magnitudinem, & æterna per æternitatem; si autem in Deo non esset pluralitas, justitia non esset libera ad satisfaciendum aliis rationibus, scilicet, quòd bonitas nullo modo posset esse ratio magnitudini, quòd esset bona, nec magnitudo bonitati, quòd esset magna; nam unitas numeralis, quæ est inter bonitatem & magnitudinem essentialem, constringeret justitiam, quòd non posset esse ratio magnitudini, quòd sit bona per bonitatem, nec bonitas magna per magnitudinem; & ex tali coactione oriretur injuria contra justitiam, ne justitia esset ratio bonitati, quòd sit justa in esse ratio magnitudini, quòd sit bona per bonitatem; sed si in Deo sit personalis pluralitas, justitia potest esse ratio omnibus aliis formis in personali pluralitate, sicut bonitati, quòd sit justa in essendo ratio magno bono, quòd de se producat aliud magnum bonum: igitur in Deo est Pluralitas, ut justitia habeat libertatem in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

4. Gloria Dei absque pluralitate non habet libertatem in glorificativo, glorificabili & glorificare; nam si omnes tres essent unum & idem numero, gloriosus non posset glorificare alium gloriosum; quia numeralis Unitas Dei constringeret glorificativum, glorificabilem & glorificare; ex qua coactione oriretur pœna contra gloriam, & servitus contra libertatem; quod est impossibile: si verò in Deo est pluralitas, pluralitas est subjectum, in quo gloriosus habet libertatem ad glorificandum alium gloriosum, & ambo similiter habent libertatem ad glorificandum glorificare ex utroque productum: igitur convenit, quòd in Divinis sit Pluralitas, ut in gloria Dei sit libertas.

5. Nisi in Deo sit pluralitas, Deus est coactus in hoc, quòd concordantiæ non potest dare concordare, nec bonitati bonificare; nam essentialis unitas formarum, in qua omnes sunt unum & idem numero, nullam habet libertatem in uniendo concordare, ut sit concordativus & concordabilis: si autem in Deo sit pluralitas, unitas habet libertatem ad uniendum unum ab alio, & ad uniendum unum ab ambobus, & etiam ad dandum concordare ipsi concordantiæ, & ad dandum bonificare bonitati &c.: igitur convenit, quòd in Deo sit Pluralitas, ut in pluralitate Unitas Dei habeat libertatem in unire, ac in dando concordare & bonificare &c.

Probavimus, quòd divina Pluralitas sit necessaria, nunc convenit probare, quòd illa pluralitas sit Paternitatis, Filiationis & Spirationis, scilicet, quòd in Essentia Dei sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus.

CAPUT II.

Quòd Pluralitas sit in Paternitate, & Filiatione, & Spiratione.

1. PRobavimus, quòd in Deo sit Pluralitas, & convenit, quòd sit in majori magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., quàm quæcunque alia pluralitas; hæc autem major pluralitas est major in relatione unius & alteriùs, quàm ulla alia pluralitas; sed major relatio, quæ possit esse, est Paternitatis, Filiationis & Spirationis, ipso Patre generante Filium ex se ipso, & ipso Filio genito à Patre, & ipso Sancto Spiritu procedente ab utroque, & hoc per magnitudinem bonitatis, æternitatis &c.: cùm verò con-

veniat, quòd in Deo sit major relatio Pluralitatis, quæ potest cogitari, convenit, quòd in ipso sit relatio Patris & Filii & Sancti Spiritûs.

2. In Deo bonitas est ratio bono, quòd producat bonum, & magnitudo est ratio bonitati, quòd bonitas sit magna ratio bono, quòd producat magnum bonum; & æternitas similiter est ratio bonitati, quòd producat bonum, magnum & æternum; sed cùm hæ rationes in Deo non possint esse otiosæ, convenit, quòd bonus producat bonum, magnum, æternum; bonus verò non potest producere alium bonum, infinitum & æternum, nisi ipse sit bonus, infinitus & æternus, & illum non potest producere ab alio, qui non sit bonus, infinitus & æternus; sed quia in Deo est productio bona, infinita & æterna, convenit, quòd productivus sit Pater, cùm de se ipso generet Filium; & convenit, quòd producibilis sit Filius, quia est genitus; & convenit, quòd producere sit Sanctus Spiritus, quia exit ab ambobus; nam sicut Filio convenit Generatio, cùm sit genitus, sic ipsi procedere convenit Spiratio, cùm procedat à productivo & producibili: igitur divina Pluralitas est in tribus proprietatibus personalibus, scilicet in Paternitate, Filiatione & Spiratione; cùm nullæ aliæ proprietates sufficerent magnitudini productionis bonitatis &c.; quod per se manifestum est diligentiùs intuenti.

3. Convenit, quòd major concordantia, quæ potest esse, sit in divina Pluralitate; sed major concordantia, quæ naturaliter potest esse, est concordantia Patris & Filii & amare amborum, igitur convenit, quòd in Deo sit Paternitas & Filiatio & Spiratio, cùm absque his tribus proprietatibus personalibus major concordantia non haberet subjectum, in quo existeret in Deo.

4. Major æqualitas, quæ possit esse, est æqualitas essentialium æqualium personalium, scilicet æqualitas, in qua sunt æquativus, æquabilis & æquare ita magni, quòd non possint esse majores: unde sicut per æqualitatem sunt majores, sic per Paternitatem, Filiationem & Spirationem sunt majores; nam æquativus per Paternitatem plùs potest sibimet æquare æquabilem, h. e. Filium, in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., quàm per quamcunque aliam proprietatem; & ipsum æquare amborum, h. e. Sanctus Spiritus, potest esse magis æquabile æquativo & æquabili per communem Spirationem amborum, cùm ambo illum spirent, quàm per quamcunque aliam proprietatem sinè Spiratione & Processione: sed cùm conveniat, quòd in Deo sit major æqualitas, quæ potest esse, necessariò convenit, quòd in Essentia Dei sit Paternitas & Filiatio & Spiratio.

5. Nullum principium potest esse majus, quàm Pater, qui de tota sua Essentia, de toto se ipso, de tota sua bonitate, magnitudine, æternitate &c. principiat Filium; nec principiatum potest esse majus, quàm Filius principiatus & principiabilis de Essentia Patris & de toto Patre per rationem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; nec aliquid potest esse majus principium, quàm spirare & spiratum à Patre & Filio per rationem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: sed cùm in Deo sit majus principium, quod potest esse, convenit, quòd Pluralitas Dei sit propriarum Personarum, scilicet una Patris & alia Filii & alia Sancti Spiritûs.

Probavimus, quòd Pluralitas Dei existat in personalibus proprietatibus, quæ sunt Pater & Filius & Sanctus Spiritus; nunc convenit probare, quòd non possint esse plures vel pauciores proprietates personales, quàm tres.

CAPUT III.

Quòd Pluralitas sit in tribus Personis tantùm.

1. COnvenit, quòd Pluralitas Dei sit in nobiliori & perfectiori numero, qui possit esse; quia si in illo non esset, bonitas deficeret magnitudini, & magnitudo bonitati & cæteris formis; qui defectus est impossibilis in Deo: nobilior & perfectior numerus, qui possit esse, est ternarius; sicut apparet in bonitate; bonitas enim est perfecta numero ternario, scilicet bonificativi, bonificabilis & bonificare, nec quaternarius est illi necessarius, nec binarius sinè tertio posset illi dare complementum; sicut bonificativus & bonificabilis, qui non possent esse perfecti in numero sinè ipso bonificare: simile habetur in quolibet ente creato; „ nam omne ens constituitur ex *forma* „ & *materia* & *conjunctione utriusque*: simi„ liter syllogismus constat ex duabus pro„ positionibus & una conclusione ex illis „ producta; & operatio similiter comple-

„ tur

„ tur ex potentia, objecto & actu ; & idem est in omnibus rebus, scilicet, quòd habeant perfectionem in numero ternario, in quo, si benè advertatur, est unum dans esse alteri, & ambo ipsi tertio; nec est aliqua potentia naturalis, quæ in sua propria natura sibi essentiali indigeat quaternario numero, sed est perfecta ternario; sicut voluntas hominis, quæ, quantum ad suum intrinsecum esse perfectum, est contenta amativo, amabili & amare sibi substantialibus; quartum enim, quod accipit sive amat extrà, est alterius essentiæ & non suæ: igitur numerus ternarius est nobilior & perfectior in se, & de se, & per se, qui possit reperiri; convenit autem, quòd hic numerus ternarius sit in divina Pluralitate, & Pluralitas in ipso numero, in quo sufficit unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus, sicut sufficit essentiæ bonitatis creatæ unum bonificativum, unum bonificabile & unum bonificare, & longè meliùs.

2. Convenit, quòd divina Pluralitas sit in illo numero, in quo divinæ Personæ sunt in majori concordantia, sed sunt in majori concordantia in numero ternario, quàm in quocunque alio numero ; quia quælibet Persona est ejusdem Essentiæ cum alia; sicut in simplici essentia bonitatis, in qua bonificabilis est de essentia bonificativi, & bonificare est de essentia amborum; in quo numero ternario bonificativus, bonificabilis & bonificare habent majorem concordantiam, quàm in numero quaternario vel quinario vel in alio quocunque majori; nam quando transitur ad quaternarium numerum, jam transitur ad aliud genus vel ad aliam speciem, quæ non est de essentia bonitatis increatæ; sed cùm conveniat, quòd divinæ Personæ sint in illo numero, in quo sunt in majori concordantia essentialiter, propriè & simpliciter, qui est ternarius (ùt probavimus) necessariò convenit, quòd divina Pluralitas sit in numero ternario , & non sit in minori, nec transeat in numerum quaternarium , nec in majorem ; quia si transiret, deficeret magnitudo bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis & gloriæ numero divinæ Pluralitatis ac numero majoris concordantiæ; qui defectus est impossibilis.

3. Illum numerum, qui consistit in majori unitate, convenit esse in divina Pluralitate; sed major numerus unitatis, qui sit, est ternarius , scilicet , quòd in substantia sit unum suppositum , quod non sit aliud generatum ab illo , & quòd illud sit unus Pater, & non plures, ut ipsi sufficiat unitas singularitatis ; nam si in substantia Dei non sufficeret una Paternitas, deficerent Paternitati unitas & singularitas; in quo defectu magnitudo bonitatis deficeret Paternitati, & deficeret unitati contra singularitatem: idem defectus, qui sequeretur in una Paternitate, sequeretur etiam in una Filiatione & in una Spiratione; sed cùm aliquis defectus in Deo sit impossibilis, sequitur, quòd ternarius numerus sufficiat divinæ Pluralitati; scilicet una Paternitas, una Filiatio & una Spiratio , quarum quælibet sit una unitas personalis, & non plures.

4. Majus medium & major æqualitas, quæ potest esse, est in numero ternario ; nam in numero ternario est unum suppositum, quod appellatur duale, existens æquale medium inter primum & tertium ex ambobus resultans: in hoc numero est perfectior & simplicior æqualitas, & magis simplex principium, medium & finis , quàm in quocunque alio numero, & per quem omnis alius numerus habet esse ; qui respectu hujus numeri est compositus & divisibilis, & per consequens imperfectus; nam in numero ternario est illud unum simplicissimum, quod dat esse ipsi numero, & illud, quod primò recipit esse numeri ita simpliciter, sicut primum; nam ex toto primo & non ex alio, nec minori nec majori potest produci; ex quibus duobus immediatè resultat unum, sicut quodlibet duorum est unum, per omnia eis simile, conjungens ambo in unum, & per quod est medium amborum: nullum aliud medium potest existere tam æqualiter in ullo alio numero, sicut in numero ternario, qui numerus est intellectivi, intelligibilis & intelligere, in quo intellectivus producit intelligibilem, ex quibus necessariò procedit intelligere, quod est in medio intellectivi & intelligibilis, & duale in medio primi & tertii : ergò convenit , quòd numerus divinæ Pluralitatis sit ternarius, ut in illo possit esse majus medium & major æqualitas ; quia si numerus non esset ternarius , major magnitudo bonitatis deficeret majori æqualitati & majori medio & majori numero.

5. Convenit , quòd ille numerus sit in Divinis, in quo est major relatio , quæ possit esse; sed major relatio, quæ possit esse, est in una Paternitate, in una Filiatione & in

in una communi Spiratione; nam est major relatio unius Paternitatis ad unam Filiationem, quàm plurium ad plures; cùm una singularis Paternitas , quæ potest esse infinita, sit major, quàm plures, quæ necessariò essent limitatæ & parvæ : idem est de una singulari Filiatione, & de una singulari Spiratione ex ambobus ; sicut in specie humana, in qua sunt plures Patres & plures Filii , quorum quilibet necessariò est limitatus, & non est tanta relatio, sicut in Essentia divina, si in ipsa est unica & singularis Paternitas, & non plures, & unica singularis Filiatio, & non plures, & unica singularis Spiratio, & non plures : sed cùm conveniat, numerum divinarum Personarum esse in majori relatione, quæ possit esse, ut magnitudo bonitatis, æternitatis &c. sufficiat majori numero & majori relationi, necessariò convenit, quòd numerus ternarius sit in Deo, qui vocatur sancta Trinitas Dei; quæ Trinitas est unius Paternitatis, unius Filiationis & unius Spirationis; quæ tres proprietates sunt unus Deus, & unus Deus est omnes tres sinè multiplicatione quaternarii numeri, licèt dicamus unum Patrem, unum Filium, unum Sanctum Spiritum, unum Deum; nam si ex hoc sequeretur multiplicatio quaternarii numeri, Deus esset compositus ex ipsis proprietatibus, tanquam ex partibus, & per consequens imperfectus ; quod est inconveniens : nam proprietates Dei non sunt suæ partes , sed quælibet est tota divina Essentia; & ideo non potest ex ipsis resultare alia species numeri, sicut fit in homine , qui transit in tertium numerum, quia non remanet in specie animæ & corporis, & tertius numerus transit in aliam speciem, quia est compositus de partibus, hoc est, corpore & animâ.

Probavimus, quòd Pluralitas divinarum Personarum sit in numero ternario, quam vocamus beatam Trinitatem Dei; nunc volumus solvere objectiones, quæ possunt fieri contra ea, quæ diximus de Trinitate, & per illas possunt solvi aliæ similes.

CAPUT IV.

De Objectionibus & Solutionibus.

SI dicis, quòd , si in Deo sint tres proprietates personales, quæ sunt unus Deus, sequatur compositio in Divinis.

Respondeo, quòd in æternitate & in infinitate nulla compositio possit esse; nam compositio non potest esse sinè tempore & sinè partibus , tempus verò & partes non possunt cadere in æternitatem & in infinitatem ; quia si tempus caderet in æternitatem, æternitas non esset hoc, quod est, & si partes caderent in infinitatem magnitudinis, infinitas non esset hoc, quod est : & quia Pater de tota sua æternitate & infinitate generat Filium , & ambo ex tota sua æternitate & infinitate spirant Sanctum Spiritum, in ipsis non potest esse compositio, quia non habet subjectum, in quo existat: & cùm compositio sit opposita simplicitati, & Pater, qui est simplex , de tota sua simplicitate generet Filium, & ambo ex eadem summa simplicitate spirent Sanctum Spiritum, est impossibile, quòd compositio in ipsis possit habere locum: unde sicut simplex forma bonitatis non recipit compositionem ex sibi essentialibus bonificativo, bonificabili & bonificare, sic Deitas, quæ est simplex, non potest esse composita de deificativo, deificabili & deificare, cùm sibi sint essentialia.

Si dicis, quòd tempus cadat in Deum, cùm conveniat, quòd Pater sit prior, quàm Filius. Respondeo, quòd Filius in æternitate sit genitus à Patre ; & sic prioritas & posterioritas, quæ sunt temporis, non potest habere subjectum in æternitate.

Si verò dicis, quòd Pater in intelligendo generet Filium, ex quo sequitur, quòd intelligere sit priùs, quàm Filius. Respondeo, quòd Pater per Paternitatem generet Filium, unde secundùm relationem Patris & Filii, Pater (ita loquendo) se priùs habet ad Filium, quàm ad intelligere, & se habet ad intelligere, ut possit generare Filium, sic, & multò meliùs, sicut faber se priùs habet ad faciendum clavum secundùm intentionem, quàm ad martellum; & ideo martellus est per intentionem amborum, (tamen hoc exemplum non est sufficiens, in quantum est in tempore; sed per illud potest humanus intellectus exaltari ad intelligendum prioritatem intellectualem æternam secundùm relationem Paternitatis, Filiationis & Spirationis, & intelligere est amborum) & Pater habet se ante ; quia Pater priùs se habet ad Filium per intentionem, quàm ad ipsum intelligere ab utroque procedens : nam si Pater se non haberet priùs ad Filium sub forma intentionis, quàm ad intelligere , ipsum intelligere, hoc est, Sanctus Spiritus, qui est intelligere, non posset esse de intentione amborum; sed cùm conveniat, quòd sit

de intentione amborum, transit ad tertiam personalem intentionem, Filio remanente in secunda, & Patre remanente in prima; ipsæ verò tres intentiones personales sunt æternæ, & sunt in una communi intentione, in qua una non est prior alterâ, cùm sint æternæ; sed ut ipsa communis intentio sustentetur in tribus Personis, & ut ipsæ tres Personæ sint, ponitur in intentione prioritas, secundioritas & tertioritas (sic loquendo) & ideo objectio nihil valet, cùm ipsæ tres intentiones sint æternæ, remanentes una communis & æterna intentio.

[In probatione pluralitatis dictum est, quòd intellectivus, qui est generans, immediatè respiciat intelligibilem, qui est genitus, & quòd ex ambobus resultet intelligere, quod est spirare utriusque; & licèt secundùm facultatem nostri sermonis multùm impropriè nos oporteat loqui de Deo, intellectus tamen supra se ipsum elevatus in contemplatione & speculatione Dei videt & judicat ea, quæ sunt in Deo, & ad Deum pertinent secundùm Naturam divinam, qui, si semper vellet judicare secundùm suam propriam naturam, nunquam posset videre, nec per consequens veraciter judicare: sicut intellectus, qui secundùm imaginationem nostri sitûs considerat antipodes, non videt, quòd possint stare, semper imaginando nostrûm situm, quousque elevetur ad considerationem sitûs totius universi: & sic qui vult judicare veritatem de aliquo, debet illud speculari & tractare secundùm suam propriam naturam, quod si fecerit cum discretione, multa, quæ ipsi primò apparebant obscura, occulta & nubilosa, ipsi apparebunt clara, manifesta & lucida: ad hoc verò multùm juvatur intellectus, si bene sciverit speculari naturas creaturarum & earum operationes. Et ut redeamus ad propositum, videmus, quòd visus secundùm intentionem priùs se habeat ad objectum, quàm ad videre, ex quibus ambobus procedit ipsum videre, & sic habetur perfecta visio, & totum fit in eodem instanti: & licèt hoc vel aliud exemplum ex creatura sumptum non sit simpliciter perfectè sufficiens ad ea, quæ dicuntur de Deo, potest tamen ex istis aliqualiter illustratus elevari ad clariùs speculandum Divina, & potest videre prioritatem intellectualem æternam per ipsam originem & emanationem in tertiam.]

Et quando dicis, quòd in Essentia divina sint diversa loca, in quantum concreta, existente Patre in uno loco, Filio in alio, Sancto Spiritu in tertio. Respondeo, quòd, cùm Pater in infinita magnitudine & per infinitam æternitatem generet Filium, & ambo spirent Sanctum Spiritum, nullo modo in Deo nec in Divinis possint esse quantitas & locus.

Ad illud, quod dicis, quòd bonitas magnitudinis esset major in duobus Patribus, quàm in uno; & sic de Filio & Sancto Spiritu: jam ad istam objectionem est responsum, ubi ostensum est, quòd major magnitudo bonitatis possit esse in una Paternitate singulari, quàm in duabus vel pluribus; nam in una potest esse infinita, in pluribus verò conveniret, eam esse finitam & limitatam; & idem de Filiatione & communi Spiratione.

Ad illud, quod dicis, quòd Pater sit major, quàm Filius, in quantum generat Filium & spirat Sanctum Spiritum, & Filius non generat, sed spirat Sanctum Spiritum. Respondeo, quòd majoritas & minoritas non possint esse in infinita magnitudine & æternitate; solùm enim habent locum in rebus finitis, quæ habent quantitatem, & sustentantur in tempore: sed cùm Pater, qui est infinitus in magnitudine & æternitate, de tota sua magnitudine & æternitate &c. generet Filium, ideo Pater non potest esse major, quàm Filius; nec Filius potest esse major, quàm Sanctus Spiritus; quia Pater & Filius de eadem tota infinitate & æternitate spirant Sanctum Spiritum.

Si dicis: Pater est Deus, Filius est Deus, Sanctus Spiritus est Deus, & inter omnes tres Personas est distinctio, in tantum, quòd una Persona non est alia, & ideo sunt tres Dii. Respondeo, quòd, licèt Personæ sint distinctæ, ipsa Deitas omnium trium remaneat indistincta; quia quemadmodum Personæ remanent una Essentia, ut non sint multæ Essentiæ distinctæ & terminatæ, ita Personæ remanent unus Deus, & non multi, ut non sint multi Dii terminati; sed in quantum Deitas per unum modum est in Patre, & per alium in Filio, & per alium in Sancto Spiritu, dicitur, quòd Pater sit Deus, Filius sit Deus, Sanctus Spiritus sit Deus, cùm quilibet ipsorum sit tota Deitas, licèt ejus modus existendi sit alius in Patre, ût dictum est, alius in Filio, alius in Sancto Spiritu: cùm verò ipsa benedicta Deitas sit una & non plures, ipsæ Personæ sunt unus Deus & non plures.

Si dicis, quòd Essentia in Filio sit genita, & in Sancto Spiritu sit spirata, ergò sunt

sunt multæ Essentiæ, quia Filius & Sanctus Spiritus sunt differentes Personæ. Respondeo secundùm quòd responsum est ad supradictam objectionem, quòd Essentia est una in se ipsa, & per distinctionem modorum personalium est per unum modum in una Persona, & per alium modum in alia.

Si tu dicis, quòd Essentia est genita in Filio, & spirata in Sancto Spiritu, ergò sunt multæ Essentiæ, quia Filius & Sanctus Spiritus sunt Personæ differentes. Respondeo, secundùm quòd responsum est ad supradictam objectionem, quia Essentia est una in se ipsa, & per distinctionem modorum personalium est per unum modum in una Persona, & per alium modum in alia.

In bonitate Dei sunt bonificativus, bonificabilis, bonificare, & in sua magnitudine magnificativus, magnificabilis, magnificare, & in æternitate, æternificativus, æternificabilis, æternificare: unde si tu propter hoc dicis, quòd in Deo sint plures quàm tres Personæ. Respondeo & dico, quòd, quia bonitas, magnitudo, æternitas &c. sunt unum & idem numero in Deo, sequitur, quòd bonificativus & magnificativus & æternificativus sint unum idem numero personali; & hoc idem de bonificabili, magnificabili, æternificabili, qui sunt alia Persona, hoc est, Filius; & hoc idem de personali bonificare, magnificare, æternificare, qui sunt Sanctus Spiritus.

Pater intelligit se ipsum, & Filius intelligit se ipsum, & Sanctus Spiritus intelligit se ipsum; sed si tu dicis, quòd sint tres intelligere, unus distinctus ab alio, secundùm quòd Personæ sunt distinctæ. Respondeo, quòd in Deo sit communitas & proprietas; communitas est in Deo, sicut bonitas, quæ est communis omnibus tribus Personis; nam per bonitatem Pater est bonus, Filius est bonus, Sanctus Spiritus est bonus: similiter etiam Essentia est communis omnibus tribus Personis; eodem modo sequitur de ipso intelligere, quòd per sapientiam sit commune omnibus tribus Personis; & ideo tale intelligere non est personatum, sicut sapientia, quæ non est personata, sed in quantum proprietas; sic Pater, intelligendo se Patrem, intelligit Filium, & per illud intelligere, quod est commune, producit Sanctum Spiritum: unde quando proprietates existunt in relatione, & relatio in ipsis, manet intelligere commune, in quantum Pater intelligit se ipsum Deum, & Filius similiter intelligit se ipsum Deum; sed in quantum Pater intelligit se Patrem, & Filium Filium, & Filius intelligit se Filium, & Patrem Patrem, ex tali intelligere vel amare procedit personale intelligere vel amare, quod est Sanctus Spiritus, qui se ipsum intelligit Sanctum Spiritum processum ex communi intelligere, qui se ipsum intelligit Deum per essentiale intelligere commune tribus Personis; & ideo ratio, quam dicis, nihil valet.

Et quando dicis, quòd, sicut in bonitate sunt tres boni, scilicet bonificativus, bonificabilis & bonificare, quorum unus non est alius, sic in Deitate sint tres Dii, quorum unus non est alius, sicut in bonitate sunt tres boni. Respondeo, quòd, sicut illi tres boni in bonitate sunt personales, & omnes tres sunt unus essentialis bonus, sic in Deitate sint tres deales Personæ, scilicet deificativus, deificabilis & deificare, qui essentialiter sunt unus Deus.

Pater generat Filium, & ideo Pater est generativus, & Filius generabilis: & si tu dicis, quòd, in quantum Filius est generabilis, bonificabilis, magnificabilis, sit passivus, & per passionem sit ex materia. Respondeo & dico, quòd, in quantum consideras passionem, habeas veram considerationem; sed in quantum consideras, materiam esse in generatione, habes falsam considerationem; quia Pater est pura forma simplex, in qua nihil est de materia, & tota forma & sua simplicitas generat Filium; & ideo Filius non potest esse de materia, nec est materia, quia accipit esse à simplici forma, & in illa generatur & stat infinitè.

Filius est bonificabilis: unde si tu dicis, quòd sua bonificabilitas stet in potentia, & non in actu, cùm bonificabilitas significet potentiam, & bonificare significet actum, dicis falsum, quia bonificabilitas est æterna, & est in actu in æternitate & in bonificare, & non est in potentia, quia est ens personale actuale, & est Persona æterna & non evacuabilis, ut Pater non cesset generare Filium, & Filius non cesset esse generabilis, & quia bonificabilitas est in æternitate per magnitudinem bonitatis, potestatis, remanens unum & idem numero cum bonificato, qui est Filius bonificatus per bonitatem in æternitate.

[Ad illud, quòd dicis, quòd bonificare, magnificare &c. sint Sanctus Spiritus, sed bonificabilis, magnificabilis &c. Filius; ex quo videtur sequi, quòd Sanctus Spiri-

tus non sit bonificabilis, magnificabilis &c., nec Filius bonificare, magnificare &c., cùm sit distinctio inter Filium & Sanctum Spiritum. Respondeo, quòd malè advertas ad ea, quæ prædicta sunt; nam Filius in ipso generare seu Generatione est bonificare, magnificare &c.; similiter Sanctus Spiritus in ipso spirare seu Spiratione est spirabilis, bonificabilis, magnificabilis &c.: & sic tua ratio non valet.

Ad illud, quod dicis, quòd Filius & Sanctus Spiritus sint una & eadem Persona, cùm Filius generetur per intelligere, & Sanctus Spiritus spiretur per amare, qui amare est Filius. Respondeo & dico, sicut jam superiùs dictum est, scilicet, quòd proprietates in Deo debeant considerari *tribus modis*, scilicet *proprietas singularis*, *proprietas dualis*, *proprietas ternalis*: *proprietas singularis* est, quæ convenit uni Personæ tantùm, sicut Paternitas Patri, Filiatio Filio, & passiva Spiratio Sancto Spiritui: *proprietas dualis* est, quæ convenit duabus Personis tantùm, sicut generare sive Generatio, quæ convenit Patri & Filio, (Patri scilicet activè, Filio verò passivè) & tale generare sive Generatio est Pater & Filius, & illud generare est amare, intelligere, bonificare, magnificare &c., qui sunt Pater & Filius & Essentia amborum: *proprietas ternalis* est, quæ convenit tribus Personis, sicut spirare sive Spiratio; nam in ipsa Spiratione Pater & Filius sunt proprietas spirativa, Sanctus Spiritus autem spirabilis; ipsum spirare etiam est proprietas ternalis ipsorum trium, nec est aliud, quàm Pater & Filius & Sanctus Spiritus & Essentia eorum, & est ipsum amare voluntatis, & intelligere sapientiæ, & bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis, & sic de cæteris dignitatibus, quarum actus sunt spirare per modum spirationis, sicut sunt generare per modum Generationis: & cùm sit distinctio inter Generationem & Spirationem, tua ratio nihil valet, maximè, cùm ipsum intelligere in Generatione sit Pater & Filius, & in Spiratione sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus; & eodem modo est de amare.

Et cùm dicis, quòd, quia inter ipsam Generationem & Spirationem est differentia, Generatio sit una Persona, & Spiratio alia. Respondeo, quòd tua ratio non valet; nam sicut dictum est, Generatio est proprietas dualis, quæ est Pater & Filius & distinctio eorundem; Spiratio verò est proprietas ternalis, quæ est Pater & Filius & Sanctus Spiritus & distinctio eorundem: etiam jam probatum est, quòd Personæ divinæ sic sint tres, quòd non possint esse plures nec pauciores.]

Multæ aliæ objectiones possent fieri contra hoc, quod diximus de Sancta Trinitate Dei, sed secundùm quòd nos solvimus supradictas objectiones, est data doctrina solvendi alias objectiones, quæ possunt fieri contra sanctam divinam Trinitatem.

Diximus de divina Trinitate, „ & qui „ vult intelligere hoc, quod diximus, con„ venit, quòd habeat altum intellectum e„ levatum super sensitivam & imaginativam; „ quia intellectus, qui suum intelligere fa„ cit existere in natura rerum sensualium „ & imaginabilium, quamdiu est in illis, & „ sequitur naturam earum per intelligere, „ non potest esse altus in intelligendo res „ spirituales non sensibiles nec imaginabi„ les: ergò convenit, quòd intellectus se de„ nudet ab objectis sensualibus & imagina„ bilibus, si velit intelligere Trinitatem Dei, „ & quòd exaltet suum intelligere, & supra „ se ipsum intelligat objecta, quæ sunt si„ milia Essentiæ Sanctæ Trinitatis: & quia de Sancta Trinitate dedimus cognitionem, volumus illam dare de sancta Incarnatione Filii Dei, sequendo modum, quem tenuimus in significando & probando Sanctam Trinitatem Dei.

DISTINCTIO II.
De Incarnatione.
CAPUT I.
Quòd Persona Filii DEI assumpserit nostram Humanitatem in Unitate Personæ.

1. QUando Deus benedictus creavit mundum, omnes formæ Dei in illa creatione fuerunt completæ, sicut bonitas fuit ratio, quòd Deus crearet bonum mundum, & magnitudo, quòd crearet magnum, & æternitas, quòd crearet durabilem &c.; & quia Deus sic per quamlibet rationem posuit in creatione mundi suam similitudinem, mundus fuit creatus cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis &c.; non autem esset creatus cum magnitudine rationum, si Incarnatio non esset, quæ est ratio majori magnitudini bonitatis durationis &c. in creatione; quia creatio non potest

potest esse major in magnitudine bonitatis finîs & nobilitatis, quàm si creatio sit, ut Deus sibi uniat Humanitatem: igitur mundus absque Incarnatione esset creatus cum parvitate bonitatis, durationis &c.: ex quo sequeretur, quòd dignitates Dei seu rationes non essent completo modo in creatione mundi, cùm Deus non completè posuisset earum similitudines in creatione; quod est impossibile, & contra magnitudinem suæ bonitatis, durationis &c.: igitur Incarnatio est, ut formæ divinæ completè posuerint suas similitudines in creatione; nam per Incarnationem sunt ita perfectè positæ, quòd magnitudo non magis potuerit magnificare creationem, nec bonitas bonificare &c., quàm quòd mundus fuerit creatus, ut aliquod particulare illius esset tam magnum & tam bonum, quòd esset deificatum & conjunctum cum Natura divina in Unitate Personæ, & Deus in illo homificatus.

Mundus non fuit creabilis propter se ipsum; nam si fuisset creabilis propter se ipsum, fuisset aliquid, antequam esset, in quantum esset dignus, quòd esset creabilis propter se ipsum; sed cùm hoc non possit stare, fuit creabilis propter aliquid aliud, scilicet propter aliquod particulare illius, quod esset deificabile, ad hoc ut Deitas poat in intentione creationis suam similitulinem, sicut illam in ipsa ponunt bonitas, nagnitudo; nam sic convenit, quòd munlus creetur per Deitatem, sicut per bonitaem, magnitudinem; & sicut convenit, uòd aliquod particulare mundi supra omia alia magnificetur, sic convenit, quòd lud idem particulare per Deitatem deifietur: igitur est Incarnatio, ne Divinitas in reatione mundi remaneat otiosa.

3. Probavimus superiùs divinam Trinitatem, ad quam cognoscendum convenit, quòd Deus creaverit aliquod speculum, scilicet aliquod objectum, in quo humanus intellectus perfectiùs possit speculari & contemplari opera Trinitatis; istud verò objectum & speculum perfectè habetur, si sit benedicta Incarnatio; nam per Incarnationem Deus est incarnatus absque multiplicatione & alteratione suî & ipsius Humanitatis assumptæ; & benedicta Incarnatio fuit facta supra cursum naturæ creatæ per potestatem divinæ Naturæ in tanta magnitudine bonitatis, durationis, potestatis &c., quòd natura creata non potuerit plus continere, nec plus recipere, nec Deus plus potuerit influere in naturam creatam, nec ipsam altiùs elevare: ex quo nobis significatur, quòd, sicut Deus in Incarnatione vincit & superat naturam temporis, loci, quantitatis & motûs, sic in beata Trinitate, in qua Pater generat Filium, & ambo spirant Sanctum Spiritum, non sit locus, tempus, quantitas, motus vel quodcunque aliud, quod significet imperfectionem: igitur convenit, existere hoc beatissimum speculum Incarnationis, ut in ipso repræsentetur opus intrinsecum Dei cum majori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, justitiæ & perfectionis &c.

4. Sapientia Dei scit illam magnitudinem boni, in qua Deus magis potest exaltare creaturam; sed major magnitudo boni, ad quam Deus possit exaltare creaturam, est, quòd ipsam deificet in se ipso, & assumat eam taliter, quòd creatura sit Deus, & Deus sit creatura: unde sicut sapientia Dei attingit & comprehendit illud, in quo plus potest exaltare creaturam, sic voluntas Dei attingit & comprehendit illud, in quo Deus magis potest amare creaturam, & illam magis potest exaltare, ut voluntas sit æqualis in comprehensione ipsi sapientiæ & potestati: igitur convenit, Incarnationem Dei existere, postquam voluntas Dei eam amat; quæ Incarnatio si non esset, magnitudo bonitatis satisfaceret sapientiæ & potestati, non autem voluntati; quòd est impossibile.

5. Nisi esset Incarnatio, rationes Dei non haberent, in quo possent quiescere in effectu creato; nam quælibet ratio indeterminatè poneret suam similitudinem in creaturis, sicut magnitudo, quæ in perpetuum posset magnificare creaturam, nisi eam deificasset; & bonitas similiter in perpetuum posset bonificare ipsam, nisi eam deificasset; & sic non possent quiescere neque venire ad finem in producendo perfectè suas similitudines in creaturis: sed si sit benedicta Incarnatio, sic quòd creatura sit deificata, magnitudo non potest plùs magnificare eam, nec bonitas bonificare, nec potestas possificare, & sic de cæteris dignitatibus Dei; & ideo divinæ rationes quiescunt & veniunt ad finem per Incarnationem in creaturis, & terminant suas similitudines in illis, prout convenit.

6. Convenit, quòd illa concordantia sit inter Creatorem & creaturam, per quam magnitudo meliùs potest magnificare ipsum

Divina essen-
tia est una in-
se ipsa, sed in-
quantum dei-
tas per unum
modum est in
Patre, et per
alium in Filio,
et per alium
in Sancto Spi-
ritu

179

tus non sit bonificabilis, magnificabilis &c., nec Filius bonificare, magnificare &c., cùm sit distinctio inter Filium & Sanctum Spiritum. Respondeo, quòd malè advertas ad ea, quæ prædicta sunt; nam Filius in ipso generare seu Generatione est bonificare, magnificare &c.; similiter Sanctus Spiritus in ipso spirare seu Spiratione est spirabilis, bonificabilis, magnificabilis &c.: & sic tua ratio non valet.

Ad illud, quod dicis, quòd Filius & Sanctus Spiritus sint una & eadem Persona, cùm Filius generetur per intelligere, & Sanctus Spiritus spiretur per amare, qui amare est Filius. Respondeo & dico, sicut jam superiùs dictum est, scilicet, quòd proprietates in Deo debeant considerari *tribus modis*, scilicet *proprietas singularis*, *proprietas dualis*, *proprietas ternalis*: *proprietas singularis* est, quæ convenit uni Personæ tantùm, sicut Paternitas Patri, Filiatio Filio, & passiva Spiratio Sancto Spiritui: *proprietas dualis* est, quæ convenit duabus Personis tantùm, sicut generare sive Generatio, quæ convenit Patri & Filio, (Patri scilicet activè, Filio verò passivè) & tale generare sive Generatio est Pater & Filius, & illud generare est amare, intelligere, bonificare, magnificare &c., qui sunt Pater & Filius & Essentia amborum: *proprietas ternalis* est, quæ convenit tribus Personis, sicut spirare sive Spiratio; nam in ipsa Spiratione Pater & Filius sunt proprietas spirativa, Sanctus Spiritus autem spirabilis; ipsum spirare etiam est proprietas ternalis ipsorum trium, nec est aliud, quàm Pater & Filius & Sanctus Spiritus & Essentia eorum, & est ipsum amare voluntatis, & intelligere sapientiæ, & bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis, & sic de cæteris dignitatibus, quarum actus sunt spirare per modum spirationis, sicut sunt generare per modum Generationis: & cùm sit distinctio inter Generationem & Spirationem, tua ratio nihil valet, maximè, cùm ipsum intelligere in Generatione sit Pater & Filius, & in Spiratione sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus; & eodem modo est de amare.

Et cùm dicis, quòd, quia inter ipsam Generationem & Spirationem est differentia, Generatio sit una Persona, & Spiratio alia. Respondeo, quòd tua ratio non valet; nam sicut dictum est, Generatio est proprietas dualis, quæ est Pater & Filius & distinctio eorundem; Spiratio verò est proprietas ternalis, quæ est Pater & Filius & Sanctus Spiritus & distinctio eorundem: etiam jam probatum est, quòd Personæ divinæ sic sint tres, quòd non possint esse plures nec pauciores.]

Multæ aliæ objectiones possent fieri contra hoc, quod diximus de Sancta Trinitate Dei, sed secundùm quòd nos solvimus supradictas objectiones, est data doctrina solvendi alias objectiones, quæ possunt fieri contra sanctam divinam Trinitatem.

Diximus de divina Trinitate, „ & qui „ vult intelligere hoc, quod diximus, con„ venit, quòd habeat altum intellectum e„ levatum super sensitivam & imaginativam; „ quia intellectus, qui suum intelligere fa„ cit existere in natura rerum sensualium „ & imaginabilium, quamdiu est in illis, & „ sequitur naturam earum per intelligere, „ non potest esse altus in intelligendo res „ spirituales non sensibiles nec imaginabi„ les: ergò convenit, quòd intellectus se de„ nudet ab objectis sensualibus & imagina„ bilibus, si velit intelligere Trinitatem Dei, „ & quòd exaltet suum intelligere, & supra „ se ipsum intelligat objecta, quæ sunt si„ milia Essentiæ Sanctæ Trinitatis: & quia de Sancta Trinitate dedimus cognitionem, volumus illam dare de sancta Incarnatione Filii Dei, sequendo modum, quem tenuimus in significando & probando Sanctam Trinitatem Dei.

DISTINCTIO II.
De Incarnatione.
CAPUT I.
Quòd Persona Filii DEI assumpserit nostram Humanitatem in Unitate Personæ.

1. QUando Deus benedictus creavit mundum, omnes formæ Dei in illa creatione fuerunt completæ, sicut bonitas fuit ratio, quòd Deus crearet bonum mundum, & magnitudo, quòd crearet magnum, & æternitas, quòd crearet durabilem &c.; & quia Deus sic per quamlibet rationem posuit in creatione mundi suam similitudinem, mundus fuit creatus cum magnitudine bonitatis, durationis, potestatis &c.; non autem esset creatus cum magnitudine rationum, si Incarnatio non esset, quæ est ratio majori magnitudini bonitatis durationis &c. in creatione; quia creatio non potest

potest esse major in magnitudine bonitatis finîs & nobilitatis, quàm si creatio sit, ut Deus sibi uniat Humanitatem: igitur mundus absque Incarnatione esset creatus cum parvitate bonitatis, durationis &c.: ex quo sequeretur, quòd dignitates Dei seu rationes non essent completo modo in creatione mundi, cùm Deus non completè posuisset earum similitudines in creatione; quod est impossibile, & contra magnitudinem suæ bonitatis, durationis &c.: igitur Incarnatio est, ut formæ divinæ completè posuerint suas similitudines in creatione; nam per Incarnationem sunt ita perfectè positæ, quòd magnitudo non magis potuerit magnificare creationem, nec bonitas bonificare &c., quàm quòd mundus fuerit creatus, ut aliquod particulare illius esset tam magnum & tam bonum, quòd esset deificatum & conjunctum cum Natura divina in Unitate Personæ, & Deus in illo homificatus.

2. Mundus non fuit creabilis propter se ipsum; nam si fuisset creabilis propter se ipsum, fuisset aliquid, antequam esset, in quantum esset dignus, quòd esset creabilis propter se ipsum; sed cùm hoc non possit stare, fuit creabilis propter aliquid aliud, scilicet propter aliquod particulare illius, quod esset deificabile, ad hoc ut Deitas ponat in intentione creationis suam similitudinem, sicut illam in ipsa ponunt bonitas, magnitudo; nam sic convenit, quòd mundus creetur per Deitatem, sicut per bonitatem, magnitudinem; & sicut convenit, quòd aliquod particulare mundi supra omnia alia magnificetur, sic convenit, quòd illud idem particulare per Deitatem deificetur: igitur est Incarnatio, ne Divinitas in creatione mundi remaneat otiosa.

3. Probavimus superiùs divinam Trinitatem, ad quam cognoscendum convenit, quòd Deus creaverit aliquod speculum, scilicet aliquod objectum, in quo humanus intellectus perfectiùs possit speculari & contemplari opera Trinitatis; istud verò objectum & speculum perfectè habetur, si sit benedicta Incarnatio; nam per Incarnationem Deus est incarnatus absque multiplicatione & alteratione sui & ipsius Humanitatis assumptæ; & benedicta Incarnatio fuit facta supra cursum naturæ creatæ per potestatem divinæ Naturæ in tanta magnitudine bonitatis, durationis, potestatis &c., quòd natura creata non potuerit plus continere, nec plus recipere, nec Deus plus potuerit influere in naturam creatam, nec ipsam altiùs elevare: ex quo nobis significatur, quòd, sicut Deus in Incarnatione vincit & superat naturam temporis, loci, quantitatis & motûs, sic in beata Trinitate, in qua Pater generat Filium, & ambo spirant Sanctum Spiritum, non sit locus, tempus, quantitas, motus vel quodcunque aliud, quod significet imperfectionem: igitur convenit, existere hoc beatissimum speculum Incarnationis, ut in ipso repræsentetur opus intrinsecum Dei cum majori magnitudine bonitatis, durationis, potestatis, sapientiæ, voluntatis, virtutis, veritatis, gloriæ, justitiæ & perfectionis &c.

4. Sapientia Dei scit illam magnitudinem boni, in qua Deus magis potest exaltare creaturam; sed major magnitudo boni, ad quam Deus possit exaltare creaturam, est, quòd ipsam deificet in se ipso, & assumat eam taliter, quòd creatura sit Deus, & Deus sit creatura: unde sicut sapientia Dei attingit & comprehendit illud, in quo plus potest exaltare creaturam, sic voluntas Dei attingit & comprehendit illud, in quo Deus magis potest amare creaturam, & illam magis potest exaltare, ut voluntas sit æqualis in comprehensione ipsi sapientiæ & potestati: igitur convenit, Incarnationem Dei existere, postquam voluntas Dei eam amat; quæ Incarnatio si non esset, magnitudo bonitatis satisfaceret sapientiæ & potestati, non autem voluntati; quod est impossibile.

5. Nisi esset Incarnatio, rationes Dei non haberent, in quo possent quiescere in effectu creato; nam quælibet ratio indeterminatè poneret suam similitudinem in creaturis, sicut magnitudo, quæ in perpetuum posset magnificare creaturam, nisi eam deificasset; & bonitas similiter in perpetuum posset bonificare ipsam, nisi eam deificasset; & sic non possent quiescere neque venire ad finem in producendo perfectè suas similitudines in creaturis: sed si sit benedicta Incarnatio, sic quòd creatura sit deificata, magnitudo non potest plùs magnificare eam, nec bonitas bonificare, nec potestas possificare, & sic de cæteris dignitatibus Dei; & ideo divinæ rationes quiescunt & veniunt ad finem per Incarnationem in creaturis, & terminant suas similitudines in illis, prout convenit.

6. Convenit, quòd illa concordantia sit inter Creatorem & creaturam, per quam magnitudo meliùs potest magnificare ipsum

concordare Dei & creaturæ, & per quam bonitas illud meliùs potest bonificare, & æternitas æternificare, & potestas possificare, & sapientia scire, & voluntas amare; sed majus concordare, quod rationes Dei possunt habere cum creaturis, est per Incarnationem: igitur est Incarnatio Filii Dei, ut rationes divinæ sint in majori concordare Dei & creaturæ, & ut eam magis possint elongare à contrarietate amborum.

7. Quando Deus creavit mundum, incepit ipsum creare cum magnitudine principii, ut in illo principio esset magnitudo, & incepit illum cum magnitudine bonitatis, ut bonitas cum magnitudine esset in eodem principio: igitur principium mundi fuit bonum magnum; & illud principium bonum & magnum fuit occasio Incarnationis, & ipsa Incarnatio fuit occasio illius; nam si sit Incarnatio, principium est in tanta magnitudine & bonitate, quòd non possit esse in majori; sinè Incarnatione verò esset magnum in potentia bonitatis, & non in actu, quia semper potuisset esse majus in actu: ex quo sequitur, quòd finis mundi esset major potentialiter, quàm actualiter: unde cùm hoc sit impossibile, sequitur, quòd sit ipsa benedicta Incarnatio, per quam evitantur supradicta inconvenientia.

8. Sicut Deus per Unitatem & Pluralitatem habet nobilius opus intrinsecè, quod in semet ipso potest habere, & hoc per singularitatem unitatis & pluralitatis, sic convénit, quòd ipsum haberet extrinsecè; aliter enim nobilitas operis interioris & exterioris non haberent concordantiam in singularitate unitatis & pluralitatis, nec unitas & pluralitas mitterent suas similitudines extrà; quod est impossibile: igitur est Incarnatio, ut sit una singularis creatura nobilior, quàm omnes aliæ creaturæ: hæc verò creatura est JESUS Christus, in quo singulariter sunt plures Naturæ, scilicet divina & humana; & hæc multitudo est singularis pluralitas, quæ est nobilior, quàm omnes aliæ pluralitates creatæ.

9. Sapientia Dei scit majorem voluntatem, quam Deus habet in amare creaturam, & tale scire est actualiter; sed si non est Incarnatio, majus amare est in potentia, & majus scire in actu; cùm majus scire, quod Deus possit scire in amare creaturam, sit amare, quòd creatura sit Deus: igitur convenit, Incarnationem esse, ne majus amare sit in potentia, & majus scire in actu.

10. Si Deus non creasset mundum propter majorem finem, sequeretur, quòd illum creasset propter minorem; & sic quies mundi esset in minoritate finis, & ejus labor in majoritate, & voluntas Dei dilexisset in creatione minorem finem contra majorem; quod est impossibile & contra magnitudinem bonitatis in amare & complere: igitur est Incarnatio, ut Deus creaverit mundum ad majorem finem, non autem ad minorem.

11. Illud, per quod potestas Dei plùs potest de magnitudine in bonitate creata, convenit esse in creatione mundi; quia si non, esset in ea id, per quod potestas minùs potest de magnitudine in bonitate creata; sed hoc est impossibile & contra rationes, quas formæ divinæ habent in creaturis: igitur est Incarnatio, ut in creatione mundi sit illud, per quod potestas plùs potest de magnitudine in bonitate creata, in qua Deus tantum posuit de magnitudine in bonitate creata per Incarnationem, quòd non potuerit plùs magnificare magnitudinem creatam in bonitate creata, nec ipsam plùs bonificare cum bonitate increata.

12. Deus potest magìs in se ipso bonificare & magnificare creaturam, quàm extra se ipsum; sed si sit Incarnatio, utitur majori potestate in creatura per rationem bonitatis & magnitudinis; si verò non sit Incarnatio, utitur minori potestate per parvitatem, & per consequens per malitiam; quod est impossibile: igitur est Incarnatio, per quam Deus tantum utitur de potestate creata & increata, quòd in personalitate faciat ambas unire sinè parvitate & malitia, & per illam unitatem potestas increata participat cum tota potestate creata & cum tota magnitudine bonitatis creatæ.

13. Si est Incarnatio, suum esse est bonum, magnum, durabile in bonitate & in voluntate divina in tantum, quòd tanto amore amet creaturam deificatam, quòd velit, quòd Deus sit ipsa; & propterea sufficit voluntas majori amare, & magnitudo sufficit voluntati cum majori magnificare, & bonitas cum majori bonificare, quod veritas potest verificare inter Deum & creaturam: si verò non sit Incarnatio, effectus est subjectum, in quo formæ divinæ sunt sibi invicem defectivæ; quod est impossibile & contra majoritatem ipsius amare, bonificare, magnificare &c.

Si

14. Si non sit Incarnatio, major est possibilitas bonitatis magnitudinis &c. in effectu, quàm sit possitivitas, quam causa habet in ipso: & idem sequitur de bonificabilitate & aliis, quæ sunt majores in effectu, quàm sit bonificativitas & aliæ, quas causa habet in effectu; nam possibilitas creata est subjectum, quòd creatura possit deificari, si possitivitas causæ utatur creaturâ cum magnitudine possitivitatis: igitur est Incarnatio, ut bonitas sit in majori magnitudine per possitivitatem causæ, quàm per possibilitatem effectûs.

15. Quantò magìs creaturæ sunt similes Creatori, tantò majores sunt in bonitate; nam Deus magìs influit suas similitudines in creaturas, quæ sunt majores in bonitate, quàm in illas, quæ non habent tantam magnitudinem bonitatis; sed si non esset Incarnatio, sequeretur totum contrarium; nam Deus non amaret majorem influentiam magnitudinis & bonitatis in creaturis, & amaret minorem: quapropter conveniret secundùm naturam amandi, quòd creaturæ, quæ sunt minùs similes Creatori, cum ipso haberent majorem concordantiam, quàm illæ, quæ sunt magìs similes illi; sed hoc est contradictio, ratione cujus est probatum, quòd sit Incarnatio.

16. Secundùm naturam bonitatis bonificare est majus in bonificabili, quod est ejusdem essentiæ bonitatis, quàm in bonificabili alienæ essentiæ; hoc idem sequitur in natura amoris & intellectûs: unde secundùm talem naturam Deus voluit uti bonificabilitate extrinsecâ in bonificabilitate intrinseca, ut voluntas possit plùs diligere & sapientia plùs intelligere ipsum bonificare ambarum bonificabilitatum; talis potestas autem sinè Incarnatione non potest esse, cùm sinè illa non haberet subjectum, in quo posset existere; sed cùm necessariò conveniat, quòd sit talis potestas, convenit, quòd sit Incarnatio.

17. Nisi esset Incarnatio, esset vacuitas inter increatam & creatam gloriam magnitudinis bonitatis & magnitudinis amoris ac majoris glorificationis, quam creatura potest habere in gloria increata: unde sequeretur, quòd complementum oppositum vacuitati esset minoris glorificari, quod homo posset habere in gloria increata; quod cùm sit impossibile, significatur & probatur, quòd sit Incarnatio Filii Dei.

18. Potestas naturaliter est magìs amabilis in magnitudine bonitatis, quàm in parvitate illius, cùm potestas sit nobilior in magnitudine bonitatis, quàm in parvitate illius, & voluntas per potestatem plùs possit diligere in magnitudine bonitatis, quàm in parvitate illius: unde ratione naturæ talìs amare voluntas Dei nullo modo potest deamare beatam Incarnationem; nam si eam posset deamare, posset esse majus amabile in parvitate bonitatis, quàm in magnitudine, & voluntas plùs posset cum minori diligere, quàm cum majori diligere; quod est impossibile: igitur Incarnatio est magis amabilis, quàm non amabilis seu odibilis; nam si non esset plùs amabilis quàm non amabilis seu odibilis, sequeretur, quòd tale amare vel deamare nullum haberet subjectum, in quo ipsa essent differentia vel contraria; quod cùm sit impossibile, sequitur, quòd Incarnatio sit amabilis à divina voluntate, & quia ab illa est amabilis, sequitur, quòd ab illa sit amata, ut sit magìs remota à deamabilitate sive à non amabilitate: igitur est Incarnatio, postquam à divina voluntate est amabilis & amata.

19. Si creatura sit Deus, illa creatura potest plùs intelligere & amare Deum, quàm quæcunque alia creatura, quæ non sit Deus; & hoc sapientia Dei intelligit; sed si non est creatura, quæ sit Deus, voluntas Dei non amat, quòd creatura sit Deus; nam si hoc amaret, aliqua creatura esset Deus: igitur si non esset Incarnatio, sequeretur, quòd sapientia Dei intelligeret per magnitudinem bonitatis, & voluntas Dei deamaret per magnitudinem malitiæ: unde sequeretur, quòd voluntas & sapientia essent contrariæ, & quòd voluntas contrariaretur sibi ipsi; quod cùm sit impossibile, convenit, Incarnationem esse, per quam & in qua Incarnatione sapientia & voluntas in tantum concordant in effectu Dei, quòd voluntas diligat omne illud, per quod Deus sit magìs cognitus & amatus.

20. Si non esset Incarnatio, divinæ formæ non haberent libertatem, cum qua uterentur majori opere in effectu; nam bonitas non haberet libertatem bonificandi creaturam in majori majoritate bonificabilitatis & bonificativitatis: & hoc idem sequitur de magnitudine, quæ non haberet libertatem magnificandi creaturam in majori majorificabilitate & cum majori majorificativitate; sed cùm sit impossibile, quòd formæ divinæ sint constrictæ & non liberæ in producen-

ducendo effectu, convenit, quòd sit Incarnatio, per quam habent subjectum, in quo liberè possint majorificare suas similitudines secundùm magnitudinem bonitatis &c.

Probavimus Incarnationem Dei per viginti rationes, quæ est probabilis per plures alias; nunc autem volumus facere & solvere quasdam objectiones, quæ fiunt contra ea, quæ diximus; ut demus modum ad removendum dubia de cordibus illorum, qui ignorant Incarnationem Dei.

CAPUT II.

De Objectionibus & Solutionibus.

SI tu dicis, quòd potestas Dei est coacta, in quantum nos dicimus, quòd illi conveniat possificare tantam creaturam, quantam sapientia scit, se posse possificare per magnitudinem bonitatis; & hoc idem de coactione voluntatis, cui convenit amare per magnitudinem bonitatis tantam creaturam, quantam sapientia scit, voluntatem posse amare. Respondeo & dico, quòd potestas non sit coacta in possificando, postquam possificat per magnitudinem bonitatis, gloriæ, virtutis & veritatis, justitiæ & perfectionis; quia in tali possificatione non potest esse coactio; & hoc idem de voluntate, quæ est libera in amando, postquam amat per magnitudinem bonitatis &c.

Si tu dicis, quòd voluntas non amet omne id, quod sapientia scit, quòd potestas possit possificare, quia Deus multa potest facere, quæ non facit, sicut de rustico facere Regem, & creare multos mundos; & sapientia scit, quòd potestas hoc possit facere, & voluntas hoc non amat, scilicet, quòd de aliquo rustico fiat Rex, & quòd creentur multi mundi. Respondeo & dico, quòd, quantum ad potestatem absolutam, verum dicis; & hoc idem de sapientia absoluta, quæ habet absolutum scire in absoluto posse; sed malè dicis, in quantum scire & posse est determinatum ad magnitudinem bonitatis, durationis &c.; & applicatis illis determinationibus & illis ordinationibus Incarnationi secundùm proportionem ad Christum & ad majus opus, ipsum posse, scire & velle, quod est absolutum, per magnitudinem bonitatis est regulatum & ordinatum ad Incarnationem Christi, ut formæ extrà habeant subjectum determinatum, in quo possint quiescere, & absolutitas est in subjecto indeterminato, in quo non possent quiescere sinè subjecto determinato, hoc est, Incarnatione Dei, in qua similitudines formarum Dei deificantur; & ultra illam Deificationem non est ullum scire & posse absolutum (exceptis tamen formis intrinsecis, in quibus existunt majus scire & posse per sanctam Trinitatem Dei.)

Si tu dicis, quòd Deus potuisset assumere carnem humanam in multis hominibus secundùm magnitudinem bonitatis, sapientiæ & voluntatis, verum dicis; sed secundùm magnitudinem bonitatis quantum ad unitatem unius Christi & unius Personæ Deus non potuit incarnari in multis hominibus, cùm inter unum hominem & alium sit differentia substantialis, in tantum, quòd una Persona non est alia, & etiam quia unitas Christeitatis & singularitas illius esset in parvitate bonitatis & in privatione, si Incarnatio esset multorum hominum, & una creatura non esset in majori magnitudine bonitatis quàm omnes aliæ, & perderetur proportio & majoritas magnitudinis in creatione: quare respondeo & dico, quòd responsio hujus objectionis procedat secundùm modum responsionis, quæ est in supradicta objectione, hoc est, secundùm potestatem absolutam Deus posset incarnari in multis hominibus, sed secundùm potestatem ordinatam & majoritatem unius creaturæ majoris omnibus aliis per singularitatem deificatæ, & secundùm unitatem Personæ, quæ est subjectum Incarnationis secundùm concordantiam ambarum Naturarum, hoc est, divinæ & humanæ, & secundùm proportionem omnium partium mundi proportionatarum uni majori creaturæ deificatæ, Deus non potuit assumere carnem, nisi in uno homine tantùm.

Si tu dicis, quòd secundùm magnitudinem bonitatis major & nobilior esset creatio, si Deus assumpsisset Naturam angelicam, quàm quia assumpsit Naturam humanam, malè dicis, quia Deus per naturam Angeli non participaret cum omnibus creaturis, cum quibus participat in hoc, quòd assumpsit Naturam humanam, cùm homo participet cum omnibus creaturis, in quantum est conjunctum corporale & spirituale; & ideo tua ratio non valet, quia est contra participationem universalem.

Si tu dicis, quòd, si Deus assumpsisset Naturam humanam, Deus non permisisset

sisset illum Hominem deificatum, qui appellatur Christus, esse in hoc mundo pauperem nec percussum nec vilipensum nec occisum à Judæis, imò fecisset ipsum in hoc mundo magis divitem & magis honoratum hominem, & fecisset ipsum ab omnibus hominibus hujus mundi amari, cognosci & ipsi serviri. Respondeo & dico, quòd sicut Deitas honoravit Humanitatem, quam assumpsit, quantum potuit, ita fuit conveniens, quòd Humanitas honoraret Deitatem de toto suo posse, amando paupertatem, passionem & mortem ad honorandum Deitatem; quia cum divitiis & honore non potuisset illam tantum honorare, nec potuisset gentibus dare exemplum ad honorandum Deitatem & ipsi serviendum cum paupertate, vilipensione, passione & morte in hoc mundo, ut Deo fieret honor in hoc mundo & in alio.

Si tu dicis, quòd, quando Christus Homo fuit mortuus, Deus, qui erat Homo, fuerit mortuus: verum dicis, in quantum Deus erat Homo, sed non fuit mortuus in quantum est Deus, quia Deus non potest mori, cùm sit æternus & infinitus in magnitudine bonitatis &c.; & etiam quia in Persona Christi Natura divina & Natura humana sunt distinctæ una ab alia, quamvis ambæ sint una Persona, quæ appellatur Christus.

Et si dicis, quòd ambæ Naturæ non possunt esse una Persona, quia sunt distinctæ: malè dicis, quia quilibet homo est de multis naturis, hoc est, de anima & corpore, quæ sunt differentes, & quilibet homo non est nisi una persona.

Si dicis, quòd Persona Filii Dei, quæ assumpsit carnem, creverit & fuerit alterata in Incarnatione, quia cum Natura humana fuit una Persona, cum qua non erat Persona, antequam esset Incarnatio: malè dicis, quia Filius per se ipsum est Persona, sed Persona Christi est una, & sunt duæ Naturæ, & Natura humana non multiplicat aliquid in divina, nec potest illam alterare; quia natura finita non addit aliquid naturæ infinitæ.

Si tu dicis, quòd ideo, quia Natura humana Christi comedebat & bibebat propter Humanitatem, & propter Humanitatem utebatur cursu naturæ, & quòd propter hoc Natura divina fuerit contempta & spreta, in quantum fuit conjuncta cum illa: malè dicis, quia, in quantum comedebat & bibebat propter Humanitatem, non comedebat nec bibebat propter Deitatem: & de hoc habemus experientiam in homine, qui senescit, quia corpus, quod est vile & immundum, non facit senescere animam, nec deturpat eam, quæ est cum illo conjuncta.

Si tu dicis, quòd ambæ Naturæ, divina & humana multiplicent tertium in Christo, sicut in rebus naturalibus, in quibus multæ naturæ multiplicant unam tertiam, quæ est in alio genere & specie, imò existit in alio genere, sicut homo, qui est tertium animæ & corporis: malè dicis, quia Incarnatio non est secundùm cursum naturæ, imò est supra cursum naturæ; & ideo non sequitur de illa omne id, quod sequitur per cursum naturæ.

Si vis dicere, quòd Natura divina & humana componunt unam Personam: malè dicis, quia Persona Filii est infinita & æterna, & est simplex & non composita; & ideo de illa, & de Natura humana non potest fieri compositio; quia compositio non potest esse, nisi de partibus finitis, habentibus in se ipsis quantitatem & existentibus in tempore.

Si tu dicis, quòd Deus sinè Incarnatione posset creare unam creaturam meliorem omnibus aliis, & ordinare & proportionare totum universum creatum ad illam creaturam, & hoc ideo, quia potestas est infinita: verum dicis, in quantum potestas est absoluta; sed malè dicis, in quantum potestas est ordinata per magnitudinem bonitatis &c.; quia illa creatura absque eo, quòd non esset deificata, non esset digna, quòd esset finis & complementum totius proportionis creatæ.

Si tu dicis, quòd sit impossibile, quòd Deus sit incarnatus; quia si esset incarnatus, cùm Deus sit infinitus & Humanitas finita, Deus esset extensus ultra elementa illius Humanitatis, propter quam extensionem extrà non esset incarnatus: malè dicis, quia Filius Dei non habet quantitatem in sua extensione, quia sua substantia est sinè quantitate infinita in extensitate: unde quemadmodum sua Natura venit simplex ad Incarnationem, per quam simplicitatem non intravit cum Natura humana in compositionem, ita venit ad Incarnationem cum sua totalitate sinè parte & sinè quantitate; & ideo in unitate personali ambarum Naturarum Filius Dei fuit totus incarnatus.

Si tu dicis, quòd Deus nondum sit incarnatus, & sit incarnandus: malè dicis, quia dicis contra magnitudinem bonitatis &c.; quia si nondum esset incarnatus, omnes illi, qui credunt, quòd sit incarnatus, essent in damnatione, & tunc si incarnaretur, non esset, qui crederet illam Incarnationem, quia cogitarent, ita esse falsum, quòd tunc sit incarnatus, sicut credimus, quòd nunc sit incarnatus; & ita deficeret subjectum Incarnationi, ratione cujus Deus esset cognitus & amatus per suum populum.

Et si dicis, quòd ille, quem appellamus Christum, qui in Bethlehem fuit natus, & in Jerusalem crucifixus, non est Deus incarnatus, sed est alius: malè dicis, quia de illo alio non habemus memoriam nec cognitionem, & Deus esset incarnatus contra magnitudinem nostri scire & amare, & contra magnitudinem bonitatis &c., & contra finem, propter quem Deus est incarnatus.

Si tu dicis, quòd Incarnatio addat differentiam in Personis divinis, in quantum Filius est incarnatus, & Pater & Sanctus Spiritus non sunt incarnati, quæ additio est impossibilis; quia differentia, quæ est in Divinis, non est nisi solùm Paternitatis & Filiationis & Spirationis: malè dicis, cùm opera extrinseca non possint addere ullam differentiam in operibus intrinsecis; quia opera extrinseca sunt accidentalia per creationem, & opera intrinseca sunt substantialia & æterna, hoc est, per Trinitatem Dei.

Multæ aliæ objectiones sunt, quæ possent fieri de Incarnatione Filii Dei, tamen omnes possunt solvi secundùm modum, quem nos tenuimus in solvendo supradictas objectiones.

Finivit Latinus suas rationes, & quæsivit à Sapientibus, utrùm illis videretur, quòd satis dixisset, vel utrùm vellent, quòd ulteriùs loqueretur? & illi responderunt & dixerunt, quòd satis dixisset secundùm materiam, de qua erant locuti, & quòd illi inter se ipsos disputarent rationes, quas audiverant, & haberent spem in Deo, quòd illos dirigeret ad cognoscendum veritatem, & ad essendum in una via & in una secta & in una fide in amando, cognoscendo, honorando Deum & ipsi serviendo.

Finitus est iste Tractatus ad gloriam & honorem nostri Domini Dei; & dixit Latinus, „ quòd hoc, quod ille dixerat de „ Trinitate & Incarnatione, submitteret Correctioni Ecclesiæ Romanæ, & se separavit à Sapientibus, & ibat ad umbram pulchræ arboris, & diu considerabat, quomodo faceret hanc petitionem Domino sancto Papæ & Dominis Cardinalibus ratione publicæ utilitatis, & ad hoc, ut per totum mundum ametur & cognoscatur noster Dominus Deus.

Petitio Raymundi.

CUm Deus principaliter creaverit hominem, ut homo ipsum recolat, intelligat, amet, honoret & ipsi serviat, & cùm sint tot infideles euntes ad ignem perdurabilem, qui illum non recolunt, nec cognoscunt, nec amant, & hoc quamprimùm hic mundus fuit creatus usque ad hoc tempus, in quo sumus; & etiam cùm sint tot, quòd credo, quòd pro uno Christiano sint centum vel plures, qui non sunt Christiani, multùm esset conveniens, quòd vos supreme sancte Episcope Coelestine Quinte, qui per Sanctum Spiritum estis electi in Papam, & Domini honorati & discreti Cardinales aperiretis thesaurum S. Ecclesiæ ad procurandum, quomodo illi, qui sunt in errore, & Deum non cognoscunt nec amant, venirent ad lumen veritatis, & sequerentur finem, propter quem sunt creati.

Hunc thesaurum sanctæ Ecclesiæ considerамus *duobus modis*, scilicet *thesaurum spiritualem* & *thesaurum corporalem*. *Thesaurus spiritualis est*, quòd sancti homines religiosi & sæculares, qui ad honorandum nostrum Dominum Deum desiderarent sustinere mortem, & qui sacrâ doctrinâ sunt illuminati, addiscerent diversa linguagia, qui irent prædicare Evangelia per totum mundum; & quòd vos sancte Pater, & vos Domini Cardinales assignaretis unum Dominum Cardinalem, qui tractaret hoc negotium, & quòd tales faceret quæri per omnes terras Christianorum, qui huic sanctæ prædicationi essent convenientes & vellent esse, & quòd illis monstrarentur omnia linguagia mundi, & quòd de illis fierent studia in terris Christianorum & Tartarorum, & quòd ille Dominus Cardinalis, qui hoc officium haberet, faceret missionem studiorum & studentium, & hoc continuò, usque dum totus mundus esset Christianorum.

Thesaurus corporalis est, quòd vos sancte Pater Papa & vos Domini Cardinales assignaretis semper decimam Ecclesiæ, & quòd fieret Decretum ad conquirendum terras infidelium, & sanctam Terram ultramarinam, & hoc per vim armorum; & de hac decima daretur missio Domino Cardinali, qui tractaret studia, & residuum daretur alteri Domino Cardinali, qui faceret missiones guerris; & hoc continuò, usque dum totus mundus esset Christianorum.

Conveniret etiam, quòd Ecclesia recuperaret Schismaticos, & illos sibi uniret, quos potest recuperare cum disputatione monstrando veritatem, & quòd illi sint in errore, & Latini in veritate; quia cum illis meliùs possent destrui Saraceni, & haberi participatio & amicitia cum Tartaris.

Etiam esset conveniens, quòd Ecclesia faceret suum posse ad conquirendum Tartaros per disputationem; quæ conquisitio esset facilis, quia non habent Legem, & quia permittunt in illorum terra prædicari fidem Christi, & etiam quicunque vult, potest esse Christianus absque timore Dominii: & ista ordinatio est multùm necessaria, quia si Tartari faciunt Legem, sicut fecit Mahomet, vel Saraceni vel Judæi poterunt illos convertere ad illorum Legem, & tota Christianitas erit in magno periculo.

Si vos sancte Pater & Domini Cardinales mitteretis ad Reges Saracenorum, ut vobis mitterent sapientes, quibus monstraretis hoc, quod nos de Deo credimus, & illis faceretis placitum, & illi intelligerent nostras rationes, fortè consentirent illis, vel dubitarent in sua fide; quia non putant, quòd nos credamus hoc, quod credimus de Trinitate & Incarnatione; & quando redirent in suas terras, dicerent hoc, quod intellexissent de nobis, & posset esse, quòd illi, qui hoc audirent ab illis, consentirent nostris rationibus, aut dubitarent in sua credulitate: & hic modus sic procedendi cum illis posset esse multùm utilis. Hic idem modus posset teneri cum Schismaticis, & esset conveniens, quòd illis dicerentur tam fortes rationes & tam necessariæ, cum quibus vincerentur omnes illorum objectiones & positiones, & quòd illi non possent solvere nostras objectiones nec destruere nostras positiones: & istis rationibus ita necessariis est multùm bene munita sancta Ecclesia; „ Ego Raymundus Lullus indignus „ æstimo me multas tales habere secundùm „ aliquem novum modum, quem Deus mi„ hi dedit ad vincendum omnes illos, qui „ contra Fidem Catholicam aliquid volunt „ probare vel improbare.

Considerate sancte Pater & vos Domini Cardinales, quòd estis in magna via ad tractandum pro honore Dei, qui vos tantum honoravit, & vos fecit Vicarios mundi, & quòd per supradictum Tractatum potest evenire magnum bonum; & si negotium est longum, illud est bonum & amabile; & si propter prolixitatem & difficultatem abjicitur & spernitur bonum, quod inde potest sequi: & considerate, quomodo homines hujus mundi propter bona temporalia sustinent magnas defatigationes & labores, in quibus sunt multi in periculo, sicut Reges, qui sustinent magna bella, & Anxexini, qui scienter se tradunt morti, ut suos parentes possint eripere de servitute, in qua sunt: & etiam placeat vobis considerare, quòd Christiani perdant suas terras & audaciam, quam solebant habere contra Saracenos; & considerate, quòd publica utilitas parum ametur, & quòd omnes clament contra Clericos; quare esset magna excusatio Clericis in tractando supradicta, quia darent bonum exemplum de se ipsis, & de suis operibus.

Si dicitur, quòd omnia ista fient, quando Deo placuerit, considerate, utrùm Deus velit finem, quare creavit hominem, & utrùm JESUS Christus dederit exemplum & Apostoli & Martyres ad assequendum illum finem, quare sunt: & quis dicet, quòd Deus non semper velit amari per suum populum?

Multas alias rationes possem dicere, sed timeo nimiùm loqui, & si nimiùm loquor, supplico & peto veniam, ut mihi remittatur; & ponendo ista, quæ peto, in ordine, peto veniam à vobis sancte Pater & à vobis Dominis Cardinalibus, ut vobis placeat me indignum primum mittere ad Saracenos ad honorandum inter illos nostrum Dominum Deum.

Data est hæc petitio in Civitate Neapolitana sancto Patri Coelestino Quinto, & honoratis Dominis Cardinalibus Anno MCCXCIV.

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER MIRANDARUM DEMONSTRATIONUM.

DEUS glorioſe, alte & excellens ſuper omnes honores, digne multùm magnificatâ virtute, cum tua gratia & auxilio, & cum intentione te honorandi & tibi ſerviendi incipit *Liber Demonſtrationum*, qui eſt *una Brancha Artis Compendioſæ inveniendi Veritatem.*

DE

PROLOGO.

CUm humanus intellectus ſit vilipenſus ab hominibus, qui dicunt, quòd per neceſſarias Rationes non poſſit intelligere Sanctam Trinitatem Dei, nec glorioſam Incarnationem Fílii Dei; & cùm Deus ad demonſtrandam nobilitatem intellectûs exaltaverit humanam ſpeciem ſupra alias ſpecies, quæ ſunt ſub illa in nobilitate; idcirco quidam homo culpabilis, pauper, miſer, cum modico intellectu, vilipenſus à gentibus, indignus, quòd ſuum nomen ſit ſcriptum in hoc Libro nec in altero, per gratiam Dei incipit hunc Librum, & proponit illum perficere ad hoc, ut Infideles adducantur ad ſanctam Fidem Catholicam, & ut intellectui tribuatur honor & verum lumen, per quod Deus illum illuminavit, ut poſſit intelligere Articulos per neceſſarias Rationes.

Iſta Brancha dividitur *in quatuor Libros.*

Primus habet quinquaginta Capita, ad probandum per neceſſarias Rationes, quòd intellectus per gratiam Dei habeat poſſibilitatem intelligendi Articulos.

Secundus habet quinquaginta Capita, in quibus per neceſſarias Rationes probatur, Deum eſſe.

Tertius habet quinquaginta Capita, in quibus per neceſſarias Rationes probatur Sancta divina Trinitas.

Quartus dividitur in quinquaginta Capita, per quæ per neceſſarias Rationes probatur Incarnatio & Adventus noſtri Domini Dei JESU Chriſti.

Qui vult colligere utilem & virtuoſum

fructum de supradicta Brancha, convenit, quòd tractet illam cum *quatuor Conditionibus*.

Prima Conditio est, quòd homo habeat intentionem laudandi Deum & illi serviendi.

Secunda Conditio est, quòd homo affirmet, possibile esse intellectui intelligere per necessarias Rationes quatuor supradictos Libros; quia si in principio negaretur possibilitas, intellectus non haberet directionem nec dispositionem, ut posset intelligere & inquirere, utrùm illi sit possibile vel impossibile intelligere supradictos Libros.

Tertia Conditio est, quòd homo attribuat Deo majorem nobilitatem, quæ possit capi in intellectu, intelligendo tamen, quòd in Deo non sit majoritas nec minoritas.

Quarta Conditio est, quòd intelligatur differentia inter unum intelligere & alterum, & hoc *quatuor Modis*. *Primus* est, quando intellectus intelligit aliquam rem sensualem per demonstrationem sensualem, veluti aurum, quod cognoscitur per refinationem, & eques per sua arma: vel veluti forma artificialis, quæ demonstrat suum artificem, vel forma naturalis, quæ significat naturam. *Secundus* est, quando res intellectualis demonstratur per sensualem; veluti motus corporis humani, qui significat animam, vel practica, quæ est demonstratio theoricæ. *Tertius* est, quando per demonstrationem intellectualem cognoscitur res sensualis; quemadmodum theorica, quæ dat demonstrationem de practica. *Quartus* est, quando cum demonstratione intellectuali in speculativa cognoscitur res intellectualis; quemadmodum Deus, qui significatur & demonstratur per majorem contrarietatem, quæ est inter vitia & virtutes; quia si Deus privaretur ipso esse, non esset tanta contrarietas inter vitia & virtutes, quanta est: unde cùm majoritas & esse conveniant, significatur per majorem contrarietatem, quòd Deus sit.

Certum est, quòd, secundùm quòd isti quatuor modi quartæ conditionis sunt diversi, conveniat, quòd intellectus habeat suas operationes diversas, hoc est, suas intellectiones; & secundùm quòd intellectus fortiùs capit quædam objecta, quàm alia: & quia demonstrationes intellectuales sunt magis propinquæ in natura intellectui, quàm sensuales, sequitur, quòd quidam supradictorum quatuor modorum intelligantur in altiori & majori gradu, quàm alii: *propter hoc convenit, quòd homo elevet, quantò altiùs potest, suum intellectum in hoc Libro.*

INCIPIT PRIMUS LIBER

In quo probatur, quòd Intellectus habeat Possibilitatem, quòd per necessarias Rationes intelligat Articulos Sanctæ Fidei Catholicæ.

CAPUT I.

De Fide & Ratione.

CErtum est & manifestum, quòd error meliùs mortificetur & destruatur cum Rationibus necessariis, quàm cum Fide; & hoc est ideo, quia intellectus & lumen sapientiæ conveniunt in intelligere, & fides & ignorantia conveniunt in credere: unde per hoc demonstratur humano intellectui, quòd Infideles, qui quotidie augmentantur in destruendâ Sanctâ Ecclesiâ Romanâ, faciliùs possint confundi in suis erroribus & falsis opinionibus, qui Infideles sunt magis dispositi ad recipiendam veritatem per necessarias demonstationes, quàm per fidem vel per credentiam illis demonstratam per hominem; quia Deus tantùm est ille, qui dat lumen fidei hominibus, qui convertuntur credendo veritatem; sed homo per virtutem Dei habet potestatem intelligendi & demonstrandi & recipiendi veritatem per rationes necessarias: unde cùm hoc ita sit, si verum esset, quòd intellectus non haberet possibilitatem intelligendi Articulos per necessarias rationes, sed quòd homo cum fide tantùm posset illos credere, sequeretur, quòd Deus & minoritas & defectus concordarent contra majoritatem & perfectionem, in quantum non ordinasset, nec voluisset, quòd esset major utilitas, & voluisset, quòd esset minor tantùm: unde cùm Deus & majoritas

joritas & perfectio conveniant, & velit & ordinaverit in aliquibus hominibus, ut error destruatur per lumen fidei, quantò magis vult & ordinavit, ut error destruatur per lumen intellectûs illuminati per lumen supremæ Sapientiæ.

CAPUT II.

De Significatione S. Trinitatis in Anima.

CUm noster Dominus Deus creaverit animam ad suam similitudinem, ad significandum, quòd ille sit unus in tribus Personis, generante Patre Filium, & exeunte Sancto Spiritu à Patre & Filio æqualiter, & quòd Personæ sint una Essentia divina, idcirco Deus vult, quòd in anima memoria recolens aliquod objectum generet æquale intelligere de suo recolere, & de memoria & intellectu exeat æquale velle ipsis recolere & intelligere; quæ æqualitas fit in forma objecti, quod in anima recolitur, intelligitur & amatur æqualiter: unde quemadmodum Pater generat æqualem sibi, hoc est, Filium, sic vult, quòd memoria generet æquale intelligere de suo recolere; & quemadmodum Pater & Filius, exeunte ab illis Sancto Spiritu, eundem faciunt æqualem sibi ipsis, sic voluit, quòd de memoria recolente & de intellectu intelligente exeat velle, quod sit æquale ipsis recolere & intelligere; & hoc, ad significandum, quòd, quemadmodum objectum æqualiter recipitur per tres potentias animæ, sic omnes creaturæ æqualiter sint objectæ tribus Personis divinis; & quemadmodum memoria, intellectus & voluntas sunt in una substantia, sic & multò meliùs etiam sinè omni comparatione tres Personæ sint una Essentia divina: quia quemadmodum tres potentiæ animæ conveniunt cum minori nobilitate, in quantum non sunt substantia, sed potentiæ in substantia, ad significandum majorem nobilitatem, quæ est in Deo, quia tres Personæ non sunt potentiæ in substantia, sed sunt proprietates essentiales in una Essentia divina tantùm, sic anima & suæ potentiæ dant demonstrationem cum sua minori nobilitate de majori nobilitate sui Creatoris, cùm dent cum sua supradicta operatione demonstrationem de Paternitate, Filiatione & Processione divina: unde cùm hoc ita sit, si esset verum, quòd intellectus non haberet possibilitatem intelligendi Articulos, sequeretur, quòd anima haberet majorem possibilitatem intelligendi res, cum quibus minùs convenit ad demonstrandum & ad significandum; & quòd haberet majorem impossibilitatem intelligendi objecta magis nobilia, quæ meliùs significat & demonstrat; & hoc est impossibile.

CAPUT III.

De Essentia & Operatione Dei in Intellectu & Lapide.

INtellectualiter intelligimus, quòd Essentia, potestas, sapientia & voluntas nostri Domini Dei sint tam perfectè in lapide & in alia creatura, quàm in humano intellectu; sed operatio Dei est major in intellectu, quàm in lapide, in quantum intellectus est magis nobilis creatura: unde cùm intellectus habeat possibilitatem recipiendi formam lapidis, bene sequitur, quòd habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia si ipsi esset impossibile, sequeretur, quòd intellectus & lapis convenirent, & quòd intellectus & Articuli non convenirent; & hoc est impossibile: quæ impossibilitas demonstratur per majorem operationem Dei, quæ meliùs convenit cum intellectu, quàm cum lapide, quantum ad comparationem unius creaturæ cum altera; cum qua operatione intellectus non meliùs nec tam perfectè conveniret, quàm cum lapide, nisi posset intelligere Articulos: & si intellectus meliùs conveniret cum lapide, quàm cum operatione Dei, significaretur, quòd Deus conveniret cum ignorantia & cum injuria & cum defectu, & quòd esset contrarius virtuti suæ operationis: unde cùm hoc sit impossibile, per hoc significatur, quòd, quemadmodum Deus convenit cum sua operatione in intellectu, sic intellectus per gratiam Dei conveniat cum sua operatione in operatione Dei ad hoc, ut possit intelligere Deum & sua opera.

CAPUT IV.

De Differentia inter Intellectum & Lapidem.

CUm noster Dominus Deus creaverit differentiam inter lapidem & intellectum ad hoc, ut per unum modum cognoscatur magis nobilis, quàm lapis, & per alium modum cognoscatur magis nobilis,

quàm intellectus; idcirco Deus demonstrat se majorem lapide in hoc, quòd Deus sciat lapidem, & lapis non sciat Deum ; & demonstrat se majorem intellectu, cùm Deus sciat plùs intellectum, quàm intellectus Deum: unde si intellectus non haberet possibilitatem in pauco nec in multo intelligendi in Deo Trinitatem, non posset fieri comparatio, quomodo Deus sciret plùs intellectum, quàm intellectus Trinitatem, & esset destructus supradictus modus, secundùm quem Deus se demonstrat magìs nobilem, quàm intellectum; & intellectus esset similis lapidi in impossibilitate intelligendi Trinitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus habeat aliquam possibilitatem intelligendi Trinitatem: quia si Deus dedisset intellectui possibilitatem intelligendi suam Unitatem, & non dedisset illi possibilitatem, per quam posset intelligere Trinitatem, differentiâsset Deus cum sua Unitate intellectum à lapide, qui lapis non intelligit Unitatem nec Trinitatem, & cum Trinitate æqualificâsset intellectum cum lapide in impossibilitate intelligendi Trinitatem; & sequeretur, quòd Unitas Dei conveniret cum nobilitate intellectûs, & quòd Trinitas esset contraria nobilitati intellectûs: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd Unitas Dei esset contraria Trinitati; & hoc est impossibile.

CAPUT V.

De majori Nobilitate Intellectûs & Voluntatis.

MAnifestum est, quòd, si Deus intellectui dedisset potestatem intelligendi Articulos, & voluntas non crederet illam possibilitatem, & intellectus non uteretur gratiâ sibi factâ, quòd voluntas & intellectus essent contrarii operi divino: & si Deus non dedit intellectui possibilitatem intelligendi Articulos, & voluntas credit, quòd intellectus habeat possibilitatem, & intellectus se movet, ut possit intelligere Articulos, sequitur, quòd intellectus & voluntas sint contrarii Deo: unde cùm credere possibilitatem conveniat cum majori charitate in voluntate, quæ amat Articulos, & discredere supradictam possibilitatem conveniat cum minori charitate, & uti gratiâ in intellectu, qui se movet ad intelligendum Articulos, conveniat cum majori nobilitate, idcirco significatur, quòd hoc, quod est de majori nobilitate in voluntate & in intellectu, conveniat cum esse, & minor nobilitas contraria majori nobilitati supradictæ conveniat cum non esse: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus conveniret cum minori nobilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT VI.

De majori & minori Triangulo.

VErum est, quòd majoritas conveniat cum triangulo intellectuali, qui est compositus de recolere & intelligere & velle, & minoritas conveniat cum triangulo, qui est compositus de obliviſci & ignorare & velle; & ideo triangulus major convenit meliùs ad movendum alium triangulum intellectualem, qui est compositus de recolere & intelligere & odire vitia, quàm triangulus minor: & propter hoc triangulus major habet majorem dispositionem, quòd capiat virtutem pro objecto, quàm triangulus minor: unde per hoc significatur, quòd triangulus major habeat majorem possibilitatem capiendi objectum de necessitate, quàm triangulus minor; & idcirco triangulus major est contra vitia cum demonstrationibus necessariis, per hoc, quia capit virtutes illi objectas per necessarias demonstrationes; & triangulus minor est contra vitia cum lumine fidei solùm, per hoc, quia capit virtutes illi objectas per lumen fidei: unde per hoc de necessitate convenit, quòd si triangulo minori est facta gratia, ut credat Articulos Catholicos, quantò magìs convenit, quòd triangulo majori sit facta gratia, ut illos intelligat: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd minori, qui est minùs contra vitia, & minùs capit virtutes pro objecto, facta esset major gratia, quàm majori supradicto; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, conveniret cum Deo privatio justitiæ & perfectionis & sapientiæ, & Deus conveniret cum minoritate contra majoritatem: sed quia triangulo majori est magìs grave intelligere, quàm minori sit credere, idcirco omnis homo est obligatus ad recipiendum gratiam, quæ datur in minori, & non est obligatus ad illam, quæ datur in majori: quia si esset, homines non haberent licentiam utendi rebus temporalibus, secundùm quòd habent per triangulum minorem.

CAPUT

CAPUT VII.

De Alteratione Actûs & Potentiæ.

SI alteratio fidei, quæ est in veritate, non esset in intellectu potentialiter nec actualiter, sequeretur, quòd error & incredulitas, qui est in falsitate contra supradictam veritatem, non esset alterabilis in veritatem nec in intelligere in intellectu actualiter nec potentialiter: unde cùm veritas conveniat cum majoritate & cum esse & cum perfectione, & falsitas conveniat cum minoritate & cum privatione & cum defectu, sequitur, quòd veritas & intellectus conveniant cum medio, hoc est, actu & potentiâ; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd veritas & falsitas æqualiter disconvenirent cum intellectu; & hoc est impossibile: cùm intellectus & majoritas conveniant cum veritate, & ignorantia & minoritas conveniant cum falsitate.

CAPUT VIII.

De Trinitate & Unitate.

MAnifestum est, quòd per necessarias rationes probetur, Deum esse, & esse unum, & esse infinitum, æternum, potentem, sapientem, volentem, perfectum &c., secundùm quòd probavimus *in Arte Compendiosa inveniendi Veritatem:* unde cùm in Essentia Dei Trinitas tam bene conveniat cum perfectione, quàm Unitas, infinitas &c., de necessitate convenit, quòd tam possibile sit intellectui recipere demonstrationes necessarias, per quas intelligat, Trinitatem esse, quàm possibile est ipsi recipere demonstrationes necessarias, per quas demonstratur, Deum esse, & esse unum, & esse æternum &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in Essentia divina & in intellectu humano Trinitas conveniret cum minoritate & cum privatione & cum defectu, & quòd in Essentia divina & in intellectu humano Unitas & potestas divina convenirent cum majoritate & cum esse & cum perfectione; & hoc est impossibile: & etiam sequeretur alterum inconveniens, hoc est, quòd intellectus reciperet majorem gratiam per Unitatem & per sapientiam divinam &c., quàm per Trinitatem divinam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Trinitas sit tam dispositum objectum intellectui, sicut Unitas &c.

CAPUT IX.

De Veritate Dei & Creaturæ.

DE necessitate convenit, quòd veritas, quæ est in Deo, conveniat cum majoritate, & veritas & falsitas, quæ sunt in creatura, conveniant cum minoritate; cùm Deus sit major, quàm creatura: unde si lumen credulitatis, quod homines habent in creaturis, convertitur in intelligere, cum quo intellectus intelligit creaturas, de necessitate convenit, quòd in aliquibus hominibus sequentibus naturam & instrumentum, per quod intellectus habet dispositionem recipiendi gratiam Dei, lumen fidei possit converti in intelligere: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd veritas, quæ est in Deo, esset contraria majoritati, & quòd veritas, quæ est in creatura, concordaret cum majoritate, & quòd intellectus esset major per intelligere creaturam, quàm per intelligere Deum; & hoc est impossibile.

CAPUT X.

De Potestate Intellectûs & Voluntatis.

MAnifestum est, quòd, si voluntas convenit cum majoritate in fide & spe per lumen fidei, intellectus conveniat cum majoritate in charitate & spe per lumen intelligendi: quia quemadmodum voluntas ascendit ad majorem fidem & spem amando Articulos, quos intellectus non intelligit, sic intellectus ascendit ad majorem charitatem & spem intelligendo Articulos: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd intellectus non posset tantùm uti suâ naturâ, quantùm voluntas; & demonstraretur, quòd intellectus esset minor creatura, quàm voluntas; & quòd Deus voluisset esse magìs amatus à voluntate, quàm esse cognitus ab intellectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Deus ordinaverit, ut homo possit lucrari tam magnum meritum per multùm amare intelligendo, quàm per multùm amare credendo.

CAPUT XI.

De Alteratione Fidei & Intelligere.

CUm inter veritatem & falsitatem nullum medium sit, de necessitate convenit, quòd una non sit in altera nec actua-

liter nec potentialiter: unde si alteratio fidei, hoc est, intelligere, quod est in veritate, non esset potentialiter nec actualiter in intellectu, & alteratio credulitatis, quæ est in falsitate, esset potentialiter & actualiter in intellectu, sequeretur, quòd fides & veritas contrariarentur credulitati & falsitati cum minoritate, privatione & defectu, & quòd credulitas & falsitas essent contra fidem & veritatem cum majoritate, esse & perfectione; & hoc est impossibile, & habet contrarium sensum.

CAPUT XII.

De tribus Statibus Creaturarum.

NOtum est, quòd esse creaturarum sit in *tribus Modis: unus* est, quòd omnes creaturæ sint in sapientia Dei: *alter* est, quòd sint formaliter in anima, hoc est, in intellectu, qui illas intelligit: *tertius* est, quòd sint in se ipsis: unde cùm in voluntate possit amari veritas & falsitas in imaginatione & in phantasia opinantibus, quòd veritas sit falsitas, & è converso, & hoc propter magnum fervorem voluntatis, idcirco creaturæ multoties non sunt in intellectu; propter hoc Deus ordinavit, ut intellectus recipiat significata creaturarum, & ut habeat naturam conservandi illa, & ut non recipiat in se falsitatem loco veritatis, & è converso: unde si voluntas, quæ convenit cum minoritate, secundùm quòd suprà est significatum, habet possibilitatem fruendi Trinitate, quantò magis intellectus, qui convenit cum majoritate. Unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd Deus velit, quòd creaturæ sint in intellectu ad hoc, ut sint medium inter Deum & intellectum, cum quo intellectus habeat dispositionem cognoscendi Deum & sua opera: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus frustra posuisset creaturas in intellectu; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd hoc, quod est frustra, conveniret cum Deo, & hoc, quod fit à casu & fortunâ, conveniret cum intellectu, & quòd causa finalis conveniret cum falsitate & cum fortuna; & hoc est impossibile.

CAPUT XIII.

De Majoritate Finis.

CErtum est, quòd recolere, intelligere & velle melius conveniant cum causa finali, quàm oblivisci, ignorare & velle; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd causa finalis conveniret cum minoritate, & suum contrarium cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus in hoc mundo habeat possibilitatem intelligendi Articulos, secundùm quòd in hoc mundo convenit cum minoritate movente se ad majoritatem, quæ est suum complementum in gloria perdurabili; *ad quem motum lumen fidei est dispositio*, quod terminatur in hac præsenti vita: quia si lumen fidei esset in gloria, sequeretur, quòd intellectus infinitè se moveret ad suum complementum, & quòd nullo tempore illud consequeretur; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd, si recolere, intelligere & amare convenirent cum minoritate & cum materia, & oblivisci, ignorare & amare convenirent cum majoritate & cum causa finali, intellectus non esset nisi in hac præsenti vita, & fides esset in gloria perdurabiliter; & hoc est impossibile.

CAPUT XIV.

De Demonstratione miraculosa.

MAnifestum est nobis per lumen fidei, quòd JESUS Christus significet, quòd intellectus per necessariam rationem possit intelligere Articulos, dicens ad Sanctum Thomam: *quia vidisti me, credidisti*; dicens ad illùm: *mitte tuos digitos in meum latus*; etiam quia comedit brescam (favum) ad significandum, quòd esset homo; etiam quia præcepit, quòd homo illum amaret de toto suo corde & de tota sua mente: unde per hoc significatur, quòd intellectus sit tantùm obligatus de tota sua virtute ad intelligendum, quantùm voluntas ad amandum: & si hoc non esset ita, significaretur, quòd homo per intelligere Deum bonum non esset obligatus ad amandum Deum, & esset obligatus per credere Deum bonum. Item intelligimus, quòd in miraculis, quæ fecit JESUS Christus & Apostoli & alii Sancti, significetur, quòd intellectus habeat naturam, quòd possit intelligere Articulos per necessarias rationes; *quia miracula sunt demonstrationes necessariæ intellectui.* Item JESUS Christus dixit: *Ego sum lux, qui veni in hunc mundum, & qui videt me, videt illum, qui misit me; & qui credit in me, credit*

credit in illum, qui misit me. Item dixit: *Ego dabo vobis os & sapientiam &c.* Item humilitas & misericordia & aliæ virtutes, quæ sunt in supremo bono, quæ significant Incarnationem JESU Christi, significant, quòd summa Trinitas habeat tantam humilitatem, misericordiam, largitatem & bonitatem, quòd se inclinaverit ad esse objectam intellectui; quia si hoc non faceret, supradictæ virtutes non significarent Incarnationem Filii Dei. Item *Anselmus* & *Richardus à Sancto Victore* & multi alii Sancti significant in suis sermonibus, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XV.

De Prædestinatione & Præscientia.

CUm per hominem prædestinatum significetur intellectui, quòd in Deo sit perfecta sapientia, & per hominem præscitum demonstretur intellectui, quòd in Deo sit perfecta justitia, & istæ demonstrationes fiant intellectui de necessitate, secundùm hoc convenit, quòd intellectus habeat possibilitatem recipiendi Demonstrationes Articulorum per necessarias rationes; & hoc est ideo, quia majoritas & perfectio melius conveniunt ad demonstrandum intellectui Articulos, quàm salvationem & damnationem hominum: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, sequeretur, quòd Deus plùs amaret esse cognitus per perfectam sapientiam & perfectam justitiam in salvatione & damnatione hominum, quàm in sua Essentia & in suis operibus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Deus conveniret cum minoritate in Essentia, & cum majoritate utendo creaturis.

CAPUT XVI.

De majori Possibilitate Intelligendi.

SI intellectus non haberet in potentia actualem possibilitatem intelligendi Articulos, & haberet in potentia actualem possibilitatem intelligendi creaturas & operationes illarum, significaretur, quòd creaturæ haberent majorem possibilitatem essendi in intellectu, quàm Deus & sua opera; & demonstraretur, quòd magis principalis ratio esset, quòd intellectus intelligeret creaturas, quàm Creatorem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, intellectus intelligeret, quòd finalis ratio, propter quam Deus creavit creaturas, esset, ut essent cognitæ & amatæ; cùm velle & intelligere conveniant: & sequeretur, quòd Deus conveniret cum minoritate, & creaturæ cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd finalis ratio, quare Deus creavit creaturas, sit, ut cognoscatur & ametur; per quam finalem rationem intellectui demonstratur possibilitas, per quam ipse potest intelligere Articulos Fidei Catholicæ.

CAPUT XVII.

De Demonstratione naturali & supernaturali.

MAnifestum est, quòd esse & perfectio conveniant, & quòd privatio & defectus conveniant: unde si intellectus, qui privatur ipso intelligere, & habet defectum in corpore per peccatum originale, & nihilominùs convenit cum esse & cum perfectione, in quantum intelligit creaturas & illarum operationes per veras demonstrationes, bene sequitur, quòd intellectus per necessarias rationes intelligat Deum & suas operationes, hoc est, Articulos; cùm hoc, quod intelligit in Deo & in suis operationibus, melius conveniat cum esse & cum perfectione contra privationem & defectum, quàm hoc, quod intelligit in creaturis & in operationibus illarum: & si hujus esset contrarium, sequeretur, quòd intellectus esset magis contrarius suæ privationi & suo defectui cum se ipso & cum creaturis, quàm cum Deo & cum suis operibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus melius conveniat cum suo esse & cum sua perfectione cognoscendo Deum & sua opera, quàm cognoscendo creaturas & illarum operationes. „Et si tu, qui non amas in„telligere Articulos ad hoc, ut habeas ma„jorem fidem, & per majorem fidem ac„quiras majorem gloriam, plùs amares „Deum, quàm temetipsum, velles intellige„re Articulos ad hoc, ut illum plùs amares.

CAPUT XVIII.

De Demonstratione Formæ & Materiæ.

CErtum est, quòd intellectus, in quantum convenit cum creatura & cum minoritate

noritate, faciliùs intelligat creaturam & operationem illius, quàm Creatorem & operationem illius, qui est magìs diversus ab intellectu, quàm creatura; sed quia Deus & majoritas conveniunt, creatura autem & minoritas, convenit, quòd intellectus plùs intelligat in majori, quàm in minori; quia si hoc non faceret, sequeretur, quòd intellectus esset major per intelligere minus, quàm majus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos ad hoc, ut significetur, quòd Deus sit Creator, & intellectus sit creatura; quæ significatio fit in hoc, quòd intellectus faciliùs intelligat creaturam, quàm Creatorem, & intelligat plùs & magìs virtuosè & cum majori labore in Creatore, quàm in creatura: unde quemadmodum forma se ipsam magìs demonstrat intellectui, quàm materiam, quia inter demonstrationem formæ & intellectum non est medium, & est medium inter demonstrationem, quàm forma facit de materia, sic creaturæ sunt magìs demonstrabiles intellectui, quàm Deus; quia intellectus est creatura, & Deus est Creator: & quemadmodum forma non tantùm habet intentionem ad demonstrandam materiam, sed habet intentionem ad demonstrandam se ipsam, cùm sit nobilior, quàm materia, sic Deus non tantùm vult, quòd intellectus habeat cognitionem creaturarum, sed vult, quòd habeat cognitionem Creatoris, cùm sit nobilior creaturis.

CAPUT XIX.

De Cognitione S. Trinitatis per Cognitionem Creatoris.

SI intellectus non haberet possibilitatem intelligendi Trinitatem nec Incarnationem, sequeretur, quòd illi esset impossibile intelligere Creatorem, Salvatorem, Damnatorem: quia sicut Deus meliùs convenit cum Trinitate, quàm cum esse Creatorem, Salvatorem & Damnatorem hominum, sic convenit, quòd intellectus sit meliùs dispositus ad intelligendum Trinitatem, quàm Creatorem, Salvatorem & Damnatorem hominum: & quemadmodum Filio Dei meliùs convenit assumere carnem, quàm recreare genus humanum, sic convenit, quòd humanus intellectus habeat majorem dispositionem ad intelligendam Incarnationem, quàm recreationem: & si verum esset, quòd intellectus non intelligeret Creatorem nec recreationem, demonstraretur, quòd in Deo privaretur perfecta bonitas, in quantum non dedisset intellectui gratiam, ut cognosceret hoc, quod illi est conveniens & necessarium ad cognoscendum.

CAPUT XX.

De Possibilitate Intelligendi ante & post peccatum Adami.

SEcundùm magnam sapientiam Dei significatur, quòd in intellectu Adami, antequam peccavit, erat potentialiter vel actualiter possibilitas intelligendi Articulos: quia si non fuisset, non significaretur intellectui, nec Adam fuisset punitus tam fortiter, nec punitio conveniret tam bene cum perfecta justitia, nec tam bene conveniret, quòd peccatum esset generale in humana specie, quemadmodum est per hoc, quia Articuli fuerunt objecti in actu vel in potentia intellectui Adami, antequam peccâsset: unde cùm hoc ita sit, si esset verum, quòd in tempore post Incarnationem & Passionem Christi non esset in humano intellectu actualiter vel potentialiter possibilitas intelligendi Articulos, significaretur, quòd in Incarnatione & Passione esset privatio perfectionis, & quòd conveniret cum defectu, eò quòd non reduxisset supradictam possibilitatem in intellectu; & hoc est impossibile, quòd in Incarnatione Filii Dei & in recreatione conveniant privatio perfectionis & defectus.

CAPUT XXI.

De Fine Incarnationis.

CUm virtus Dei sit fons luminis intellectûs humani, idcirco intellectus intelligit, quòd Filius Dei non solùm sit incarnatus ad recreandum humanum genus, sed fuerit incarnatus ad demonstrandum virtutes Dei intellectui: unde si intellectus non haberet possibilitatem intelligendi Articulos, sequeretur, quòd in illo esset impossibilitas, per quam non posset intelligere virtutes Dei, & sequeretur, quòd Filius Dei frustra esset incarnatus & mortuus, postquam non sequeretur intentio, propter quam est incarnatus; & hoc est impossibile.

CAPUT XXII.

De Transcendentia Intellectûs & Voluntatis super Phantasiam.

RAtio, quare homo habet opinionem in phantasia, quòd intellectus non habeat possibilitatem intelligendi Articulos, est per hoc, quia voluntas odit, quòd fides conveniat cum minoritate: & ratio, quare homo habet opinionem in phantasia, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos, est per hoc, quia voluntas amat, quòd intellectus conveniat cum majoritate in intelligere: unde si verum esset, quòd hoc, quod voluntas amat, amans majoritatem fidei, esset in veritate, & hoc, quod amat, amans majoritatem intelligendi, esset in falsitate, sequeretur æqualitas minoritatis inter voluntatem, intellectum & phantasiam; & voluntas, fides & phantasia convenirent cum majori æqualitate, & voluntas & intellectus non transcenderent phantasiam; & hoc est impossibile: cùm intellectus & voluntas sint in altiori gradu, quàm phantasia.

CAPUT XXIII.

De prima & secunda Intentione.

MAnifestum est, quòd hic mundus conveniat cum minori nobilitate, & alter cum majori; & hoc est ideo, quia iste mundus est per secundam intentionem, & alter est per primam: propter hoc intellectus non potest habere tam magnam virtutem in intelligere in hoc sæculo, sicut in altero; quia si illam haberet, sequeretur, quòd quantitas hujus sæculi & alterius æqualiter esset intellecta per intellectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem in hoc mundo intelligendi Articulos per secundam intentionem secundùm comparationem alterius; quia si non haberet possibilitatem, non esset in hoc mundo per secundam intentionem; & si intellectus in hoc mundo intelligeret Articulos per primam intentionem, & in altero per secundam, hic mundus esset major in intellectu, quàm alter; & hoc est impossibile: & si intellectus in hoc mundo non haberet possibilitatem intelligendi Articulos, sequeretur, quòd in hoc mundo frustra esset creatus; & si frustra esset creatus, esset demonstratum, quòd Deus conveniret cum minoritate & cum defectu; & hoc est impossibile: „ sed quia intellectus „ in hoc mundo non habet possibilitatem „ intelligendi Articulos per primam intentionem, idcirco de imaginativa & de phantasia formatur opinio, quòd intellectus „ non habeat possibilitatem intelligendi Articulos, per hoc, quia non intelligit illos „ de tam magna necessitate, sicut hoc, quod „ intelligit in hoc mundo per primam intentionem, quæ se demonstrat de majori „ necessitate intellectui in rebus, quæ sunt „ in hoc mundo per primam intentionem, „ quàm in illis, quæ hìc sunt per secundam.

CAPUT XXIV.

De Intelligere hujus & alterius Mundi.

RAtio naturalis est, quòd intellectus non potest tam bene intelligere objectum, sicuti illud intelligeret, si in suo subjecto, hoc est, in anima, non esset potentialiter ignorantia: quia quemadmodum ignis non convenit tam bene in composito, sicut convenit in sua simplicitate, sic intellectus non potest tam bene intelligere in anima, in qua ignorantia est potentialiter, sicut intelligeret, si animæ esset impossibile ignorare: unde per hoc sequitur, quòd intellectus non possit in hoc sæculo sicut in altero tam subtiliter intelligere res, quæ sunt secundùm alterum sæculum, & non secundùm istud: sed de rebus, quæ sunt in intellectu secundùm istud sæculum, non est ita, quia intellectus tam faciliter intelligit in isto sæculo, sicut in altero, *quòd totum sit plus, quàm sua pars, & quòd album sit contrarium nigro:* sed quia Articuli conveniunt cum intellectu magis secundùm comparationem pro altero sæculo, quàm pro isto, idcirco intellectus non potest tam faciliter intelligere Articulos in isto mundo, sicut illos intelligit in altero; & faciliùs intelligit in isto mundo, quòd totum sit plus, quàm sua pars, & quòd album sit contrarium nigro, quàm Articulos: „ & ideo videtur in phantasia, quòd intel- „ lectus non intelligat Articulos, postquam „ illos non intelligit tam faciliter in hoc „ mundo, sicut intelligit, quòd totum sit „ plus, quàm sua pars: unde si verum esset, quòd intellectus non haberet in potentia intelligere Articulos, sequeretur, quòd intellectus esset major per intelligere, totum esse majus, quàm suam partem, quàm per intelligere majus sinè parte, hoc est, infinitum, quod est majus, quàm majus suâ parte, hoc est, totum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XXV.

De Operatione Ignîs & Intellectûs.

SEcundùm demonstrationem naturalem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia si ignis, qui convenit cum minoritate, utitur suâ naturâ in corporibus elementatis, quamvis in illis aqua sit contraria operationi ignis, bene sequitur, quòd intellectus, qui convenit cum majori nobilitate, quàm ignis, possit intelligere Articulos: quia si non posset, sequeretur, quòd operatio ignîs conveniret cum majori nobilitate, quàm operatio intellectûs; & hoc est impossibile: sed quemadmodum ignis graviter & cum labore utitur & habet suum opus in corporibus compositis ratione aquæ, quæ illi resistit, sic intellectus graviter & cum labore intelligit Articulos in isto mundo ratione fragilitatis corporis, quod accidentaliter per peccatum est inordinatum ad esse subjectum animæ: „ & ideo videtur in phantasia, quòd „ intellectus non habeat possibilitatem in„ telligendi Articulos.

CAPUT XXVI.

De Scientia & Ignorantia.

CErtum est, quòd Deus in intellectu creaverit intelligere, sed ratione peccati originalis accidentaliter evénit, quòd in intellectu sit potentialiter ignorantia, per quam intelligere cadit potentialiter in intellectum: unde si voluntas habet possibilitatem amandi Articulos, quos intellectus ignorat, & illa voluntas convenit cum ignorantia, quæ convenit cum privatione & cum minoritate & cum defectu, bene sequitur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos, utens ipso intelligere, quod convenit cum esse & cum majoritate & cum perfectione: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus meliùs conveniret ad illuminandum & ad faciendum gratiam voluntati, quæ convenit cum ignorantia & cum minoritate, quàm intellectui, qui convenit cum intelligere & cum majoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Deus & voluntas & minoritas convenirent contra intellectum & majoritatem; & hoc est impossibile: „ quam impossibilitatem ignorant illi, qui „ dicunt, quòd, si intellectus posset intelligere Articulos, sequeretur, quòd Sancti, „ qui præcesserunt nos, illos intellexissent „ per necessarias Rationes: unde isti ignorant hoc, quod sua verba significant in „ esse concordantiam inter Deum & minoritatem & terminationem; quia si illorum verba essent vera, sequeretur, quòd „ omne id, quod Deus potest dare intellectui, jam sit datum illis, qui nos præcesserunt; & hoc est impossibile.

CAPUT XXVII.

De Fide & Spe & Incarnatione.

CUm sit veritas, quòd Filius Dei sit incarnatus in nostra Domina Virgine Sancta MARIA, ad significandum & ad demonstrandum multùm glorioſas virtutes divinas essentiales Dei, & multùm nobiles virtutes nostri Domini JESU Christi, & non conveniat, quòd fides & spes sint in JESU Christo, & fides & spes conveniant cum voluntate, quæ amat Articulos, quos intellectus ignorat, bene sequitur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia si illam non haberet, sequeretur, quòd JESUS Christus, in quo non est fides & spes, meliùs conveniret cum voluntate, quæ convenit cum fide & spe, quàm cum intellectu, qui convenit cum intelligere & cum sapientia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Filius Dei non solùm venerit assumere carnem ad hoc, ut Deus & suæ virtutes viderentur cum lumine fidei, sed etiam venerit ad hoc, ut Deus & suæ virtutes viderentur cum lumine intellectûs.

CAPUT XXVIII.

De Lumine & Tenebris.

RAtio naturalis est, quòd ignorantia, minoritas & tenebræ conveniant, & intelligere, majoritas & lumen conveniant: unde si anima habet possibilitatem amandi & credendi Articulos absque eo, quòd utatur ipso intelligere in illis, & habeat in se minoritatem, in quantum suum intelligere non est in actu, per quam minoritatem convenit cum tenebris, cum quibus convenit ignorantia, bene sequitur, quòd anima habeat possibilitatem intelligendi Articulos, utens lumine intellectûs illuminati per lumen gratiæ & per necessarias demonstrationes,

nes, quæ significant intellectui Deum & sua opera: „ quia anima, quæ credit Articulos, „ non credit cum alio lumine, nisi cum illo, quod recipit à Deo; & anima, quæ „ intelligit Articulos, intelligit illos cum lu„ mine, quod recipit à Deo lumen sui intel„ lectûs, & cum demonstrationibus, quas „ creaturæ significant intellectui, ut possit „ intelligere Deum & sua opera.

CAPUT XXIX.

De majori & minori Lumine.

MAnifestum est, quòd lux solis conveniat cum majoritate, & lux lunæ cum minoritate; propter quam majoritatem & minoritatem lux major illuminat minorem: etiam est ratio naturalis, quòd aër & lumen conveniant; quia absque eo, quòd aër luceret, homo non posset videre, & lumen aëris convenit cum minoritate, & lumen solis, qui illuminat aërem, convenit cum majoritate: & si hujus esset contrarium, sequeretur, quòd absentia solis non formaret noctem, nec sua præsentia diem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd, quemadmodum sol illuminat minorem lucem, ad significandum, quòd sua lux sit major, quàm lux lunæ & aëris, sic Deus illuminet lumen intellectûs, qui intelligit Articulos, ad significandum, quòd ille sit major, & intellectus sit minor: & quemadmodum terra, quæ non lucet, est illuminata per lumen ignis & aëris & aquæ & solis; (quia si terra haberet lumen à se ipsa, non esset materia, de qua essent tenebræ) sic Deus illuminat voluntatem, quæ credit Articulos; quæ voluntas non habet lumen à se ipsa, sed est illuminata lumine gratiæ, ad significandum, quòd Deus conveniat cum majoritate, & voluntas animæ, quæ vult Articulos, conveniat cum minoritate: unde si verum esset, quòd intellectus non posset intelligere Articulos, significaretur, quòd sol & ignis & aqua & aër haberent majorem operationem in illuminando, unâ luce illuminante alteram, quàm Deus haberet in anima, in qua non illuminaret lumen intellectûs intelligentis Articulos; sed quòd tantùm illuminaret voluntatem, quæ non habet lumen à se ipsa; & hoc est impossibile.

CAPUT XXX.

De Materia, Forma & Motore.

CErtum est, quòd forma sit demonstratio materiæ, & quòd forma non posset moveri ad demonstrandum materiam sinè motore: unde cùm materia & forma conveniant cum minoritate, & intellectus & intelligere conveniant cum majoritate, bene convenit, quòd, si minor habet motorem ad suum bonum, etiam habeat major: unde si esset impossibile, quòd intellectus posset intelligere Articulos, sequeretur, quòd materia & forma & motor convenirent cum majoritate; & quòd intellectus & intelligere & Deus convenirent cum minoritate; & hoc est impossibile: „ per quam impossibilitatem demonstratur, „ quòd Deus, in quibus vult, & in quo „ tempore vult, moveat in intellectu intel„ ligere de potentia ad actum, intelligente „ intellectu Articulos: quia quemadmodum forma movetur per motorem ad objecta majora & minora, sic Deus, qui est major & supremus motor, movet intellectum ad intelligere Articulos, qui sunt illi majora & magìs nobilia objecta ad intelligendum, quàm ulla alia objecta: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus meliùs conveniret ad dandum intellectui minora objecta, quàm majora; & hoc est impossibile.

CAPUT XXXI.

De Differentia Servitutis & Significationis Intellectûs & Voluntatis.

CUm intellectus & voluntas sint diversæ creaturæ, idcirco sequitur, quòd in suis operationibus diversè serviant Creatori, & diversè illum significent; & ideo anima, quæ amat & credit Articulos, quos intellectus ignorat, significat magnitudinem & nobilitatem Articulorum, in quantum intellectus non potest illos intelligere, & voluntas amat & credit illos ultra terminos intellectûs; sed intellectus per alium modum servit Creatori, & illum demonstrat intelligens Articulos; quia quantò meliùs & magìs intelligit Articulos, tantò meliorem & magìs nobilem creaturam significat se ipsum esse per hoc, quia intelligit magìs nobilia objecta: & quantò majorem demonstrationem facit de sua nobilitate & de sua operatione, tantò majorem demonstrat Creatorem & donatorem illius nobilitatis & majoris operationis, quam intellectus habet ad intelligendum majora & nobiliora

biliora objecta: unde si esset impossibile, quòd intellectus posset intelligere Articulos, sequeretur, quòd anima ignorans & amans posset meliùs significare nobilitatem Creatoris, quàm anima intelligens & amans; & hoc est impossibile.

CAPUT XXXII.

De Differentia & Concordantia Intellectùs & Voluntatis in Objecto.

INtellecta res est, quòd intellectus & voluntas habeant diversas operationes & officia in virtutibus theologicis & cardinalibus; quia voluntas convenit magìs cum fide, quàm intellectus, per hoc, quòd voluntas amat & credit Articulos, quos intellectus non intelligit tunc, quando voluntas se vestit habitu fidei; & intellectus intelligit, quòd capiat habitum justitiæ, quando intelligit, quòd non possit intelligere hoc, quod voluntas amat. In spe voluntas convenit cum fide per unum modum, & intellectus per alterum; quia voluntas amat & sperat, quamvìs intellectus non intelligat, quòd voluntas de necessitate habeat hoc, quod desiderat; & intellectus intelligit in spe, quas res conveniat sperare secundùm respectum gratiæ & justitiæ. In charitate voluntas amat per fidem, quando ibi amat hoc, quod intellectus ibi non intelligit; & in charitate intellectus intelligit, quando intelligit hoc, quod voluntas amat. In justitia intellectus meliùs convenit, quàm voluntas, quia amare judicare, quando intellectus hoc non intelligit, non est velle, quod conveniat cum justitia: sed quando voluntas amat in justitia hoc, quod intellectus ibi intelligit, & intellectus ibi intelligit hoc, quod voluntas ibi amat, tunc voluntas & intellectus æqualiter conveniunt cum justitia. Prudentia meliùs convenit cum intelligere, quàm cum credere; sed intellectus & voluntas conveniunt, quando intellectus sapienter intelligit hoc, quod voluntas amat; & voluntas convenit, quando amat hoc, quod intellectus sapienter intelligit: etiam conveniunt per alium modum, quia voluntas convenit cum prudentia, quando amat sapienter super terminos intellectûs, & intellectus convenit, quando intelligit sapienter, quòd ipse non sufficiat intelligere hoc, quod voluntas amat supra terminos intellectûs. In fortitudine voluntas & intellectus conveniunt æqualiter, quando intellectus intelligit hoc, quod voluntas amat, & voluntas amat hoc, quod intellectus intelligit; & hoc idem sequitur de temperantia; unde si intellectus & voluntas conveniunt cum supradictis virtutibus, quæ sunt via & lumen perdurabilis beatitudinis, bene sequitur, quòd conveniant in Articulis, in quibus disconvenirent, si voluntas haberet possibilitatem amandi & credendi Articulos absque eo, quòd intellectus haberet possibilitatem illos intelligendi: unde cum voluntas & intellectus conveniant in supradictis virtutibus, quæ conveniunt cum minoritate, bene sequitur, quòd conveniant in Articulis, qui conveniunt cum majoritate; cùm concordantia & majoritas meliùs conveniant cum esse, perfectione & possibilitate, quàm concordantia & minoritas.

CAPUT XXXIII.

De Differentia Hominis & Bruti.

PEr rationem naturalem convenit, quòd homo magìs differat ab irrationalibus per intellectum, quam per voluntatem; quia per intelligere est homo remotus ab irrationalibus, in quantum illa non intelligunt, nec habent intellectum; & per voluntatem est homo illis propinquus, in quantum homo quandoque vult hoc, quod intellectus non intelligit, & irrationalia volunt sinè intellectu: unde cùm hoc ita sit, & homo & majoritas conveniant, & irrationalia & minoritas, bene sequitur, quòd, si voluntas habet possibilitatem amandi Articulos, intellectus habeat possibilitatem illos intelligendi: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Articuli essent magis propinqua objecta animæ in hoc, in quo illa convenit cum minoritate, & quòd essent magìs remota objecta in hoc, in quo illa convenit cum majoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Articuli concordarent cum minoritate & defectu contra majoritatem & perfectionem.

CAPUT XXXIV.

De Ascensu & Descensu Luminis.

NAturalis ratio est, quòd, quemadmodum lumen sensuale convenit cum igne, sic intelligere, quod est lumen intellectuale, conveniat cum intellectu: unde quemadmodum lumen candelæ descendit inferiùs per fumum candelæ recenter extinctæ, quæ subtus stat prope candelam accensam, & hoc ideo, quia ignis appetit ascendere cum sua forma, sic intellectus descendit intelligere demonstrationes, quas creaturæ dant de se ipsis, ad hoc, ut intellectus possit intelligere Deum & sua opera; quas demonstrationes intellectus recipit, quando intelligit creaturas, & quando per illas intelligit Deum & sua opera: unde si ignis & sua lux habent possibilitatem, quòd appetant insimul ascendere ad locum, qui fortiùs convenit illorum simplicitati, & habent possibilitatem descendendi inferiùs, ad hoc, ut possint ascendere superiùs, bene sequitur, quòd intellectus & suum intelligere habeant possibilitatem ascendendi superiùs, hoc est, recipiendi Articulos pro objectis; cùm sit manifestum, quòd intellectus & suum intelligere descendant tunc, quando utuntur objectis, quæ sunt inferiora in nobilitate, quàm Aticuli: & si hoc non esset ita, & quòd intellectus descenderet ad intelligendum objecta inferiora, & quòd non posset ascendere ad intelligendum objecta superiora, sequeretur, quòd ignis & suum lumen essent nobilioris conditionis, quàm intellectus & suum intelligere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia si ignis, qui convenit cum minoritate, descendit, ad hoc, ut utatur ascensu, & utitur ascensu, ad hoc, ut descendat, bene sequitur, quòd intellectus, qui convenit cum majoritate, habeat possibilitatem intelligendi Articulos, descendens intelligere demonstrationes, quas creaturæ significant de suo Creatore.

CAPUT XXXV.

De Apprehensione & Comprehensione.

SI esset veritas, quòd intellectui esset impossibile intelligere Trinitatem, significaretur, quòd Deus prohibuisset intellectui intelligere Trinitatem, ad hoc, ut intelligens Trinitatem non comprehenderet totam Trinitatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, significaretur, quòd minoritas conveniret cum Trinitate, & majoritas cum intellectu; sed quia intellectus habet licentiam intelligendi Trinitatem, secundùm quòd potest recipere, & deficit intelligere totam nobilitatem & magnitudinem Trinitatis, idcirco significatur, quòd Trinitas & majoritas conveniant, & intellectus & minoritas: unde cùm hæc significatio conveniat cum majoritate, & prior significatio conveniat cum minoritate, idcirco demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos, secundùm quòd convenit cum minoritate; sed non habet possibilitatem comprehendendi totam magnitudinem & nobilitatem Articulorum, qui sunt majores & magìs nobiles, quàm intellectus. „Unde illi, qui di-„cunt, quòd intellectus in hoc mundo non „possit intelligere Trinitatem (quia si illam „intelligeret, comprehenderet illam) sunt „contra intellectum, qui in gloria intelli-„git Trinitatem, absque eo, quòd illam „comprehendat, sed est comprehensus ab „illa; & sunt contrarii supradictæ significa-„cationi, quæ convenit cum majoritate: & „illi, qui dicunt, quòd intellectus in gloria „intelliget Trinitatem, conveniunt cum „illis, qui dicunt, quòd intellectus habeat „possibilitatem in hoc mundo intelligendi „Trinitatem, quamvìs non intelligat illam „tam manifestè, quemadmodum in altero.

CAPUT XXXVI.

De Unitate & Trinitate Creaturarum.

MAnifestum est, quòd major utilitas & magis nobilis res sit desiderare intelligere Articulos, quàm desiderare, quòd fides, quam homo habet in Articulis, conveniat cum majoritate: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, sequeretur, quòd fides & majoritas convenirent, & quòd Articuli & intellectus & minoritas convenirent, & quòd desiderare intelligere Articulos esset peccatum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos: & si intellectus haberet possibilitatem intelligendi Articulos, sed illos non intelligeret propter defectum creaturarum, quæ illos non significarent, & propter defectum Dei, qui illos non demonstraret intellectui, significaretur, quòd Deus frustra & sinè ratione creasset possibilitatem in intellectu, & frustra creasset unitatem & trinitatem, quam Deus posuit in creaturis, ad significandum suam Unitatem & Trinitatem; „veluti videtur in mundo,

„qui est unus, & est in tribus speciebus, „quæ sunt intellectualitas, sensualitas & a„nimalitas; & omnia individua istarum „specierum sunt in unitate & trinitate, quod„libet singulariter in se: unde cùm sit impossibile, quòd Deus creaverit ullam creaturam frustra & sinè ratione, idcirco demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XXXVII.

De Servire & Intelligere.

CReaturæ, quæ sunt sub specie humana, naturaliter serviunt homini, absque eo quòd illum intelligant: unde si intellectus serviret Deo, absque eo quòd illum intelligeret, esset similis & æqualis creaturis, quæ sunt sub illo; & hoc est impossibile: & si intellectus non serviret per alium modum Deo, nisi utendo suâ naturâ in intelligere creaturas, esset minùs nobilis, quàm creaturæ, quæ sunt sub illo in nobilitate, quæ utentes suâ naturâ & suis proprietatibus serviunt homini: & si hoc ita esset, demonstraretur, quòd servitium, quod intellectus facit Deo, esset solùm in intelligere creaturas; & hoc est impossibile: cùm conveniat cum majori nobilitate, quòd Deus intelligatur, & cùm conveniat cum minori nobilitate, quòd res creatæ intelligantur: unde si hoc, quod convenit cum majori nobilitate, conveniret cum privatione & defectu, & hoc, quod convenit cum minori nobilitate, conveniret cum esse & perfectione, sequeretur, quòd Deus conveniret cum privatione & cum defectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XXXVIII.

De majori & minori Necessitate.

CErtum est, quòd oculi videndo, & aures audiendo, & nasus odorando, & gustus gustando, & tactus palpando dirigant corpus ad illas res, quæ illi sunt magìs necessariæ; quæ supradicta directio movetur & administratur per animam, quæ est forma corporis & supradictorum sensuum: unde si sensus corporales, qui conveniunt cum minoritate, habent motorem, qui illos movet ad illas res, quæ corpori sunt magis necessariæ, bene sequitur, quòd memoria, intellectus & voluntas habeant motorem, qui moveat memoriam ad recolendum, & intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum hoc, quod animæ est de majori necessitate; quæ major necessitas est, quòd Deus, qui est magis nobile & magìs perfectum objectum memoriæ, intellectui & voluntati, quàm ullum aliud objectum, sit recolitus, intellectus & amatus; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd minùs nobile haberet majorem nobilitatem in utendo minori nobilitate, quàm magìs nobile in fruendo majori nobilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XXXIX.

De Illuminatione Voluntatis per Intellectum.

MAnifestum est, quòd intellectus illuminet voluntatem ad capiendum objectum amando vel odiendo, secundùm quòd convenit, objectum esse amatum vel oditum, & secundùm quantitatem convenientem voluntati in amare vel odire objectum: unde quando accidit, quòd voluntas amet hoc, quod deberet odire, & è converso, tunc intellectus illuminat illam cum syntheresi, ad hoc, ut convertat voluntatem de minoritate ad majoritatem, quæ minoritas est vitium, & quæ majoritas est virtus: & quando accidit, quòd voluntas amet objectum plùs vel minùs, quàm conveniat, tunc intellectus illuminat voluntatem, demonstrando illi quantitatem, secundùm quam objectum convenit cum majori nobilitate vel cum minori: sed de voluntate aliquoties non est sic; quia in quantum amat hoc, quod deberet odire, & odit hoc, quod deberet amare, & minùs amat majorem nobilitatem, quàm minorem, & minùs odit majorem defectum, quàm minorem, tunc est contra intellectum: per quam contrarietatem intelligere ipsius intellectûs aliquoties convertitur in ignorantiam: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd voluntas conveniat cum minoritate, & intellectus cum majoritate in nobilitate: unde si voluntas, quæ convenit cum minoritate, habet possibilitatem amandi Articulos, quantò magìs intellectus, qui convenit cum majoritate, habet possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT

CAPUT XL.

De Differentia, Concordantia & Contrarietate Intellectûs & Voluntatis.

VEritas est, quòd differentia & concordantia conveniant cum majoritate & cum esse; & differentia & contrarietas conveniant cum minoritate & cum privatione: unde cùm sit differentia inter intellectum & voluntatem, & cùm habeant concordantiam in esse insimul in uno subjecto, & in capiendo insimul unum objectum intellectum & amatum, idcirco demonstratur, quòd intellectus & voluntas diversè concordent in possidendo possibilitatem, per quam intellectus possit intelligere, & voluntas possit amare Articulos: unde si voluntas posset amare Articulos, & intellectus non posset illos intelligere, sequeretur, quòd voluntas conveniret cum possibilitate, & intellectus cum impossibilitate; & voluntas & intellectus essent diversi & contrarii in uno subjecto, & Articuli convenirent, ut essent objecti voluntati, & essent contrarii intellectui: unde cùm inter intellectum & voluntatem sit differentia & concordantia, per quam conveniunt cum majoritate & cum esse, idcirco possibilitas, quam voluntas habet actualem, quando amat Articulos, significat, quòd intellectus habeat possibilitatem, ut habeat in potentia intelligere, cum quo intelligat Articulos.

CAPUT XLI.

De Concordantia Officii Intellectûs & Voluntatis.

SEcundùm quòd est differentia inter intellectum & voluntatem, sequitur, quòd sit differentia in officio, quod intellectus & voluntas habent in capiendo objectum; quia intellectus per qualitatem objecti intelligit illud, & voluntas per qualitatem objecti amat vel odit illud: unde si intellectus & voluntas concordant & conveniunt in suo officio & in sua proprietate in capiendo objectum creatum, bene sequitur, quòd debeant convenire in suo officio & in sua proprietate in capiendo objectum increatum; cùm objectum increatum benefecerit intellectui & voluntati, & conveniat cum majori nobilitate, quàm objectum creatum; per quod beneficium & per quam majorem nobilitatem sequitur de necessitate, quòd intellectus & voluntas habeant magìs nobile officium & magis nobilem proprietatem & majorem concordantiam & perfectionem, ut fruantur objecto increato, quàm habeant, ut utantur objecto creato: & si hujus esset contrarium, demonstraretur, quòd nobilitas & magnitudo Dei conveniret cum minoritate, & quòd miseria & fragilitas, quæ est in creaturis, conveniret cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem fruendi Sanctâ Trinitate tam perfectè, sicut voluntas.

CAPUT XLII.

De Acu magnetica & Magnete.

ACus magnetica naturaliter se movet ad magnetem, & magnes movet & attrahit ad se acum; & hoc est per perfectam concordantiam & influentiam, quæ est inter magnetem & acum: „quia terra est tam „propinqua suæ simplicitati in magnete & „in ferro, de quo facta est acus, quòd per „illam magnam propinquitatem minor „quantitas se moveat ad majorem, & ma„jor quantitas attrahat ad se minorem: unde cùm magnes & acus conveniant cum minori nobilitate, & in illis non sit pura simplicitas, & nihilominùs generent motum, secundùm quòd suprà dictum est, bene sequitur, quòd Deus, qui convenit cum majori nobilitate, & est pura simplicitas, moveat ad se intellectum, & quòd intellectus se moveat ad intelligendum Deum; cùm intellectus conveniat cum majori simplicitate & nobilitate, quàm propinquitas simplicitatis terræ, quæ est in magnete & in acu: & si hoc non esset ita, demonstraretur, quòd major nobilitas & simplicitas conveniret cum minori influentia & operatione, & quòd minor nobilitas & simplicitas conveniret cum majori influentia & operatione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XLIII.

De Igne & Aqua.

PEr demonstrationem naturalem significatur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia si ignis, qui per magnam concordantiam, quam habet cum aëre & cum terra, calefaciens aërem, & recipiens siccitatem à terra, attrahit ad se aquam, quæ illi est contraria, quantò magìs convenit, quòd Deus, qui

creavit

creavit animam ad suam imaginem, in qua est intellectus, illuminet intellectum, per quod lumen possit intelligere suam perfectionem; & quantò magis intellectus, qui convenit cum majori nobilitate, quàm ignis & aqua, habet majorem dispositionem, ut possit intelligere suum complementum: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, videretur, quòd hoc, quod est contrarium, haberet majorem possibilitatem & dispositionem, ut appropinquaret suo contrario, quàm res, quæ conveniunt sinè contrarietate; & hoc est impossibile.

CAPUT XLIV.

De Objecto Sensuali & Intellectuali.

Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, quòd pulchra dispositio objecti sensualis, quod sentitur, moveat voluntatem hominis ad recipiendum placitum ab illo objecto sensato per visum aut per gustum aut per tactum, & sic de aliis sensibus: quia quantò magis manifestè & expresè objectum se demonstrat sensibus sensualibus, & quantò magis intellectus ponit in se illud objectum, tantò magis intellectus & objectum movent voluntatem, & voluntas se movet ad objectum amando illud: unde si objectum, quod est res sensualis, habet naturam & proprietatem, quòd moveat voluntatem, quæ est res intellectualis; & si objectum, quod est res sensualis, movet intellectum, qui se movet movendo voluntatem, qui intellectus est res intellectualis, bene sequitur, quòd Deus, qui est Essentia intellectualis, moveat intellectum, qui est res intellectualis, ad intelligendum Articulos: & si objectum sensatum, quod convenit cum minori nobilitate, habeat possibilitatem, quòd moveat intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum, bene sequitur, quòd Incarnatio & Passio Filii Dei, quæ convenit cum majori nobilitate, habeat possibilitatem, ut moveat intellectum ad intelligendum, & voluntatem ad amandum Articulos: & si hoc non esset ita, demonstraretur, quòd esset major concordantia inter sensualitatem & intellectualitatem, quàm inter unam intellectualitatem & alteram; & quòd Incarnatio conveniret cum minori nobilitate, & objecta sensata cum majori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XLV.

De Mediatè & Immediatè.

Manifesta ratio demonstratur humano intellectui, quòd Deus per se solùm (h. e. sinè medio) non cognoscatur per intellectum in hoc mundo, in quo intellectus convenit cum minoritate secundùm respectum majoritatis, cum qua intellectus conveniet in gloria, quando cognoscet Deum sinè medio: unde cùm Deus in hoc mundo sit demonstrabilis per medium, quemadmodum res intellectuales, quæ sunt demonstrabiles cum medio, hoc est, cum rebus intellectualibus, idcirco intellectus, qui cum sensualibus intelligit Deum per demonstrationes, habet suum intelligere propinquum ignorantiæ, secundùm respectum illius intelligere, quod habet in rebus, quas intelligit sinè medio; quemadmodum album, quod intelligit contrarium nigro, & totum esse plus, quàm suam partem: & ideo intellectus est magis propinquus dubitationi, quando intelligit cum medio, & magis remotus à dubitatione, quando intelligit sinè medio: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd, quemadmodum homo lucratur majus meritum per fidem, secundùm quòd sua fides est major, ita homo lucretur majus meritum per intelligere, quando intelligit cum medio, quàm quando intelligit sinè medio; quia quemadmodum fides dat homini majorem passionem, quando homo credit Trinitatem & Incarnationem, quàm quando credit solùm Unitatem Dei; sic intellectus, qui intelligit cum medio, dat homini tantò majorem passionem, quantò fortiùs conatur intelligere; quem conatum facit fortiùs, quando intelligit cum medio, quàm quando intelligit sinè medio. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, si homo per fidem habeat possibilitatem lucrandi meritum, benè sequatur, quòd homo habeat meritum per intelligere; cùm homo debeat majorem conatum adhibere in intellectu ad intelligendum Articulos, quàm per fidem credendo illos: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus conveniret cum injuria, minoritate & defectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem lucrandi meritum intelligendo Articulos; quod meritum lucrari illi esset impossibile, si illi esset impossibile intelligere Articulos.

CAPUT

CAPUT XLVI.

De Theorica & Practica.

Certum est, quòd Practica moveatur per Theoricam, cùm theorica ordinet illam ad finem, ad quem practica movetur: *unde sicut anima est forma corporis, sic theorica est forma practicæ:* unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd corruptio formæ practicæ & credulitas conveniant, & generatio formæ practicæ & intelligere conveniant: unde cùm corruptio & minoritas conveniant, & fides & minoritas conveniant per convenientiam, quæ est inter fidem & credulitatem, & cùm generatio & majoritas conveniant, & majoritas & intelligere habeant concordantiam per convenientiam, quæ est inter generationem & intelligere, bene sequitur, si homo habet possibilitatem per fidem credendi Articulos, quòd habeat possibilitatem per intellectum intelligendi Articulos: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, sequeretur, quòd majoritas, generatio & possibilitas convenirent cum privatione, & quòd minoritas, corruptio & impossibilitas convenirent cum esse; & hoc est impossibile: per quâ impossibilitatem significatur, quòd homo habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XLVII.

De Vegetativa & Sensitiva.

Naturalis ratio est, quòd motus vegetativæ sit magis nobilis in corpore animato, quàm in vegetabili tantùm; & hoc est ideo, quia finalis ratio est magis nobilis in corpore animato, quàm in vegetabili: & hoc idem est de sensitiva, cujus motus est magis nobilis in animali rationali, quàm in animali irrationali, per hoc, quia causa finalis est magis nobilis in animali rationali, quàm in animali irrationali: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd intellectus sit magis nobilis in intelligere Deum, quàm creaturam, per hoc, quia causa finalis, ad quam se movet ad intelligendum, est major, quando intelligit Deum, quàm quando intelligit creaturam: unde cùm esse & majoritas conveniant, privatio verò & minoritas, bene sequitur, si finalis ratio est in vegetativa, quòd sit in sensitiva; & si est in sensitiva, quòd sit in rationali; & si intellectus utitur finali ratione, quando intelligit creaturas, bene sequitur, quòd habeat possibilitatem fruendi Deo, & intelligendi Articulos: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd intellectus & frui convenirent cum minoritate & privatione, & quòd vegetativa, sensitiva & rationalis & uti convenirent cum majoritate & esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd intellectus esset minor, quàm suum minus, & esset major quàm suum minus, & esset major per minus, & minor per majus; & hoc est impossibile.

CAPUT XLVIII.

De Generatione & Corruptione.

Secundùm cursum naturalem ignis & aqua conveniunt cum medio in generatione per calorem & humiditatem, & in corruptione per frigiditatem & siccitatem: *in Generatione* per hoc, quia ignis calefacit aërem, & aqua recipit humiditatem aëris, & ignis mortificat frigiditatem conjunctam cum humiditate calefacta, & mortificat frigiditatem in siccitate, quæ recipit frigiditatem: & ideo forma aquæ substantialis, hoc est, frigiditas, convertitur in formam accidentalem, hoc est, calorem, in aqua calefacta; qui calor convenit cum humiditate in generatione: & per contrarium sensum frigus accidentale, per quod privatur forma substantialis, hoc est, calor naturalis & siccitas frigefacta, in qua calor mortificatur, conveniunt *in Corruptione:* unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd inter intellectum & Angelum benignum illi datum pro custodia sit convenientia, per quam Angelus possit illum inducere ad intelligendum Deum & sua opera, & quòd inter intellectum & Angelum malignum sit convenientia, per quam Dæmon possit inducere intellectum ad ignorandum Deum & sua opera (consentiente tamen ratione dæmoni) unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd Angelus, qui habet cognitionem Trinitatis & Articulorum, meliùs possit convenire cum intellectu humano, ut illum appropinquet Deo & suis operibus, & elonget illum à vitiis & peccatis, si intellectus habet possibilitatem intelligendi Articulos, quàm si illi esset impossibile intelligere illos: & dæmon habet majorem dispositionem, ut sit contrarius Angelo benigno & intellectui, & intellectus inde habet majorem possibilitatem lucrandi meritum vel culpam, si habet possibilitatem intelligendi Articulos, quàm si illi esset impossibile illos intelligere: unde cùm convenientia & majoritas concordent, disconvenientia verò & minoritas, majoritas autem & possibilitas conveniant cum esse, sed minoritas & impossibilitas conveniant cum privatione, per hoc demonstratur, quòd

intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos.

CAPUT XLIX.

De Sono, Voce & Auditu.

MAnifestum est secundùm rationem naturalem, quòd sonus non posset esse species sinè auditu; quia sicut longitudo non sufficeret esse corpus sinè latitudine & profunditate, sic sonus & tactus corporum non sufficeret esse species per se solùm: unde sicut forma est complementum corporis, sic auditus est forma, quæ est complementum soni & vocis: unde cùm auditus sit forma, ùt suprà dictum est, per hoc demonstratur, quòd vox conveniat cum majori nobilitate, quàm sonus; cùm auditus & animalitas, & vox & animalitas in natura conveniant: unde cùm auditus sit magìs nobilis in animali rationali, quàm in irrationalibus, per hoc demonstratur, quòd vox conveniat cum majori nobilitate in homine, quàm in alia specie. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd intellectus habeat possibilitatem intelligendi Articulos; quia sicut vox ascendit de gradu in gradum in majorem nobilitatem usq; ad speciem humanam, & supra illam non potest altiùs ascendere in nobilitate naturaliter, sic convenit, quòd intelligere, quod est magìs nobilis res, quàm auditus, ascendat de gradu in gradum per virtutem Dei, quousque intellectus intelligat Articulos, supra quos non potest habere magìs nobile suum intelligere: & si hoc non esset ita, & auditus posset ascendere de minori nobilitate ad majorem, & intellectus non haberet eandem possibilitatem, sequeretur, quòd auditus conveniret cum majori nobilitate, & intelligere cum minori; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Deus in suis operibus conveniret cum minori nobilitate contra majorem; & hoc est impossibile.

CAPUT L.

De Virtute visiva sensuali & intellectuali.

CUm noster Dominus Deus ordinaverit, quòd per unam demonstrationem homo intelligat alteram, idcirco nos per demonstrationem speculativam sensualem significamus possibilitatem, quam intellectus habet intelligendi Articulos: idcirco dicimus, quòd virtus visiva non vadat ad objectum; quia si ad illud vaderet, moveretur extra oculos, & videret antè objecta, quæ illi sunt magìs propinqua, quàm illa, quæ ab illa sunt magìs remota; quæ objecta remota tam citò capit, quàm illa, quæ illi sunt propinqua: & ratio, quare videt magìs clarè objectum propinquum, quàm remotum, est propter hoc, quia lumen objecti propinqui est magìs approximatum oculis, quàm lumen objecti remoti: & ratio, quare homo non potest videre objectum, quando est nimìs propinquum oculis, est propter hoc, quia deficit lumen & spatium, quod convenit esse inter oculos & objectum: si autem objectum veniret ad oculos, sequeretur, quòd color objecti coloraret oculos, & quòd se moveret extra superficiem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem & per supradictas rationes significatur, quòd lumen oculorum, & lumen, quod est in objecto, sint termini lineæ luminosæ continuæ in aëre luminoso in figura trianguli, inter quam lineam & oculos & objectum non est medium: unde cùm hoc ita sit, & cùm virtus visiva sensualis conveniat cum minori nobilitate, & nihilominùs veniat ad complementum per ordinatam dispositionem & directionem, bene sequitur, quòd virtus visiva intellectualis, quæ convenit cum majori nobilitate, habeat per gratiam Dei possibilitatem, ut veniat ad complementum per objecta, quæ illi sunt majus complementum beatitudinis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd visus sensualis conveniret cum majoritate, & intellectualis cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd quemadmodum visus sensualis habet dispositionem, per quam se movet ad illa objecta, quæ illi sunt magìs necessaria, & etiam ad alia objecta, quæ illi non sunt tam necessaria, sic visus intellectualis per ordinatam dispositionem habeat aptitudinem, ut se moveat ad intelligendum objecta illi magìs necessaria, hoc est, Articulos, & etiam ad alia, quæ illi non sunt tam necessaria.

„ Finitus est primus Liber per gratiam & „ per virtutem Dei, in quo est demonstratum „ per necessarias Rationes, quòd Deus secun„ dùm suam magnam nobilitatẽ intellectui „ dederit possibilitatem intelligendi Articu„ los catholicos: *unde si quis vult calumniari hunc Librum, & illum destruere per necessarias rationes, convenit, quòd det rationes magis necessarias, quàm sint quinquaginta Rationes, quæ continentur in hoc Libro, quæ sint contrariæ rationibus hujus Libri, significantes majorem nobilitatem in Deo & in intellectu, quàm sit nobilitas, quæ significatur in hoc Libro, ad gloriam, laudem, reverentiam & honorem nostri Domini Dei.*

INCIPIT

INCIPIT SECUNDUS LIBER

In quo probatur per necessarias Rationes Existentia & Unitas DEI.

DEUS, qui es Lumen & Splendor omnium Luminum & omnium Splendorum, & qui comprehendis omnia principia & omnes fines, cum tua gratia, auxilio & benedictione incipit *Secundus Liber*, in quo inquiritur multùm excellens *suprema Bonitas*

DE

PROLOGO.

VIsui sensuali & lumini intellectuali est demonstrabilis magnus error gentilium & idololatrarum, qui sunt in tenebris, per quas vadunt ad perdurabiles pœnas propter defectum luminis fidei & intellectus illuminati per illum, qui est illuminatio veritatis, de quo infideles recipiunt beneficium in hac præsenti vita: unde cùm sit multùm conveniens fidelibus Christianis beneficiatis & illuminatis ab illo, qui est fons & lumen vitæ perdurabilis, quòd adjuvent & accurrant suî similibus creaturis, & cùm sit multùm inconveniens & crudele & sinè charitate non adjuvare illos, propterea nos cum intentione amandi & laudandi supremum Bonum ac illi serviendi, & ad hoc, ut illi, qui sunt in errore, ab illo supremo Bono capiant lumen, cum quo sciant habere cognitionem sui Creatoris, & exeant è tenebris, in quibus sunt, inquirimus & demonstramus significata & demonstrationes, per quas Deus est demonstrabilis *per necessarias Rationes.*

Cùm primus Articulus Catholicorum sit credere, amare & laudare unum Deum multùm glorioſum & multùm dignum omni honore, & illi obedire, idcirco nos in toto hoc Libro intendimus inquirere, supremam Bonitatem esse, cum intentione inquirendi & inveniendi supradictum Articulum: & quia nos in toto hoc Libro tenemus Modum & Regulam *Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem, quæ noviter est inventa*, inquirimus supremam Bonitatem per demonstrationem hujus Figuræ, cum qua & in qua inquirimus supremum Bonum.

Bonitas Magnitudo	*Bonitas Æternitas*	*Bonitas Potestas*
Bonitas Sapientia	*Bonitas Amor*	*Bonitas Virtus*
Bonitas Veritas	*Bonitas Gloria*	*Bonitas Perfectio*
Bonitas Justitia	*Bonitas Dominium*	*Bonitas Simplicitas*

Rubricæ, quæ continentur in hoc Libro, sunt per modum descriptionis & demonstrationis in hac inquisitione, in qua indigemus *sex Conditionibus.*

Prima Conditio est, quòd duodecim Cameras, quæ continentur in supradicta Figura, intelligamus æquales in nobilitate & magnitudine & in omni eo, quod convenit supremo Bono.

Secunda Conditio est, quòd intelligamus, omnes Cameras insimul esse supremam Bonitatem.

Tertia Conditio est, quòd in qualibet Camera Bonitas sit prædicatum, & alia dictio subjectum: non tamen dicimus, quòd in Deo sit Camera vel Cameræ, nec Figura nec Figu-

ræ, nec subjectum nec prædicatum; sed quia sic nos convenit loqui secundùm hanc Artē.

Quarta Conditio est, quòd cum æternitate nos certificemus de hoc, quod convenit supremæ Bonitati.

Quinta Conditio est, quòd sequamur Regulam trium graduum Demonstrationis, qui sunt in *decimo tertio Capite.*

Sexta Conditio est, quòd in hac inquisitione sequamur modum *quatuor Conditionum*, quæ continentur in *Prologo primi Libri.*

CAPUT I.

De Bonitate & Magnitudine.

1. NOtum est per necessarias demonstrationes, quòd quædam bona sint superiora aliis; quia irrationalia sunt majora bona, quàm plantæ, in quantum utuntur sensualitate; & rationalia sunt majora, quàm irrationalia, in hoc, quòd utantur ratione: idcirco de necessitate convenit, quòd aliqua res sit, quæ sit supremum Bonum; quia si omnia bona essent æqualia in nobilitate, & nullum bonum esset superius altero bono, necessariò sequeretur, quòd irrationalia non essent majora bona, quàm plantæ, nec rationalia, quàm irrationalia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, supremum Bonum esse.

2. Cùm rationalia sint majus bonum, quàm irrationalia, inquiramus, utrùm rationalia sint supremum Bonum *per demonstrationem Figuræ, quæ continetur in Prologo*, quæ nobis demonstrat, quòd, quemadmodum quinque non capiuntur in tribus, sic infinitas bonitatis, magnitudinis, æternitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, virtutis, veritatis, gloriæ, perfectionis, justitiæ, dominii & simplicitatis non capiatur nec comprehendatur in bono rationalium; quia si in illo comprehenderetur, conveniret, quòd illorum bonitas haberet omnes supradictas proprietates: itaque rationalia non sufficiunt esse supremum Bonum: idcirco de necessitate convenit, aliquam aliam rem esse, quæ sit supremum Bonum, cum qua conveniant omnes cameræ Figuræ.

3. Ponamus, esse verum, quòd aliquod vel aliqua particularia, vel insimul sint supremum Bonum; non est verum: quia particularia sunt sub speciebus; & non convenit, supremum Bonum esse sub alio bono: etiam quia particularia sunt in pluralitate, in qua est differentia & contrarietas, principium & finis, & multæ aliæ qualitates, cum quibus non convenit æternitas, quæ convenit cum Bono, quod sit infinitum in magnitudine, potestate & aliis cameris.

4. Certum est, quòd universalia nec in parte nec in toto sufficiunt esse supremum Bonum; quia particularia conveniunt cum esse, & universalia cum essentia: & quia esse convenit cum majoritate, & essentia, hoc est, species, cum minoritate, est impossibile, quòd universalia sint supremum Bonum in nobilitate, & quòd particularia sint inferius bonum; quia si esset possibile, sequeretur, quòd bonum, quod est magis remotum à non esse, esset inferius bonum, & quòd bonum, quod est magis propinquum ipsi non esse, esset supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd universalia non possint esse supremum Bonum.

5. Cùm demonstraverimus, quòd nec rationalia nec particularia nec universalia possint esse supremum Bonum, & cùm demonstraverimus, quòd necessariò conveniat, esse supremum Bonum, idcirco convenit, quòd supremum Bonum sit hoc, quod convenit habere duodecim proprietates essentiales, quas appellamus virtutes virtuosas essentiales, quæ insimul sunt una Essentia, quæ est supremum Bonum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis proprietatibus, quæ continentur in Figura: & si supradictæ virtutes non sufficerent esse supremum Bonum, conveniret, quòd esset aliquid magis nobile, quàm infinita Bonitas in magnitudine, & quàm infinita æternitas in magnitudine, & quàm potestas & aliæ virtutes infinitæ; & hoc est impossibile, quòd ullum bonum possit esse superius infinito Bono: quia si hoc esset, sequeretur, quòd una infinitas & æternitas esset magis nobilis, quàm altera; & hoc est impossibile: & si Bonum, quod est infinitum, non sufficeret esse supremum Bonum, & bonum finitum esset supremum Bonum, sequeretur, quòd homo per minus bonum esset magis propinquus & magis similis supremo Bono, & per majus bonum esset magis remotus & magis dissimilis supremo Bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, hoc, quod est majus bonum, esset minus bonum, & hoc, quod est minus bonum, esset majus bonum; & hoc non est verum.

CAPUT

CAPUT II.

De Bonitate & Æternitate.

1. RAtio consentit, quòd tempus & motus & potentia universalis meliùs conveniant cum Æternitate in duratione, quàm individua specierum; sed individua humanæ speciei meliùs conveniunt cum æternitate in nobilitate, quàm tempus, motus & potentia: propter hoc ratio non consentit, quòd motus, tempus, potentia, & individua humanæ speciei sint supremum Bonum; quia si hoc essent, sequeretur, quòd æternitas conveniret cum minori bono, in quantum conveniret cum minori duratione & nobilitate; per quam minoritatem esset inconveniens cum bonitate infinita in magnitudine, potestate & sapientia & in aliis cameris, quæ continentur in Figura; per quam inconvenientiam non sufficeret esse supremum Bonum.

2. Et si humana species esset supremum Bonum, æternitas conveniret cum minùs nobili, hoc est, specie, & non cum magis nobili, hoc est, individuis rationalibus; & si hoc faceret, non posset esse supremum Bonum: & si æternitas non esset supremum Bonum, & bonitas infinita in magnitudine, potestate & aliis cameris esset supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum posset esse sinè æternitate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum haberet principium à se ipso, vel ab inferiori bono; & hoc non est verum: quia est impossibile, quòd ullum bonum possit esse principium sui ipsius, & quòd inferius bonum sit principium supremi Boni: unde cùm sit manifestum, quòd tempus, motus, potentia & animalia sint in esse, & non sufficiant esse supremum Bonum, de necessitate convenit, quòd sit aliquid aliud, quod sit æternum, infinitum in bonitate, magnitudine, potestate & in aliis cameris, & quòd illud sit supremum Bonum.

CAPUT III.

De Bonitate & Potestate.

1. MAnifestum est, quòd, si est suprema Potestas, illa potestas sit supremum Bonum; quia si conveniret, supremam potestatem esse inferius bonum, sequeretur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, non esset potestas; & hoc est impossibile, quòd supremum Bonum sit sinè potestate: & si suprema Potestas est aliquid, & illa potestas non est supremum Bonum, est impossibile, quòd potestas sit bonum: & si Potestas suprema non posset esse bonum, quantò minùs potestas inferior posset esse bonum: & si suprema potestas esset inferius bonum, sequeretur, quòd inferior potestas esset supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si suprema Potestas est, illa potestas sit supremum Bonum.

2. Non convenit, quòd potestas animæ in intelligere, velle, facere bonum & malum & in aliis operationibus, quibus anima est subjecta, sit suprema Potestas; & hoc idem sequitur de potestate naturæ, & de potestate individuorum & specierum: quia in qualibet supradictarum potestatum est defectus, propter quem defectum disconveniunt cum æternitate, quæ æternitas disconveniret cum bonitate infinita in magnitudine, potestate & in aliis cameris Figuræ, si conveniret cum supradictis potestatibus: per quam inconvenientiam est demonstrabilis impossibilitas, quæ est, quòd supradictæ potestates conveniant cum æternitate, & quòd æternitas disconveniat cum bonitate infinita in magnitudine, potestate &c.: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd potestas animæ & naturæ & individuorum & omnes aliæ potestates, quæ non conveniunt cum æternitate, sint inferiores bono, quod convenit cum æternitate.

3. Ponatur verum, quòd suprema Potestas esset potestas æternitatis in firmamento æternali & in potentia plantarum & sanguinis in aqua æternali; non est verum: quia potestas firmamenti & supradictæ potentiæ non conveniunt cum infinita bonitate in magnitudine &c.; & ideo non possunt convenire cum æternitate, sinè qua non possunt esse supremum Bonum.

4. Ponatur verum, quòd æternitas & potestas firmamenti & potestas potentiæ universalis in plantis & in sanguine esset suprema Potestas & supremum Bonum absque eo, quòd æternitas conveniret cum bonitate infinita in magnitudine, potestate & in aliis cameris; non est verum: quia æternitas sinè virtute & perfectione & simplicitate non esset sinè principio & fine; & si non esset, tunc non esset æternitas; & si non esset, nec firmamentum nec potentia possent esse supremum Bonum.

5. Ponatur, quòd æternitas & firmamen-

tum & perfectio & virtus & simplicitas & supradicta potentia sint supremum Bonum & suprema Potestas, & quòd aliæ cameræ Figuræ nihil essent; non est verum: quia si esset verum, sequeretur, quòd æternitas, virtus, perfectio & simplicitas convenirent cum defectu, & quòd disconvenirent cum perfectione; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd perfectio & defectus essent unum idem, & æternitas & principium & finis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Potestatem esse, quæ convenit cum supremo Bono, quod convenit cum bonitate infinita in magnitudine, potestate &c.; sinè qua potestate & supremo Bono non possent esse supradictæ potestates, quàs non convenit esse supremum Bonum: unde cùm illæ potestates sint in esse, secundùm quòd sentimus & intelligimus, de necessitate convenit, supremam Potestatem & supremum Bonum esse.

CAPUT IV.

De Bonitate & Sapientia.

1. VEritas est, quòd Sapientia sit bonum, quia si esset malum, sequeretur, quòd ignorantia esset bonum; & hoc non est verum: unde cùm sit necessarium, quòd sapientia sit bonum, idcirco nos inquirimus supremam Sapientiam, quæ est supremum Bonum.

2. Quemadmodum convenit, quòd æternitas sit supremum Bonum per hoc, quia est duratio sinè principio & fine, sic convenit, quòd æternitas sit supremum Bonum per hoc, quia est sciens se ipsam sinè principio & fine: quia sicut non convenit, quòd duratio, quæ habet principium & finem, sit supremum Bonum, sic non conveniret, quòd æternitas esset supremum Bonum absque eo, quòd se ipsam sciret sinè principio & fine, quamvis esset sinè principio & fine: & hoc est ideo, quia supremum Bonum se habet tam perfectè ad sapientiam, quæ sciat æternitatem sinè principio & fine, sicut ad durationem, quæ sit sinè principio & fine: & si conveniret æternitati, se ipsam scire sinè principio & fine, & nesciret se ipsam sinè principio & fine, conveniret per durationem æternitatis cum magìs nobili nobilitate se ipsâ, & haberet defectum nobilitatis in se ipsa; in quantum haberet ignorantiam sui ipsius: & si hoc esset ita, esset impossibile, quòd æternitas esset supremum Bonum: quia si esset, sequeretur, quòd supremum Bonum, ignorantia & defectus essent unum & idem; & hoc est impossibile.

3. Si negas æternitatem, tunc affirmas, quòd suprema Bonitas & suprema Sapientia non sint sinè principio: unde de tali negatione & affirmatione sequitur, quòd suprema duratio & suprema sapientia habeant de se ipsis principium; & hoc non est verum: quia nulla res potest esse principium sui ipsius: & si habet principium ab altero, tunc jam negas, quòd hoc, quod habet principium, sit supremum Bonum: & si affirmas, quòd æternitas & suprema Sapientia habeant finem, & negas, quòd habeant principium, tunc jam affirmas, quòd ignorantia, defectus, corruptio, mors & privatio conveniant supremo Bono, & illorum contrarium supremo malo; & hoc est impossibile.

4. Certum est, quòd quemadmodum non conveniret, quòd æternitas esset supremum Bonum non habens principium & finem, & ignorans, se ipsam esse sinè principio & fine, sic non conveniret, quòd suprema Sapientia esset supremum Bonum, si unum infinitum non sciret se ipsum & alterum infinitum, infinitè sciens se ipsum & alterum, & infinitè scitum per alterum, quod infinitè sciret se ipsum: quia si non esset nisi unum infinitum, quod sciret se ipsum tantùm infinitum, esset finitum, in quantum non sciret alterum infinitum, nec esset scitum infinitè per alterum infinitum; & si hoc esset ita, sequeretur, quòd æternitas esset magìs nobilis bonitas, quàm sapientia: quia convenit, quòd æternitas sit duratio sinè principio & fine in Essentia, quæ sit magna infinitè in magnitudine, potestate, sapientia & in aliis virtutibus, quæ continentur in Figura; & infinitum, quod non sciret alterum infinitè, nec esset scitum infinitè per alterum infinitum, sed sciret se ipsum tantùm infinitum, non conveniret cum tanta nobilitate, sicut æternitas; & si hoc esset ita, sequeretur, quòd æternitas esset supremum Bonum, & sapientia inferius bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd sapientia haberet principium; & si haberet principium, æternitas non posset esse supremum Bonum, secundùm quòd suprà dictum est.

5. Cùm demonstraverimus per necessarias rationes, quòd conveniat, quòd sapientia

entia, quæ est supremum Bonum, sit sinè principio & fine, negatur per necessarias demonstrationes, quòd ulla sapientia, quæ habeat principium & finem, possit esse supremum Bonum: unde si tu dicis, quòd subjectum, quod est potentia ad ignorantiam, vel appetitus naturæ vel animalium irrationalium vel plantarum vel sapientiæ universalis sit supremum Bonum; tunc jam negas convenientiam æternitatis & supremæ Sapientiæ, quæ est una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis proprietatibus, quæ continentur in Figura, sinè quibus est impossibile, esse supremum Bonum.

CAPUT V.

De Bonitate & Amore.

1. DE necessitate convenit, quòd Amor & amare hoc, quod convenit amari, & amatum & amans sint bonum; quia si non essent bonum, sequeretur, quòd illorum contrarium non esset malum; & hoc non est verum: unde cùm hoc ita sit, nos inquirimus supremum Amorem, qui est supremum Bonum.

2. Certum est, quòd, quemadmodum convenit, quòd æternitas sit sinè principio & fine, sic æternitas se habeat ad amorem, qui sit magnus sinè principio & fine in bonitate, potestate & in aliis cameris, quæ continentur in Figura: & si non conveniret, quòd amor esset sinè principio & fine, sequeretur, quòd æternitas esset supremum Bonum, & amor inferiùs; & hoc est impossibile: quia si æternitas conveniret cum amore infinito in magnitudine & in aliis proprietatibus, & amor esset finitus & terminatus, sequeretur, quòd in æternitate privaretur supremum Bonum, & quòd conveniret, æternitatem esse supremum Bonum; & hoc non est verum: quia si esset verum, sequeretur, quòd æternitas & supremum Bonum & privatio supremi Boni & inferius bonum essent unum & idem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis supremus Amor, qui est supremum Bonum sinè principio & fine in Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

3. Manifestum est, quòd, si convenit, æternitatem esse supremum Bonum per hoc, quia est sinè principio & fine, sic & multò meliùs etiam sinè omni comparatione conveniat, ipsam esse supremum Bonum per hoc, quia est infinita; quia infinitas & æternitas sunt Essentia, quæ est supremum Bonum; & principium & finis in Essentia non sunt supremum Bonum; quia si essent, essent essentia substantialis, & sequeretur, quòd principium & finis possent esse substantia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quemadmodum per modum sermocinandi est demonstratum, quòd conveniat, æternitatem esse supremum Bonum per hoc, quia non habet principium & finem, sic conveniat, quòd Amor, qui sit sinè principio & fine, sit supremum Bonum; & quemadmodum secundùm veritatem convenit, æternitatem esse supremum Bonum per hoc, quia convenit cum infinitate, sic secundùm veritatem convenit, amorem esse supremum Bonum, si est infinitus.

4. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, quemadmodum convenit, æternitatem esse supremum Bonum per hoc, quia convenit cum bonitate infinita in magnitudine, potestate & sapientia, sic conveniat, quòd conveniat supremo Bono amanti se ipsum infinitè: quia si æternitas esset bonitas infinita in magnitudine, potestate & sapientia, & non amaret se ipsam, vel amaret se ipsam finitè, conveniret, quòd haberet in se ipsa defectum amoris, & esset supremum Bonum per infinitam bonitatem, magnitudinem, potestatem & sapientiam, & esset inferius bonum per amorem finitum; & hoc est impossibile, quòd supremum Bonum & inferius bonum sint unum & idem in æternitate, nec in alia re: & si amor infinitus, qui convenit cum infinita bonitate, magnitudine, potestate & sapientia, esset supremum Bonum, & non conveniret cum æternitate, sequeretur de necessitate, quòd amor infinitus & finitus essent supremum Bonum & inferius bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremus Amor conveniat cum æternitate, sinè qua non posset esse supremum Bonum.

5. Humana consideratio intelligit, quòd, quemadmodum non conveniret, quòd supremus Amor esset supremum Bonum sinè æternitate infinita, sic non conveniret, quòd supremus Amor esset supremum Bonum sine amatore infinito, qui amaret infinitè amatum infinitum, per quem esset amatus infinitè; & quemadmodum non conveniret, amatorem esse supremum Bonum, nisi

amaret

amaret infinitè amatum infinitum, & nisi esset amatus infinitè per amatum infinitum, sic non conveniret, quòd amator esset supremum Bonum, nisi amaret se ipsum infinitè; & hoc idem sequitur de amato: & si esset unus amator infinitus tantùm, qui non esset amatus per alium amatorem infinitum, sequeretur, quòd supremum Bonum amoris non esset æquale in nobilitate cum supremo Bono æternitatis; quia convenit, quòd suprema æternitas sit supremum Bonum per hoc, quia convenit, illam durare infinitè, & scire se ipsam infinitè; & conveniret tantùm, quòd amator infinitus esset supremum Bonum per amare se ipsum, & non per esse amatum per alterum æqualem sibi ipsi.

6. Et si tu dicis, quòd amator infinitus sit æqualis in nobilitate cum æternitate, posito, quòd non sit amatus per alterum amatorem infinitum, & quòd sciat se ipsum, & quòd sit durans amans se ipsum infinitè; non est verum: quia æternitas non potest considerari magis alta, nec magis nobilis, nec habet ullum defectum, & habet omnem perfectionem, postquam convenit, quòd sit una Essentia infinita in bonitate & magnitudine, potestate, sapientia & amore &c.: & amor, si unum infinitum non amaret alterum infinitum, per quod esset amatum, non consideraretur tam nobilis, nec conveniret tam bene cum Essentia innita in bonitate & magnitudine &c., sicut æternitas: quia hoc posito, quod suprà dictum est, æternitati nulla perfectio deficit; & negato, quòd unum infinitum amet alterum infinitum, & unum infinitum sit amatum per alterum infinitum, negatur, quòd supremus Amor habeat omnem perfectionem.

CAPUT VI.

De Bonitate & Virtute.

1. CErtum est, quòd Virtus sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd defectus boni esset virtus; & hoc non est verum: & si virtus non esset bonum nec malum, sequeretur, quòd defectus boni non esset malum; & hoc non est verum: unde cùm sit manifestum, quòd virtus sit bonum, idcirco nos inquirimus supremam Virtutem, quæ est supremum Bonum.

2. Certum est, quòd virtus sit in verbis, herbis & lapidibus, & ista virtus non sufficit esse supremum Bonum: quia Fides, Spes, Charitas, Justitia, Prudentia, Fortitudo & Temperantia sunt magis nobiles virtutes in homine, quàm sit virtus, quæ est in verbis, herbis & lapidibus.

3. Ponatur, quòd virtus, quæ est in sensibus particularibus, sit suprema Virtus; non est verum: quia sensus particulares non utuntur continuò virtute, nec possunt uti virtute sinè subjecto & objecto, & anima habet magis nobilem usum virtutis, quàm sensus particulares; quia charitas est magis nobilis virtus, quàm virtus visiva, gustativa & aliæ virtutes sensuum particularium.

4. Ponatur, quòd virtus elementorum sit suprema Virtus; non est verum: quia nullum elementum utitur suâmet virtute in se ipso; quia ignis non calefacit nec illuminat se ipsum, sed alterum; nec ullum elementum potest uti suâ virtute sinè auxilio alterius: unde cùm suprema Virtus debeat uti suâ virtute in se ipsa sinè auxilio alterius virtutis, ideo convenit, aliam virtutem esse supremam, quæ non sit virtus elementata.

5. Ponatur, quòd virtus firmamenti & corporum cœlestium sit suprema Virtus; non est verum: quia magis nobiles sunt virtutes theoricæ & virtutes practicæ in anima, quàm sint virtutes corporum cœlestium in corporibus elementatis.

6. Ponatur itaque, quòd virtus animæ sit suprema Virtus; non est verum: quia anima est subjecta ignorantiæ & vitiis, quæ sunt contraria virtutibus, & anima non utitur continuò suis virtutibus: & quia suprema Virtus convenit Essentiæ, quæ continuò utatur virtute, quæ non sit potentia ad vitium, idcirco convenit, quòd hoc, quod est suprema Virtus, sit magis alta & magis nobilis virtus, quàm virtus animæ.

7. Ponatur, quòd omnes supradictæ virtutes particulares sint unius virtutis universalis, quæ sit species, & quòd illa sit suprema Virtus; non est verum: quia virtus magis nobilis est in particularibus, quàm in universalibus; cùm particularia utantur virtute, & in universalibus non sit usus virtutis.

8. Cùm igitur nulla supradictarum virtutum nec omnes insimul sufficiant esse suprema Virtus, ponatur verum, quòd aliqua illarum, quæ sit magis perfecta, sit suprema Virtus, quamvis non habeat omnem perfectionem; & quòd virtus, quæ habet omnem perfectionem, non sit in esse; non est verum: quia æternitas convenit cum omni

omni perfectione; & si non haberet virtutem perfectam, conveniret cum defectu; & sequeretur, quòd æternitas æternaliter uteretur perfectione & defectu; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd defectus non conveniret cum privatione, nec perfectio cum duratione; & hoc non est verum.

9. Ponatur verum, quòd æternitas nihil esset; non est verum: quia si æternitas nihil esset, sequeretur, quòd hoc, quod est, haberet principium à se ipso; & hoc est impossibile: & si æternitas nihil esset, sequeretur, quòd magis nobilis virtus esset credere falsitatem, quàm scire veritatem; quia fides, quæ credit, quòd Deus sit æternus, & sit suprema Virtus, dirigit hominem ad virtutes, & deviat illum à vitiis: & si sciretur, quòd Deus nihil esset, scientia esset homini causa contemnendi virtutes, & amandi vitia: unde cùm sit impossibile, quòd error & falsitas sint causa virtutis, quæ est bonum, & quòd scientia & veritas sint causa vitii, quod est malum, idcirco est demonstrabile, Deum esse, sinè quo fides non haberet lumen nec vim ad dirigendum hominem ad virtutes.

10. Obj. Cùm tu demonstraveris, quòd nulla supradictarum virtutum possit esse suprema Virtus, demonstra itaque, quæ sit illa virtus, quæ est suprema. Responsum est ad hanc quæstionem, & demonstratum, quòd suprema Virtus sit bonitas infinita in magnitudine, æternitate, potestate & in aliis virtutibus, quæ continentur in Figura; quæ supradictæ virtutes sunt una eadem virtus in una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ; quæ virtutes sunt essentiales proprietates virtuosæ, sinè quibus virtutibus nulla supradictarum virtutum, quæ non sufficiunt esse suprema Bonitas, esset in esse; quia si essent in esse, sequeretur supradicta inconvenientia æternitatis: & quia Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ habet proprietates diversas, quæ sunt virtutes personales, substantiales, essentiales, perfectæ, infinitæ in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ, idcirco est demonstrabile, quòd hoc, quod est suprema Virtus, sit, quòd unum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ fruatur altero infinito in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ, & quòd infinita sint insimul tantùm una Essentia & una Virtus infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ: unde cùm talis virtus sit, sinè qua nulla alia virtus posset esse, secundùm quòd suprà demonstratum est, & quia nulla alia virtus potest esse huic æqualis, idcirco convenit, dictam virtutem esse supremam Virtutem.

11. Ponatur verum, quòd esset una virtus infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis virtutibus Figuræ, & quòd frueretur semetipsâ absque eo, quòd unum infinitum frueretur altero infinito, nec haberet ullam differentiam proprietatum, & quòd hæc talis virtus esset suprema Virtus; non est verum: quia multò magis nobilis fruitio virtutis est, quòd una virtus infinita fruatur alterâ virtute infinitâ, & fruatur semetipsâ, quàm sit fruitio solùm unius virtutis infinitæ sinè fruitione virtutum infinitarum.

12. Obj. Tu dicis, quòd æternitas, bonitas, magnitudo & aliæ virtutes Figuræ sint una Essentia & una eadem virtus; & dicis, quòd major virtus sit, quòd unum infinitum fruatur altero infinito, quàm sit, quòd una virtus infinita fruatur semetipsâ: itaque de hoc, quod dicis, sequitur, quòd sit major virtus, quòd unum infinitum fruatur altero infinito, quàm quòd æternitas fruatur semetipsâ; & ideo concludis, quòd æternitas sit inferior virtus. Responsum est ad hanc quæstionem & demonstratum, quòd hoc, quare supradicta infinita non sunt magis nobilia, quàm æternitas, sit per hoc, quia illa infinita, quorum unum fruitur altero, sunt proprietates diversæ & æternæ, quarum una fruitur alterâ infinitè & æternaliter, & sunt una eadem æternitas & una eadem Essentia; & hoc idem sequitur de bonitate, magnitudine, potestate & aliis virtutibus, quæ continentur in Figura.

CAPUT VII.

De Bonitate & Veritate.

1. NOtum est, quòd Veritas sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd falsitas esset bonum; & hoc non est verum: unde cùm simus certi, quòd veritas sit bonum, idcirco inquirimus supremam Veritatem, quæ est supremum Bonum.

2. Veritas est, quòd lapis & planta sint in esse, sed non utuntur veritate; quia quemadmodum homo cæcus non habet, cum quo

quo utatur colore, sic lapides, plantæ & alia corpora inanimata non habent, cum quo utantur veritate, quamvis illorum esse sit aliquod verum: unde cùm nobilitati supremæ Veritatis conveniat opus veritatis, idcirco demonstratur, quòd veritas, quæ est in corporibus inanimatis, non sufficiat esse suprema Veritas.

3. Irrationalia per sensus particulares utuntur veritate; sed illa veritas non habet formam veritatis, per hoc, quia est usus, qui est sinè ratione & intellectu; & ideo non potest esse suprema Veritas.

4. Rationalia utuntur veritate sensuali cum quinque sensibus particularibus, & veritate intellectuali cum tribus potentiis animæ; nihilominùs illorum veritas non sufficit esse supremum Bonum; quia homo est subjectus ignorantiæ, & habet in potentia amare falsitatem, & odire veritatem; & ideo non convenit, quòd sua veritas sit suprema Veritas.

5. Veritas est, quòd anima sit, & secundùm sua naturalia principia non ignorat, nec est in illa peccatum potentialiter nec actualiter; sed ratione corporis cadit in illam peccatum & ignorantia; nihilominùs non sufficit esse suprema Veritas, quia supremo Bono non convenit, quòd per se vel per aliud inclinetur ad potentiam vel ad peccatum; quia si hoc faceret, sequeretur, quòd nihil esset superius defectu; & hoc est impossibile, quòd perfectio non sit supra defectum: cùm esse, perfectio & majoritas conveniant, & non esse, defectus & minoritas.

6. Ponatur, quòd anima, postquam est separata à corpore, sit suprema Veritas; non est verum: quia fuit subjecta peccato in corpore; & supremæ Veritati non convenit, quòd ascendat de defectu ad perfectionem; sed de sua nobilitate est, quòd continuè & æternaliter sit in suis excellentibus honoribus.

7. Ponatur, quòd esset in esse una anima, quæ esset materia omnibus animabus, & quòd illa esset suprema Veritas; non est verum: quia posito, quòd talis anima esset, non uteretur veritate in semetipsa, sed in suis partibus; sicut ordinalis materia, quæ non utitur suâ formâ, nisi in suis partibus: nec anima, à qua descenderent animæ, posset esse suprema Veritas; quia suæ partes inclinarentur ad esse subjectæ peccato: nam quemadmodum materia ordinalis seu prima est potentia omnibus formis corporalibus elementalibus, & non sufficit esse potentia formæ intellectuali nec formæ corporum cœlestium, sic supradicta anima, si esset suprema Veritas, non inclinaret suas partes ad falsitatem & errorem, qui est contra veritatem.

8. Ponatur, quòd firmamentum & corpora cœlestia sint suprema Veritas; non est verum: quia quemadmodum homo cæcus non potest uti colore per hoc, quia non habet oculos, ita firmamentum & suæ partes per hoc, quia sua particularia non sunt animata, non possunt uti veritate: & si sua particularia essent animata sensualia, per totum hoc non sufficerent esse suprema Veritas; cùm rationalia, quæ habent sensus sensuales & intellectuales, cum quibus utuntur veritate, sint magìs nobilia in usu veritatis, quàm corpora cœlestia.

9. Ponatur, quòd solus purus intellectus sit suprema Veritas; non est verum: quia intellectus non comprehendit veritatem rerum, nisi per modum objecti; quia lapis, in quo Sortes tenet suos pedes, quamvis Sortes illum intelligat, per totum hoc non est in ventre Sortis: & quia convenit, quòd suprema Veritas conveniat cum magnitudine, quæ totum, quantum est, comprehendat & terminet in se, & sciat totum, quantum est, idcirco intellectus non habet sufficientiam, quòd sit suprema Veritas.

10. Ponatur, quòd veritas, in quantum est species veritatis, esset suprema Veritas, & quòd omnes supradictæ veritates essent sua individua, quæ essent sub illa; non est verum: quia quemadmodum humana species non utitur veritate, sic veritas in specie non utitur se ipsâ, nec convenit cum æternitate, cui sinè opere veritatis non conveniret esse supremum Bonum.

11. Ponatur, quòd æternitas esset genus, & quòd firmamentum & elementa & justitia, veritas, sapientia, humanitas & aliæ species essent species æternitatis; non est verum: quia æternitas, in quantum disconvenit cum principio & fine, convenit cum perfectione, & disconvenit cum defectu: & si æternitas esset genus supradictis speciebus, conveniret insimul cum perfectione & cum defectu: quia cum perfectione conveniret, secundùm quòd suprà dictum est; cum defectu conveniret per hoc, quia si esset genus, non uteretur sapientiâ nec charitate, quia nullum genus utitur ullâ istarum rerum:

rerum: & quia esse & majoritas & perfectio conveniunt, privatio verò defectus & minoritas, idcirco est impossibile, quòd esse, perfectio, majoritas, privatio, defectus & minoritas sint æternaliter species æternitatis; quæ, in quantum disconvenit cum principio & fine, convenit cum esse, perfectione & majoritate; & in quantum convenit cum esse, perfectione & majoritate, disconvenit cum privatione, defectu & minoritate: unde per hanc convenientiam & inconvenientiam demonstratur, quòd æternitas sit ante privationem, defectum & minoritatem, & quòd non sit genus, sed sit veritas essentialis infinita in bonitate, magnitudine & in aliis cameris Figuræ; & hæc Veritas est suprema omnibus aliis veritatibus, & est supremum Bonum omnium bonorum.

12. Ponatur veritas sinè æternitate; non est verum: quia si æternitas est, de necessitate convenit, quòd veritas sit sinè principio & fine; quia si non esset verum, quòd veritas esset sinè principio & fine, æternitas nihil esset; & si æternitas nihil esset, veritas esset principium sui ipsius; & hoc est impossibile.

13. Ponatur, quòd suprema Veritas sit Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c. absque eo, quòd esset una veritas infinita, quæ frueretur alterâ veritate infinitâ; & non esset nisi una veritas infinita tantùm; non est verum: quia quemadmodum corpus Sortis per nobilitatem animæ est majus in nobilitate, quàm equus, sic magister, qui utitur sapientiâ in se ipso & in alio, hoc est, in scholaribus, quibus monstrat veritatem, haberet majorem usum veritatis, in quantum uteretur sapientiâ in se & in alio, quàm haberet suprema Sapientia, quæ frueretur in se tantùm, sinè diversis sapientibus infinitis in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris, qui fruantur sapientiâ unus in altero, & quilibet in se ipso infinitè in una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris: unde cùm sit impossibile, quòd ulla veritas ullo modo possit aut debeat esse major aut æqualis supremæ Veritati, & homo haberet meliorem modum utendi veritate, quàm suprema Veritas, in qua non esset fruitio unius veri & alterius veri infiniti, idcirco demonstratur, quòd absque eo, quòd unum verum infinitum fruatur altero vero infinito, non posset esse suprema Veritas, quæ conveniret cum æternitate: quia quemadmodum æternitati disconvenit habere principium & finem, & hoc ideo, quia convenit, ipsam esse sinè principio & fine, sic supremæ Veritati convenit, quòd unum verum infinitum fruatur altero vero infinito, & quòd insimul sint una Essentia vera infinitè in bonitate, magnitudine &c.

CAPUT VIII.

De Bonitate & Gloria.

1. MAnifestum est, quòd Gloria sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd pœna esset bonum; & si gloria non esset bonum, sequeretur, quòd pœna non esset malum; & hoc est impossibile: unde cùm gloria sit bonum, idcirco nos inquirimus supremam Gloriam, quæ est supremum Bonum.

2. Veritas est, quòd desiderium & appetitus naturalis plantarum & elementorum, quæ desiderant componere compositum & esse in suo loco, & desiderium materiæ ordinalis seu materiæ primæ, quæ desiderat conservare species, & appetitus irrationalium & aliarum rerum naturalium, non possint esse supremum Bonum; quia in omnibus his supradictis desideriis est defectus boni.

3. Certum est, quòd homo habeat felicitatem & desiderium; sed nihilominùs non sufficit esse suprema felicitas, quia homo est subjectus pœnæ; & culpa, per quam conveniunt pœna & privatio felicitatis, est in homine in potentia; & suprema Gloria non convenit cum pœna, nec cum privatione & culpa.

4. Antequam Anima sit in corpore, non sufficit esse suprema Gloria; quia antequam sit in corpore, nihil est; nec post mortem corporis potest esse supremum Bonum; quia si esset supremum Bonum, in illa non fuisset potentia peccandi, dum erat in corpore: nec supremo Bono convenit, quòd de hoc, quod est vile, ascendat ad hoc, quod est nobile; sed convenit, quòd infinitè & æternaliter stet in sua nobilitate & in sua altitudine.

5. De necessitate convenit, quòd firmamentum moveatur per se ipsum, vel per alterum, vel per seipsum & per alterum: unde si firmamentum movetur per se ipsum, desiderans aliquid, ad quod se movet, tunc non habet supremam Gloriam; quia habet indigentiam hujus, ad quod se movet: & si movetur per alterum, tunc motor est su-

premum Bonum, cui convenit suprema Gloria: & si firmamentum haberet gloriam, & motor non haberet illam, sequeretur, quòd gloria meliùs conveniret cum minori in nobilitate, quàm cum majori; & hoc non est verum: & si firmamentum moveretur per se ipsum & per alterum, tunc firmamentum non posset esse superius bonum illo, per quem moveretur; quia æqualis non est super suum æqualem: & si firmamentum se movet per se, & ille motus sit suum perfectum desiderium, sequeretur, quòd motus illi esset particulare, quod daret complementum suo desiderio: & posito, quòd hoc sit verum, per totum hoc non sequitur, quòd suum desiderium sit supremum Bonum; quia firmamentum non habet sensus particulares sensuales, nec utitur ratione nec merito nec culpâ; & esset superior felicitas, quàm felicitas hominis, qui habet sensus particulares, per quos habet felicitatem, & utitur ratione, & habet meritum & culpam secundùm sua opera: & si firmamentum haberet supremam Gloriam absque eo, quòd illam mereretur, sequeretur, quòd gloria disconveniret cum sensibus particularibus sensualibus & cum tribus potentiis animæ & cum merito; & si hoc faceret, meritum non conveniret cum gloria, nec pœna cum culpa; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, majoritas, esse, justitia, sapientia & charitas non convenirent cum perfectione, nec minoritas, privatio & ignorantia convenirent cum defectu; & hoc non est verum.

6. Cùm sit demonstratum, quòd nullum desideriorum nec appetituum supradictorum possit esse suprema Gloria, & hoc ideo, quia in illis est defectus, dicimus, quòd per aliquam felicitatem, quæ est in aliquo & aliquibus supradictorum appetituum, & per defectum felicitatis, qui est in illis, sit demonstrabile supremum Bonum gloriæ, quod est sinè omni defectu; quia si aliquod vel aliqua supradictorum desideriorum, vel insimul essent suprema Gloria, & non esset ulla alia superior gloria, quàm illa, sequeretur, quòd æternitas conveniret cum perfectione gloriæ & cum defectu gloriæ: cum perfectione conveniret, in quantum convenit cum Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c.; & ista convenientia est per hoc, quia non convenit cum principio & fine, & convenit cum Essentia, quæ sit sinè principio & fine; & conveniret cum defectu in hoc, quòd non haberet perfectionem gloriæ in ulla re, quæ esset æterna, postquam non esset ulla alia gloria, nisi felicitas & appetitus supradictorum particularium: unde cùm sit impossibile, quòd æternitas æternaliter & accidentaliter conveniat insimul cum perfectione & defectu gloriæ, idcirco est demonstrabile, aliquam perfectam gloriam esse in Essentia infinita in bonitate, magnitudine & in aliis cameris, cum quibus convenit æternitas; & quòd de influentia illius supremæ Gloriæ habeant principium felicitates & appetitus supradictorum particularium, quæ sunt inferius bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esse, majoritas & perfectio convenirent cum defectu gloriæ & boni, & quòd privatio, minoritas & defectus gloriæ & boni non convenirent; & hoc est impossibile.

7. Cùm demonstravimus, quòd conveniat, supremum Bonum gloriæ esse aliquid, quod sit æternum, infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & quòd illud infinitè glorietur in se ipso de se ipso in infinita bonitate & magnitudine &c., per totum hoc ista Essentia, gloria, bonum, æternitas & bonitas infinita in magnitudine &c. adhuc non sufficeret ad esse supremum Bonum gloriæ, nisi esset unum infinitum in gloria, bonitate, magnitudine &c., quod gloriaretur in altero infinito in gloria, bonitate &c., & alterum vicissim gloriaretur in illo, & insimul essent una Essentia infinita in gloria, bonitate & magnitudine &c.: quia quemadmodum virtus visiva hominis careret magìs nobili objecto naturali, si tota humana species esset in uno homine tantùm, & non esset in esse nisi unus homo, quod objectum esset privatio alterius hominis, sic magìs nobilis gloria privaretur esse, si unum infinitum in gloria, bonitate & magnitudine &c., non glorificaret alterum infinitum &c., & non glorificaretur ab illo: quia quemadmodum bonus homo habet majus placitum naturale in videndo suum bonum filium, & suus bonus filius habet majus placitum in videndo suum bonum patrem, quàm sit placitum, quod habent in videndo ullum aliud objectum sensuale, sic convenit, quòd major gloria sit de uno infinito cum altero infinito in bonitate, magnitudine &c., & quòd insimul sint una Essentia infinita &c.: & si hoc non esset suprema Gloria, sequeretur, quòd intellectus esset magìs altus & magis nobi-

nobilis in considerando magìs altam & majorem gloriam, quàm esset suprema Gloria, cum qua æternitas conveniret; & hoc est impossibile, quòd finitum possit considerare magìs altam & majorem gloriam, quàm Gloriam infinitam.

CAPUT IX.

De Bonitate & Perfectione.

1. CErtum est, quòd Perfectio sit bonum: quia si esset malum, sequeretur, quòd defectus esset bonum; & si perfectio non esset bonum, sequeretur, quòd defectus non esset malum; & hoc non est verum: unde cùm simus certi, quòd perfectio sit bonum, idcirco nos volumus inquirere supremam Perfectionem, quæ est supremum Bonum.

2. De necessitate convenit, quòd in particularibus sit perfectio per unum modum, & defectus per alterum; & quòd in universalibus sit perfectio per unum modum, & defectus per alterum, & è converso: propter hoc nos inquirimus primò perfectionem & defectum, qui est in particularibus, ad hoc, ut veniamus ad universalia, & de universalibus veniamus ad mundum.

3. Manifestum est, quòd in compositis ex elementis, hoc est, plantis, animalibus & metallis sit complementum & perfectio, in quantum perveniunt ad ætatem & perfectam formam; sed in quolibet illorum compositorum est defectus; quia plantæ, animalia & metalla omnia inclinantur ad corruptionem, quæ convenit cum privatione & defectu.

4. Sicut in operibus artificialibus est perfectio per hoc, quia veniunt ad perfectam formam, sic in illis est defectus per hoc, quia inclinantur ad corruptionem.

5. In firmamento & in suis partibus est perfectio, in quantum non conveniunt cum corruptione, & in quantum in firmamento est circularis motus; veruntamen in illis est defectus in hoc, quòd firmamentum & suæ partes non sint animatæ, nec utantur ratione, & sint in quantitate finita, & non faciant suam operationem per modum electionis & ex libertate, quæ convenit cum perfectione.

6. In anima hominis est perfectio, in quantum potest uti virtutibus, & in quantum est incorruptibilis, & in quantum est complementum corporis, & in quantum consequitur aliquid, quod desiderat; sed nihilominùs in illa est defectus in hoc, quòd potest peccare, nec potest satiari, nec potest stare cum corpore perdurabiliter, cum quo amat stare, nec potest defendere corpus à corruptione, & habet ignorantiam & oblivionem & multos alios defectus.

7. In universalibus, veluti generibus & speciebus est perfectio, in quantum non sunt corruptibilia; sed in illis est defectus, in quantum non utuntur virtute, nisi in particularibus. Et in justitia, sapientia, amore & in aliis virtutibus universalibus est perfectio, in quantum non sunt corruptibiles nec alterabiles; sed in quantum non utuntur virtute, nisi in particularibus, convenit, quòd habeant defectum.

8. Cùm sit demonstratum, quòd in supradictis particularibus & universalibus sit perfectio & defectus, de necessitate convenit, quòd mundus in generali habeat perfectionem & defectum: quia si illa non haberet, non esset universalis suis particularibus, & particularia haberent aliud universale, quod non esset mundus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd mundus habeat perfectionem & defectum.

9. De necessitate convenit, quòd major perfectio sit in aliquo, in quo non sit ullus defectus, vel quòd sit aliquid, in quo sit minus de defectu, quàm in altero: unde in quantum mundus habet perfectionem per unum modum, & habet defectum per alterum, demonstratur, quòd mundus non sit perfectio sinè defectu: unde si dicimus, quòd mundus sit suprema Perfectio, & quòd particularia sint inferior perfectio, vel si dicimus, quòd mundus sit inferior perfectio, & particularia sint suprema Perfectio, dicemus hoc, quod non est verum: quia totum non est plus, quàm omnes suæ partes, nec partes totius sunt plus, quàm illarum totum: & si dicimus, quòd mundus sit suprema Perfectio, & quòd aliqua vel aliquæ suarum partium sint inferior perfectio, dicemus contra veritatem: quia mundus, in quantum plus continet de defectu, quàm aliqua vel aliquæ suarum partium, non potest esse suprema Perfectio; quia hoc, in quo est plus de defectu, non est dignum, quòd sit supremum huic, in quo est minus: & si dicimus, quòd aliquod vel aliqua particularia sint suprema Perfectio, & mundus sit inferior perfectio, dicemus contra veritatem: quia totum est plus, quàm sua pars.

10. Cùm demonstraverimus, quòd nec mundus nec sua particularia possint esse suprema Perfectio, de necessitate convenit, quòd sit aliquid aliud, quod non sit mundus, nec sua particularia, & quòd illud sit suprema Perfectio; vel convenit, quòd suprema Perfectio nihil sit.

11. Si ponimus, quòd suprema Perfectio nihil sit, affirmamus, quòd omnia universalia & particularia sint æqualia in nobilitate; & hoc non est verum: quia rationalia sunt magìs nobilia, quàm irrationalia; & melior est unus homo, quàm alter, & magìs nobilis res est æternitas, quàm principium & finis.

12. Ponatur, quòd aliquod particulare vel universale sit suprema Perfectio, & quòd alterum particulare vel universale sit inferior perfectio; non est verum: quia nullum particulare habet in se plus perfectionis, quàm suum totum, hoc est, mundus: igitur quænam res est illa, quæ sit suprema Perfectio? Responsum est ad hanc quæstionem, quòd æternitas, quæ est sinè principio & fine, sit suprema Perfectio in Essentia infinita in bonitate, magnitudine, potestate & in aliis cameris; quæ æternitas non est mundus, sed est alia res, quæ non convenit cum ullo defectu, & convenit cum omni perfectione.

13. Ponatur, quòd æternitas & mundus in generali sit suprema Perfectio; non est verum: quia si Deus nihil esset, & mundus esset æternus, perfectio & defectus æqualiter convenirent cum æternitate: unde cùm æternitas conveniat cum perfectione per hoc, quia non convenit cum principio & fine, & non habet in se ullam rem, per quam conveniat cum defectu, demonstratur, quòd æternitas sit alia res, quàm mundus; & si non esset alia res, sequeretur, quòd esse, majoritas & duratio æterna & perfectio non convenirent; & quòd non esse, privatio, principium & finis, corruptio & defectus non convenirent; & hoc est impossibile.

14. Cùm demonstraverimus per vim Rationum necessariarum, Deum esse, qui est suprema Bonitas & suprema Perfectio, etiam convenit, quòd noster intellectus ascendat altiùs intelligere supremam Perfectionem: quia si esset una Perfectio suprema infinita in bonitate, magnitudine & in aliis virtutibus Figuræ, & una infinita perfectio in bonitate, magnitudine &c. non frueretur alterâ perfectione infinitâ in bonitate, magnitudine &c., & ista fruitio non esset infinita, sequeretur, quòd totum, quantum suprà diximus, non sufficeret esse suprema Perfectio: quia magìs nobilis & magìs alta consideratio est, quòd una perfectio infinita in bonitate &c. producat aliam perfectionem infinitam in bonitate &c., & quòd fruatur illâ infinitè in bonitate &c., quàm esset, si una perfectio infinita in bonitate &c. frueretur seipsâ tantùm & non alterâ sibi simili in infinita bonitate &c.: unde convenit, quòd hoc, quod est objectum magìs nobili considerationi & magis altæ, sit suprema Perfectio: & si hoc non esset, sequeretur, quòd consideratio humana, quæ caperet objectum, esset suprema Perfectio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd una perfectio infinita fruatur alterâ perfectione infinitâ æternaliter, & sit conveniens, quòd de fruitione & influentia illarum sit datum principium mundo & suæ perfectioni.

CAPUT X.

De Bonitate & Justitia.

1. MAnifestum est, quòd Justitia sit bonum; quia si esset malum, vel si non esset bonum, sequeretur, vel quòd injuria esset bonum, vel quòd injuria non esset malum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia sit bonum, quod bonum inquirimus in suprema Justitia, quæ est supremum Bonum.

2. Si justitia non esset ante mundum, & non esset extra terminos, in quibus terminatur mundus, sequeretur, quòd non esset alia justitia, nisi justitia, quæ est particulare mundi: unde cùm particularia justitiæ habeant principium & finem, & in illis sit potentialiter injuria, & cùm justitia, in quantum est illorum species, non utatur judicare, nec sapientiâ, nec charitate, nec aliis virtutibus, quæ conveniunt cum æternitate & cum suprema Bonitate justitiæ, idcirco æternitas, quæ est suprema Duratio, non convenit cum justitia, quæ est species, nec cum individuis illius, ad esse insimul æterna cum illa: quia si cum illis conveniret, sequeretur, quòd justitia & defectus justitiæ convenirent æqualiter cum æternitate: unde cùm æternitas & perfectio justitiæ conveniant, & cùm injuria & defectus & privatio conveniant, idcirco demonstratur, quòd justitia, quæ est species, & illius particularia non sint æterna; propter quem defectum, quem habent essendi æterna, non sufficiunt esse suprema Justitia nec supremum Bonum.

3. Si æternitas esset æternaliter sinè justitia, conveniret cum defectu; quia multò meliùs sinè omni comparatione æternitas convenit cum perfectione per justitiam, quàm conveniat per hoc, quia non habet principium & finem: quia justitia est de essentia perfectionis, & principium & finis non sunt essentia, nisi quòd sint demonstratio, quòd æternitas sit infinita duratio: unde si æternitas convenit cum esse & perfectione per hoc, quia est sinè principio & fine, quantò magìs convenit cum esse & perfectione per hoc, quia est essentia justa infinita in justitia, bonitate, magnitudine & in aliis cameris Figuræ: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd conveniret, quòd æternitas esset æterna per minus, hoc est, per non habere principium & finem; & quòd non conveniret, quòd esset æterna per majus, hoc est, per justitiam & per alias virtutes cameræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, supremum Bonum justitiæ esse æternum.

4. Si mundus esset æternus & sinè principio, & suprema Justitia æternaliter sinè principio & fine crearet animas, & illas poneret in corporibus animatis rationalitate, & illa corpora resuscitaret, sequeretur, quòd tota ordinalis seu prima materia non sufficeret corporibus animatis, & conveniret, quòd Deus infinitè crearet materiam, & extenderet mundum, in quo caperetur, ad hoc, ut animæ haberent corpora, in quibus essent; & hoc est impossibile: & si Deus non resuscitaret corpora hominum, non esset perfecta justitia; quia corpus humanum est subjectum justitiæ & injuriæ secundùm meritum & culpam: unde cùm sit impossibile, quòd Deus habeat defectum justitiæ, secundùm quòd suprà est significatum, idcirco est demonstratum, quòd mundus non sit æternus.

5. Dices: si justitia est æternaliter, convenit, quòd justitia æternaliter sit operans de se ipsa in altero; quia non conveniret, justitiam esse æternam, nec esse perfectam, nisi judicaret: igitur convenit, quòd mundus sit æternus, in quo justitia judicet. Responsum est ad hanc quæstionem & demonstratum, quòd de necessitate conveniat, quòd sit unum justum infinitum in justitia, bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ, & quòd illud producat alterum infinitum justum in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ, & quòd operetur de justitia absque eo, quòd in ullo illorum infinitorum bonorum, magnorum, æternorum sit culpa; quia si esset, non esset dignum, quòd esset æternum: & si essentia, quæ est supremum Bonum justitiæ, esset sinè fruitione justitiæ infinitæ in bonitate, magnitudine, æternitate &c., justitia haberet defectum: & si justitia operaretur infinitè de justitia in alia re, quæ non esset de sua Essentia, sequeretur supradicta inconvenientia. Unde cùm hoc ita sit, est demonstrabile, quòd suprema fruitio justitiæ sit illa, quam unus æternus, justus, infinitus habet in altero justo, æterno, infinito; sinè qua fruitione non posset esse perfectio in suprema Justitia; & per influentiam illius fruitionis tam magnæ & tam gloriosæ est creatum ævum, quod est æternitas habens principium & esse sinè fine; & particularia illius æternitatis, quæ merentur esse judicata, erunt judicata sinè ullo fine: & si sententia illorum haberet aliquem finem, demonstraretur, quòd suprema fruitio unius æterni, infiniti, justi cum altero æterno, infinito, justo haberet finem; & si haberet finem, æternitas & hoc omne, quod est, haberet finem, & omne, quod est, deveniret in nihilum; & hoc est impossibile.

CAPUT XI.

De Bonitate & Dominio.

1. NOtum est, quòd Dominium sit bonum; quia si non esset bonum, sequeretur, quòd servitus esset ens magìs nobile, quàm dominium; & hoc est impossibile: unde cùm dominium sit bonum, idcirco nos inquirimus supremum Dominium, quod est supremum Bonum.

2. De necessitate convenit, quòd, si supremum Dominium est aliquid, sit sinè servitute, nec possit esse ullo modo servum & subditum alteri dominio; quia alio modo non posset esse supremum Dominium.

3. Ponatur, quòd mundus sit supremum Dominium; non est verum: quia totum non potest habere dominium super omnes suas partes insimul; quia si illud haberet, totum esset simul dominium & servitus; & hoc

hoc est impossibile, quòd una res tantùm sit simul dominus & servus sui ipsius.

4. Ponatur, quòd mundus sit supremum Dominium, & quòd aliquod vel aliqua suorum particularium essent sui subditi; non est verum: quia mundus non utitur ratione, nec sapientiâ, nec justitiâ; & supremo Dominio convenit, quòd utatur ratione, sapientiâ & justitiâ, & quòd homo cognoscat, illud esse supremum Dominium; sed homo per naturam non cognoscit, mundum esse supremum Dominum, imò homo naturaliter se sentit subditum magis nobili enti, quàm mundo: quia quemadmodum ignis per naturam desiderat ascendere absque eo, quòd utatur ratione & voluntate, sic homines, qui per necessitatem demonstrationum non cognoscunt Deum, sed in illum credunt, se sentiunt obligatos ad esse subditos magis nobili Domino, quàm sit mundus.

5. Nec Firmamentum nec sua particularia, nec elementa, nec composita ab illis, nec materia, nec forma universalis habent dignitatem, quòd sufficiant esse supremum Dominium; quia non utuntur justitiâ, nec ratione, nec sapientiâ, nec aliis rebus, sinè quibus non posset esse supremum Dominium.

6. Ponatur homo vel anima supremum Dominium; non est verum: quia homo est subditus peccato, quando peccat, & anima similiter; & homo est subditus labori, fami, siti, calori & frigori, infirmitati & morti, & anima est subjecta ignorantiæ & oblivioni: unde supremum Dominium non convenit cum ulla istarum rerum, quæ conveniunt cum defectu & cum servitute.

7. Ponatur, dominium per se esse supremum Dominium, in quantum est species, & illius particularia esse in servitute illius; non est verum: quia dominium est magis nobile ens in particularibus, quàm in specie; quia in particularibus unum particulare utitur altero, ut sit dominus illius, qui est dominus alterius; & in specie non est ullus usus dominii.

8. Ponatur verum, quòd nullum dominium esset in esse, quod non haberet aliquam servitutem, & quòd aliqua res, quæ habeat plus de dominio, quàm altera, & minus de servitute, quàm altera, esset supremum Dominium; non est verum: quia quemadmodum æternitas convenit cum perfectione, eò quòd non habet principium & finem, sic convenit cum perfectione, eò quòd non est serva nec subdita cuicunque rei: unde si æternitas convenit cum perfectione, eò quòd non habet principium nec finem, nec servitutem, de necessitate convenit, quòd æternitas sit perfectum Dominium sinè ulla servitute: & si æternitas esset æterna absque eo, quòd esset dominium, non conveniret, eam esse æternam ratione defectûs dominii, quem haberet in se ipsa: & si æternitas esset æterna absque eo, quòd esset dominium, sequeretur, quòd dominium habens servitutem in se ipso meliùs conveniret cum esse, majoritate & perfectione, quàm dominium habens omnem perfectionem sinè servitute & sinè ullo defectu; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esse, majoritas & perfectio non convenirent cum dominio; nec non esse, minoritas & defectus cum servitute; & hoc est impossibile: nam quemadmodum esse, majoritas & perfectio conveniunt cum dominio, sic non esse, majoritas & perfectio in servitute, in qua est minoritas & defectus, conveniunt cum servitute: unde si non esse majoritatis & perfectionis est in dominio, in quo est minoritas, defectus & servitus, quantò magis sinè omni comparatione convenit, quòd esse majoritatis & perfectionis sit in dominio infinito in bonitate & magnitudine &c.

9. Dices: si supremum Dominium infinitum in bonitate & magnitudine &c. est in esse, de necessitate convenit, quòd infinitè & æternaliter illa Essentia, quæ est supremum Dominium, utatur dominio; quia sinè usu dominii non esset digna, quòd esset æterna: unde si utitur dominio æternaliter, convenit, quòd æternaliter sit servitus, sinè qua non potest esse usus dominii. Respondeo: sit ad hanc quæstionem, quòd, quemadmodum non convenit, quòd suprema Justitia utatur creaturis sinè principio creaturarum, sic conveniat, quòd suprema Justitia utatur creaturis illi subditis, habentibus creaturis principium, sed non finem: & quia dominium non utitur sinè servitute in altero, idcirco in Essentia divina non est usus unius Domini æterni, infiniti in bonitate & magnitudine &c. cum altero Domino æterno infinito in bonitate & magnitudine &c.; sed quilibet per se simul cum altero est dispositus infinitè, ut sint Domini & Dominus creaturæ, si creatura haberet tantam perfectionem, quòd posset esse æterna & sinè principio.

CAPUT

CAPUT XII.

De Bonitate & Simplicitate.

1. MAnifestum est, quòd Simplicitas sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd in igne calor & levitas, & in aëre humiditas & levitas, & in aqua frigiditas & ponderositas, & in terra siccitas & ponderositas essent malum; & hoc est impossibile: quia si supradictæ qualitates simplices essent malum, sequeretur, quòd illorum composita & esse elementatum essent malum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd simplicitas sit bonum: unde nos per hoc, quia simplicitas est bonum, inquirimus supremam Simplicitatem, quæ est supremum Bonum.

2. Certum est, quòd, quemadmodum esse, privatio, perfectio, defectus, majoritas & minoritas conjunguntur in composito elementorum, sic simplicitas & compositio conjungantur in compositis elementatis; & quemadmodum esse & supradictæ qualitates habent aliquam convenientiam, per quam conjunguntur in composito, & per alium modum habent inconvenientiam, per quam separantur, sic simplicia per modum generationis conveniunt ad componendum compositum, & per modum corruptionis disconveniunt ad privandũ compositum; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd generatio & corruptio non esset.

3. Certificati sumus, quòd æternitas sit res adeò simplex, quòd non conveniat cum principio nec fine; quia si cum illis conveniret, sequeretur, quòd de hoc, quod est æternum, & quod habet principium & finem, esset compositum aliquod esse: veluti ponamus, quòd elementa sint æterna, & quòd componant plantam, quæ habet principium & finem; & hoc est impossibile: quia manifesta ratio naturalis est, quòd simplicia sint magis nobilia in semetipsis, quàm in compositis; quia quodlibet est in se ipso sinè corruptione, & in composito formatur corruptio de omnibus quatuor: & ideo quodlibet simplicium requirit redire ad suum simplex, & vult alterum compositum, in quo possit consequi hoc, quod convenit suæ puræ perfectæ simplicitati: unde cùm æternitas conveniat cum majoritate, perfectione & esse, & compositum cum minoritate, defectu & privatione, & hoc per hoc, quia convenit cum principio & fine & corruptione, idcirco est impossibile, quòd de æternitate & alia re habente principium & finem possit componi ulla res; quia si posset, æternitas conveniret cum majoritate, perfectione & esse per se ipsam, & cum contrario per alteram, & esset composita de perfectione & defectu, & de esse & non esse, & de majoritate & minoritate; & hoc non est verum: quia est impossibile, quòd minoritas, defectus, privatio, principium & finis possint pervertere & inclinare suum contrarium in æternitate, quæ æternitas est suprema Bonitas, & quòd illam faciant inconvenientem, quòd conveniat cum cameris Figuræ, cum quibus disconveniret, si cum supradictis defectibus conveniret in compositione.

4. Ratio, quare elementa conveniunt ad componendam plantam & alia composita, est propter appetitum, quem habent in inquirendo complementum suæ simplicitatis: quia si quodlibet esset perfectè simplex, jam non inquireret suum complementum in altero, quod esset suum contrarium: & ideo, quia hoc facit, demonstratur, quòd nullum elementorum habeat suum complementum, ad quod se movent: unde si æternitas non esset perfecta, & componeretur cum alia re, inquireret suum complementum in altera, & demonstraretur, quòd aliqua res esset major in duratione, quàm duratio sinè fine & sinè principio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de hoc, quod est æternum, non componatur ulla res; per quam demonstrationem significatur, quòd species plantarum, animalium & metallorum non sint æternæ, & quòd sit aliqua res simplex æterna in bonitate, magnitudine, potestate &c., quæ est suprema Simplicitas.

5. Manifestum est, quòd accidentia conveniant cum majori simplicitate, quàm substantia, & substantia conveniat cum majori duratione, quàm accidentia: unde in quantum accidentia meliùs conveniunt cum simplicitate, quàm substantia, per modum simplicitatis meliùs conveniunt cum æternitate, quàm substantia: & in quantum substantia convenit cum majori duratione, quàm accidentia, per modum durationis meliùs convenit cum æternitate, quàm accidentia: unde si esset verum, quòd accidentia essent æternaliter in substantia, sequeretur, quòd æternitas esset composita de contrariis, in quantum perfectio & defectus

fectus essent æterna ; quæ perfectio & defectus significantur in convenientia, quam æternitas haberet cum accidentibus & cum substantia illis subjecta, si essent æterna ; & hoc est impossibile, quòd æternitas sit de contrariis: quia omne id, quod est de contrariis, est potentia ad principium & finem: unde cùm sit impossibile, quòd principium & finis conveniant cum æternitate, idcirco est demonstratum, quòd nec accidentia, nec substantiæ illis subjectæ sint æterna, sed sit quædam alia Essentia, quæ est suprema Simplicitas æterna & supremum Bonum.

6. Ponatur verum, quòd simplicitas ignis, qui est magis nobile elementum, quàm alia, esset suprema Simplicitas; non est verum: quia nec ignis, nec ullum aliorum elementorum, quamvis sint de natura corporea, per totum hoc non sequitur, quòd sint corpora simplicia habentia materiam & formam & conjunctionem quodlibet per se, & habens quodlibet tres dimensiones, sinè quibus nullum corpus potest esse; quia si quodlibet elementum esset corpus simplex per se, habens res supradictas, quæ conveniunt corpori, sequeretur, quòd essent quatuor corpora simplicia, & quòd de illis non fieret compositum; quia nullum elementum appeteret facere partes de se, & illas componere cum partibus sui contrarii, sed potiùs amaret, se ipsum esse simplex: & si elementa violenter & coactè dividerentur contra suum appetitum, sequeretur, quòd appetitus naturalis non esset tam nobilis in operatione naturali, sicut est per hoc, quia elementa liberè inquirunt suam simplicitatem, quam non habent, secundùm quòd cum illa conveniunt ; per quam inquisitionem est demonstrabilis suprema Simplicitas æterna, quæ non componitur cum altero, nec inquirit suam perfectionem, quam habet in se ipsa.

7. Ponatur veritas, quòd quodlibet elementum esset corpus simplex habens hoc, quod pertinet ad corpus, & quòd ordinalis materia esset composita de partibus illius, & quòd elementa simplicia essent suprema Simplicitas, & illa elementa, ex quibus esset composita ordinalis materia, essent inferior simplicitas ; non est verum : quia si essent elementa simplicia, & essent corpora quodlibet per se, absque eo, quòd haberent partem vel partes de aliis elementis, & quòd aliquæ partes essent separatæ ab illis, de quibus esset composita ordinalis materia, sequeretur, quòd materia esset terminata in illis, & quòd illa essent illi extremitates; & hoc non est verum: quia si esset verum, quodlibet elementum simplex existens corpus simplex, & habens hoc, quod pertinet ad corpus, esset contra ordinalem materiam ad destruendum illam, & desideraret recuperare suas partes; & partes desiderarent redire ad suum simplex, & non appeterent reverti ad composita: & si quatuor simplicia essent æterna & sinè principio, jam præteriisset tempus, quòd tota ordinalis materia esset destructa, & nullum compositorum, quæ modò sunt, esset; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd elementa simplicia non sint corpora simplicia habentia omne id, quod pertinet ad corpus; sed illorum simplicitas est similis homini, qui non est pater, & desiderat esse pater ; unde quamvis desideret habere filium, per totum hoc non est pater: unde quamvis elementa simplicia desiderent corpus simplex compositum de simplici materia & forma & conjunctione habens tres dimensiones, & materia habeat illud idem desiderium, per hoc, quia de illis est composita, per totum hoc non sequitur, quòd illa sint corpora simplicia habentia hoc, quod pertinet ad corpus: & quemadmodum materia desiderat conservationem speciei humanæ in rationalibus, & conservationem speciei equinæ in equis, sic desiderat, quòd quodlibet elementum sit simplex in loco, qui illi convenit: quia quemadmodum quædam membra sunt magis alta, quàm alia in corpore, velut oculi sunt magis alti in corpore, quàm nasus, & nasus, quàm manus, sic materia habet quædam elementa in se ipsa secundùm simplicitatem in altioribus locis, quàm alia; velut ignis, qui est altior, quàm aër, & aër, quàm aqua: & ideo quædam elementa desiderant ascendere, & alia descendere; quem ascensum & descensum faciunt per materiam; qui ascensus & descensus non posset fieri, si quodlibet elementum esset corpus simplex, habens hoc, quod pertinet ad corpus, & esset quantitas discreta: cùm unum corpus non possit transire per locum, in quo est alterum corpus; habente quolibet corpore quantitatem discretam.

8. Firmamentum & suæ partes non sufficiunt esse suprema Simplicitas; quia convenit, omne corpus esse compositum de materia & forma: nec motus firmamenti, nec aliorum, nec tempus sunt suprema Simplicitas, quia

quia non possunt esse sinè subjecto, quod est compositum, hoc est, corpore movente & existente in tempore ; & supremæ Simplicitati convenit, quòd sit stans per se sinè composito.

9. Animæ irrationalium non convenit, quòd sit suprema Simplicitas, quamvis sit forma corporis; quia anima irrationalium in destructione corporis destruitur, & redit in nihilum: nec anima rationalium sufficit esse suprema Simplicitas, quamvis sit forma & complementum corporis; quia se inclinat ad peccatum, & habet ignorantiam, quæ conveniunt cum minoritate & defectu: unde cùm æternitas conveniat cum majoritate & perfectione, idcirco convenit, quòd suprema Simplicitas sit sinè anima, quæ convenit cum minoritate & defectu.

10. Ponatur, quòd mundus sit suprema Simplicitas, & quòd simplicitas, quæ est in suis particularibus, esset inferior simplicitas; non est verum: quia mundus est compositus de tribus speciebus, hoc est, sensualitate, intellectualitate & animalitate; & suprema Simplicitas non potest esse simplicitas & compositio ; sed convenit, quòd ipsa sit pura simplicitas sinè ulla compositione, quæ conveniat cum æternitate, quæ est simplex sinè principio & fine; cum qua æternitate non convenit mundus, qui est compositus de supradictis speciebus: per quam inconvenientiam est demonstrabile, mundum esse principiatum, & est demonstrabile, æternitatem esse sinè fine & sinè principio in Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c., in qua Essentia convenit, esse diversa simplicia æterna, infinita in bonitate, magnitudine &c. sinè ulla compositione: quia quemadmodum anima rationalis transcendit irrationalem in virtute per intelligentiam & per usum rationis, sic convenit, quòd suprema Simplicitas transcendat omnem aliam simplicitatem per modum pluralitatis simplicium in Essentia simplici sinè ulla compositione; quæ simplicitas non sit in ulla alia Essentia habente in se pluralitatem: quia majorem & magis excellentem devictionem & transcensum facit suprema Simplicitas super inferiorem, si est una Essentia simplex, habens pluralitatem simplicium, absque eo, quòd ex illis sit composita, quàm si esset una Essentia simplex sinè pluralitate.

11. Cùm mediantibus *duodecim cameris* inquisiverimus & invenerimus supremam Bonitatem, idcirco convenit, quòd sequentes Rubricas capiamus *per modum medii*, cum quo inquiramus supremam Bonitatem: „ un„ de quamvis satis & sufficienter illam de„ monstraverimus, bonum est, quòd per „ multas demonstrationes illam demonstre„ mus: quia per quantò plures demonstra„ tiones veritas demonstratur, tantò fortiùs „ intellectus est elongatus ab ignorantia; per „ quam ignorantiam intellectus ignorat, & „ memoria obliviscitur veritatem.

CAPUT XIII.

De tribus Gradibus Demonstrationis necessariæ.

1. Ensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, quòd Demonstratio necessaria sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd res, quæ dant demonstrationem de veritate, & intellectus, qui recipit illam demonstrationem, essent malum, & quòd ignorantia & error essent bonum; & hoc est impossibile : unde cùm sit verum, quòd demonstratio sit bonum, idcirco nos inquirimus maximè necessariam Demonstrationem ad hoc, ut per illam nostro intellectui sit demonstrabile supremum Bonum.

2. *Tres sunt Gradus Demonstrationis*, hoc est, *Demonstratio sensualis, Demonstratio intellectualis de re finita, & Demonstratio intellectualis de re infinita:* secundus gradus est de majori necessitate, quàm primus, & tertius, quàm secundus.

3. a. *Primus Gradus* habet *duas species*, quarum *prima* est, velut totum corruptibile, quod est plus, quàm sua pars: *secunda* est, velut totum incorruptibile, quod est plus, quàm sua pars: & quia æternitas convenit cum incorruptibili, & disconvenit cum corruptibili, idcirco secunda species est de majori necessitate, quàm prima. Totum corruptibile, quod est plus, quàm sua pars, est sic, velut corpus, quod est plus, quàm sua manus: & totum incorruptibile, quod est plus, quàm sua pars, est sic, velut firmamentum, quod est plus, quàm sua pars; vel mundus, qui est plus, quàm aliqua vel aliquæ suarum specierum vel suorum particularium: unde quemadmodum totum incorruptibile est plus, quàm sua pars, sic convenit de necessitate, quòd sit plus, quàm totum corruptibile, quod est plus, quàm sua pars corruptibilis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd incorruptibile non esset

plus, quàm corruptibile; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd majorem necessitatem afferat, quòd totum, quod est incorruptibile, sit plus, quàm sua pars, quàm quòd totum corruptibile sit plus, quàm sua pars; quia si non afferret majorem necessitatem, sequeretur, quòd totum incorruptibile non esset plus, quàm totum corruptibile; & hoc est impossibile: cùm esse incorruptibile sit remotum ab esse corruptibili, in quantum ipsi esse corruptibili est propinqua corruptio; & non esse sit remotum ab incorruptibili, in quantum incorruptibile non est in potentia ad corruptionem, ad quam esse corruptibile est in potentia; per quam potentiam devenit in tempus, quo non est plus, quàm sua pars, tunc scilicet, quando corpus & manus & aliæ partes sunt in privatione.

4.b. *Secundus Gradus Demonstrationis* est, velut totalitas animæ, quæ est plus, quàm totum sensuale, quod est plus, quàm sua pars: & hoc est ideo, quia anima non facit partem de se ipsa, nec illi est necessarium, quòd sit divisa, & est magis nobilis, quàm corpus; quia si non esset magis nobilis, sequeretur, quòd tres potentiæ animæ non essent magis nobiles, quàm quinque sensus particulares; & hoc est impossibile: quia si in mundo non esset nisi una anima tantùm, melior esset anima, quàm totum residuum; & hoc est ideo, quia anima utitur sensuali & intellectuali; & mundus, in quantum est sensualis, non potest uti animâ, nec ullâ re intellectuali: unde quemadmodum animalitas stat magis in sensu gustûs & tactûs, quàm in aliis tribus particularibus, & hoc est ideo, quia nullum animal viveret sinè gustare & tangere, & viveret sinè videre, audire & odorari, sic demonstratio necessaria fortiùs stat & est demonstrata per intellectualitatem, quàm per sensualitatem: quia si intellectualitas nihil esset, esset impossibile, quòd ulla demonstratio fieret, per hoc, quia non esset, qui reciperet demonstrationem. Unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstratum, quòd totum intellectuale sit plus, quàm totum sensuale; & quia veritas & demonstratio meliùs conveniunt in intellectuali, quàm in sensuali, idcirco demonstratio intellectualis est de majori necessitate, quàm sensualis; sed quia demonstratio sensualis faciliùs fit, quàm intellectualis, per hoc, quia fit ipsis sensibus sensualibus sinè medio, & demonstratio intellectualis fit cum majori obscuritate, per hoc, quia transit per media, hoc est, res sensuales, idcirco videtur in phantasia, quòd demonstratio sensualis sit de majori necessitate, quàm intellectualis: *& ideo homines, qui non habent subtilem intellectum, magis amant demonstrationes, quæ fiunt de una sensualitate cum altera, quàm demonstrationes, quæ fiunt de una intellectualitate cum altera: & ideo faciliùs possunt decipi, quàm illi, qui magis amant demonstrationes intellectuales; qui non essent magis certificati, quàm amatores demonstrationum sensualium, si demonstrationes sensuales essent de tam magna necessitate, sicut intellectuales.*

5.c. *Tertius Gradus Demonstrationis* est, quòd, quemadmodum convenit, quòd demonstratio sensualis, quæ fit de incorruptibili, sit de majori necessitate, quàm illa, quæ fit de corruptibili, & demonstratio, quæ fit de re intellectuali finita, continet majorem necessitatem, quàm illa, quæ fit de re corporali, sic de necessitate conveniat, quòd sit aliqua res intellectualis infinita, de qua fiat demonstratio cum rebus infinitis, ad demonstrandum, quòd illud totum infinitum sit de majori necessitate, quàm sit ullum aliud totum, quod sit finitum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd æternitas, quæ est infinita in duratione, non demonstraret majorem necessitatem, quàm hoc, quod est finitum in duratione & in quantitate; & hoc est impossibile: quia si una anima, in qua ignorantia & peccatum est potentialiter, est plus in sua totalitate, quàm sit tota sensualitas, & hoc secundùm modum nobilitatis, quantò magis convenit, quòd sit una Essentia infinita in bonitate &c., in qua nec ignorantia, nec peccatum, nec ullus defectus sit potentialiter nec actualiter; quæ Essentia est suprema Bonitas, quæ est plus boni, quàm sit totum alterum bonum sensuale & intellectuale, quæ demonstrat majorem necessitatem de se ipsa, quàm ulla alia res; & hoc est ideo, quia se demonstrat cum qualitatibus essentialibus virtuosis infinitis in bonitate, magnitudine &c.; & nulla alia res potest demonstrare se ipsam, nisi cum qualitatibus & proprietatibus finitis & terminatis.

6. Quemadmodum homo, qui se respicit in speculo curvo, & speculum sensualiter demonstrat visui, quòd figura faciei sit curva, & recolitio memoriæ, quæ recolit, figuram faciei esse rectam, demonstrat intellectui, quòd illa figura sit bonæ dispositionis, & demonstratio, quam memoria facit intellectui, qui intelligit, est de necessitate, & non illa, quam speculum facit visui sensuali, sic & multò meliùs etiam sinè omni comparatione est major demonstratio, quæ fit de re infinita in bonitate, magnitudine &c., quæ demonstrat se ipsam per infinitam bonitatem, magnitudinem &c. esse infinitam bonitatem, magnitudinem &c., & per aliam rem infinitam in bonitate, magnitudine &c., quàm sit demonstratio, quam memoria facit intellectui, secundum quòd suprà dictum est: & hoc est ideo, quia una res infinita in bonitate &c. se demonstrat per se ipsam & per alteram infinitam in bonitate &c.; & memoria non demonstrat intellectui, nisi per res finitas: & quia demonstratio de rebus infinitis convenit cum majoritate, veritate, perfectione & cum æternitate, & demonstratio, quæ fit de rebus finitis, convenit cum minoritate, & cum principio & fine, idcirco de necessitate sequitur, quòd demonstratio de rebus infinitis multò meliùs conveniat cum esse, quàm demonstratio de rebus finitis; quæ demonstratio de rebus finitis meliùs conveniret cum esse, quàm demonstratio de rebus infinitis, si nullum bonum de rebus infinitis esset demonstrabile.

7. Cùm demonstraverimus per *tertium Gradum Demonstrationis* supremam Demonstrationem, quæ est supremum Bonum, idcirco convenit affirmare, majorem necessitatem demonstrationis esse per hunc tertium gradum, quàm per alium: *sed sicuti, quando homo ascendit in altum montem, fortiùs defatigatur, quàm quando ascendit in colles, qui sunt depressi, sic intellectus graviùs recipit demonstrationes, quæ fiunt de rebus infinitis, quàm illas, quæ fiunt de rebus finitis: & ideo in phantasia videtur, quòd intellectus non tantum intelligat, nec de tam magna necessitate, in demonstratione, quæ fit per tertium gradum, in quo plus intelligit, quam per demonstrationem, quæ fit per primum & per secundum, in quibus tantum non intelligit; quia si in illis tantum intelligeret, sequeretur, quòd tertius gradus non daret majorem & magis necessariam demonstrationem, quàm primus & secundus.*

CAPUT XIV.

De Appetitu naturali.

CUm simus inquisitores supremi Boni, volumus illud inquirere cum appetitu naturali, & illum appetitum inquirimus in qualitate; „ quia quemadmodum supre-
„ mum Bonum est demonstrabile per duo-
„ decim cameras Figuræ, secundùm quòd
„ probavimus, sic est demonstrabile per de-
„ cem prædicamenta, & per quinque uni-
„ versalia, & per principia metaphysicæ, &
„ per alia media philosophiæ, in quibus su-
„ premum Bonum est demonstrabile.

2. Quemadmodum vir, qui non est pater, & desiderat uxorem ad hoc, ut possit habere filium, sic ignis ad hoc, ut possit uti calore calefaciendo, appetit aërem & terram, calefaciens aërem, & recipiens siccitatem à terra; & quia aër dat humiditatem aquæ, & aqua dat frigiditatem terræ, idcirco exit compositum de omnibus quatuor, scil. compositum, quod ignis appetit calefacere, hoc est, piper vel animal cholericum: & quia ignis est cum suo contrario in illo composito, idcirco suus appetitus non habet complementum in illo corpore, quamvis sit de qualitate ignis.

3. Aqua appetit uti frigore, & ideo appetit aërem & terram, & componit cucurbitam & hominem phlegmaticum; sed ignis ibi habet suum appetitum, qui est in destructione cucurbitæ: & quia frigiditas est major in cucurbita, quàm calor, ideo ignis non potest habere suum perfectum appetitum in cucurbita; & hoc idem sequitur in omni eo, quod fit per generationem & corruptionem naturalem.

4. Unde cùm ignis non habeat perfectum appetitum in hoc, quod est de sua qualitate, nec in hoc, quod est contra suam qualitatem, idcirco est impossibile, quòd ignis sit subjectum qualitati, quæ sit æterna; cùm æternitas conveniat cum perfectione, & ignis cum defectuoso appetitu: & si ignis esset æternus, & suus appetitus & sua operatio non essent æterna, ignis esset æternus sinè operatione, & sequeretur, quòd in æternitate caperetur defectus.

5. Unde cùm æternitas sit qualitas, quæ convenit cum perfectione in hoc, quòd non habeat principium & finem, idcirco est impossibile, quòd æternitas sit qualitas ullius rei habentis defectum: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd appetitus naturalis & ignis, qui est subjectus illi appetitui, & objectum, quod naturaliter appetitur, habeant principium, quod principium illis dedit æternitas, quæ est supremum Bonum in infinita bonitate, magnitudine

&c.; quod supremum Bonum naturaliter appetitur per inferiora bona, in quantum est forma & complementum illorum.

CAPUT XV.

De Simili & Dissimili.

1. CUm bonis, quæ sunt similia & dissimilia, nos convenit inquirere supremum Bonum, quod est demonstrabile per inferiora bona, quæ sunt similia & dissimilia.

2. Manifestum est, quòd secundùm comparationem bona corruptibilia per corruptionem compositorum elementatorum sint dissimilia æternitati secundùm comparationem temporis & motûs, quæ sunt bona incorruptibilia similia æterno bono in comparatione bonorum corruptibilium: unde cùm æternitas non conveniat, nec similetur principio & fini, & cùm tempus & motus conveniant cum primo & ultimo, & primum & ultimum conveniant & similentur principio & fini, idcirco æternitas est dissimilis tempori & motui; & ideo demonstratur, quòd similitudo, quam tempus & motus habent cum æternitate, secundùm quòd suprà dictum est, sit respectu majoris durationis, quæ est in tempore & in motu, quàm sit in compositis elementatis corruptibilibus: idcirco convenit de necessitate, quòd tempus & motus habeant principium; quia si essent sinè principio, sequeretur, quòd tempus, motus, primum, ultimum, principium & finis essent insimul similia æternitati; & hoc est impossibile: cùm æternitas sit dissimilis primo & ultimo, & principio & fini, quæ similantur & conveniunt cum tempore & motu.

3. Si æternitas est bonum simile tempori & motui, quæ sunt bona similia primo & ultimo, quæ sunt bona similia principio & fini, quantò magìs sinè ulla comparatione convenit, quòd æternitas habeat in se æterna bona similia & dissimilia in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c.: quia si illa non haberet, sequeretur, quòd æternitas esset similis & dissimilis bonis finitis & terminatis, quæ sunt similia & dissimilia aliis bonis finitis & terminatis habentibus principium & finem; & quòd non habeat similia & dissimilia bona æterna, infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ; & quòd illa bona sint una suprema Essentia, quæ sit Bonitas suprema infinita in magnitudine &c.; & hoc est impossibile, scil. quòd æternitas sit similis & dissimilis bono finito, & quòd non habeat similia & dissimilia bona infinita; cùm æternitas sit bonum infinitum in qualibet camerarum Figuræ.

CAPUT XVI.

De Anima & Corpore.

1. NOtum est, quòd anima non senescat; quia si senesceret, sequeretur, quòd suæ tres potentiæ senescerent, quæ non senescunt, imò quantò diutiùs anima stat in corpore, quod est ordinatum instrumentum animæ, tantò plura objecta capit, & tantò veriùs memoria, intellectus & voluntas illa capiunt.

2. Unde cùm sit veritas, quòd anima non senescat, & quòd corpus senescat per senectutem suorum quinque particularium sensuum & suorum membrorum, ponatur verum, quòd corpus esset inferius bonum, & quòd anima, quæ non senescit, esset supremum Bonum; non est verum: quia quamvìs anima conveniat cum æternitate, in quantum nec æternitas, nec anima senescit, per totum hoc anima non convenit in omnibus cum æternitate, per hoc, quia in anima est ignorantia & peccatum, quæ conveniunt cum defectu & cum principio & fine, cum quo defectu & principio & fine æternitas disconvenit: per quam inconvenientiam est demonstrabile, quòd anima sit creata, & quòd non sit supremũ Bonum; quia si esset increata, & esset supremum Bonum, conveniret in omnibus rebus cum æternitate.

3. Ponatur verum, quòd anima post mortem corporis nihil esset; non est verum: quia in hoc, quòd anima habet magìs nobilem naturam, quàm corpus, & est alterius naturæ, quàm corpus, demonstratur, quòd magìs nobile non potest perire in destructione minùs nobilis: quia si in illa periret, non esset magìs nobile, nec esset alterius naturæ: unde quemadmodum ignis, qui est in composito, non perit, nec privatur esse, quamvìs compositum deveniat in privationem, & hoc ideo, quia prima materia appetit conservationem illius in alio composito desiderato per ignem, sic convenit, quòd anima, quæ est plus, quàm corpus, & quæ non potest satiari in corpore, conservetur post privationem corporis: quia si non conservaretur, non esset de tam nobili nec magìs nobili natura, quàm corpus, cujus

cujus corporis materia conservatur in altero corpore, ad hoc, ut finis conservet speciem; per quam conservationem immortalitas animæ est demonstrabilis, ad hoc, ut in illa sit demonstrabilis suprema charitas & justitia.

4. Ponatur verum, quòd, quemadmodum elementa dissolvuntur in corpore corruptibili, & per generationem mutantur in aliud corpus, sic anima, quando est separata à corpore, mutetur in aliud corpus; non est verum: quia ratio, quare elementa mutantur de uno corpore in aliud, est ad hoc, ut inveniant puram simplicitatem, quam quodlibet elementum inquirit, quam non inveniunt in ullo composito: sed quia anima non desiderat simplex corporeum, non desiderat esse in altero corpore, postquam exivit à corpore, in quo erat, nec desiderat esse in alio corpore, ut sit complemẽtum illius, cùm non possit habere complementum sibi ipsi in ullo corpore: & si anima, quæ habet defectum, dum est in corpore, desideraret esse in uno corpore, & postea in altero, ut esset complementum & forma illius, desideraret perfectionem & complementum alterius, & non sui ipsius; & hoc est impossibile, quòd anima habens defectum in semetipsa appetat esse complementum alterius, & non sui ipsius.

5. Ponatur, quòd anima post mortem hominis revertatur ad aliam animam, quæ esset ita universalis omnibus animabus, sicut est prima materia omnibus suis particularibus, quorum materia revertitur ad illam post mortem; non est verum: quia supposito, quòd anima universalis esset in esse, per totum hoc nullum suorum particularium vellet redire ad illam; quia quælibet anima esset magìs perfecta in semetipsa, quàm in materia; quemadmodum quodlibet particulare ordinalis materiæ est magìs nobile in composito, quàm in materia: & ideo, quia ordinalis materia non potest illi dare in semetipsa complementum nec constantiam essendi, quam particulare habebat in composito, devénit in privationem: idcirco in continenti, quando particulare est per corruptionem dissolutum in aliquo composito, componitur in altero. Unde si anima universalis non posset dare complementum animæ particulari in semetipsa, & anima particularis amaret magìs esse in universali, quàm in se ipsa, amaret esse in defectu; & corpus esset nobilioris conditionis, quàm anima; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd anima universalis non conveniat cum esse.

CAPUT XVII.

De Operatione miraculosa & de Operatione naturali.

1. MAnifestum est, quòd operatio naturalis sit composita de duabus speciebus, quæ sunt generatio & corruptio, sinè quibus non posset uti suâ operatione in compositis subjectis: unde cùm conveniat de necessitate, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit æternum bonum sinè principio & fine, & cùm generatio naturalis conveniat cum principio, & corruptio conveniat cum fine, idcirco est demonstrabile, quòd operatio naturæ non sit supremum Bonum; quia si esset supremum Bonum, sua operatio non conveniret cum principio & fine.

2. Si tu dicis, quòd natura sit æterna, & quòd sit supremum Bonum, sed quòd sua operatio habeat principium & finem, quam operationem dicis esse inferius bonum, tunc jam affirmas, quòd supremum Bonum sit æternum, absque eo, quòd operetur in se ipso, nec in altero; & hoc non est verum: quia quemadmodum supremum Bonum convenit cum æternitate, sinè qua non conveniret, ipsum esse supremum Bonum, per hoc, quòd haberet principium & finem, nisi conveniret cum æternitate, sic non conveniret, supremum Bonum esse supremum Bonum, nisi operaretur bonum: & quia natura non operatur de supremo usu æterno, secundùm quòd tu dicis, idcirco significas & demonstras per tua verba, quòd natura non sit supremum Bonum.

3. Veritas est, quòd, quemadmodum ignis est magìs nobilis, quàm ullum aliorum elementorum, sic illi conveniat magis nobilis operatio; quia sinè magìs nobili operatione non posset esse magìs nobilis: unde si igni per hoc, quia est magìs nobile elementum, convenit magìs nobilis operatio, & sensualiter sentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd ignis habeat illam operationem, quæ illi convenit, idcirco de necessitate convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, habeat magìs nobilem operationem, quàm natura, & quòd habeat hoc, quòd illi convenit: unde cùm natura, quàm citò fuit, habuerit suam operationem,

& utatur se ipsâ in altero naturato, hoc est, composito naturali, de necessitate convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, æternaliter sit operans de se ipso in altero bono æternato, infinitato, perfecto &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd natura esset de magìs nobili operatione, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile.

4. Manifestum est, quòd natura per modum corruptionis det quinque sensibus particularibus aliqua accidentia pro objecto, quæ non sunt in subjecto; sed sensus particulares sunt objecta, & natura corrupta & infirma in particularibus est subjecta illis accidentibus: velut apparet in gutture infirmo, quod sentit amaritudinem, quando gustat pomum dulce vel mel: unde accidens amaritudinis non est in pomo, nec in melle; quia si ibi esset, pomum & mel non essent dulcia: itaque illa amaritudo est accidens, cui est subjecta infirmitas gutturis, quod appetit suum usum & officium, quod illi datur per generationem & per bonam dispositionem, ad hoc, ut sentiat dulcedinem in rebus dulcibus, & amaritudinem in rebus amaris: unde si natura habet istam potestatem, quòd faciat esse accidentia, absque eo, quòd sint in pomo vel in melle, & sunt objecta sensibus particularibus, & subjectum illorum est corruptio & infirmitas, quæ conveniunt cum privatione & non esse, & pomum ac mel non demonstrant suam dulcedinem gustui, bene sequitur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, per operationem miraculosam det quinque sensibus particularibus accidentia pro objectis, absque eo, quòd sint in essentia rei, nec habeant ullum subjectum; nec substantia det pro objectis sua accidentia & suas qualitates sensibus particularibus: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd natura haberet magìs nobilem operationem & majorem potestatem, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd natura esset supremum Bonum.

5. Cùm sit demonstratum, quòd conveniat, hoc, quod est supremum Bonum, esse demonstrabile per magìs nobilem operationem, quàm per operationem naturæ, ad hoc, ut videatur magìs nobile, quàm natura, convenit de necessitate, quòd, quemadmodum natura dat gutturi sano pro objecto dulcedinem, quæ est in pomo & melle, & amaritudinem, quæ est in felle & aceto, sic illa res, quæ est supremum Bonum, habeat aliam operationem magìs nobilem, quàm natura, & det pro objecto quinque sensibus particularibus sanitatem membrorum hominis, qui erat paraliticus, & hominis resuscitati, qui sit vivus. Unde si hoc, quod est supremum Bonum, non uteretur tali operatione in inferiori bono, non esset demonstrabile, se ipsum esse supremum Bonum: itaque de necessitate convenit, quòd illud bonum, quod facit supradicta miracula, & cui convenit, illa facere, ad demonstrandum, se ipsum esse supremum Bonum, sit supremum Bonum.

CAPUT XVIII.
De Synonimia.

1. NOtum est, quòd, quemadmodum lux solis convenit cum omni eo, quod ab illo recipit lucem, sic cum hoc, quod est supremum Bonum, conveniat omne id, quod ab illo recipit bonum: unde cùm sit necessarium, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit æternum, si supremum Bonum & æternitas convenirent, secundùm quòd lumen solis convenit cum minori lumine, quod illuminat, & majus bonum convenit cum minori bono, quod perficit, sequeretur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, non esset à se ipso æternum; & hoc, quod est æternum, non esset à se ipso bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum & æternitas sint unum & idem.

2. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus, dicis, quòd sua particularia incorruptibilia sint æterna, hoc est, sol, luna, stellæ, elementa & species: & per hoc, quod dicis, affirmas, quòd nullum supradictorum particularium sit magìs nobile, quàm alterum; quia si æqualiter sunt æterna, & convenit, supremum Bonum & æternitatem esse unum & idem, secundùm quòd suprà probatum est, concludis, quòd nullum bonum sit superius altero; & hoc non est verum: quia magìs nobilis & major est lux solis, quàm lux lunæ; & magis nobilis & major est calor ignis, quàm aëris; & magìs nobilis est humana species, quàm species pomi vel equi: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd æternitas sit una res, & hoc, quod non est supremum Bonum, sit alia res: quia si æternitas & hoc, quod non est supremum Bonum, essent unum & idem, sequeretur, quòd hoc, quod est supremum Bonum & æternitas, non essent unum & idem; & hoc est impossibile, quòd disconveniat, quòd æternitas sit unum & idem cum hoc, quod est supremum Bonum, & quòd conveniat, quòd sit unum & idem cum hoc, quod non est supremum Bonum: unde cùm hoc sit impossibile, per istam impossibilitatem est demonstrabile principium, quod est in hoc, quod non est supremum Bonum, & est demonstrabilis æternitas, quæ est in supremo Bono.

3. Si tu dicis, quòd æternitas sit qualitas inseparabilis à mundo & à supradictis particularibus, tunc jam dicis, quòd qualitas sit accidens non stans per se, sed per alterum: & si hoc est ita, qualitas est insimul supremum Bonum & inferius bonum; supremum Bonum est, in quantum est æternum; & inferius, in quantum est stans per alterum & non per se ipsum; & hoc est impossibile, quòd æternitas sit simul supremum Bonum & inferius bonum: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd Bonum supremum & æternum sit bonum essentiale substantiale per se ipsum stans, æternificante uno æterno infinito in bonitate &c. alterum æternum infinitum in bonitate, magnitudine &c.

4. Quemadmodum ignis non potest calefacere se ipsum, sed alterum, per hoc, quia calor est in illo qualitas, & non est substantia, sic nec mundus nec ullum suorum particularium posset æternificare se ipsum, si æternitas esset qualitas & non substantia mundi & suorum particularium: & quemadmodum ignis calefacit alterum, & non se ipsum, sic mundus æternificaret alterum mundum, & non se ipsum, nec sua particularia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis qualitas æterna substantialis, quæ est supremum Bonum, in quo unum æternum æternificat alterum æternum infinitum in bonitate &c., sinè qua æternificatione æternitas non posset esse supremum Bonum, nec esse sinè principio & finè.

CAPUT XIX.
De Accidente.

1. MAnifestum est, quòd sint *duæ species* accidentis inseparabilis: *una species* est, quando in theorica videtur possibile hoc, quod in practica est impossibile; velut apparet in homine, cui videtur, quòd corvus niger possit esse albus; & hoc illi videtur per hoc, quia aliquod corpus nigrum vidit vel intellexit dealbatum; & quòd firmamentum possit esse æternum per hoc, quia est incorruptibile: *altera species* est, quando in theorica & in practica æqualiter est demonstrabile hoc, quod est impossibile; velut apparet in homine, cui est demonstratum in theorica & in practica, quòd sit impossibile, quòd in quatuor non sint duo, & quòd totum non sit plus, quàm sua pars.

2. Ratio, quare istæ duæ species sunt diversæ, est per hoc, quia intellectus in prima specie non est purè denudatus ab imaginativa & phantasia; & ideo suum intelligere non habet perfectam formam tunc, quando homo in theorica cogitat, quòd sit possibile in practica hoc, quod in illa est impossibile: sed de secunda specie non est ita, quia intellectus tantum est denudatus & elongatus à phantasia, & tantum est elevatus superiùs, quòd ideo intelligat, in theorica esse impossibile hoc, quod est impossibile in practica: unde cùm hoc ita sit, nos volumus inquirere supremum Bonum, quod est demonstrabile per duas supradictas species.

3. Notum est, quòd, quemadmodum imaginativa & phantasia in communitate quinque sensuum particularium dant & præsentant intellectui, ad hoc, ut intelligat, sic illi tollant per primam speciem supradicti accidentis, ad hoc, ut illum inclinent ad ignorantiam, quam habet, quando homo putat, quòd sit possibile hoc, quod est impossibile; vel quòd sit impossibile hoc, quod est possibile. Unde si tu dicis, quòd mundus, tempus, motus, firmamentum, species & alia particularia mundi sint res æternæ, per hoc, quia non sunt corruptibiles, nec alterabiles, affirmas per primam speciem, & negas per secundam: nam eò quòd tu cogitas, quòd æternitas conveniat cum rebus incorruptibilibus, & non conveniat cum corruptibilibus, imaginaris phantasticè, quòd omne incorruptibile sit æternum; & ignoras hoc, quod intelligis, quando cogitas per secundam speciem, quòd æternitas non solùm conveniat cum incorruptibili, sed quòd conveniat cum perfecta bonitate infinita in magnitudine, potestate & in aliis cameris Figuræ; quam conveniens tiam non habet mundus, nec sua particularia cum illis cameris Figuræ, quamvis

sint incorruptibilia; quæ incorruptio illis est data à supremo Bono incorruptibili, quod convenit cum omnibus cameris Figuræ, ad demonstrandum, quòd, sicut illud est incorruptibile, sic det bona, quæ sunt incorruptibilia; sinè quibus bonis incorruptibilibus non esset demonstrabile, quòd sua Essentia sit incorruptibilis.

4. Quemadmodum per primam speciem in theorica tibi videtur possibile, quòd corvus niger possit esse albus, & hæc possibilitas non est vera in practica, per hoc, quia corvus convenit cum nigredine, & disconvenit cum albedine; sic per hoc, quia nescis intelligere nec uti intellectu, nec scis illum elongare à phantasia & imaginativa, tibi videtur, quòd æternitas & incorruptio habeant complementum ad esse supremum Bonum, & ignoras impossibilitatem practicæ, quæ est per hoc, quia sinè infinita bonitate, magnitudine & aliis cameris Figuræ æternitas & incorruptio non possent esse supremum Bonum; quod supremum Bonum intelligis in theorica & in practica tunc, quando intelligis, quòd æternitas & incorruptio conveniant cum infinita bonitate, magnitudine & cum aliis cameris Figuræ.

5. Cùm prima species sit consuetudo erroris & deviationis à veritate, & sit illa via, per quam transierunt Philosophi, qui affirmaverunt, quòd mundus sit æternus, & cùm secunda species sit via luminosa, per quam vadunt illi, qui cognoscunt, mundum necessariò esse creatum, & esse aliquam rem, quæ sit supremum Bonum, itaque si tu vis inquirere & invenire supremam Bonitatem, quamvis primò te conveniat transire per primam speciem, in quantum de imaginativa & phantasia ascendis ad intelligere, cave, ne subsistas in prima specie, & transi & ascende, quantò citiùs potes, ad secundam, in qua fit demonstratio necessaria: *quia convenit, quòd omne id, quod est demonstratio necessaria, æqualiter significetur, in theorica & in practica esse possibile vel impossibile.*

CAPUT XX.

De Resurrectione.

1. SEnsualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, quòd multi homines justi transeant de hac præsenti vita, qui in hoc mundo non sunt præmiati de bono, quod faciunt, & quòd multi homines peccatores transeant ex hac vita, qui hìc non sunt puniti de malis, quæ faciunt: unde si supremum Bonum est aliquid, convenit de necessitate, quòd æternaliter sit justum; quia si non esset æternaliter justum, sequeretur, quòd supremum Bonum per defectum justitiæ tam fortiter disconveniret cum æternitate, sicut æternitas per perfectionem cum principio & fine; & hoc est impossibile, quòd æternitas & supremum Bonum disconveniant; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd æternitas non disconveniret cum principio & fine; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit æternaliter justum; quia si non esset æternaliter justum, sequerentur omnia supradicta inconvenientia.

2. Certum est, quòd æternitas in se ipsa non conveniat cum duratione, quæ sit sinè principio, & quæ habeat finem; nec cum duratione, quæ habeat principium & non habeat finem; nec cum duratione, quæ habeat principium & finem: quia si cum aliqua istarum rerum conveniret, non esset hoc, quod est; & esset hoc, quod est; & hoc est impossibile, quòd æternitas sit & non sit.

3. Certum est, quòd æternitas in alia re, quæ non sit æterna, multò meliùs conveniat cum duratione, quæ habeat principium, & non habeat finem, quàm cum duratione, quæ habeat principium & finem: quia major influentia boni est duratio, quæ habeat principium & non habeat finem, quàm sit duratio, quæ habeat principium & finem: idcirco est demonstrabile, quòd bonum, quod meliùs convenit cum æternitate, sit in majoritate & in perfectione; & est demonstrabile, quòd bonum, quod minùs convenit cum æternitate, sit in minoritate & in defectu: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd hoc, quod est magìs & plùs nobile, disconveniret cum majoritate, esse & perfectione, & hoc, quod est minus & minùs nobile, disconveniret cum minoritate, privatione & defectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Resurrectio, quæ erit bonum sinè fine durans per influentiam durationis, quæ est æterna & sinè principio & fine; quæ æternitas judicabit principiatam durationem sinè omni fine, ad hoc, ut illa perdurabiliter habeat cognitionem æternitatis, quæ est supremum Bonum.

De

4. De necessitate convenit, quòd, quemadmodum convenit, supremum Bonum esse demonstrabile per res incorruptibiles habentes principium & non habentes finem, secundùm quòd in *decimo nono Capite* est dictum, conveniat, illud esse demonstrabile per præmium & supplicium, quæ sint principiata, & non habeant finem: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd æternitas esset magìs nobilis res in hoc, quod est supremum Bonum, quàm justitia; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd æternitas esset supremum Bonum, & justitia inferius; & hoc est impossibile, secundùm quòd suprà est probatùm: unde demonstratur, quòd æternitas non esset digna, esse supremum Bonum, si illi deficeret justitia.

CAPUT XXI.

De primo Principio.

1. CErtum est, quòd principium boni sit bonum; quia si non esset bonum, sequeretur, quòd hoc, quod est principium mali culpæ, non esset malum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd hoc, quod est principium boni, sit bonum: unde nos per hoc inquirimus supremum Principium, quod est supremum Bonum.

2. Considerandum est, quòd materia, forma & privatio sint principia compositorum elementatorum, & quòd quatuor causæ sint principia formarum artificialium: unde cùm formæ naturales sint magis nobiles, quàm artificiales, & artificiales habeant principium agentis, quod est prius formis (velut faber lignarius, qui est ante navem) de necessitate convenit, quòd tria principia naturalia supradicta habeant agens & principiatorem, qui sit prior formis naturalibus; quia si illum non haberent, sequeretur, quòd formæ artificiales essent magìs nobiles, quàm naturales; quia haberent principiatorem priorem utentem intelligentiâ & ratione, & formæ naturales non haberent priorem tribus principiis, nec essent principiatæ à principio, quod uteretur intelligentiâ & ratione & libertate, & essent minùs nobiles, quàm artificiales; & hoc est impossibile: cùm formæ artificiales per cursum naturæ redeant ad naturales, & naturales non redeant naturaliter ad artificiales: per quem regressum demonstratur, quòd formæ naturales sint magìs nobiles, quàm artificiales: per quam demonstrationem demonstratur, quòd tria principia naturalia habeant primum principiatorem, qui habet intelligentiam, & qui facit & principiat hoc, quod vult, liberè, & sapienter ordinat omne id, quod vult; & iste est illud primum Principium, quod nos inquirimus.

3. Si tu dicis, quòd materia ordinalis sit primum & supremum Principium speciebus & individuis illarum; non est verum: quia magìs nobile ens est causa finalis, quàm species; & si hoc non esset, forma non moveretur de materia ad causam finalem, sed moveretur de causa finali ad materiam; & hoc est impossibile per modum generationis; sed per modum corruptionis, cui disconvenit esse supremum Principium, forma corrumpendo movetur de causa finali ad materiam, eâ intentione, ut per modum generationis se moveat aliâ vice de materia ad aliam finalem rationem in alio compositio.

4. Si tu dicis, quòd forma sit supremum Principium; non est verum: quia hoc habet majorem nobilitatem, ad quod movetur, hoc est, causa finalis; & hoc, quod est magis nobile, convenit esse superiùs illo, quod est minùs nobile: & ratio, quare forma naturalis non potest esse supremum Principium, est maximè per hoc, quia convenit cum potentia & cum privatione, quæ disconveniunt cum æternitate, sinè qua nulla res potest esse supremum Principium.

5. Si tu dicis, quòd privatio sit supremum Principium, per hoc, quia sinè privatione nulla forma naturalis posset recipere principium; non est verum: quia privatio nihil est, & in principio compositi non habet ullum officium: quia si hoc haberet, esset aliquid; & hoc, quod nihil est in se ipso, nec in altero, non potest esse supremum huic, quod est aliquid in se ipso & in altero.

6. Si tu dicis, quòd causa finalis naturalis sit supremum Principium, per hoc, quia ad se ipsam movet formam, & forma se movet ad illam; non est verum: quia causa finalis naturalis & artificialis non conveniunt cum æternitate, per hoc, quia æternitas non est complementum formæ, quæ redit ad materiam per corruptionem, per quam devenit in privationem; quia si esset complementum illius sinè ullo defectu, forma esset actualiter æterna; & hoc est impossibile secundùm cursum naturalem.

7. Si tu dicis, quòd artifex, qui est principium formæ artificialis, sit primum Principium; non est verum: quia antè fuit materia artificis, quàm artifex, & forma artificis fuit antè potentialiter, quàm artifex, & antè fuit materia navîs, quàm artifex, & antè fuit in materia in potentia forma navîs, quàm forma artificis in actu: & quia primo supremo Principio convenit, quòd sit antè per omnem modum, quàm principiatum, idcirco est impossibile, quòd homo possit esse primum & supremum Principium.

8. Si tu dicis, quòd anima sit primum & supremum Principium; non est verum: quia ignorantia & peccatum sunt potentialiter in anima, & anima se movet ad majus se ipsâ, desiderans suum complementum, quod non habet, nec invenit in hac præsenti vita: & nulla res, quæ non habet complementum, & in qua est defectus potentialiter, potest esse supremum & primum Principium omnibus principiis.

9. Si tu dicis, quòd non sit unum Principium supremum nec primum omnibus principiis, sed quòd sint multa principia; non est verum: quia sicut particularia insimul sunt mundus, qui est unus, sic convenit de necessitate, quòd sit unum principium, quod sit principium omnium principiorum.

10. Et si tu dicis, quòd mundus sit supremum & primum Principium alicui & aliquibus suorum particularium; non est verum: quia mundus non fuit ante sua particularia; nec supremo Principio convenit, quòd sit principium unius vel aliquorum principiorum tantùm; sed convenit, quòd sit principium omnium principiorum: quia si non esset principium omnium, non conveniret cum æternitate, cui convenit esse ante omnia, quæ habent principium: unde cùm mundus non possit esse antè, nec major, quàm omnia sua particularia, ideo mundus non sufficit esse supremum & primum Principium.

11. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus, & quòd æternitas mundi sit primum & supremum Principium omnibus principiis; non est verum: quia sicut æternitati disconvenit habere principium, sic illi disconvenit, esse qualitatem ullius substantiæ, quæ habet quantitatem finitam; quæ quantitas finita habet principium de uno termino usque ad alterum: & quemadmodum æternitati per naturam perfectionis & infinitatis disconvenit habere principium, sic illi convenit esse primum & supremum Principium mundi & suorum particularium & totius hujus, quod habet quantitatem finitam: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd æternitas conveniret cum quantitate finita, & quòd disconveniret cum magnitudine infinita in bonitate, potestate & in aliis dictionibus Figuræ; & hoc est impossibile: quæ impossibilitas est demonstrabilis per durationem infinitam æternam, & per quantitatem finitam, intra quam mundus & sua particularia sunt terminata: per quam demonstrationem est demonstrabile primum Principium, quod est supremum Bonum, & est Principium omnium principiorum.

CAPUT XXII.

De Alteratione.

1. MAnifestum est, quòd in individuis specierum sit Alteratio, sed non est in speciebus; & hoc est ideo, quia elementa non habent operationem sinè alteratione illius, quod componunt; quia sinè alteratione non possent uti suis proprietatibus, nec possent componere composita elementata: unde cùm hoc ita sit, idcirco nos volumus inquirere supremam Bonitatem cum Alteratione.

2. De necessitate convenit, quòd major concordantia & major similitudo naturæ sit in hoc, in quo propositiones convertuntur, quàm in hoc, in quo non convertuntur; veluti cùm quis dicit, quòd omne animal sit mobile, sed non omne mobile sit animal; quia si hoc esset, planta & firmamentum essent animal: & omne, quod est alterabile, habet principium & finem; & omne, quod habet principium & finem, est alterabile: itaque major convenientia & similitudo est inter alterationem & principium & finem, quàm sit inter animal & motum: quia si hoc non esset, sequeretur, quòd totus motus converteretur in animal; & hoc est impossibile.

3. Si tu negas, quòd Deus sit aliquid, & quòd sit alter mundus, nisi iste, in quo es, affirmas, quòd elementa & illorum proprietates & illorum usus sint æterna; tunc de tua negatione & affirmatione formatur conclusio, quæ dicit, quòd æternitas æqualiter conveniat cum inalterabili & alterabili: quia si ignis est æternus, & ignis habet naturam & proprietatem, quòd sinè ulla cessatione semper calefaciat, & omne id, quod calefacit, alteret (quia sinè alteratione hujus, quod calefacit, non posset calefacere) de necessitatè convenit, quòd, si ignis est æternus, alteratio sit æterna: unde cùm æternitas sit sinè principio & fine, & alteratio non sit sinè principio & fine, per hoc demonstratur, quòd, quemadmodum omne animal destrueretur, si destrueretur omnis motus, & non destrueretur omnis motus in destructione omnis animalis, sic, si destrueretur æternitas, sequeretur, quòd destrueretur omnis alteratio; & si destrueretur omnis alteratio, per totum hoc non sequitur, quòd destrueretur æternitas: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabile, quòd æternitas & alteratio non conveniant: per quam inconvenientiam tibi demonstratur, quòd alteratio non sit æterna: & si alteratio non est æterna, nec ignis, nec alia elementa sunt æterna, quia sinè usu suarum qualitatum non possent uti suo esse: & si elementa non sunt æterna, sequitur, quòd nec firmamentum nec corpora cœlestia sint æterna; quia nisi elementa & illorum composita essent, signa & planetæ non haberent, in quo uterentur; sinè quo usu non possent uti suo esse.

4. Si tu dicis, quòd æternitas & alteratio conveniant per medium, hoc est, per ignem, qui ignis & suus calor est inalterabilis, & per alia elementa, quæ sunt inalterabilia, & per istam convenientiam affirmas, quòd alteratio, quæ convenit cum operatione ignîs, conveniat cum æternitate, tunc tu non caves de deceptione, quam tibi facit prima species accidentis, de qua te jubeo cavere *in ultimo num. decimi noni Capitis*; nec tu recolis secundam speciem, per quam est demonstrabilis deceptio, quæ fit per primam: quia multò meliùs convenit sinè omni comparatione, quòd æternitas sit in aliqua re, quæ æternaliter æternificet alterum infinitum in bonitate, magnitudine &c., absque eo, quòd illud vel illa, quæ æternificat, sint alterabilia, sed sint æqualia illi, per quod sunt æternificata in infinita bonitate, magnitudine &c., quàm quòd sit convenientia inter æternitatem & alterationem; quamvis ignis & suus calor sint inalterabiles: quia operatio rerum infinitarum inalterabilium multò meliùs convenit cum æternitate, quæ est infinita & inalterabilis, quàm operatio rerum finitarum & terminatarum, quæ alterant omne id, in quod agunt & operantur: unde cùm hoc ita sit, idcirco hoc, quod meliùs & de majori necessitate convenit, te convenit affirmare; quia si de necessitate te conveniret affirmare hoc, quod minùs convenit, sequeretur, quòd demonstratio necessaria nihil esset; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremum Bonum, quod nos inquirimus.

CAPUT XXIII.

De Peccato.

1. CUm *supremum Bonum sit tam altum, tam excellens & tam nobile, quòd per omne id, quod est, sit demonstrabile*, idcirco nos volumus inquirere illud per demonstrationem, per quam peccatum illud significat & demonstrat humano intellectui.

2. Veritas est, quòd magis nobile compositum, quod est elementatum, sit homo; quia in nullo composito sunt tot bona naturalia, quot sunt in homine; quia in homine sunt quinque potentiæ, hoc est, vegetativa, sensitiva, imaginativa, rationalitas & motiva; & in vegetabili non est sensitiva, nec imaginativa, nec rationalitas; nec irrationale habet rationalitatem; & in homine vegetativa, sensitiva, imaginativa & motiva sunt magis nobiles potentiæ, quàm in aliis compositis; & hoc est ideo, quia in homine participant illæ potentiæ cum rationalitate: per quam participationem sunt magis nobiles, quàm in altero composito.

3. Sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, quòd non sit ullum compositum, quod se inclinet ad tam vilia opera nec ad tam inordinata, sicut homo; quia nullum compositum occidit se ipsum, nec amat plùs aliam rem, quàm illas, quæ sunt de sua specie, nec facit contra hoc, quod illi videtur, nec utitur contra naturam cum altero; & aliqui homines peccatores occidunt se ipsos, & aliqui homines utuntur cum fœminis & cum viris contra naturam, & scienter mentiuntur, & plùs amant denarios & alias res, quàm suum proximum, & comedunt & bibunt plus, quàm requirat illorum natura, & faciunt multa peccata, propter quæ sunt magis vilium operum, quàm vegetabilia & irrationalia: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabile, quòd sit aliquod supremum Bonum, quod per gratiam & liberalitatem sui ipsius

dat plura bona naturalia homini, quàm alteri composito, & per justitiam facit, homines peccatores esse magis viles, quàm ullum aliud compositum: unde si supremum Bonum non esset illud, quod nos inquirimus, non esset, qui homini dedisset plus, quàm alteri composito, nec esset, qui illum inclinaret per justitiam, quòd esset magis vilis, quàm alterum compositum.

4. Si tu dicis, quòd, sicut natura dat plus irrationali, quàm vegetabili, sic det plus rationali, quàm irrationali, & quòd homo de sua libera voluntate se inclinet ad supradicta peccata, & quòd per hoc, quod dicis, intendis negare supremum Bonum, tunc jam dicis, quòd homo per hoc, quòd habet liberam voluntatem, possit esse vilioris conditionis, quàm alterum compositum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd libera voluntas esset mala, & quòd non esset bona; & hoc non est verum: quia nullus homo est, qui odiat liberam voluntatem, & qui inclinetur ad faciendum peccatum per liberam voluntatem: sed sicut homo non bene utitur intellectu, quando ignorat, nec suâ memoriâ, quando obliviscitur, sic homo peccator non bene utitur suâ liberâ voluntate, quando amat vitia, & odit virtutes: & quia odiendo virtutes, & amando vitia facit contra supremum Bonum, quod est suprema Virtus, idcirco suprema Virtus illum facit esse magis vilem, quàm alterum compositum; in quam vilitatem illum nihil posset inclinare, nisi hoc, quod est supremum Bonum, quod per opus justitiæ illum facit magis vilem, quàm aliquid aliud: quam justitiam non habent particularia nec universalia mundi, nec mundus: itaque convenit, quòd sit alia res, quæ sit supremum Bonum, quod habeat justitiam, per quam homo peccator punitur, ut sit vilioris conditionis, quàm alterum compositum.

CAPUT XXIV.

De Sustentatione.

1. VEritas est, quòd Sustentatio sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd composita non amarent esse: unde cùm omnia composita elementata naturaliter appetant suum esse, idcirco est demonstratum, quòd sustentatio sit bonum; & quia est bonum, idcirco nos inquirimus cum Sustentatione supremum Bonum.

2. De necessitate convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit suprema Sustentatio omnium bonorum inferiorum; quia si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum sustentaretur per alterum, & non per se ipsum, & quòd suprema Sustentatio non esset in illo, quod est supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd unum supremum Bonum sustineretur per alterum, & una suprema sustentatio per alteram, & sic ad infinitum numerum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd una æternitas sustineretur per alteram, & unum bonum æternum per alterum; & sic ad infinitum numerum: & si hoc esset, sequeretur, quòd æternitas inferior esset magis propinqua principio & fini, quàm superior; & hoc est impossibile, quòd ulla æternitas sit propinqua principio & fini: quia si hoc esset, esset potentia ad principium & finem, quemadmodum ordinalis materia, quæ est potentia ad composita elementata; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd principium & finis essent particularia æternitatis, & quòd essent res substantiales, & non accidentales; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, esse unam supremam Sustentationem & unum supremum Bonum tantùm, quod sustinet omnes inferiores sustentationes & omnia inferiora bona.

3. Certum est, quòd homo non possit sustineri per se ipsum; quia sinè plantis & metallis & artibus mechanicis non posset vivere: unde cùm homo sit superior in nobilitate omnibus compositis, & homo non possit sustinere se ipsum absque minori bono se ipso, & cùm conveniat, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sustineatur per se ipsum solùm, secundùm quòd suprà probavimus, igitur demonstratum est, quòd homo non sit supremum Bonum.

4. Veritas est, quòd natura non habeat ullam speciem tam nobilem, sicut humanam speciem, & humana species non sustinetur per se ipsam; quia ordinalis seu prima materia illam conservat in individuis illius & in se ipsa, appetens conservationem illius: unde cùm humana species non conservetur per se ipsam, sed per alterum, demonstratur, quòd humana species non sit supremum Bonum.

5. Prima materia non sustinetur per se ipsam;

ipsam; quia est composita de suis particularibus, hoc est, elementis, & conservatur in individuis specierum per corpora cœlestia; & quia sustinetur per alterum, & non per se ipsam, & conservatur in aliis, hoc est, compositis, & non in se ipsa, idcirco est impossibile, quòd sit supremum Bonum.

6. Elementa non sustinentur per se ipsa; quia se movent ad nobilius se ipsis, hoc est, ad causam finalem, & ad composita individua specierum naturalium, & inquirunt complementum in illis, in quibus illud non inveniunt, & habent defectum in se ipsis per hoc, quia complementum, quod non habent, appetunt; & quia convenit, supremam Sustentationem & supremum Bonum esse sinè ullo defectu, & habere omnem perfectionem, idcirco demonstratur, quòd elementa non possint esse supremum Bonum.

7. Anima non sustinetur per se ipsam; quia si sustineretur per se ipsam, uteretur suis potentiis sinè auxilio corporis; & si esset priùs, quàm corpus, & sustineretur per se ipsam, non se inclinaret ad esse in corpore, in quo non potest uti suis potentiis sinè corpore, & in quo potentialiter in illa est ignorantia & peccatum: & si anima sustineret se ipsam post mortem corporis, & esset suprema Sustentatio, sequeretur, quòd suprema Sustentatio esset nobilioris conditionis in uno tempore, quàm in altero; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, & anima esset suprema Sustentatio, conveniret, quòd esset æterna; quia sinè æternitate non posset esse suprema Sustentatio; & si esset æterna, sequeretur, quòd æternitas esset nobilior in uno tempore, quàm in altero; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd anima non sit suprema Sustentatio nec supremum Bonum.

8. Firmamentum & sua particularia non sustinentur per se ipsa; quia sinè motu non esset sustentatum: quia quemadmodum prima materia non sustineretur, nisi esset potentia formis alterabilibus; sic firmamentum & sua particularia non sustinerentur, nisi essent potentia ad motum.

9. Motus non potest sustineri per se ipsum, quia est accidens; & sustentatio multo meliùs convenit cum substantia, quàm cum accidente; & ideo demonstratur, quòd nullum accidens possit esse supremum Bonum.

10. Si tu dicis, quòd mundus cum suis particularibus & suis universalibus sustineat se ipsum, & vis dicere, quòd mundus sit suprema Sustentatio, & aliquod vel aliqua suorum particularium sit inferior sustentatio; non est verum: quia huic, quod est suprema Sustentatio, quod sustinet se ipsum & omnia alia bona, non convenit habere particularia, quæ illi sint necessaria ad suam sustentationem; quia si hoc haberet, sustineretur per illa, & non sinè illis; sicut homo, qui ascenderet per arborem, qui sinè suis manibus & pedibus non sustineretur in arbore. Unde cùm supremo Bono, quod est suprema Sustentatio, conveniat, quòd perfectionem, quam habet, non habeat per hoc, quod illi sit necessarium, ut sustineatur, sed illam habeat per suammet nobilitatem, absque eo, quòd sit causa suæ sustentationis, idcirco est demonstrabile, quòd mundus, qui sua particularia & universalia habet necessaria, non possit esse suprema sustentatio, nec supremum Bonum.

11. Si tu dicis, quòd æternitas sit qualitas mundo, & quòd mundus se sustineat per se, per hoc, quia est æternus; non est verum: quia æternitas esset qualitas, & mundus substantia; & substantia sustinet accidens; & æternitas esset una res, & altera hoc, per quod sustineretur; & hoc, per quod sustineretur, conveniret cum supremo Bono, & illa cum inferiori bono; & hoc est impossibile, quòd æternitas habeat ullam rem superiorem supra se: quia quemadmodum æternitati non convenit, quòd per minus se ipsâ sustineatur, sic illi non convenit, quòd per majus se ipsâ sustineatur; quia æternitas non habet ullam necessitatem alterius rei, nec sui ipsius; quia si haberet, non esset perfecta.

12. Cùm inquisiverimus supremam Sustentationem in supradictis rebus, hoc est, in mundo & in suis particularibus, & non invenerimus illam in ulla illorum, & cùm de necessitate conveniat, quòd suprema Sustentatio sit aliquid, quod sit supremum Bonum, idcirco demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd suprema Sustentatio non sit ulla supradictarum rerum, & quòd sit aliquid aliud, quod habeat plus de perfectione, quàm illæ, & quòd non habeat defectum illarum, & quòd sit infinita Essentia in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris, quæ continentur in Figura; sinè quibus non posset esse suprema Sustentatio, nec supremum Bonum.

CAPUT

CAPUT XXV.

De Quantitate.

1. DE necessitate convenit, quòd Quantitas sit bonum; quia si non esset bonum, sequeretur, quòd media bona, quæ sunt propinqua majoribus bonis, & remota à minoribus bonis, non essent majora bona, quàm media bona, quæ sunt propinqua minoribus bonis, & remota à majoribus bonis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, Quantitatem esse bonum, per quam nos volumus inquirere supremum Bonum.

2. Certum est, quòd quantitas habeat *duas species*, quarum una est *composita*, & altera est *simplex*: quantitas composita habet *duas species*, quarum una est *continua* & altera est *discreta*: quantitas continua se habet per modum mensurationis, veluti linea: quantitas discreta se habet per modum differentiæ, veluti numerus, locus & tempus: quantitas simplex est, veluti punctum, unitas, instans.

3. Si tu dicis, quòd quantitas continua, quæ est de suprema superficie cœli empyrei usque ad alteram oppositam superficiem ejusdem cœli sit suprema Quantitas, tunc tu dicis, quòd camera, in qua stat homo sapiens, justus, charitativus, habeat magis nobilem quantitatem, quàm homo stans in illa; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd camera esset nobilior, quàm homo; & hoc non est verum.

4. Si tu dicis, quòd quantitas discreta sit suprema Quantitas; non est verum: quia magis nobilis res est quantitas in homine sapiente, justo, virtuoso, quàm sit in numero, loco & tempore: quia si hoc non esset, sequeretur, quòd melior numerus esset numerus infinitus de rebus finitis, quàm numerus finitus de rebus infinitis; & quòd melior res esset quantitas in tribus hominibus vitiosis, quàm in uno virtuoso; & melior res esset quantitas in camera & in tempore, quàm in homine sapiente, justo, qui est in camera & in tempore; & hoc est impossibile.

5. Si tu dicis, quòd quantitas simplex sit suprema Quantitas; non est verum: quia multa puncta & multæ unitates & multa instantia sunt in mundo, qui est plus, quàm aliquod vel aliqua suorum particularium; quia si non esset plus, sequeretur, quòd totum non esset plus, quàm sua pars; & hoc est impossibile.

6. Si tu dicis, quòd in anima, quæ est magis virtuosa, quàm alia anima, sit suprema Quantitas; non est verum: quia quamvis anima justa habeat nobiliorem quantitatem, quàm corpus, quod habet continuam quantitatem de una superficie suprema usque ad alteram, per totum hoc non sequitur, quòd anima, quæ est terminata intra corpus supremum, sit major per modum continuæ quantitatis, quàm supremum cœlum: & quia hoc, quod est supremum Bonum, convenit esse majus per nobilitatem & per magnitudinem essentiæ, quàm ullam quantitatem, & quàm totum hoc, quod habet quantitatem, idcirco est demonstrabile, quòd anima non habeat supremam Quantitatem.

7. Si tu dicis, quòd mundus in universali habeat supremam Quantitatem, & quòd aliquod vel aliqua suorum particularium sit inferior quantitas; non est verum: quia major res est duratio in æternitate, quàm sit totus mundus & omnia sua particularia; quia æternitas non habet principium & finem, & mundus est terminatus cum suis particularibus intra supremam superficiem, cujus magnitudo habet principium & finem.

8. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus sinè principio & fine durans, & quòd sua duratio sit suprema Quantitas; non est verum: quia quemadmodum æternitati disconvenit habere principium & finem, sic illi disconvenit, quòd sit qualitas ullius substantiæ, quæ sit in quantitate finita & terminata: & quemadmodum disconvenit, quòd color sit major, quàm superficies, in qua est, sic disconvenit, quòd mundus, qui habet quantitatem finitam, sit subjectum qualitati infinitæ; & sicut disconvenit, quòd æternitas sit qualitas substantiæ finitæ, sic & multò meliùs sinè omni comparatione convenit, quòd sit infinita per substantiam, quæ est infinita in bonitate, magnitudine, potestate &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd res, quæ conveniunt in nobilitate, disconvenirent cum esse, & convenirent cum non esse; & quòd res, quæ disconveniunt in nobilitate, convenirent cum esse, & disconvenirent cum non esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis suprema Bonitas, quæ est major, quàm ulla supradictarum quantitatum.

CAPUT

CAPUT XXVI.

De Affirmatione & Negatione.

1. CErtum est, quòd Affirmatio, quæ affirmat hoc, quod est, sit bonum, & quæ affirmat hoc, quod non est, sit malum; & negatio, quæ negat hoc, quod non est, sit bonum, & quæ negat hoc, quod est, sit malum; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd veritas non esset bonum, & falsitas non esset malum; & hoc est impossibile: unde cùm affirmatio & negatio possint converti in bonum vel in malum, secundùm quòd suprà probavimus, idcirco nos volumus inquirere supremum Bonum cum Affirmatione & Negatione.

2. Affirmatio, quæ affirmat, unam Essentiam esse, quæ est supremum Bonum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ, convenit cum majori esse & cum majori nobilitate; & negatio, quæ negat, quòd de hoc, quod est supremum Bonum, deficiat infinita bonitas, magnitudo, æternitas vel ulla aliarum camerarum Figuræ, convenit cum majori esse & cum majori nobilitate: unde cùm major nobilitas & major magnitudo meliùs conveniat cum esse, quàm minor, & cùm affirmativa & negativa sint majores & magis nobiles, si demonstrant supremum Bonum infinitum in bonitate, magnitudine &c., quàm essent, si illud supremum Bonum non demonstrarent, idcirco sequitur, quòd hoc, per quod affirmativa & negativa sunt majores & magis nobiles, sit demonstrabile; quod demonstrabile est supremum Bonum: quia si supremum Bonum nihil esset, non esset, qui daret affirmativæ & negativæ nobilitatem & magnitudinem, quam habent, quando prædicant de supremo Bono.

3. Certum est, quòd affirmativa, quæ affirmat hoc, quod est, conveniat cum illo esse, quod affirmat, & cum majoritate; & affirmativa, quæ affirmat hoc, quod non est, disconveniat cum majoritate & cum esse per negationem, & conveniat cum minoritate & cum non esse per affirmationem: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd veritas conveniret cum minoritate & cum non esse, & falsitas cum majoritate & esse; & hoc est impossibile: unde si esset veritas, quòd affirmativa, quæ affirmat, supremum Bonum esse illam rem, quæ habet omnes cameras Figuræ, affirmaret hoc, quod non esset, & affirmativa, quæ affirmat, quòd aliqua res, quæ deficit à cameris Figuræ, sit supremum Bonum, & esset ita, sicut affirmat, sequeretur, quòd veritas & supremum Bonum convenirent cum minoritate, privatione & defectu, & quòd falsitas & error convenirent cum majoritate, esse & perfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremum Bonum, quod nos inquirimus. Unde quemadmodum supremum Bonum est demonstrabile per duas supradictas affirmativas, sic est demonstrabile per duas negativas similes duabus supradictis affirmativis.

4. Manifestum est, quòd æternitas meliùs conveniat cum esse, quàm hoc, quod habet principium & finem; & ideo est demonstrabile, quòd æternitas non conveniat cum non esse, quod convenit cum principio & fine; nec hoc, quod habet principium & finem, cum æternitate, quæ disconvenit cum non esse: unde cùm affirmatio, quæ affirmat, supremum Bonum esse illam rem, in qua sunt cameræ Figuræ, conveniat cum bono Resurrectionis & Paradisi, & cum bono gloriæ Angelorum & hominum justorum, quæ non habebit finem, & negatio, quæ negat supremum Bonum, quod affirmatio affirmat, disconveniat cum bono; & quia bonum & esse & majoritas conveniunt, & malum & non esse & minoritas conveniunt, idcirco est demonstrabile, quòd hoc, quod affirmativa affirmat, sit veritas, & hoc, quod negativa negat, sit contrarium veritatis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd bonum & majoritas convenirent cum non esse, & quòd malum & minoritas convenirent cum esse; & hoc est impossibile.

5. Si tu dicis, quòd affirmatio, quæ affirmat suprema Bona infinita in numero, quorum quodlibet haberet cameras Figuræ, esset major & magis nobilis, quàm negatio, quæ negat suprema Bona infinita in numero; non est verum: quia est impossibile, quòd infinitorum bonorum in numero unum possit esse supremum Bonum alteri; & si esset, sicut tu dicis, nullum illorum esset supremum Bonum alteri bono. Et si tu dicis, quòd quodlibet illorum sit supremum Bonum mundo huic simili, & quòd quodlibet creaverit suum mundum; non est verum: quia si esset verum, sequeretur, quòd essent infiniti mundi; & hoc est impossibile: quia si infinitus numerus infinitorum corporum esset, corpora non haberent locum, in quo

essent, cùm conveniat, omnem locum esse finitum & terminatum.

6. Et si tu dicis, quòd unus mundus esset in altero; non est verum: quia unum corpus non capitur in uno loco cum altero corpore. Et si tu dicis, quòd quodlibet supremorum Bonorum infinitorum in numero sit supremum Bonum bonis hujus mundi; non est verum: quia si esset verum, sequeretur, quòd quilibet homo haberet infinitos Dominos & infinitos Creatores in numero; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd tua affirmatio non sit de tam magna nobilitate, sicut mea negatio, quæ concludit, quòd sit unum supremum Bonum, quod est supremum omnibus bonis hujus mundi, & quod est infinitum in bonitate, magnitudine, & in aliis cameris Figuræ.

CAPUT XXVII.

De Demonstratione, quæ est supra Naturam.

1. QUemadmodum sensualiter de virtute vitri & plumbi componitur magis nobilis virtus, quàm sit virtus, quam quodlibet habet per se ipsum, & illa virtus magis nobilis est virtus speculi, quæ est virtus repræsentativa, quæ repræsentat res sensuales objectas illi virtuti, sic de virtute, quam imaginativa capit in phantasia de communitate quinque sensuum particularium, & de virtute, quam intellectus habet per se & per participationem memoriæ & voluntatis, formatur & componitur speculum intellectuale, in quo est demonstrabile supremum Bonum: & idcirco nos volumus inquirere in illo speculo supremum Bonum per demonstrationes necessarias.

2. Quemadmodum de materia & forma componitur magis nobile, hoc est, compositum, & illa nobilitas est in composito per hoc, quia causa finalis movet materiam & formam ad compositum, sic de hoc, quod imaginativa offert intellectui, & de hoc, quod intellectus habet de seipso & de memoria & voluntate, componitur magis nobilis virtus, quàm sit virtus, quam intellectus habet per se, & quàm sit virtus, quam imaginativa illi offert: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd materia & forma elementalis essent nobilioris conditionis, in hoc, quòd componant magis nobile de se ipsis, quàm imaginativa & intellectus, qui non possent componere magis nobilem virtutem, quàm suammet: unde cùm sit impossibile, quòd materia & forma habeant tantam vel majorem virtutem, quàm imaginativa & intellectus, idcirco est demonstrabile, quòd de imaginativa & intellectu componatur magis nobilis virtus ad intelligendum, quàm sit virtus, quam intellectus habet per se, & virtus, quam imaginativa habet per seipsam.

3. Manifestum est, quòd, sicut cursus naturæ est sufficiens ad componendum aliqua composita, veluti sunt plantæ & metalla, sic de imaginativa & intellectu possit componi virtus, per quam intellectus potest capere pro objecto hoc, quod quinque sensus particulares dant imaginativæ in phantasia, & hoc, quod intellectus capit pro objecto in hoc, quod pertinet ad animam & ad suas operationes: sed sicut natura non potest per se solùm componere animal rationale, & hoc ideo, quia in animali rationali est plus, quàm natura afferat corpori rationalis, hoc est, anima, sic de virtute intellectûs tantùm, & de virtute, quam imaginativa illi affert de particularibus, non potest componi operatio nec virtus, per quam intellectus possit capere pro objecto per demonstrationes necessarias supremum Bonum, quod est supra naturam intellectualem & supra naturam sensualem: quia si posset, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset altius, quàm virtus intellectiva & sensitiva; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, non esset supremum Bonum: sed quemadmodum corpus & anima sufficiunt componere rationale (sic loquendo) sic intellectus & imaginatio cum objecto æterno infinito in bonitate, magnitudine, quod intellectus capit, sufficiunt ad componendam magis nobilem virtutem, quàm sit illa, quàm intellectus habet per se, & imaginativa illi affert: & illa magis nobilis virtus est speculum, in quo supremum Bonum est demonstrabile; & illud speculum est de tribus rebus, quæ sunt virtus objecti æterni, infiniti &c., & virtus intellectûs & aliarum potentiarum cum illis participantium, & imaginativæ cum virtute aliarum rerum sensualium, quæ pertinent ad suam participationem.

4. Si verum esset, quòd illa res, quam nos appellamus supremum Bonum, nihil esset, sequeretur, quòd aliqua alia res esset supremum Bonum; quia de necessitate convenit, quòd

quòd, si inferius bonum est, sit & supremum Bonum; & quòd inferius bonum sit aliquid, hoc sensualiter sentimus & intellectualiter intelligimus, in hoc, quòd videmus & intelligimus, quòd quædam bona sint majora & nobiliora, quàm alia: unde si illud bonum, quod nos dicimus esse æternum infinitum in bonitate, nihil esset, conveniret de necessitate, quòd hoc, quod esset supremum Bonum, esset compositum de operatione intellectiva & imaginativa; quia imaginativa venit cum bonis particularibus ad intellectum in phantasia, & intellectus recipit illa, & utitur se ipso, & de memoria & voluntate auget suum intelligere, quantòplùs objectum est memoratum & amatum, & de toto hoc facit unam operationem magis nobilè, quàm sit intellectus & imaginativa, secundùm quòd suprà dictum est: unde si hæc operatio esset supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum esset compositum de minùs nobili bono, & quòd illud esset magis nobile bonum; & si hoc esset, causaretur ad esse magis nobile per bona minùs nobilia; & hoc est impossibile, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit causatum ad esse magis nobile per bona minùs nobilia: quia sicut æternitati convenit, quòd non sit causata per aliam durationem minùs nobilem se ipsâ [quia si esset, esset causata, ut esset æterna, per durationem, quæ habet principium & finem, quæ est minùs nobilis, quàm duratio æterna] sic non convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit causatum nec per majus nec per minus se ipso, sed quòd per se sit supremum Bonum; quia alio modo non conveniret cum æternitate, cui convenit esse supremum Bonum; nec æternitas haberet cameras, quæ continentur in Figura.

5. Unde cùm virtus, quæ componitur de intellectu & imaginativa esset supremum Bonum, si Deus nihil esset, & cùm compositio non sufficiat ad esse supremum Bonum, secundùm quòd suprà diximus, & conveniat, aliquam rem esse, quæ sit supremum Bonum, idcirco de necessitate convenit, quòd illa res, quæ est supremum Bonum, sit illud objectum, quod intellectus capit super res finitas, intelligente intellectu in illo infinitam bonitatem & magnitudinem &c.

CAPUT XXVIII.

De Intelligere & Imaginari.

1. NOtum est, quòd ignis calefaciat aërem; unde in hoc, quòd aër in sua humiditate calefacta recipit calorem ignis, convenit, quòd humiditas crescat & multiplicetur per calefactionem, quam recipit; quod incrementum fit in composito, quod est de complexione sanguinis in animali, & in vegetabili, quod habet complexionem calidi & humidi: unde si aër non crescet in composito, nec in se ipso, per hoc, quod reciperet ab igne, sequeretur, quòd esset similis vasi vacuo, quod non crescit, quamvis recipiat liquorem, quem homo ponit in illo; & hoc est impossibile, quòd aër, in quantum est simplex, sit vacuus: & si aër crescet in se ipso, & non in composito, per hoc, quod recipit ab igne, sequeretur, quòd in sua simplicitate generaretur per ignem; quemadmodum forma arboris, quæ crescit per generationem multiplicationis materiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd nec aër, nec alia elementa, in quantum sunt simplicia, crescant, per hoc, quod unum recipit ab altero; sed in hoc, quòd componantur, crescunt, crescente composito: & si nullum elementorum in se vel in altero cresceret, sequeretur, quòd unum non reciperet ab altero; & hoc est impossibile.

2. Quemadmodum aër sensualiter crescit in particulari composito per hoc, quod habet â seipso, & per hoc, quod recipit ab igne, sic intellectus intellectualiter facit crescere suum intelligere per hoc, quod habet â se ipso & ab aliis potentiis animæ, & per hoc, quod illi offert imaginativa de particularibus in phantasia: quia si non faceret, esset ignobilioris virtutis, quàm aër; & hoc est impossibile: cùm virtus intellectiva sit multò nobilior, quàm sensitiva. Unde cùm sit veritas, quòd intellectus multiplicet suum intelligere, secundùm quòd suprà dictum est, idcirco nos, qui sumus inquisitores supremi Boni, volumus per Intelligere & Imaginari inquirere supremum Bonum.

3. Quemadmodum elementa non crescunt, in quantum sunt simplicia, sed crescunt in particularibus compositis, sic intellectus & imaginatio, in quantum sunt simplices potentiæ, non crescunt, sed crescunt in operatione in objectis, quæ capiunt: nam sicut ignis per hoc, quia convenit cum actione, & quia est magis nobilis, quàm aër, qui convenit cum passione, habet magis nobilem operationem in composito, quàm aër, sic intellectus est de magis nobili natura, quàm imaginatio, & habet magis nobilem

bilem operationem in objecto, quàm habeat imaginatio; & ideo intellectus se denudat & se separat ab imaginatione, & ascendit altiùs intelligere, quàm imaginativa possit imaginari: quia si altiùs non ascenderet, non posset intelligere res intellectuales, quas imaginativa non potest imaginari, veluti Angelos, animam, fidem, charitatem & alias virtutes; & descendit intelligere omne id, quod imaginativa potest imaginari, veluti cœlum, hominem & alias res corporales.

4. Manifestum est, quòd imaginativa possit imaginari, mundum esse æternum; & hoc potest imaginari per hoc, quia firmamentum est incorruptibile; sed non potest imaginari æternitatem, nisi in re corporali: unde si esset verum, quòd æternitas non esset in alia re, nisi in mundo, & quòd Deus nihil esset, sequeretur, quòd intellectus non exaltaret suum intelligere super imaginationem; & si hoc non faceret, non esset nobilior in intelligere, quàm imaginatio in imaginari; & hoc est impossibile: quia intellectus per hoc, quia est nobilioris naturæ, quàm imaginativa, secundùm quòd suprà dictum est, potest intelligere æternitatem in alia re, quàm sit mundus, hoc est, in illo supremo Bono, quod nos inquirimus; & imaginatio non potest illam imaginari, nisi in re corporali finita in quantitate: unde si intellectus de necessitate potest altiùs ascendere, quàm imaginatio, convenit, quòd hoc, in quo potest, sit aliquid superius illo, quod imaginativa potest imaginari: & si hoc non esset, sequeretur, quòd intellectus non posset nec deberet ascendere super imaginativam: & si ascenderet super imaginativam capere aliquod vel aliqua objecta, quæ imaginativa non potest imaginari, & illa objecta nihil essent, tunc intellectus non intelligeret, sed ignoraret, & esset minùs nobilis, quàm imaginativa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, supremum Bonum esse illam æternitatem, quam intellectus potest altiùs intelligere, ad quam imaginativa non potest elevare suum imaginari.

5. Si tu dicis, quòd intellectus vincat imaginativam in hoc, quòd intelligit charitatem & species, quas imaginativa non potest imaginari, & quòd non vincat illam in æternitate; non est verum: quia sicut intellectus transcendit imaginativam in charitate & in speciebus, quæ sunt res minùs nobiles, quàm æternitas, sic convenit, quòd illam vincat & quòd illam transcendat in hoc, quod est altius & magìs nobile, quàm charitas, quæ est in homine, & quàm species: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd operatio intellectûs & imaginativæ essent æquales in maximè nobili; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd maximè nobile, hoc est, æternitas conveniret tam bene cum minùs nobili, hoc est, imaginatione, quàm cum magìs nobili, hoc est, intellectu; & hoc est impossibile.

6. Manifestum est humano intellectui, quòd imaginativa non possit imaginari ullam rem super supremam superficiem supremi cœli, & intellectus intelligit, quòd conveniat, ultra terminum corporalem esse de necessitate aliquam rem: unde si esset verum, quòd Deus nihil esset, & quòd supra supremam superficiem nihil esset, sequeretur, quòd intellectus non vinceret imaginativam ultra terminum, ultra quem imaginativa non potest imaginari: & si intellectus non intelligeret, & ignoraret, quando putat intelligere, quòd ultra supremum terminum sit aliquid, imaginatio esset nobilioris conditionis, quàm intellectus, in altissimo termino, in quantum imaginaretur veritatem, & intellectus illam ignoraret; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, supremum Bonum esse, quod est hoc, quod intellectus intelligit ultra supremum terminum, & est hoc, quod imaginativa non potest imaginari ultra illum terminum.

7. Si esset veritas, quòd ultra supremam extremitatem corporalem non esset ulla res, esset impossibile, quòd intellectus haberet virtutem, per quam transiret ultra illum terminum intelligere aliquam rem; quia non haberet, de quo haberet virtutem; quia tota virtus esset terminata intra supremum terminum: unde cùm intellectus transeat intelligere, ultra illum terminum aliquam rem esse, idcirco de necessitate convenit, quòd aliqua res ibi sit, per quam intellectus habeat virtutem & possibilitatem intelligendi ultra illum terminum; & illa res est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

8. Si tu dicis, quòd intellectus, quando intelligit ultra supremum terminum, sit supremum Bonum; non est verum: quia ignorat & consentit in peccatum, & supremo Bono non convenit, quòd in uno tempore sit nobilioris statûs, quàm in altero, nec quòd se inclinet ad peccatum; quia omnia ista disconveniunt cum æternitate, quam convenit esse supremum Bonum.

CAPUT XXIX.

De Possibilitate & Impossibilitate.

1. DE necessitate convenit, quòd, si supremum Bonum est aliquid, sit major Possibilitas, esse illud bonum, quàm ullum alterum bonum, & quòd sit major Impossibilitas, non esse illud bonum, quàm ullum alterum bonum; quia si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd esset supremum Bonum: unde cùm nos inquiramus supremum Bonum, volumus illud inquirere cum majori Possibilitate & Impossibilitate, quam majorem Possibilitatem & Impossibilitatem inquirimus cum *sex rebus*, hoc est, cum *esse, non esse, perfectione, defectu, majori durationi, majori nobilitate.*

2. Veritas est, quòd hoc, quod habet majorem nobilitatem, quàm hoc, quod habet minorem, habeat majorem possibilitatem essendi, & habeat majorem impossibilitatem non essendi, quàm hoc, quod habet minorem nobilitatem; & hoc est ideo, quia nobilitas convenit cum esse & perfectione, & ignobilitas convenit cũ non esse & defectu: unde cùm homo sit nobilior, quàm dactylus & elephas & imago auri, per hoc, quia est compositus de pluribus & nobilioribus rebus, idcirco sequitur, quòd sit major possibilitas, hominem esse, & sit major impossibilitas, hominem non esse, quàm dactylum, elephantem & aurum: sed quia corpus hominis est magìs dispositum ad corruptionem, quàm dactylus, elephas & aurum, idcirco dactylus, elephas & aurum habent majorem possibilitatem essendi, & majorem impossibilitatem non essendi, quàm homo; & hoc per modum durationis: & quia supremo Bono convenit, quòd sit magis nobile & magìs durabile, quàm alterum bonum, idcirco est demonstrabile, quòd nec homo, nec ullum compositum elementatum habeat possibilitatem essendi supremum Bonum, & quòd sit impossibile, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit ulla res composita ex elementis.

3. Certi sumus, quòd elementa simplicia sint incorruptibilia, & composita ex illis sint corruptibilia; quæ composita sunt magìs nobilia, quàm simplicia; quia si non essent magìs nobilia, simplicia non se moverent ad componendum illa, nec ad inquirendum in illis suam perfectionem: unde cùm sit veritas, quòd simplicia sint magìs durabilia, & composita sint magìs nobilia, idcirco est impossibile, quòd unum aut alterum sit supremum Bonum; quia si esset, conveniret, quòd supremum Bonum conveniret cum defectu nobilitatis vel cum defectu durationis; & si conveniret cum defectu, sequeretur, quòd conveniret cum non esse per convenientiam, quæ est inter defectum & non esse; & hoc est impossibile, quòd supremum Bonum conveniat cum defectu & non esse.

4. Veritas est, quòd firmamentum & corpora cœlestia & tempus & motus per modum durationis meliùs conveniant cum esse, quàm homo; sed quia homo utitur ratione, charitate, justitiâ, sapientiâ & aliis virtutibus, convenit cum majori nobilitate, quàm firmamentum & corpora cœlestia, & quàm tempus & motus: unde si esset veritas, quòd firmamentum, corpora cœlestia, tempus & motus essent supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum esset minùs nobile, quàm homo; & hoc est impossibile.

5. Mundus in universali est incorruptibilis; & ideo per modum durationis est major possibilitas, mundum esse, & major impossibilitas, mundum non esse, quàm hominem, qui est corruptibilis; sed quia mundus in universali non utitur ratione, & habet particulare, quod utitur ratione, hoc est, hominem, idcirco suum particulare habet plus de nobilitate, quàm mundus: quia sicut manus & pes, quæ non possunt uti ratione, non habent tam magnam nobilitatem, sicut homo, qui utitur ratione, sic per contrarium sensum mundus habet particulare magìs nobile se ipso, per hoc, quia non potest in universali uti ratione, quâ utitur homo, qui est particulare illius: & quia homo est magìs nobilis, quàm mundus, idcirco mundus non habet possibilitatem, quòd sit supremum Bonum; & quia homo est corruptibilis, idcirco est impossibile, quòd homo sit supremum Bonum mundo, qui est incorruptibilis.

6. Cùm nulla supradictarum rerum habeat possibilitatem essendi supremum Bonum, & quia convenit, supremum Bonum esse aliquid (quia si supremum Bonum nihil esset, esset impossibile, quòd esset inferius bonum)

igitur de necessitate convenit, quòd sit aliqua res, quæ sit supremum Bonum, quæ non sit ulla supradictarum rerum, nec ulla res, quæ conveniat cum defectu durationis & cum defectu nobilitatis.

7. Si supremum Bonum majoris nobilitatis esset in una essentia, & non in altera, & supremum Bonum majoris durationis esset in una essentia, & non in altera, & si hoc, quod esset major nobilitas, non esset in illa essentia, in qua esset major duratio, & hoc, quod esset major duratio, non esset in hoc, quod haberet majorem nobilitatem, sequeretur de necessitate, quòd major possibilitas, quæ esset, esset, esse majorem nobilitatem in una essentia, in qua non esset major duratio, & esse majorem durationem in alia essentia, in qua non esset major nobilitas; & sequeretur, quòd essent duo suprema Bona quodlibet in sua essentia separatum ab altero: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd major impossibilitas, quæ esset, esset, quòd major duratio & major nobilitas insimul essent in una essentia: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd quodlibet duorum supradictorum bonorum esset compositum de quatuor oppositis; quia bonum, quod esset supremum in duratione, & non in nobilitate, conveniret cum esse & cum perfectione, in quantum esset magis durabile, quàm alterum esse, & conveniret cum defectu & cum non esse, quod convenit cum defectu, in quantum non haberet majorem nobilitatem, quàm alterum esse: & hoc ipsum sequeretur de esse, quod esset magis nobile, quàm alterum esse, & non esset tam durabile, sicut alterum esse: unde cùm major possibilitas meliùs conveniat essentiæ, quæ sit perfecta in majori duratione & in majori nobilitate, quàm alteri essentiæ, & major impossibilitas conveniat cum non esse essentiæ, quæ sit per unum modum supremum Bonum, & per alterum inferius bonum, idcirco est demonstrabile, quòd de necessitate conveniat, quòd illud bonum, quòd est magis durabile & magis nobile, sit solùm in una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ; quod est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

8. De necessitate convenit, quòd, quemadmodum illi Essentiæ, quæ est supremum Bonum, convenit major nobilitas & major duratio, quàm ulli alteri essentiæ, quæ non sit illa, sic illi conveniat opus, quòd sit magis nobile & magis durabile, quàm opus alterius essentiæ; quia si hoc non esset, non conveniret, quòd esset supremum Bonum: unde cùm major possibilitas operis, quam homo possit cogitare, sit operari, hoc est, facere [sic loquendo] unum infinitum de altero infinito in duratione & nobilitate, & major impossibilitas, quam homo possit cogitare, non sit, quàm impossibilitas, quòd unum infinitum faciat cum defectu alterum infinitum in nobilitate & duratione, idcirco est demonstrabile, quòd supremum Bonum habeat in se opus unius infiniti in nobilitate & duratione, qui faciat alterum infinitum in nobilitate & duratione: & si hoc non esset ita, esset demonstrabile, quòd major possibilitas & impossibilitas non concordarent in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd, quemadmodum supremum Bonum convenit in Essentia cum majori nobilitate & cum majori duratione, sic opus unius infiniti cum altero, quod illud habet in se ipso, sit magis nobile & magis durabile, quàm ullum aliud opus.

9. Si non esset possibile, quòd in Essentia, quæ est supremum Bonum, unum infinitum operaretur in altero infinito, & hoc ideo, quòd, quia si hoc esset possibile, esset impossibile, quòd unum infinitum posset facere alterum infinitum perfectè, sequeretur, quòd impossibile esset majus & nobilius ens in supremo Bono, quàm possibile, quia in supremo Bono esset impossibile, quòd unum infinitum produceret alterum sinè defectu, & non esset in illo possibile, quòd unum infinitum produceret alterum perfectè; & hoc est impossibile, quòd in supremo Bono ulla res sit major & nobilior alterâ: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd in supremo Bono possibile & impossibile æqualiter conveniant in majoritate, habente supremo Bono actualem possibilitatem, quòd unum infinitum producat alterum perfectè, & actualem impossibilitatem, quòd unum infinitum producat alterum cum defectu.

CAPUT XXX.

De Tempore & Motu.

1. NOtum est, quòd Tempus & Motus sint bonum; quia si essent malum, sequeretur, quòd omne id, quod esset in tempore, & haberet motum, esset malum; & hoc est impossibile: unde cùm tempus & motus sint bonum, nos volumus inquirere supremum Bonum cum Tempore & Motu.

2. Manifestum est, quòd, si motus nihil esset, tempus præteritum nihil esset; nec tempus præsens venisset de potentia in actum, & tempus futurum nihil esset; & hoc est impossibile secundùm cursum naturalem, qui convenit cum tempore & motu.

3. Certificati sumus, quòd æternitas sit res, quæ non convenit cum principio & fine; & quia sinè principio & fine nulla res mobilis moveretur à tempore præterito ad præsens, nec esset mobilis in tempore præsenti; & si non esset, sequeretur, quòd tempus præteritum nihil esset; & si nihil esset, non esset motus nec tempus præsens nec futurum, secundùm quòd suprà dictum est: idcirco est demonstratum, quòd nulla res, quæ sinè principio & fine nihil esset, possit esse æterna; quia si esset æterna, sequeretur, quòd, sicut tempus & motus conveniunt cum principio & fine, sic æternitas conveniret cum principio & fine; & si conveniret cum principio & fine, sequeretur, quòd, si principium & finis non esset, æternitas nihil esset; & hoc est impossibile: cùm æternitas, perfectio & majoritas conveniant cum esse, principium verò, finis, defectus & minoritas conveniant cum non esse: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstratum, quòd nulla res, quæ est in tempore, & habet motum, possit esse æterna; quia si esset æterna, sequeretur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, posset esse supremum Bonum sinè æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd nulla res, quæ est in tempore, & quæ habet motum, possit esse supremum Bonum.

4. Ponatur verum, quòd species, quæ sunt in tempore præsenti, absque eo, quòd transeant in tempus præteritum, & sint mobiles, essent insimul vel aliqua vel aliquæ supremum Bonum; non est verum: quia species conservantur per materiam, quæ est potentia ad motum, & conservantur in suis individuis, quæ sunt mobilia & transeuntia in tempus præteritum; & ideo non convenit, quòd sint sinè principio & fine, & sinè tempore & motu, quæ disconveniunt cum æternitate, cui convenit esse supremum Bonum, cum quo æternitas non conveniret, si conveniret cum tempore & motu, & cum principio & fine: & si conveniret, quòd æternitas esset supremum Bonum cum tempore & motu, & cum principio & fine, esset impossibile, quòd disconveniret cum tempore & motu, & cum principio & fine: unde cùm sit impossibile, quòd æternitas non disconveniat cum tempore, motu, principio & fine, idcirco est demonstrabile, quòd species non sint æternæ; sinè qua æternitate non potest esse illa res, quæ est supremum Bonum.

5. Ponatur verum, quòd firmamentum & suus motus essent æterna, quamvis sint in tempore, absque eo, quòd transeant in tempus præteritum; non est verum: quia si tempus & motus nihil essent, firmamentum nihil esset; & si tempus & firmamentum nihil essent, motus nihil esset; & si firmamentum & motus nihil essent, tempus nihil esset: & si nulla istarum rerum esset, per totum hoc non sequitur, quòd æternitas non esset; quia si æternitas destrueretur in destructione temporis & motûs & firmamenti, sequeretur, quòd æternitas esset hoc, quod est cum tempore & cum motu & firmamento; & hoc est impossibile: cùm tempus & motus non possint esse sinè principio & fine, secundùm quòd suprà dictum est, cum quibus æternitas non convenit ad esse hoc, quod est: per quam disconvenientiam, quam æternitas habet cum principio & fine, est demonstrabile, quòd firmamentum & suus motus non sint supremum Bonum.

6. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus, & sit supremum Bonum, per hoc, quia non est mobilis, nec transit in tempus præteritum; non est verum: quia mundus est compositus de particularibus, quæ sunt mobilia, hoc est, de firmamento & de elementis & de compositis ex illis: & quia æternitas non est composita nec mobilis, nec habet particularia, idcirco mundus compositus habens particularia mobilia non potest esse supremum Bonum, quamvis in generali non sit mobilis: quia hoc, quod est supremum Bonum, non solùm disconvenit cum motu, sed etiam disconvenit cum omni immobili, quod sit compositum, & quod habeat particularia mobilia.

7. Si tu dicis, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit in tempore, & non in motu; non est verum: quia sicut tu destrueres omne corpus, si destrueres omne longum, latum & profundum, sic destrueres omne tempus, si destrueres *nunc*, quod se movet de tempore futuro ad tempus præsens, & *nunc*, quod se movet de tempore

præsenti ad tempus præteritum: & sicut in destructione corporis non destrueres animam, per hoc, quia non habet longum, latum & profundum, sic in destructione temporis non destrueres æternitatem, per hoc, quia non habet *nunc*; & quia æternitas non est destruibilis per destructionem hujus, per quod tempus esset destruibile, idcirco tempus & æternitas non conveniunt ad esse supremum Bonum.

8. Si tu dicis, quòd non sit alia æternitas, nisi æternitas mundi, & quòd in destructione mundi destrueretur æternitas; non est verum: quia jam probavimus, quòd mundo non conveniat esse supremum Bonum, secundùm quòd suprà dictum est; & quia æternitas est immobilis, & convenit, illam esse in Essentia infinita in bonitate &c., idcirco quamvis mundus esset destruibilis, per totum hoc non sequitur, quòd æternitas, quæ est magis nobilis res, quàm mundus, & quæ convenit cum magis nobili re, quàm cum mundo, esset destruibilis.

9. Si tu dicis, quòd supremum Bonum nihil sit, quia si esset aliquid, conveniret, quòd haberet magis nobilem operationem in se ipso, quàm operationem, quam habet in utendo inferiori bono; & si in se ipso haberet operationem, conveniret, quòd haberet motum; cùm motus & operatio conveniant; & si haberet motum, non conveniret, quòd esset supremum Bonum; non est verum: quia quemadmodum non convenit, quòd mundus sit supremum Bonum, per hoc, quia est quantitas finita, & est compositus de rebus mobilibus, & habet multa alia inconvenientia, per quæ est inconveniens, quòd sit supremum Bonum, sic convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, per magnam convenientiam, quam habet in se ipso in esse perfectum in omnibus perfectionibus, sit supremum Bonum per magis nobilem operationem, quam habet in se ipso; sinè qua operatione, hoc est, fruitione, non posset esse supremum Bonum: nam sicut convenit, quòd per Essentiam sit supremum Bonum, sic convenit, quòd per fruitionem essentialem infinitam immutabilem sit supremum Bonum. Unde quemadmodum supremum Bonum operatur de inferiori bono, quando utitur illo, absque eo, quòd sit mobile, quamvis inferius bonum sit mobile, sic & multò meliùs sinè omni comparatione convenit, quòd supremum Bonum non sit in se ipso mobile, quamvis habeat in se ipso operationem immutabilem æternam, sinè qua non posset esse supremum Bonum: quia si supremum Bonum non frueretur suomet bono æternaliter, esset magis nobile in utendo inferiori bono, quàm in essendo æternum sinè fruitione boni; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd fruatur æternaliter suomet bono: & si illud non frueretur bono æternaliter, ad hoc, ut in sua fruitione non esset motus, sequeretur, quòd haberet defectum in se ipso, in quantum non posset frui bono, ad hoc, ut non esset mobile; & hoc est impossibile, quòd in supremo Bono sit ullus defectus boni per hoc, quod in illo non sit defectus, imò habet perfectionem boni sinè defectu.

CAPUT XXXI.

De Frui & Uti.

1. DE necessitate convenit, quòd Frui bono, & Uti bono, sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd vitia essent virtutes, & virtutes essent vitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd frui bono, & uti bono, sit bonum; cum quo bono nos volumus inquirere supremum Bonum.

2. Veritas est, quòd frui sit magis nobilis operatio, quàm uti; quia si hoc non esset, sequeretur, quòd nobilis eques deberet frui suo equo, & quòd deberet uti suo bono & nobili domino Rege; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd homo deberet uti illo, qui potest dare gloriam vel pœnam, & quòd homo deberet frui hoc, quod non potest dare gloriam nec pœnam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd frui sit magis nobilis operatio, quàm uti; & per hoc demonstratur, quòd, si supremum Bonum est aliquid, conveniat, quòd fruatur suomet bono, & quòd non utatur suomet bono: quia si hoc faceret, esset compositum de magis nobili & minùs nobili operatione; per quam minùs nobilem operationem non esset dignum esse supremum Bonum.

3. Notum est, quòd homo & alia composita non possint frui suomet bono de æternitate nec de potestate infinita, nec de sapientia & charitate infinita, nec de ulla alia virtute; sed possunt uti bono finito: unde

unde si nullum bonum esset superius homine vel mundo vel aliquo particularium mundi, & nec homo nec mundus nec sua particularia possunt frui suomet bono infinito & æterno, idcirco est demonstrabile, quòd, si supremum Bonum nihil esset, fruitio boni nihil esset: unde cùm frui bono & majoritas & perfectio meliùs conveniant cum esse, quàm uti bono & minoritas & defectus, idcirco est demonstratum & probatum, quòd supremum Bonum sit aliquid, sinè quo frui non esset magis nobilis operatio, quàm uti.

4. Ponatur verum, quòd supremum Bonum nihil esset, & quòd tu posses frui bono Rege sapiente & justo & potente per suam nobilitatem, & mundo & suis particularibus magis nobilibus in sua nobilitate; non est verum: quia tu non potes frui æternitate perfectâ in infinita bonitate, magnitudine &c. in homine nec in mundo nec in ullo suorum particularium: & si supremum Bonum nihil esset, magis proficuum opus tibi esset, quòd utereris Rege & mundo & suis particularibus, quàm si illis fruereris; quia in tua vita te adjuvares bono, quo utereris, & post tuam mortem tibi nihil valeret hoc, quo fruitus esses: & ideo, quia frui est magis nobilis operatio, quàm uti, secundùm quòd suprà significatum est, idcirco de necessitate convenit, quòd supremum Bonum sit aliquid, in quo potes frui æternitate infinitâ in bonitate, magnitudine &c., & post tuam mortem præmiaberis, si fruitus es supremo Bono.

5. Cùm demonstraverimus, quòd supremum Bonum sit, convenit, quòd dicamus, quomodo supremum Bonum fruatur se ipso, & utatur inferiori bono: quia quemadmodum convenit, quòd homo sit inferius bonum, per hoc, quia potest frui supremo Bono, & de bono, quo utitur, capit sustentationem in suis necessitatibus, sic supremum Bonum per contrarium sensum fruitur se ipso, & utitur bono, hoc est, creaturis, ad bonum illarum, & non per hoc, quòd illi sit necessitas uti illis; & ideo convenit, quòd sit supremum Bonum, & convenit, quòd creaturæ sint inferius bonum.

6. Certum est, quòd supremum Bonum fruatur se ipso in Unitate Essentiæ & in pluralitate Personarum, fruente quâlibet Personâ se ipsâ & alterâ; quia magis nobilis fruitio consideratur, quòd una Essentia infinita in bonitate &c. fruatur se ipsâ, & quòd habeat pluralitatem in se ipsa, & quòd quodlibet individuum fruatur se ipso & altero & essentiâ, & essentia fruatur se ipsâ & quolibet suorum individuorum, & quòd illa fruitio sit de Essentia infinita in bonitate &c., & de individuis infinitis in bonitate &c., quàm esset, si in suprema Essentia non esset pluralitas, & frueretur suâmet Unitate.

7. Si tu negas, quòd in suprema Essentia sit pluralitas, & hoc negas per hoc, quia habes timorem, ne affirmes, compositionem esse in suprema Essentia, tunc tu negas hoc, per quod est demonstrabile, quòd suprema Essentia sit supremum Bonum: quia sicut suprema Duratio est æternitas, quæ æternitas est suprema Duratio per hoc, quia non habet principium & finem, sic suprema Fruitio est, quòd sinè compositione una Essentia possit frui se ipsâ, & habere in se ipsa pluralitatem, & quolibet suorum individuorum fruatur infinitè &c.: & si suprema Bonitas non frueretur in se pluralitate, ad hoc, ut non esset composita, non esset suprema in simplicitate bono inferiori, quod non potest esse in unitate nec in pluralitate sinè compositione; & esset velut homo infirmus, qui habet sitim, & non audet bibere ob timorem, ne illi faciat malum: quia si magis nobilis res est frui in unitate & in pluralitate, & supremum Bonum non amaret esse in pluralitate, ad hoc, ut non haberet compositionem, non haberet perfectionem, per quam esset supremum Bonum inferiori unitati & pluralitati, quæ non possunt esse una essentia sinè compositione. Unde cùm sit impossibile, quòd ulla perfectio deficiat supremo Bono, idcirco est demonstrabile, quòd supremum Bonum habeat, & possit habere omnem maximè nobilem fruitionem, quam tu possis considerare, & etiam multò magis nobilem, quàm tu possis considerare; quia si illam non haberet, non esset superius tuâ cônsideratione; & hoc est impossibile.

CAPUT XXXII.

De Unitate & Pluralitate, & Simplicitate & Compositione.

1. VEritas est, quòd bonum sit in Unitate & in Pluralitate, & in Simplicitate & Compositione; quia homo est unus, & est in pluralitate, & illius anima est simplex, & corpus compositum, & quælibet istarum

rerum est bonum ; quia si non essent bonum, & essent malum, sequeretur, quòd homini esset malum habere unitatem, pluralitatem, simplicitatem & compositionem; & si non haberet ullam istarum rerum, nihil esset; & sequeretur, quòd illi esset meliùs non esse, quàm esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Unitas, Pluralitas, Simplicitas & Compositio sint bona, cum quibus bonis nos volumus inquirere supremum Bonum.

2. Notum est, quòd conveniat de necessitate, quòd, quidquid est inferius bonum, vel sit unum simplex particulare compositi habentis pluralitatem ; sicut anima, quæ est una substantia simplex, & est particulare hominis, qui est compositus ex anima & corpore, aut sicut ignis, qui est unum simplex particulare compositum de materia prima quatuor elementorum; vel sit unum compositum habens pluralitatem; sicut homo, qui est unus, & est compositus habens pluralitatem, aut sicut corpus compositum de quatuor elementis, quod habet pluralitatem; & sic de aliis rebus similibus: unde inter alias rationes, quare istæ supradictæ res non sufficiunt esse supremum Bonum, est per hoc, quia compositio, cum qua participant unitas & pluralitas & simplicitas, non convenit cum æternitate, cui convenit esse supremum Bonum, sinè qua non posset esse supremum Bonum.

3. Si est veritas, quòd supremum Bonum sit aliquid, de necessitate convenit, quòd sit aliqua Essentia habens unitatem & pluralitatem, & simplicitatem & non compositionem; quia si non haberet unitatem, pluralitatem & simplicitatem, nihil esset; & si haberet compositionem, non esset æterna; quia compositio & æternitas non conveniunt: & si supremum Bonum esset una Essentia simplex, & non esset in pluralitate, vel esset pluralitas simplex, quæ non esset in unitate, vel esset tantùm simplicitas vel unitas vel pluralitas, sequerentur multa inconvenientia, per quæ non conveniret, quòd esset supremum Bonum; quia si supremum Bonum esset unitas simplex sinè pluralitate, sequeretur, quòd in alia essentia esset una pluralitas, quæ esset suprema omni alteri pluralitati; & essent duæ Essentiæ supremæ, una in unitate simplici, altera in pluralitate composita ; & hoc est impossibile: & si essent pluralitates æquales, quæ essent supremæ omnibus aliis pluralitatibus, essent similes supremo Bono, quod est in unitate suprema omnibus aliis unitatibus; & hoc est impossibile: & si supremum Bonum esset pluralitas simplex, absque eo, quòd esset unum in Essentia, sequeretur, quòd simplicitas, æternitas & infinitas convenirent cum pluralitate, & non cum unitate; & hoc est impossibile: & si supremum Bonum esset simplicitas vel unitas vel pluralitas tantùm, sequeretur, quòd supremum Bonum esset qualitas alterius rei, & quòd esset res accidentalis & non essentialis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur & significatur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit in unitate, simplicitate & pluralitate: quia supremum Bonum meliùs convenit cum nobilitate in Essentia, quæ per unitatem simplicem sit magìs nobilis, quàm omnes aliæ essentiæ in sua unitate & pluralitate, simplicitate & compositione: & meliùs convenit cum nobilitate essentia, quæ sit in pluralitate simplici, per quam sit suprema omni unitati & pluralitati, simplicitati & compositioni aliarum essentiarum, quàm si supremum Bonum solùm esset unum & simplex, vel esset pluralitas & simplex, vel esset una unitas, vel una simplicitas, vel una pluralitas.

4. Si pluralitas animæ multò meliùs convenit cum simplicitate, quàm unitas hominis vel corporis, tunc demonstratur, quòd supremum Bonum sit pluralitas simplex; quia si esset possibile, quòd nulla pluralitas esset simplex, esset impossibile, quòd ulla pluralitas esset magìs propinqua simplicitati, quàm altera: & quia aliqua pluralitas est magìs propinqua simplicitati, quàm altera, idcirco significatur & demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd aliqua pluralitas sit simplex, quæ sit supremum Bonum.

Et si tu dicis, quòd, sicut æternitas disconvenit cum compositione, sic disconveniat cum pluralitate; non est verum: quia sicut convenit, quòd æternitas sit supremum Bonum per hoc, quia est sinè principio & fine, sic convenit, quòd æternitas cum pluralitate simplici sit supremum Bonum omni alteri pluralitati & omni unitati, quæ non sint æternæ.

5. Si homo, qui convenit cum minoritate, potest esse unum compositum in pluralitate, sequitur, quòd supremum Bonum, quod

quod convenit cum majoritate, possit esse unum simplex in pluralitate. Et si tu dicis, quòd omne id, quod est in pluralitate, de necessitate conveniat esse compositum, tunc jam negas, quòd supremum Bonum habeat potestatem, per quam possit magìs esse in pluralitate, quàm homo: & si anima, quæ convenit cum minoritate, habet potestatem, quòd sit simplex in pluralitate, de qua homo est compositus, quantò magìs supremum Bonum, quod convenit cum majoritate, potest esse simplex in pluralitate: & si supremum Bonum est infinitum in magnitudine, convenit, quòd sit unum simplex in loco lapidis, & ultra illum locum, absque eo, quòd locus sit compositus cum illo & cum lapide, nec lapis sit compositus cum loco, vel cum supremo Bono: unde si supremum Bonum potest esse unum simplex in lapide composito sinè compositione, bene sequitur, quòd possit esse unum simplex in suprema Pluralitate simplici: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd compositio, impossibilitas & majoritas convenirent, pluralitas verò, simplicitas, possibilitas & minoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit tam simplex in suprema Pluralitate, sicut in suprema Unitate, ad quam simplicitatem non sufficit ullum alterum bonum.

CAPUT XXXIII.

De suprema Operatione.

1. CErtum est, quòd Operatio sit bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd composita & elementa, quæ habent magis nobilem operationem, quàm alia, essent minùs nobilia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Operatio sit bonum, cum quo volumus inquirere supremam Operationem, quæ est supremum Bonum.

2. Manifestum est, quòd quædam operationes sint magìs nobiles, quàm aliæ; & ideo est demonstrabile, quòd aliqua operatio sit in aliqua Essentia, quæ est magis nobilis operatio, quàm omnes aliæ: & si hoc non esset ita, & essent multæ essentiæ, in quibus essent æquales operationes in nobilitate, absque eo, quòd una essentia esset magìs nobilis, quàm altera, sequeretur, quòd quælibet essentia & sua operatio conveniret cum æternitate; & quia æternitas convenit cum Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c., est impossibile, quòd sint multæ essentiæ & multa opera æterna infinita in bonitate, magnitudine &c., absque eo, quòd una Essentia sit altera in una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd non sint in numero infinitæ Operationes supremæ in nobilitate in diversis essentiis, quæ non sint una essentia & una operatio; sed convenit, quòd, si sunt operationes æquales in nobilitate, sint super omnes alias operationes, & quòd sint in una essentia & in una operatione, quæ sit suprema Essentia omnibus aliis essentiis & omnibus aliis operationibus; & illa est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

3. Demonstrabile est, quòd natura non habeat supremam Operationem; nam natura non facit in se ipsa, sed in altero, hoc est, in composito naturato; quia si natura faceret in se ipsa, & non in altero, sequeretur, quòd homo & ferrum & pomum essent natura; & hoc non est verum: & quia convenit, quòd suprema Operatio sit in se ipsa, ad hoc, ut operatum sit æquale operanti, & operatio sit æqualis operanti & operato, idcirco demonstratur, quòd natura non sit suprema in Operatione: per quam demonstrationem demonstratur, quòd natura non sit supremum Bonum, quod convenit cum suprema Operatione.

4. Operatio miraculosa non est suprema Operatio in creando rem de nihilo, nec in sanando paraliticos, nec in resuscitando mortuos, nec in aliis operationibus miraculosis similibus istis: quia quemadmodum natura habet magìs nobile opus in animalibus, quàm in vegetabilibus, & in rationalibus, quàm in irrationalibus, sic suprema Operatio habet magìs nobile opus in se ipsa, quàm in altero: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd suprema Operatio esset composita de hoc, quod est supremum Bonum & inferius; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd æternitas & suprema Operatio disconvenisset tunc, quando mundus non erat; & hoc est impossibile, quòd æternitas & suprema Operatio disconveniant: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, supremam Operationem esse in se ipsa; per quam demonstrationem supremum Bonum est demonstrabile.

5. Homo facit opera extra se ipsum, velut formas artificiales, quæ corrumpuntur, & génerat alterum hominem, qui corrumpitur, & utitur virtutibus, quæ veniunt de potentia in actum, & facit alias res: & omnia ista opera disconveniunt cum æternitate, quæ convenit cum suprema Operatione: & ideo est demonstrabile, quòd homo non faciat supremum Opus; per quod non convenit, ipsum esse supremum Bonum.

6. Anima habet tres potentias, cum quibus operatur, quando memoria recolens generat intelligere in intellectu, & velle in voluntate, & de recolere & intelligere exit velle, quod æqualiter amat objectum, secundùm quòd est recolitum & intellectum: unde quamvis hæc operatio sit multùm nobilis, per totum hoc non sufficit esse suprema Operatio; quia si anima recoleret, intelligeret & amaret se ipsam infinitam in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & si memoria recoleret, intelligeret & amaret se ipsam & intellectum & voluntatem cum recolere, intelligere & velle infinitis in bonitate, magnitudine &c., & si recoleretur, intelligeretur & amaretur per intellectum & voluntatem cum recolere, intelligere & velle infinitis in bonitate, magnitudine &c. [& hoc idem sequitur de intellectu & voluntate] tunc esset possibile, quòd anima haberet supremam Operationem: sed quia memoria non intelligit nec amat, nec intellectus recolit nec vult, nec voluntas recolit nec intelligit, nec hoc, quod faciunt tres potentiæ, faciunt infinitè & æternè, idcirco non sufficiunt esse suprema Operatio: & ideo est demonstrabile, quòd anima non sit supremum Bonum.

7. Opus firmamenti non est suprema Operatio; quia unum corpus non intelligit nec amat aliud, nec corpora sunt infinita in bonitate &c., cui infinitati convenit æternitas; & ideo est impossibile, quòd firmamentum sit supremum Bonum, quia deficit à suprema Operatione.

8. Mundus, in quantum sua particularia operantur, operatur in se ipso; sed quia sua particularia non habent perfectam operationem, quæ convenit cum æternitate & cum infinitate, quæ sit in bonitate, magnitudine &c., idcirco de deficientibus particularibus non potest formari suprema Operatio; & ideo est demonstrabile, mundum non esse supremum Bonum, per hoc, quia non habet supremam Operationem.

9. Cùm sit demonstratum, quòd mundus & sua particularia non habeant supremam Operationem, & cùm sit demonstratum, quòd suprema Operatio sit in aliqua re, idcirco est demonstratum, quòd supremum Bonum sit aliqua res, quæ operatur, & operatur, antequam mundus esset, in se ipso amans, intelligens, glorificans se ipsum infinitè in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & illa operatio est in pluralitate proprietatum; in qua operatione una proprietas operatur & producit de se ipsa alteram proprietatem infinitam in bonitate, magnitudine & æternitate; & quælibet proprietas intelligit & amat se ipsam & alteram, & intelligitur & amatur per alteram, & hoc infinitè in bonitate, magnitudine &c.; & ista est suprema Operatio, quam nos inquirimus, supra quam non potest ascendere humana consideratio intelligere magis nobilem operationem.

10. Si tu dicis, quòd non sit necessarium, quòd in supremo Bono sit Operatio de pluribus proprietatibus diversis; quia sufficit, quòd suprema Essentia intelligat, amet & glorificet se ipsam; non dicis verum: quia est magis nobile opus, quòd unum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate producat de se ipso alterum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quàm esset operatio, in qua ista operatio non esset; & magis nobilis operatio est, quòd unum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate intelligat & amet se ipsum & alterum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & sit intellectum & amatum per illud, quàm esset, si unum infinitum in bonitate, magnitudine &c., intelligeret & amaret se ipsum tantùm, & non esset intellectum & amatum per alterum simile & æquale sibi ipsi in intelligere & amare, & in infinita bonitate &c.

11. Si tu dicis, quòd supremum Bonum non operabatur, nec faciebat ullam rem, antequam mundus esset, tunc jam dicis, quòd non habeat operationem, quæ conveniat cum æternitate, sinè qua non potest esse supremum Bonum, & affirmas, quòd elementa sint magis nobilia, quæ operabantur quamprimùm fuerunt. Et si dicis, quòd supremo Bono non conveniat attribuere maximè nobilem operationem, quam humanus intellectus possit considerare; quia si conveniret, conveniret affirmare, quòd supremum Bonum fecerit mille millia mundorum, qui sint meliores, quàm unus; non dicis verum: quia si illi non attribueres maximè nobilem Operationem, quam in illo potes intelligere, intelligeres illud minùs nobile, quàm tuum intellectum, qui intelligit magis nobilem operationem: & si per hoc, ne illi attribuas magis nobilem operationem in creando mille millia mundos, quàm in creando solùm unum mundum, evitas, ne in illo intelligas operationem, quam convenit esse magis nobilem, quàm mille millia & infiniti mundi, negabis maximè nobilem Operationem propter minùs nobilem, & tua negatio erit contraria magis nobili operationi, quæ convenit cum esse & cum perfectione & affirmatione: & quia non sequitur, quòd maximè nobilis operatio sit in privatione propter minùs nobilem, idcirco est demonstrabile, tuam negationem esse falsam.

CAPUT XXXIV.

De Potentia.

1. „ CUm mundus sit speculum humano intellectui, per quod supremum Bo„ num est demonstrabile, & cùm potentia „ sit particulare mundi, idcirco nos volu„ mus cum Potentia inquirere supremum „ Bonum.

2. Aliquæ res sunt, quæ habent aliquas proprietates, per quas humano intellectui sunt magis secretæ, quàm aliæ; & ideo humanus intellectus conatur fortiùs in intelligere illas, quàm alias, quæ non sunt tam difficiles ad intelligendum; & per illum conatum, quem intellectus facit in se ipso, & per lumen, de quo illuminatur, ascendit intelligere supremum secretum, hoc est, supremum Bonum, quod per majora secreta fortiùs demonstratur: quia quantò fortiùs intellectus conatur in sua virtute, tantò altiùs potest intelligere & de majori necessitate: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd intellectus esset de minùs nobili virtute, quàm materia, quæ tantò magis virtuificatur, quantò nobilius & magis virtuosum compositum componit; & hoc est impossibile, quòd compositum materiæ sit magis nobile, quàm intelligere.

3. Quia potentia universalis, hoc est, prima materia, non corrumpitur, nec recipit incrementum in se ipsa, sed per modum generationis & corruptionis est potentia formis particularibus stantibus in illa, veluti homini in aëre, & pisci in aqua, & est in particularibus, velut aër in homine, & aqua in pisce, ideo imaginativa imaginatur, illam esse æternam; & quia imaginativa vult inclinare intellectum ad phantasiam intelligentem phantasticè, quòd potentia sit æterna, & quòd sit supremum Bonum (quia omne id, quod est æternum & sinè principio & fine, convenit esse supremum Bonum) ideo sicuti nobilis Baro vigorosus non permittit se vincere à minùs forti se ipso, sic intellectus intelligit, quòd æternitas sit tam nobilis bonitas in se ipsa, quòd non solùm conveniat cum Essentia incorruptibili, sed conveniat cum Essentia infinita in bonitate, magnitudine æternis &c.; & quia intelligit, quòd potentia sit quantitas finita, terminata in loco & in bonitate, potestate &c., & non habet intelligentiam, idcirco transcendit imaginativam, & intelligit, supremum Bonum esse magis nobilem Essentiam, quàm primam materiam; quia si non esset, æternitas non haberet, cum quo conveniret perfectè; sinè qua perfectione non posset esse supremum Bonum.

4. Si supremum Bonum nihil esset, vel non esset tam nobile, sicut illi convenit, sequeretur, quòd æternitas non haberet virtutem & naturam, per quam meliùs conveniret cum cameris Figuræ, quàm potentia: unde cùm æternitas in omnibus conveniat cum cameris, & potentia non conveniat, nisi in quantum est incorruptibilis, idcirco est demonstrabile, quòd conveniat, æternitatem esse supremum Bonum, & potentiam esse inferius Bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd majoritas & supremum Bonum contrariarentur, minoritas verò & inferiùs bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile in æternitate, & inferius bonum in potentia.

5. In hoc, quòd potentia se demonstret intellectui, quòd sit passiva generationi & corruptioni formarum, absque eo, quòd destruatur nec defatigetur ab esse passiva, dat apparentiam intellectui, quòd sit æterna; & in quantum particularia non sunt durabilia, sed sunt corruptibilia, particularia dant demonstrationem intellectui, quòd potentia non sit æterna; quia si esset æterna, sicuti haberet virtutem essendi æterna, sic haberet virtutem, quòd hoc, quod

generaretur ab illa, non esset corruptibile: idcirco intellectus ascendit altiùs recipere magìs altam & magis nobilem demonstrationem, intelligens, quòd, si potentia habet virtutem, quòd sufferat æternaliter & sinè fine, quòd de illa generentur composita corruptibilia, quantò magìs conveniat, quòd in Essentia æterna, quæ est supremum Bonum, sit actio, quæ producat æternaliter & sinè principio & fine aliquam proprietatem passivam, quam sinè corruptione sui ipsius sufferat esse productam, absque eo, quòd hoc, quod est generatum & productum, veniat in corruptionem: & quemadmodum in potentia & de agente (h. e. causa efficiente) quod in illa generat & corrumpit formas, & illas movet de potentia ad actum, exit convenientia, quæ corrumpitur in corruptione compositorum, sic de Generante & de Generato, qui sunt in æternitate, exeat convenientia, quæ non corrumpatur, sed sit æterna & sinè principio & fine: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd potentia haberet majorem nobilitatem in sufferendo, quàm supremum Bonum; & quòd in illa haberet majorem actionem motor, qui movet sua particularia de potentia in actum, & de actu ad corruptionem, quàm haberet in æterna Generans, qui absque eo, quòd adducat de potentia in actum, nec moveat de actualitate ad corruptionem, generet suum Generatum sinè fine & sinè principio. Unde cùm sit impossibile, quòd in hoc, quod non est æternum, sit ulla res magis nobilis, quàm in hoc, quod est æternum, idcirco est demonstrabile, quòd, si in potentia est nobilis passio, & aliquis ibi habet nobilem actionem, & de actione & passione exit nobilis concordantia, quantò magis conveniat, quòd in æternitate, quæ est supremum Bonum, sit multò nobilior actio & passio & concordantia: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd nobilitas actionis & passionis & concordantiæ conveniret cum minoritate, cum non esse & cum defectu, & suum contrarium cum majoritate, esse & perfectione; & hoc est impossibile.

CAPUT XXXV.

De Differentia, Concordantia, Contrarietate & Æqualitate.

1. DE necessitate convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit æternum: composita ex elementis sunt bona diversa & concordantia in aliquibus individuis; sed æternitati non sunt æqualia, quia habent principium & finem; & ideo non possunt esse supremum Bonum, quamvis sint diversa & concordantia in aliqua re.

2. Si æternitas haberet contrarietatem & inæqualitatem, non esset digna esse supremum Bonum: quatuor elementa sunt contraria in prima materia, & non æqualificantur in ullo compositorum nec in materia nec in se ipsis; quia si æqualificarentur, non moverentur ad composita, nec composita essent corruptibilia: unde cùm elementa in materia habeant contrarietatem & inæqualitatem, idcirco elementa & materia non conveniunt cum æternitate, quæ disconvenit cum contrarietate & cum inæqualitate: per quam inconvenientiam non sunt digna esse supremum Bonum; quia si convenit, æternitatem esse supremum Bonum, omne id, quod disconvenit cum æternitate, disconvenit esse supremum Bonum.

3. In firmamento & in corporibus cœlestibus est differentia, concordantia, æqualitas, contrarietas & inæqualitas, sicut apparet in quibusdam signis, quæ sunt magis nobilia, quàm alia; & quædam sunt contra alia in compositis elementatis, & quædam in illis habent majorem nobilitatem, quàm alia; & quia continent de contrarietate & inæqualitate, ideo sunt inconvenientia, quòd conveniant cum æternitate; sinè qua non possent esse supremum Bonum: per quam inconvenientiam non sufficiunt esse supremum Bonum.

4. Anima habet potentias diversas, concordantes & æquales, quando utitur æqualiter aliquo objecto recolito, intellecto & amato æqualiter; sed quia operatio suarum potentiarum venit de potentia in actum, & redit de actu in potentiam, idcirco disconvenit cum æternitate, quæ non convenit cum actualitate, quæ veniat de potentia, & quæ redeat in potentiam; cum qua actualitate æternitas disconvenit per inconvenientiam, quæ est inter illam & potentiam: unde cùm hoc ita sit, idcirco est demonstratum, quòd non conveniat, animam esse supremum Bonum; quia si conveniret, anima non disconveniret cum æternitate, cui convenit esse supremum Bonum.

5. Mundus est compositus de bonis diversis concordantibus & æqualibus, veluti videtur in rationalibus, quæ sunt diversa in

individuitate, & concordantia in operatione, & æqualia in specie, & sic de aliis particularibus; & quia in mundo sunt contrarietates & inæqualitates elementorum & operationum, majoritatis & minoritatis, primi & ultimi, & multarum aliarum rerum, idcirco mundus non convenit cum æternitate, quæ non habet contrarium nec inæquale; & ideo demonstratur, quòd non conveniat, mundum esse supremum Bonum.

6. Cùm probaverimus, quòd nullum supradictorum bonorum sit supremum Bonum, & hoc probaverimus per hoc, quia continent de contrarietate & inæqualitate, quæ disconveniunt cum æternitate, quæ convenit cum supremo Bono, idcirco convenit de necessitate, quòd, si disconveniret, æternitatem esse supremum Bonum, si contineret de contrarietate & de inæqualitate, conveniat, illam esse supremum Bonum habens in se proprietates diversas, concordantes & æquales sinè ulla contrarietate & inæqualitate: quia multò meliùs sinè omni comparatione æternitas disconvenit cum contrarietate, si habet in se concordantiam, & cum inæqualitate, si habet in se æqualitatem, quàm si non haberet in se concordantiam & æqualitatem. Unde cùm hoc ita sit, demonstratum est, quòd æternitas habeat in se proprietates concordantes & æquales; & per demonstrationem proprietatum concordantium & æqualium est demonstrata differentia, quæ est in proprietatibus, sinè qua in illis non posset esse concordantia nec æqualitas: quia sicut homo non posset esse, nisi esset animal, sic concordantia & æqualitas non possent esse sinè differentia rerum concordantium & æqualium.

7. Cùm demonstraverimus, quòd non conveniat, æternitatem esse inferius bonum, per hoc, quia bona inferiora continent de bonis contrariis & inæqualibus, & conveniat, æternitatem esse supremum Bonum, per hoc, quia habet bona diversa concordantia & æqualia, idcirco demonstratum est, quòd æternitas sit supremum Bonum, quæ est una essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & habet in se plura bona diversa, concordantia & æqualia; cui nobilitati & altitudini Essentiæ & pluralitatis, differentiæ, concordantiæ & æqualitatis non sufficit ullum bonorum inferiorum.

8. Si tu dicis, quòd æternitas non conveniat cum diversis bonis, ad hoc, ut non sit composita ex illis, tunc jam negas supremo Bono infinitam potestatem, infinitam bonitatem, infinitam magnitudinem, infinitam perfectionem, infinitam simplicitatem, & omnes alias cameras illi negas; quia si æternitas non haberet diversas proprietates, ad hoc, ut non esset composita, non haberet concordantiam nec æqualitatem, ad hoc, ut non esset composita, & deficeret habere perfectionem, ad hoc, ut non haberet compositionem: & quia æternitas habet infinitam potestatem, & est infinita per omnes cameras Figuræ, idcirco potest habere diversas proprietates, & potest habere concordantiam & æqualitatem sinè compositione: & quia hoc non potest habere ullum inferius bonum, idcirco est demonstrabile, supremum Bonum in sua infinita excellentia & altitudine esse superius omnibus aliis bonis.

CAPUT XXXVI.

De Primo & Ultimo.

1. „ QUemadmodum supremum Bonum „ inquirimus cum hoc, quod illi „ convenit, sic illud volumus inquirere cum „ hoc, quod illi disconvenit; & quia supremo Bono disconvenit omne id, quod habet primum & ultimum, idcirco volumus inquirere supremum Bonum cum hoc, quod habet primum & ultimum.

2. Manifestum est humano intellectui, quòd æternitas non conveniat cum hoc, quod habet primum & ultimum; quia si cum illo conveniret, sequeretur, quòd conveniret cum principio & fine, quæ conveniunt cum omni eo, quod habet primum & ultimum: unde si Deus nihil esset, æternitas non haberet, in quo esset, nisi in mundo & in suis particularibus incorruptibilibus, velut in generibus, speciebus, elementis simplicibus, firmamento & corporibus cœlestibus: & quia mundus non esset sinè suis particularibus universalibus, nec sua particularia essent sinè primo & ultimo suorum individuorum, idcirco demonstratur, quòd æternitas non esset, nisi primum & ultimum esset: & quia æternitas disconvenit cum primo & ultimo, ideo significatur, esse aliquam rem, quæ non habeat primum nec ultimum, & quæ sit, etiamsi primum & ultimum non esset,

& quòd æternitas conveniat cum illa, etiamsi primum & ultimum non esset; quæ res est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

3. Composita elementata primò sunt in potentia, & ultimò sunt in actualitate; & ideo non sunt sinè primo & ultimo; per quod primum & ultimum disconveniunt cum æternitate, cui convenit esse supremum Bonum: per quam inconvenientiam est demonstrabile, quòd composita non sint supremum Bonum.

4. „Quædam elementorum simplicium „sunt priora ad componendum composi„ta, quàm alia; velut ignis, qui compo„nit cholericum; & cùm ignis habeat na„turam ascendendi, ideo incipit unum „punctum, & ponit alterum super illud, & „facit lineam; & per hoc, quia ignis ca„lefacit aërem, & recipit siccitatem à ter„ra, componit unum punctum, quod po„nit ex adverso lineæ, quod convenit esse „positum ex adverso per aërem, qui ha„bet naturam ascendendi, & per terram, „quæ habet naturam descendendi; & de „linea & de puncto, quæ sunt ex adverso, „formatur corpus: & quia aër dat aquæ, „& aqua dat terræ, & quia cholericus est „de complexione calida & sicca, & aqua „est contraria igni, & aër terræ, idcirco „primum elementum, quod est in compo„sitione cholerici, est ignis, & postea ter„ra, & postea aër, & ultimò aqua: & hoc idem sequitur in aliis elementis, secundùm quòd conveniunt cum complexionibus, quas componunt: unde cùm elementa non possent operari sinè primo & ultimo, & cùm illa nihil essent sinè operatione, idcirco significatur una alia operatio magìs nobilis, quæ convenit cum æternitate sinè primo & ultimo: quia si æternitas non haberet operationem æternam sinè primo & ultimo, haberet defectum potestatis & perfectionis, in quantum non posset operari æternaliter sinè primo & ultimo: unde cùm sit impossibile, quòd æternitas habeat defectum potestatis, perfectionis vel ullius boni, idcirco demonstratur, quòd æternitas habeat aliquam operationem sinè primo & ultimo, per quam illi convenit esse supremum Bonum; quam operationem non potest habere inferius bonum; quia firmamentum nihil facit sinè primo & ultimo, nec anima similiter; quia priùs incipit operationem in quinque sensibus particularibus, quàm in tribus potentiis animæ; & sic de aliis rebus similibus istis: & cùm nullam istarum rerum faciat sinè primo & ultimo, & æternitas conveniat cum operatione, quæ operetur sinè primo & ultimo, idcirco est demonstrabilis suprema Operatio, per quam est demonstrabile supremum Bonum.

5. Si tu dicis, quòd supremum Bonum non habeat operationem æternam, tunc tu dicis, quòd æternitas sit ante opus, quod supremum Bonum habet in inferioribus bonis, tunc opus est ultimum, & æternitas est primum; & de hoc, quod dicis, significas defectum operis in supremo Bono in hoc, quòd suum opus non esset sinè primo & ultimo: & si non esset, non haberet dignitatem, per quam esset superius Bonum elementis & compositis, quæ non operantur sinè primo & ultimo.

6. Et si dicis, quòd supremum Bonum non operetur æternaliter, & hoc dicis ad negandum in supremo Bono primum & ultimum, tunc tu significas, supremum Bonum esse simile homini catenato, qui magìs curreret, quàm homo, qui non est catenatus, si non esset catenatus: quia si dicis, quòd supremum Bonum non operetur æternaliter in se ipso, ad hoc, ut suum opus non habeat primum & ultimum, sequitur secundùm hoc, quod dicis, quòd non habeat perfectionem, per quam possit operari æternaliter sinè primo & ultimo; & si illam non haberet, non esset superius Bonum inferioribus bonis, quæ non possunt operari sinè primo & ultimo.

7. Et si dicis, quòd supremum Bonum non habeat in se opus æternum, per hoc, quia illi non competit habere operationem, tunc jam affirmas, quòd supremum Bonum operetur in inferioribus bonis propter aliquam necessitatem sui ipsius; & quia est impossibile, quòd supremum Bonum habeat necessitatem bonorum inferiorum, & quia utitur illis, idcirco demonstratur, quòd supremum Bonum non operetur in inferioribus bonis per necessitatem, sed per liberum arbitrium; & de sua operatione æterna exit influentia & gratia in inferiora bona & operationem illorum; & per influentiam & gratiam significatur, quòd supremum Bonum non operetur in se ipso per necessitatem; quia si in inferioribus bonis operatur de libera voluntate, quantò magis demonstratur, quòd in se ipso non operetur coactè, sed liberè.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

De Misericordia & Misericordiato.

1. CUm inquirere supremum Bonum sit melior, altior & nobilior inquisitio, quæ possit esse, idcirco convenit, quòd nos cum tota potestate intellectûs inquiramus supremum Bonum, quod inquirimus, inquirendo supremam Misericordiam, quæ est supremum Bonum.

2. Quemadmodum æternitas dat demonstrationem de supremo Bono, per hoc, quia est duratio sinè principio & sinè fine, sic misericordia, quæ sit prior misericordiato, est demonstrabilis esse supremum Bonum; quia sic convenit misericordiæ, quæ sit prior misericordiato, quòd sit suprema Misericordia, sicut convenit æternitati, quæ sit sinè principio & fine, quòd sit suprema Duratio. Et si in bonis, quæ sunt inferiora, grammaticus habet habitum grammaticæ, quamvis addiscat logicam vel aliam scientiam, sic convenit, quòd in supremo Bono misericordia sit æterna, licèt misericordiatum non sit sinè principio; quia si in supremo Bono non posset esse misericordia sinè misericordiato, sequeretur, quòd esset æquale bonum grammatico, qui non potest esse grammaticus ante grammaticam: & si esset æquale bonum inferioribus bonis, sequeretur, quòd supremum Bonum nihil esset: unde cùm sit veritas, quòd æternitas disconveniat cum grammatico, & conveniat cum misericordia, ideo est demonstrabile, quòd, si grammaticus habet in habitu grammaticam, quamvis non utatur illâ, quantò magis conveniat, esse aliquam rem, cui conveniat esse æternam & misericordem, antequam mundus esset: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd æternitas non meliùs conveniret cum misericordia, quàm cum grammatico; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd conveniat, misericordiam esse aliquid ante misericordiatum; quam misericordiam convenit esse supremum Bonum

3. De necessitate convenit, quòd misericordia sit prior misericordiato, vel misericordiatum misericordiâ, vel quòd insimul sint æterna, vel insimul habeant principium: unde si misericordia est prior misericordiato, sequitur, quòd misericordia sit superius Bonum, & misericordiatum inferius: & si misericordiatum est prius misericordiâ, est impossibile, quòd misericordia habeat dignitatem, per quam possit aut debeat dare vel remittere misericordiato; & si hoc non faceret, misericordiatum non esset; & si essent insimul in uno tempore æterna vel non æterna, essent æqualia in nobilitate durationis, & sequeretur, quòd misericordia non deberet nec posset misericordiare æquali sibi; & si hoc non faceret, misericordiatum nihil esset; & si esset, sequeretur, quòd misericordia faceret contra justitiam, & daret hoc, quod non haberet; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd misericordia sit prior misericordiato: per quam prioritatem est demonstrabile supremum Bonum, quod est plenum misericordiâ.

4. Si dicis, quòd suprema Misericordia & misericordiatum sint æqualia in duratione, sed quòd misericordia habeat aliquam nobilitatem, quam non habet misericordiatum, & per illam nobilitatem potest illi dare & remittere; non est verum: quia supremum Bonum non posset esse supremum Bonum, si ullum aliud bonum illi esset æquale in ulla nobilitate: quia quemadmodum in bonis, quæ sunt inferiora, patientia non potest esse sinè passione, nec operatio sinè alteratione, nec pluralitas sinè compositione, sic convenit, quòd in supremo Bono sit patientia sinè passione, & operatio sinè alteratione, & pluralitas sinè compositione; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non haberet virtutem & nobilitatem, per quam posset esse superius Bonum inferioribus bonis: unde quemadmodum supremum Bonum habet hoc, quod non potest habere inferius bonum, sic supremum Bonum habet per omnem modum magìs nobilem misericordiam, quàm sit misericordiatum: & sicut in inferioribus bonis patientia non potest esse sinè passione, nec opus sinè alteratione, nec pluralitas sinè compositione, sic inferior misericordia, quam unus homo habet erga alterum, non potest esse, nisi misericordiatum esset.

5. Si negas, quòd in supremo Bono fuerit misericordia, antequam mundus esset, & hoc negas ideo, quia non intelligis, quòd misericordia possit esse sinè misericordiato, tunc tu affirmas, quòd in supremo Bono non sit patientia, ad hoc, ut in illo non

sit passio; nec in illo sit opus, ad hoc, ut in illo non sit alteratio; nec in illo sit pluralitas, ad hoc, ut in illo non sit compositio: & ideo tua negatio & affirmatio est intellectûs phantastici, qui non est denudatus ab imaginatione, quæ imaginatur inferiora bona; per quam imaginationem tibi videtur, quòd supremum Bonum non possit habere in se hoc, quod non possunt habere inferiora bona: unde si tu elevas superiùs tuum intellectum, tu intelliges, quòd, sicut supremum Bonum operatur in inferioribus bonis sinè alteratione sui ipsius, sic operetur cum misericordia, patientia & pluralitate in se ipso sinè alteratione, passione, compositione & misericordiato: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum esset magis nobile in operatione, quam habet in inferioribus bonis, quàm in operatione, quam habet in se ipso; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd inferiora bona essent causa suæ nobilitati; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum haberet defectum, per quem non esset potens esse supremum Bonum; & hoc, quod faceret in bonis inferioribus, faceret per necessitatem sui; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd supremum Bonum habeat tantam nobilitatem & potestatem, quòd operatio, quam habet in se ipso, sit multò nobilior, quàm operatio, quam habet in creaturis; quia si non haberet, sequeretur, quòd creaturæ essent æquales suo Creatori; & hoc est impossibile.

6. Si dicis, quòd supremum Bonum operetur in se ipso sinè pluralitate; non est verum: quia operans & operatum non possunt esse sinè differentia; & si in illis est differentia, convenit de necessitate, quòd in illis sit pluralitas. Et si negas in supremo Bono æternam operationem, ad hoc, ut non affirmes in illo compositionem pluralitatis, tunc jam descendit tuus intellectus ad phantasiam, & comparas supremam Operationem, quæ potest esse sinè compositione, inferiori operationi, quæ non potest esse sinè compositione; & comparas supremo Bono minorem nobilitatem, quàm inferioribus bonis, quæ non sunt sinè operatione: quia multò magis nobile ens est ipsum esse, quod est & operatur, quàm esset, si esset & non operaretur.

7. Si tu dicis, quòd, quemadmodum Deus haberet majorem potestatem, si faceret, unam rem simplicem esse in uno tempore mortuam & vivam, sic haberet in se ipso magis nobile opus, si operaretur sinè pluralitate; non est verum: quia Deus non potest facere in uno tempore, unam eandem rem esse mortuam & vivam; quia si hoc posset facere, sequeretur, quòd in illo essent duæ potestates una alteri contraria in operatione; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, haberet contrarietatem in se, per quam contrarietatem non posset habere dignitatem essendi supremum Bonum.

CAPUT XXXVIII.

De Majoritate & Minoritate.

1. NOtum est, quòd quædam bona sint majora, & alia minora, & sint quædam bona, quæ non sunt majora nec minora; sicut firmamentum, quod est majus bonum, quàm sol, & sol, quàm luna, & luna, quàm stella, & rationalia, quàm irrationalia, & irrationalia, quàm vegetabilia, & vegetabilia, quàm metalla, & substantia, quàm accidens, & anima, quàm corpus, & sentire, quàm videre, & videre, quàm odorari, & charitas, quàm spes; & sic de aliis rebus similibus istis.

2. Certum est, quòd quædam bona sint majora, quàm alia, per unum modum, & minora per alterum; veluti sol, qui est major, quàm homo, in duratione & in quantitate, & homo est major, quàm sol, in nobilitate per intelligentiam & per charitatem: unde cùm hoc ita sit, nos volumus inquirere supremum Bonum cum supradictis *tribus Gradibus*.

3. De necessitate convenit, quòd, si supremum Bonum est, conveniat, quòd sit bonum, in quo non sit majoritas, nec minoritas, nec medium, quod est inter majoritatem & minoritatem; quia si esset, non esset diversum bonum ab inferioribus bonis, quæ sunt majora per unum modum, & minora per alterum, secundùm quòd suprà diximus; & ideo nos volumus inquirere supremum Bonum in bonis, quæ sunt majora per omnem modum, absque eo, quòd per ullum modum sint media bona vel minora.

4. Ratio necessaria est, quòd, si supremum Bonum est, sit res, quæ sit æterna; quia sinè æternitate non posset esse supremum

mum Bonum: & si supremum Bonum esset æternum, & non haberet infinitam bonitatem, magnitudinem &c., non esset supremum per infinitum bonitati, magnitudini, potestati & cæteris, quæ sunt in inferioribus bonis in hoc, quòd esset finitum in bonitate, magnitudine &c.: & si æternitas non esset infinita, sinè infinita bonitate, magnitudine &c. non sufficeret esse supremum Bonum: unde cùm æternitas sit per omnem modum major duratio, quàm alia, & per hoc, quòd est major duratio, quàm alia, illi conveniat esse supremum Bonum, idcirco est demonstrabile, aliquam rem esse, cui conveniat esse supremum Bonum per majoritatem bonitatis, magnitudinis, potestatis &c.; quia si hoc non esset, æternitati conveniret esse supremum Bonum per unum modum, & disconveniret per alterum; & hoc est impossibile: quia de necessitate convenit, quòd huic, cui per unum modum convenit esse supremum Bonum, conveniat per alterum, & quòd per nullum modum illi disconveniat; quia si per ullum modum illi disconveniret, esset impossibile, quòd per ullum modum illi conveniret: unde cùm æternitati per supremam Durationem conveniat esse supremum Bonum, est demonstrabile, quòd supremum Bonum sit aliquid, quod per omnem modum sit majus in essentia & in nobilitate, quàm ullum aliud bonum, & quàm omnia alia bona.

CAPUT XXXIX.

De prima & secunda Intentione.

1. VEritas est, quòd in compositis elementatis motus demonstret motorem & motum, & motus & motor sint per secundam Intentionem, & motum sit per primam; velut lapis, qui movetur deorsum per ponderositatem, quæ appetit, quòd compositum, hoc est, lapis, sit in suo loco; & hoc idem est de arbore crescente, quæ movetur per elementa, quæ desiderant, quòd arbor ascendat capere illam formam, quæ illi convenit.

2. Notum est, quòd motum sit per secundam intentionem, & causa finalis sit per primam; veluti lapis vel arbor, quæ sunt mota, secundùm quòd suprà diximus, & se movent ad causam finalem, hoc est, quòd lapis moveatur ad stationem sui loci, & arbor ad formam, quæ illi convenit: & causa finalis lapidis & arboris est per secundam intentionem, & complementum, hoc est, finis, est per primam: quia statio naturalis lapidis & perfecta forma arboris sunt complementum motûs, & ideo conveniunt cum prima intentione.

3. Cùm omnes motus naturales moveantur vel per primam intentionem vel per secundam, & quia prima intentio convenit cum majori bono, & secunda intentio convenit cum minori bono, idcirco nos volumus inquirere supremum Bonum cum prima & secunda Intentione in motibus, qui sunt in inferioribus bonis.

4. Manifestum est, quòd, si nullum compositorum elementatorum est supremum Bonum, conveniat, hominem esse illud supremum Bonum; cùm homo sit magis nobilis, quàm ullum aliorum compositorum: & quia homo non est æternus, & finis sui motûs, hoc est, sua perfecta ætas non est durabilis, imò quàm citò pervenit ad perfectam ætatem, inclinatur & movetur ad corruptionem, idcirco est impossibile, quòd homo sit supremum Bonum; quod bonum convenit esse æternum & incorruptibile.

5. Verum est, quòd firmamentum sit mobile: unde si firmamentum se movet ad dandum complementum corporibus terrenis, suus motus est per secundam intentionem, & corpora terrena sunt per primam intentionem; & si firmamentum movet se ipsum per secundam intentionem, sequitur, quòd non sit supremum Bonum, cùm secunda intentio conveniat cum inferiori bono: & si firmamentum movet se ipsum per primam intentionem, sequitur, quòd suus motus sit per secundam intentionem, & hoc, ad quod se movet, per primam: unde si firmamentum esset supremum Bonum, esset supremum Bonum per hoc, ad quod se movet, & esset inferius bonum in suo motu; & sequeretur, quòd supremum Bonum esset compositum de majoritate & minoritate; & hoc est impossibile. Et si dicis, quòd firmamentum habeat suum complementum in suo motu, tunc dicis, quòd suus motus sit supremum Bonum, & firmamentum sit inferius bonum; & hoc non est verum: sicut non est verum, quòd, quamvis anima sit complementum corporis, per totum hoc sequatur, quòd homo sit supremum Bonum.

Et si tu dicis, quòd firmamentum non se moveat per ullam intentionem, tunc movet se frustra; & si hoc facit, est impossibile, quòd sit supremum Bonum: quia causa finalis est res magìs nobilis, quàm sit hoc, quod se movet frustra. Et si tu dicis, quòd firmamentum non se moveat per se ipsum, sed moveatur per alterum, tunc jam affirmas, quòd motor sit magìs nobilis, quàm firmamentum: per quam majorem nobilitatem est demonstrabile, quòd firmamentum non sit supremum Bonum.

6. Manifestum est, quòd elementa simplicia non se moveant per primam intentionem ad composita; quia si se moverent, quando illa composuissent & illa movissent ad perfectam formam, non discomponerent nec corrumperent illa: unde cùm illa se moveant ad composita per secundam intentionem, idcirco est demonstrabile, quòd sit aliqua alia res, ad quam se movent per primam intentionem; & quia illam non habent, sed inquirunt illam in compositis, idcirco est demonstrabile, quòd nec elementa nec composita sint supremum Bonum; quia si essent, ignis non moveret se de locis superioribus ad inferiora ipsi innaturalia, nec terra ascenderet ad loca superiora, & invenirent hoc, quod inquirunt, in locis, quæ illis conveniunt.

7. Si tu dicis, quòd hoc, ad quod elementa se movent, sit supremum Bonum; non est verum: quia supremum Bonum non esset dignum esse supremum Bonum, si inquireretur, & non esset reperibile: unde cùm elementa non consequantur hoc, quod inquirunt, nec hoc, ad quod se movent, idcirco est demonstratum, quòd hoc, quod est supremum Bonum, sit magìs altum & magìs nobile, quàm hoc, ad quod elementa se movent.

8. Si tu dicis, quòd corpora cœlestia coactè moveant elementa ad composita, absque eo, quòd elementa habeant intentionem ad hoc, ad quod se movent; non est verum: quia operatio naturalis non esset tam nobilis, sicut est, si elementa de libertate non operarentur inquirendo suum complementum, quod est conjunctio simplex, quam quodlibet elementum quærit, ad hoc, ut sit corpus simplex; velut ignis & calor, qui quærunt conjunctionem simplicem igneam, absque eo, quòd sint composita cum ullo aliorum elementorum. Et si dicis, quòd illa conjunctio sit supremum Bonum; non est verum: quia magìs propinqua est ipsi non esse, quàm illius inquisitores; per quam propinquitatem non est digna esse supremum Bonum.

9. Si dicis, quòd, si supremum Bonum esset aliquid, conveniret, quòd haberet primam intentionem vel secundam, vel quòd esset sinè intentione; non est verum: quia quemadmodum æternitas est, in qua non est majoritas nec minoritas, sic suprema Intentio est, in qua non est majoritas nec minoritas: & quemadmodum de influentia æternitatis exit duratio, quæ habet principium & finem, majoritatem & minoritatem, sic de influentia supremæ Intentionis, quæ est supremum Bonum, exit intentio bona, in qua est secunda & prima: & quemadmodum est demonstrabile, quòd æternitas sit supremum Bonum, per hoc, quia non habet majoritatem & minoritatem, sic est demonstrabile, quòd suprema Intentio sit supremum Bonum, per hoc, quia in se ipsa habet aliquam operationem, in qua non est prima intentio nec secunda, sed quòd tota illa operatio sit perfecta intentio. Et si tu dicis, quòd intentio non possit esse, nisi sit secunda vel prima, verum dicis in bonis inferioribus; sed si in supremo Bono non esset intentio sinè secunda & prima, æternitas esset sinè intentione, sinè qua illi non conveniret esse supremum Bonum, & illi conveniret esse supremum Bonum per durationem; & si haberet intentionem, in qua esset secunda & prima, haberet majus & minus; & si hoc haberet, non esset supremum Bonum: & quia æternitati convenit, per durationem infinitam esse supremum Bonum, idcirco est demonstrabile, quòd æternitas non habeat ullam rem, per quam disconveniat cum supremo Bono, & habeat illam rem, quæ convenit cum supremo Bono, hoc est, intentionem sinè secunda & prima, quæ est demonstrabilis per intentionem, in qua est secunda & prima.

10. Et si, ad hoc, ut neges pluralitatem in supremo Bono, negas, quòd in supremo Bono sit intentio, tunc jam affirmas, quòd magìs nobilis res sit velle sinè intentione, quàm velle cum intentione; & non dicis verum: quia vir habet magìs nobile velle, quàm infans, per hoc, quia vult cum intentione, & infans vult sinè intentione: & si supremum Bonum non haberet in se ipso intentionem, sequeretur, quòd sinè intentione uteretur inferioribus bonis; & si hoc faceret, non esset perfectum in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & si non haberet perfectionem in omnibus cameris Figuræ, esset impossibile, quòd esset supremum Bonum.

CAPUT XL.

De Forma.

1. CErtum est, quòd Forma possit considerari multis modis; sed *quatuor* sunt *Formæ*, quæ habent esse reale: *prima Forma* est Forma suprema, quam nos inquirimus: *secunda Forma* est sensibile, quod est compositum de forma & materia: *tertia Forma* est anima & Angelus, qui est forma spiritualis invisibilis: *quarta Forma* est forma, quæ anima est corpori, in quantum est complementum illius. Aliæ formæ sunt, quæ non habent esse reale, velut color, motus, species & forma, quæ est in potentia, & forma, quam intellectus capit in abstracto, & umbra arboris, & sic de aliis formis similibus istis: unde cùm esse reale conveniat cum majoritate, & hoc, quod non habet esse reale, conveniat cum minoritate, & quia supremum Bonum convenit cum majoritate, & inferius bonum cum minoritate, idcirco est demonstrabile, quòd suprema Forma sit Essentia, quæ habet esse reale; quia si non haberet, esset inferius bonum: & ideo non est necessarium, quòd nos illam inquiramus in formis, quæ non habent esse reale.

2. Cùm sensibile sit compositum ex materia & forma, & cùm compositum & minoritas conveniant, & simplex & majoritas, & cùm magìs nobile compositum sensibile sit corpus hominis, & cùm anima sit forma & complementum illius corporis, quod est corruptibile, idcirco est demonstrabile, quòd nulla forma sensibilis sit suprema Forma, quam nos inquirimus: quia si esset, conveniret cum incorruptione & cum infinitate, & haberet perfectionem à se ipsa, & non ab altero, & esset simplex, & conveniret cum æternitate, quæ convenit cum supremo Bono.

3. Veritas est, quòd anima non sit pura forma, sed sit composita de forma & materia intellectuali; quam compositionem convenit esse in anima, ad hoc, ut sit demonstrabile, supremam Formam esse magìs simplicem, quàm animam; quia si anima non esset composita, suprema Forma non haberet, per quod esset magìs simplex, quàm anima; & si hoc non haberet, conveniret de necessitate, quòd anima esset suprema Forma, vel quòd suprema Forma esset composita; & hoc est impossibile: quia anima, quæ potest peccare, ignorare & oblivisci, non convenit cum æternitate, quæ est suprema Forma durandi, & quæ est simplex, & in qua nulla est alteratio; sinè qua æternitate anima non posset esse suprema Forma: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabile, quòd anima sit composita, & quòd non sit suprema Forma.

4. Manifestum est, quòd anima sit forma corpori; unde quamvìs illa sit forma corpori, per totum hoc non sequitur, quòd anima sit suprema Forma in esse forma corpori; quia magìs nobilis est forma, quam anima habet in se ipsa, quàm sit forma, quam habet in esse perfectio corporis: quia quemadmodum sol est forma, & per hoc, quia est forma, & sui radii feriunt arborem, est sol forma arbori, ut arbor sit forma umbræ, & sol habet in se formam realem, & forma, quam arbor recipit à sole in faciendo umbram, non est forma realis, sic anima est forma, & per hoc, quia cum corpore est unum compositum, est forma & perfectio corporis; sed forma, quam anima habet in se, est magìs realis, quàm illa, quam corpus recipit ab anima; quia si non esset, sequeretur, quòd anima esset magìs essentialis extra se ipsam, quàm in se ipsa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd forma, quam corpus recipit ab anima in esse perfectum per illam, non sit suprema Forma: & hoc, per quod est demonstrabile, quòd forma, quam anima habet in esse complementum corporis, sit realis, est per hoc, quia homo, in quantum corpus, est de illa materia, de qua sunt alia composita: sed quia per conjunctionem animæ est magìs nobile compositum, quàm omnia alia, idcirco forma supradicta est cum esse reali.

5. Cùm demonstraverimus, quòd nec secunda forma, nec tertia, nec quarta sint suprema Forma, de necessitate convenit, quòd suprema Forma sit alia res, vel quòd nihil sit. Et si dicis, quòd suprema Forma nihil sit; non est verum: quia si corpus, quod est particulare mundi, habet majorem nobilitatem per alterum, hoc est, ani-

mam, quàm per se ipsum, quantò magis convenit, quòd forma mundi universi sit perfecta per aliquam formam realem magis nobilem, quàm sit ipsamet; quia si non hoc esset, *sequeretur, quòd particulare haberet majorem nobilitatem, quàm universale; & hoc est impossibile:* per quam impossibilitatem est demonstrabilis prima Forma, quam nos inquirimus, quæ est forma mundo & suis particularibus in dando esse, complementum, sustentationem & opus mundo & suis particularibus: quia quemadmodum arbor non posset esse forma umbræ sinè sole, sic mundus, qui non est plus, quàm sua particularia, non posset esse forma nec perfectio suis particularibus sinè majori se ipso, hoc est, sinè prima forma, quæ illi dat perfectionem in sua universalitate, & in suis particularibus.

6. Et si tu dicis, quòd, quemadmodum anima est forma corpori, sic mundus sit forma suis particularibus; non est verum: quia ratio, quare anima est forma corpori, est per hoc, quia est alia res, quàm corpus, & est magis nobilis, quàm corpus; sed mundus non est alia res extra sua particularia; quia si esset, non esset compositus ex illis: & si non haberet magis nobilem formam per magis nobile se ipso, tuum corpus esset magis nobile, quàm mundus, qui per tuam animam habet formam magis nobilem, quàm sit illa, quam tuum corpus habet per se ipsum; & cùm tu sis particulare mundi, idcirco est impossibile, quòd tu sis magis nobilis, quàm mundus.

7. Si tu dicis, quòd, quemadmodum anima non est forma corporis mortui, sic suprema Forma non esset forma in se, antequam mundus esset; non est verum: quia si anima, quæ non est suprema Forma, remanet forma post mortem corporis, quantò magis suprema Forma in se ipsa erat & est forma, antequam mundus esset; quia si non esset, anima esset magis nobilis, quàm illa, & suprema Forma esset causata in habendo esse formale per mundum; & hoc est impossibile.

8. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus, ad hoc, ut suprema Forma sit æternaliter forma & complementum mundo; non est verum: quia magis nobilis forma est suprema Forma in se ipsa, quàm sit forma, quam mundus ab illa recipit; veluti anima habet magis nobilem formam in se, quàm sit forma, quam corpus recipit ab illa: & quia suprema Forma est magis nobilis in se, quàm sit illa, quam mundus ab illa recipit, idcirco magis nobilis forma est magis durabilis, quàm minùs nobilis; & ideo magis nobilis est æterna, & minùs nobilis habet principium.

9. Si tu dicis, quòd supremum Bonum non sit forma, quia si esset forma, conveniret, quòd haberet materiam; non est verum: quia si supremum Bonum non esset forma, non posset esse objectum reale animæ, & supremum Bonum esset una res, & alia hoc, quod anima caperet pro objecto; & si hoc esset, esset impossibile, quòd ulla anima posset recolere, intelligere & amare supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono non esset infinita bonitas, magnitudo &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd supremum Bonum sit forma, quæ non habet materiam: quia quemadmodum compositio se elongat magis à pluralitate animæ, quàm corporis, & magis à pluralitate Angeli, quàm animæ, & tantum est remota à suprema Forma, quæ est magis superiùs, quàm ulla alia forma, quòd suprema Forma sit pluralitas simplex sinè ulla compositione, sic in suprema Forma per magnam & per excellentem altitudinem & nobilitatem, quæ est in illa, non potest esse materia; quia si esset, non haberet, per quod esset suprema aliis formis, quæ non possunt esse sinè materia: & si supremum Bonum non esset forma, non haberet, cum quo esset suprema Bonitas omnibus formis & omnibus materiis: & si esset aliqua alia essentia, quæ esset sinè forma & materia, esset demonstrabile, illam esse æqualem supremo Bono: unde si supremum Bonum haberet materiam & formam, esset de inferioribus bonis.

10. Si tu dicis, quòd suprema Forma sit finita, per hoc, quia intellectus illam capit pro objecto, & omne id, quod intellectus capit, capit finitum; non est verum: quia quemadmodum arbor non facit æqualem umbram in magnitudine radiis solis, per hoc, quia non est tam magna, sicut radii solis, sic intellectus per hoc, quia est inferius bonum, & est creatura finita & terminata, non potest tantum capere de suprema Forma, quanta est suprema Forma: unde hoc, quod capit, est finitum in intellectu, sed non in suprema Forma.

Si

11. Si tu dicis, quòd, postquam omne id, quod intellectus capit, est finitum, non possit intelligere infinitum; non est verum: quia sicut corpus per animam recipit perfectionem, sic intellectus recipit à supremo Bono perfectionem, per quam intelligit infinitum ultra hoc, quod ille capit finitum: quia si hoc non faceret, supremum Bonum illi non esset forma realis, & corpus esset magis nobile per participationem animæ, quàm intellectus per supremum Bonum, quod illi est objectum; & hoc est impossibile: „ per quam impossibilitatem „ est demonstrabile, quòd, sicut corpus per „ quinque sensus particulares habet suas „ virtutes magis nobiles ratione animæ, & „ utitur rebus corporalibus, quæ sunt extra „ corpus, sic intellectus illuminatus per su„ premum Bonum intelligat ultra hoc, quod „ habet de se ipso, infinitum Bonum in bo„ nitate, magnitudine, æternitate &c.: & „ quemadmodum corpus intra se ipsum & „ intra suam superficiem utitur rebus, quas „ sui quinque particulares sensus illi addu„ cunt de hoc, quod est extra corpus, sic „ intellectus, qui est finitus, intra se ipsum „ intelligit infinitum per lumen & auxilium, „ quod illi tribuit supremum Bonum, dans „ se ipsum pro objecto justæ animæ, quæ „ illum recolit, intelligit & amat infinitum „ in bonitate, magnitudine &c.: quia si su„ premum Bonum non intelligeretur infini„ tum in bonitate, magnitudine &c., non esset demonstrabile, quòd esset supremum Bonum: & si non esset, non esset supremum in demonstratione inferioribus bonis, quæ habent demonstrationes, per quas sunt demonstrabilia, quòd sint inferiora bona; & hoc est impossibile: *quia sicut supremum Bonum in omnibus nobilitatibus est supremum inferioribus bonis, sic convenit de necessitate, quòd sit supremum in demonstratione omnibus aliis demonstrationibus.*

CAPUT XLI.
De Actualitate.

1. DEmonstratum est, quòd Actualitas sit bonum; quia omne id, quod est actualiter, amat suum esse; & quando aliquod esse movetur ad corruptionem, resistit illi corruptioni tantum, quantum potest; & omne id, quod est in potentia, libenter movetur ad actualitatem: unde cùm per omnia ista sit demonstrabile, quòd actualitas sit bonum, idcirco nos volumus inquirere supremam puram Actualitatem, quæ est supremum Bonum.

2. Notum est, quòd æternitas disconveniat cum omni actualitate, quæ sit mobilis de potentia ad actum, & de actu ad corruptionem; & hoc est ideo, quia æternitas est actualitas inalterabilis, & quæ nullo tempore fuit in potentia, nec in corruptione; & ideo est demonstrabile, quòd nulla actualitas, cum qua disconvenit æternitas, possit esse æterna, nec supremum Bonum; quia si hoc esset, demonstraretur, quòd hoc, quod est supremum Bonum, non esset æternum; & hoc est impossibile.

3. Demonstrato, quòd nulla actualitas mota de potentia in actum, & mobilis ad corruptionem, possit esse suprema, est demonstratum, quòd nullum compositorum elementatorum possit esse supremum Bonum; quia si hoc esset, sequeretur, quòd actualitas illius esset suprema Actualitas, vel quòd composita in potentia vel in corruptione essent supremum Bonum; & hoc est impossibile.

4. Verum est, quòd elementa simplicia sint in actu, absque eo, quòd sint in potentia sinè compositione, nec se moveant ad corruptionem in sua simplicitate; sed quia illa non habent operationem, nisi in compositis, quæ veniunt de potentia in actum, & quæ moventur de actu ad corruptionem, & supremæ Actioni, quæ convenit cum æternitate, convenit operatio, quæ sit pura actualitas in se ipsa, & elementa operantur in suis compositis extra suam simplicitatem, idcirco est demonstrabile, quòd actualitas simplex & composita elementorum non sit suprema Actualitas.

5. Veritas est, quòd firmamentum & corpora cœlestia sint in actu, absque eo, quòd venerint de potentia, nec se moveant ad corruptionem: unde si tu dicis, quòd actualitas illorum sit suprema Actualitas; non est verum: quia si firmamentum & sua particularia essent suprema Actualitas, conveniret, quòd æternitas esset qualitas illorum; & si esset, subjectum æternitatis esset compositum, in hoc, quòd firmamentum & particularia sunt composita de materia & forma; & quia æternitas convenit cum simplici actualitate, cui non sit subjecta ulla compositio, idcirco est demonstrabile, quòd actualitas corporum cœlestium non sit suprema; quia si esset suprema, seque-

queretur, quòd suprema Actualitas non conveniret cum æternitate sinè compositione; & hoc est impossibile: cùm simplex actualitas conveniat cum æternitate & cum majoritate, & composita actualitas disconveniat cum æternitate & cum majoritate, & conveniat cum corpore & cum minoritate: unde cùm sit demonstrabile, quòd actualitas composita habeat hoc, cum quo convenit, quantò magis sinè omni comparatione convenit de necessitate, quòd simplex suprema Actualitas habeat omne id, cum quo convenit, hoc est, infinitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; quia si hoc non haberet, sequeretur, quòd inferius bonum haberet hoc, cum quo convenit, & supremum Bonum non haberet hoc, cum quo convenit; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, hoc, quod est inferius bonum, esset supremum Bonum; & hoc, quod est supremum Bonum, esset inferius bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile.

6. Verum est, quòd anima sit in actu, absque eo, quòd veniat de potentia, nec se moveat ad corruptionem; sed quia suæ potentiæ non habent actualiter suas operationes, sed illarum operatio venit de potentia in actum, & de actu redit in potentiam (quia si hoc non faceret, anima continuò recoleret, intelligeret & amaret stans in corpore) idcirco est demonstratum, quòd anima, quamvis in essentia sit actualiter, per totum hoc non conveniat, illam esse supremam Actualitatem; quia si esset, sequeretur, quòd in supremo Bono posset inveniri aliquis defectus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd supremum Bonum esset compositum de majoritate & minoritate, de perfectione & defectu; & si hoc esset, sequeretur, quòd æternitas esset supremum Bonum habens durationem infinitam & finitam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd anima non habeat supremam Actualitatem.

7. Si tu negas, quòd in suprema Actualitate sit operatio, tunc tu affirmas, quòd actualitas, quæ est sinè operatione, sit magis nobilis, quàm actualitas, quæ habet operationem; & hoc non est verum: quia species sunt in actu, & non habent operationem; & quia sunt sinè operatione, non sufficiunt habere esse reale, cui esse sufficiunt illorum individua, per hoc, quia habent actualitatem, in qua est operatio.

8. Si tu negas, quòd suprema Actualitas habeat operationem in se ipsa, sed extra se ipsam, ad hoc, ut neges pluralitatem in suprema Actualitate, tunc affirmas, quòd suprema Actualitas sit suprema in bonis inferioribus, in quibus operatur, & non in se ipsa; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, ignis simplex, qui operatur extra suam simplicitatem in aqua, quam calefacit, esset magis nobilis in aqua, quàm in se ipso; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset magis nobilis in operatione in aqua, cui contrariatur, quàm in aëre, cum quo concordat, in quantum operatur magis extra se ipsum in aqua, quàm in aëre; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, de calore & frigore generaretur & conservaretur vita in compositis, & mortificaretur de humiditate & siccitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd actualitas, quam sua operatio habet in se ipsa, sit magis nobilis, quàm sit actualitas, quam habet extra se ipsam: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd ignis haberet magis nobilem operationem, quàm anima, cujus memoria in se ipsa recolens generat in intellectu intelligere, & de recolere & intelligere exit velle à voluntate, quæ amat objectum recolitum & intellectum. Unde cùm sit impossibile, quòd operatio ignis sit tam nobilis, sicut operatio animæ, idcirco est demonstrabile, quòd, si anima, quæ non sufficit esse suprema Actualitas, secundùm quòd suprà diximus, habet magis nobilem operationem, quàm ignis, per hoc, quia operatur in se ipsa unam operationem, quæ est de tribus potentiis, quantò magis suprema Actualitas habet magis nobilem operationem, per hoc, quia in se ipsa operatur unam operationem, quæ est una Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c.

9. Si tu dicis, quòd operatio unius infiniti, quod operaretur & faceret infinita in numero, sit suprema Operatio; non est verum: quia si unum infinitum operaretur infinita in numero, esset potentia ad infinita; & si esset potentia, non esset pura actualitas; & si non esset, non posset esse supremum Bonum.

10. Et si dicis, quòd melior operatio esset de majori vel minori numero, quàm de tribus tantùm; non est verum: quia major concordantia dat demonstrationem de majori & nobiliori operatione, veluti generatio de Patre ad Filium, & convenientia amborum, quæ est major, quàm ulla alia concordantia; velut conjunctio in compositis, quæ exit de materia & forma, est major concordantia, quæ sit in illis.

CAPUT XLII.

De Justitia & Misericordia.

1. CUm istud Opus sequatur Regulam & Modum *Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem*, & quia in illa Arte virtutes sunt compositæ in diversis cameris, ad dandum diversas significationes & demonstrationes, idcirco nos, qui inquirimus supremum Bonum Justitiæ & Misericordiæ, quæ sunt in homine justo & misericorde, recipimus significationem & demonstrationem, per quam venimus ad cognitionem supremi Boni: nam quemadmodum per formam artificialem artifex est demonstrabilis sensualiter, sic per operationem & convenientiam, quæ est in justitia & misericordia, supremum Bonum est demonstrabile intellectualiter.

2. *Tres Modi* sunt, in quibus justitia & misericordia conveniunt in homine justo & misericorde: *primus* est, quando justitia convenit cum misericordia, quando homo misericors facit misericordiam, & misericordia convenit cum justitia, quando homo justus facit justitiam: *secundus* est, quando conveniunt insimul, veluti Rex, qui punit aliquem culpabilem in parte, & in parte illi remittit: *tertius* est, quando justitia convenit cum misericordia, quando misericordia est contra crudelitatem, quæ est suum contrarium, & misericordia convenit cum justitia, quando justitia est contra injuriam.

3. Manifestum est humano intellectui, quòd, quemadmodum homo est magis altus in nobilitate, quàm sit ullum compositum elementatum, & hoc est ideo, quia potest habere tres supradictas concordantias, quas composita non possunt habere, sic homo sit magis depressus in nobilitate, quàm sint alia composita, quando habet in se tres concordantias contrarias tribus supradictis; quæ tres concordantiæ sunt de injuria & crudelitate: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstratum, quòd nec ipse homo nec ullum compositorum possit esse supremum Bonum; quia si homo vel alterum compositum esset supremum Bonum, haberet tam altam & tam nobilem justitiam & misericordiam, quòd esset impossibile, quòd per illarum contrarium descenderet inferiùs.

4. Nec elementa simplicia, nec prima materia, quæ de illis est composita, nec forma universalis, nec corpora cœlestia, nec accidentia, quibus istæ res supradictæ sunt subjectæ, habent tres modos concordantiæ in justitia & misericordia: & quia illa concordantia est superior in nobilitate, quàm ulla alia concordantia, quæ sit in supradictis rebus, idcirco est demonstratum, quòd elementa & cætera non sint supremum Bonum.

5. Si gloriosum supremum Bonum, quod nos inquirimus, nihil esset, conveniret de necessitate, quòd multa suprema Bona essent; quia æternitas esset supremum Bonum, per hoc, quia habet magis nobilem durationem, & quia est prior omnibus, quæ habent principium & finem; & quilibet homo, qui haberet tres concordantias justitiæ & misericordiæ, esset supremum Bonum; & cùm sit impossibile, quòd homo possit esse supremum Bonum, idcirco est demonstrabile, quòd æternitas, de qua non est demonstrabile, quòd non sit supremum Bonum, est supremum Bonum habens tres supradictos modos concordantiæ, sinè quibus non posset esse supremum Bonum; quia si esset, sequeretur, quòd homo haberet aliquam dignitatem, per quam illi meliùs conveniret esse supremum Bonum, quàm hoc, quod est supremum Bonum; & hoc est impossibile.

6. Quemadmodum justitia & misericordia, quæ sunt in homine, non sufficiunt esse supremum Bonum, & hoc ideo, quia conveniunt cum minori nobilitate in homine, sic convenit de necessitate, quòd Justitia & Misericordia, quæ sunt in supremo Bono, conveniant cum majori nobilitate in supremo Bono; quia si non convenirent, sequeretur, quòd homo & supremum Bonum convenirent in æqualitate justitiæ & misericordiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd Justitia & Misericordia, quæ est in supremo Bono, sit magis alta, quàm justitia & misericordia, quæ sunt in homine.

7. Certum est, quòd quemadmodum pluralitas, quæ est in anima, est magis alta, quàm

quàm pluralitas corporis, & hoc ideo, quia est magìs propinqua simplicitati; & pluralitas Angeli sit magìs alta, quàm pluralitas animæ, per hoc, quia est magis simplex essentia, sic ratio, quare Justitia & Misericordia, quæ sunt in supremo Bono, sunt tam elevatæ in nobilitate super justitiam & misericordiam, quæ sunt in homine, est, quia Justitia & Misericordia, quæ sunt in supremo Bono, sunt una eadem substantia; justitia verò & misericordia, quæ sunt in homine, sunt accidentia, & una non est altera: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd, sicut anima non esset tam nobiliter elevata supra corpus, nisi esset in pluralitate & in unitate, & nisi sua pluralitas & sua unitas essent magìs simplices, & illa corporis esset magìs composita, sic Justitia & Misericordia, quæ sunt in supremo Bono, non possent esse superiores, quàm justitia & misericordia, quæ sunt in homine, nisi essent una eadem essentia per multùm excellentem & altam convenientiam.

8. Quemadmodum in homine destrueretur supradicta concordantia, quæ est inter justitiam & misericordiam, si justitia & misericordia essent unum & idem, sic destrueretur concordantia Justitiæ & Misericordiæ in supremo Bono sinè concordantia diversorum suppositorum; & si per unitatem justitiæ & misericordiæ in suprema Essentia non esset concordantia justitiæ & misericordiæ, sequeretur, quòd justitia & misericordia, quæ sunt in homine, meliùs convenirent per concordantiam ad esse supremum Bonum, quàm Justitia & Misericordia supremi Boni; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd in supremo Bono sit pluralitas, in qua unus justus misericors conveniat cum altero justo misericorde, & quòd insimul sint una Essentia justa & misericors; quia si non essent una Essentia, sequeretur, quòd in justitia & misericordia, quæ sunt in homine, esset major concordantia, quàm in Justitia & Misericordia, quæ sunt in supremo Bono, in hoc, quòd justitia & misericordia, quæ sunt in homine, conveniant in una essentia, hoc est, in uno homine, & justus & misericors, qui est in supremo Bono, non conveniret cum altero justo misericorde in esse unum Bonum & una eadem Essentia, nec haberent majorem nobilitatem concordantiæ in Essentia, quàm justitia & misericordia hominis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd in suprema Essentia sint diversi justi & diversi misericordes, qui insimul sunt una Essentia, in qua non est differentia Justitiæ & Misericordiæ.

9. Et si dicis, quòd sit impossibile, quòd in diversis misericordibus misericordia non differat; verum dicis quo ad diversa supposita; sed quo ad Essentiam non est verum: quia si duo Reges possiderent æqualiter aliquem nobilem equitem culpabilem, cui darent veniam, misericordia non esset diversa per se, sed personæ essent diversæ, & per personas una misericordia esset diversa ab altera: unde si in Regibus, qui sunt bona inferiora, sequitur, quòd misericordia non sit diversa in se ipsa, quamvis sit in diversis personis; quantò magìs in supremo Bono, in quo convenit, quòd misericordia & suppositа sint una eadem essentia; quia si non essent, in supremo Bono non esset nobilitas magìs alta, quàm in inferiori bono; in quo inferiori bono misericordia est una res, & altera res est quodlibet subjectorum, in quo est misericordia.

CAPUT XLIII.

De prima Causa.

1. INquirendo hoc, quod est prima Causa, sumus inquisitores supremi Boni; quia necessariò convenit, quòd illa res, quæ est prima Causa, sit supremum Bonum: quia si non conveniret, sequeretur, quòd hoc, quod est inferius bonum, non esset per supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, primam Causam esse supremum Bonum.

2. Manifestum est, quòd æternitas & majoritas conveniant, principium verò & minoritas; & per hoc est demonstrabile, quòd causa conveniat cum majoritate, & causatum cum minoritate; quia causa est inter causatum & æternitatem, & causatum est inter causam & principium; & quia causa est magìs propinqua æternitati, & magìs remota à principio, quàm à causato, & causatum est magis remotum ab æternitate, & magìs propinquum principio, quàm causa, idcirco est demonstrabilis majoritas in causa, & minoritas in causato.

3. De necessitate convenit, quòd, si prima causa est aliquid, sit æterna; quia si non esset, sequeretur, quòd causa & causatum

tum essent insimul in una & eadem Essentia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd, si prima causa est, conveniat, quòd sit æterna: & si prima causa nihil est, sequitur de necessitate, quòd hoc, quod est causatum, sit per causam, quæ non sit prima causa; & si hoc est, convenit de necessitate, quòd causa, quæ non est prima causa, sit per se ipsam vel per causatum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd prima causa sit, & quòd sit æternaliter per se ipsam, & sit causa omni causæ, quæ non sit prima, & omni causato.

4. Si tu dicis, quòd mundus in universali & sua particularia incorruptibilia sint æterna, & mundus & sua particularia sint prima causa, & particularia corruptibilia sint illorum causata, tunc tu affirmas, quòd mundus & sua particularia incorruptibilia sint supremum Bonum, & particularia causata & corruptibilia sint inferius bonum; & hoc est impossibile: quia mundus in universali & sua particularia non utuntur inferioribus bonis cum intelligentia, nec cum charitate, nec cum justitia, nec cum aliis virtutibus essentialibus, quæ conveniunt cum supremo Bono; sinè quibus supremum Bonum non haberet dignitatem essendi supremum Bonum: quia homo, qui non habet dignitatem essendi supremum Bonum, qui utitur intelligentiâ, charitate & justitiâ in bonis, quæ sunt sub illo, haberet aliquam magìs nobilem virtutem, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, mundum & sua particularia esse inferius bonum supremo Bono, quod est æternum infinitum in sapientiâ, charitate, justitiâ &c., quod est causa mundi & omnium particularium mundi, quæ sunt inferiora bona.

5. Si dicis, quòd nobilitatem, quam prima causa habet, ut sit prima causa, habeat per causatum; non est verum: quia quemadmodum æternitas non habet suam durationem infinitam per hoc, quod habet principium & finem, sic prima causa non habet suam nobilitatem per hoc, quod est causatum; quia si haberet, sequeretur, quòd per essentiam esset prima causa & supremum Bonum, & per operationem & per usum, quem habet in causato, esset suprema nobilitas; & hoc est impossibile: nam sicut convenit, quòd per essentiam sit prima causa & supremum Bonum, sic convenit supremo Bono, quòd per operationem essentialem, quam prima causa habet in se ipsa sinè causato, sit supremum Bonum; quia si non haberet talem operationem in se ipsa, sequeretur hoc, quod tu dicis, in quantum haberet operationem in altero, & non in se ipsa, & non posset operari sinè causato.

6. Si tu dicis, quòd causatum sit æternum, & hoc dicis per hoc, quia non potes intelligere æternam causam sinè æterno causato, demonstratur nobis, quòd tuum intellectum non denudaveris à phantasia, nec caveas à deceptione, quam capis per primam speciem accidentis, de qua te jubeo cavere in *Capite de Accidente*: quia quemadmodum in supremo Bono hoc nomen Creator est secundùm relationem creaturæ, sic in supremo Bono hoc nomen prima Causa est secundùm relationem causati & causæ, quæ non est prima: & quia tu vis sic uti tuo intellectu in supremo Bono, sicut in inferioribus bonis, in quibus non potes intelligere causatum sinè causa, idcirco habes intellectum phantasticum, quem non haberes, si illum altiùs elevares: nam sicut supremum Bonum est altius, quàm inferius, sic convenit, quòd intellectus altiùs intelligat in supremo Bono, quàm in inferiori; quia si æqualiter intelligeret in supremo Bono & in inferiori, sequeretur, quòd non esset demonstrabile, supremum Bonum esse supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd sicut in inferiori bono non potes intelligere patrem sinè causa & causato, sic in supremo Bono, in quo te convenit altiùs intelligere, potes intelligere Patrem & Filium sinè causa & causato; per quod intelligere supremum Bonum est tibi demonstrabile.

7. Si tu, ad attribuendam majorem nobilitatem primæ causæ, dicis, quòd mundus, qui est suum causatum, sit æternus; non est verum: quia major nobilitas est primæ causæ, quòd causaverit causam de nihilo, quàm si æternaliter sinè principio illam causasset; & causatum, quod esset æternum, esset magìs propinquum primæ causæ in dignitate, in quantum esset æternum, & non esset creatura, quàm si habet principium, & est creatum de nihilo; & quantum illi esset magìs propinquum, tantum tibi esset demonstrabile, quòd supremum Bonum esset minùs superius, & inferius bonum magìs superius.

8. Si aliâ vice redis ad hoc, & dicis affirmando, quòd conveniat, mundum esse æternum, ad hoc, ut prima causa habeat operationem æternam: nos dicimus, quòd tua verba nos ponant in viam, quâ intelligamus magis nobilem operationem in supremo Bono, quàm sit illa, quam tu dicis; quia impossibile est, quòd mundus sit sinè principio; quia si esset æternus & sinè principio, supremum Bonum desideraret, æternaliter esse causatum, ad hoc, ut esset causa; & si desideraret, desideraret minus, hoc est, causatum, ad hoc, ut esset majus, hoc est, causa; & si desideraret, esset causa per causatum, & esset majus per minus, & desideraret habere operationem in altero per hoc, quia illam non posset habere in se ipso; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, non esset supremum Bonum, & sua operatio esset similis operationi, quæ est in inferiori bono: sed quia supremum Bonum operatur æternaliter sinè principio & fine in se ipso, absque eo, quòd sit causa vel causatum in sua Essentia & in sua operatione, quæ est suamet Essentia, ideo habet magis nobilem operationem, quàm tu dicis, quæ demonstrat, illud esse supremum Bonum, per hoc, quia talis operatio tam nobilis non convenit inferiori bono.

9. Multæ sunt rationes, per quas est demonstrabile principium mundi, & inter alias est nobis demonstrabile per numerum & per justitiam: quia si supremum Bonum æternaliter & sinè principio & fine operaretur in mundo, demonstraretur, quòd æternaliter crearet animas, & æternaliter judicaret in illis; & si hoc faceret, nulla illarum privaretur ipso esse, & multiplicaret illas infinitè; & si hoc faceret, numerus non esset species, quia nullo tempore essent duo ante tria, nec tria ante plura, nec unum vel plura essent finis speciei numeri; & si non essent, numerus non esset species: & quia est impossibile, quòd supremum Bonum non sit justum, & quòd numerus non sit species, idcirco est demonstratum, quòd mundus habeat principium, & quòd duo sint ante tria, & quòd unum vel plura sint post numerum, qui illa antecedit.

CAPUT XLIV.

De Donare.

1. DOnare & Donator & Donum & ille, qui Donum recipit, non sunt malum; quia si essent malum, non donare, non donum, & non recipere donum essent bonum; & si essent bonum, sequeretur, quòd, si supremum Bonum est aliquid, nec det, nec recipiat donum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd, si supremum Bonum est, in illo sit Donator & Donum & Receptor doni.

2. De necessitate convenit, quòd, quantò nobilius est donum, & ille, qui donum recipit, tantò nobilior sit donator; & quantò nobilior est donator, tantò nobilius est donum; & quantò nobilius est donum, tantò nobilior est ille, qui donum recipit: quia si hoc non esset, donum illi non esset utile; & quantò nobilior est ille, qui donum recipit, tantò nobilius est donum: quia si non esset, quinque sensus particulares rationalium non essent nobiliores, quàm irrationalium; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd, si supremum Bonum est aliquid, conveniat de necessitate, quòd in illo sint æqualiter nobiles donator & donum, & ille, qui donum recipit; quia si unus esset magis nobilis, conveniret, quòd esset supremum Bonum, & quòd alii essent inferius bonum; & supremum Bonum esset compositum de magis nobili & minùs nobili; & hoc est impossibile.

3. Veritas est, quòd magis nobilis donator, qui sit in compositis elementatis, sit homo; quia homo donat suam theoricam & suam practicam ad finem alicujus causæ finalis, sicut medicus ad sanitatem, & sapiens ad monstrandum sapientiam; & homo donat plantas & metalla & irrationalia, & unus homo donat hominem alteri homini: unde si aliquod compositorum elementatorum est supremus Donator & supremum Bonum, convenit, quòd sit homo: unde cùm homo non sit æternus, & sit corruptibilis, & in homine sit avaritia in potentia, & quia æternitas convenit cum supremo Bono, & supremus Donator convenit cum supremo Bono, idcirco est demonstrabile, quòd nec homo, nec ullum compositum elementatum possit esse supremum Bonum.

4. Veritas est, quòd quatuor elementa se donent unum alteri, componendo materiam primam, quæ se donat suis particularibus compositis, ad hoc, ut formæ, quibus est potentia, deveniant in actum; & totum hoc est donum naturale: unde si hoc donum

donum est supremum Donum, convenit, quòd natura, quæ hoc donum donat, & quæ est donum, & recipit donum, sit supremus Donator & supremus Receptor & supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si supremus Donator est aliquid, convenit, quòd donum, quod donat, non tollat alteri; & quia natura non potest dare, nec donat uni, nisi tollat alteri, idcirco est demonstrabile, quòd natura non sit supremum Bonum.

5. Sol donat lumen & calorem corporibus terrenis, & alii planetæ & signa donant compositis elementatis, sed non donant justitiam, sapientiam, charitatem; quia non sunt animata: nam si sol & alia corpora cœlestia essent animata, sicut sol donat lumen, daret sapientiam, & hoc, quod contineret de animalitate; quemadmodum homo sapiens, qui facit alium sapientem, per hoc, quia habet animalitatem: & quia sapientia & aliæ virtutes sunt magis nobile donum, quàm lumen & calor, idcirco est demonstrabile, quòd corpora cœlestia non donent supremum Donum, nec sint supremi Donatores, nec sint supremum Bonum.

6. Mundus in universali non donat, sicut homo, qui, in quantum est species, nihil donat; sed particularia mundi donant unum alteri: & quia donare & supremum Bonum & æternitas conveniunt, idcirco non convenit, quòd mundus, qui non donat, sit supremum Bonum, & quòd sit æternus.

7. Si esset veritas, quòd supremum Bonum, quod nos inquirimus, nihil esset, sequeretur, quòd homo esset supremum Bonum, in quantum est magis nobilis donator, quàm ullum aliorum particularium mundi: & quia homo non potest esse supremum Bonum, secundùm quòd suprà diximus, idcirco est demonstratum, quòd, si supremum Bonum, quod nos inquirimus, nihil est, homo sit & non sit supremum Bonum; & hoc est impossibile, quòd homo insimul sit supremum Bonum & inferius; quia homo non convenit cum æternitate, quæ est suprema Duratio, & non inferior, & quæ convenit cum supremo Bono, & non cum inferiori: & si homo esset supremum Bonum, & æternitas inferius, sequeretur, quòd supremum Bonum & minoritas & defectus convenirent, & inferius bonum, majoritas & perfectio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd, sicut filius non posset esse sinè patre, sic inferius bonum non posset esse inferius, nisi aliquid esset supremum Bonum: quia si supremum Bonum nihil esset, hoc, quod est inferius bonum, non haberet, respectu cujus esset inferius bonum; & quia inferius bonum est in esse, idcirco est demonstrabile supremum Bonum.

8. Cùm demonstraverimus, supremum Bonum esse, & quia convenit, in supremo Bono esse magis nobilem Donatorem & Donum & Receptorem doni, quàm in inferiori bono, secundùm quòd suprà diximus, idcirco convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sint diversa supposita, quæ habeant æqualem nobilitatem; sinè quibus in illo non posset esse æqualitas Donatoris, Doni & Receptoris, qui recipiat donum: quia si supremus Donator donaret minus donum se ipso, non donaret totum se ipsum; & si non daret totum se ipsum, ille, qui donum recipit, non esset æqualis supremo Bono; & si Donum, & ille, qui Donum recipit, non essent æquales in nobilitate supremo Donatori, supremum Bonum esset majus in Essentia, & minus in operatione; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd esset compositum de majoritate & minoritate, & de supremo Bono & inferiori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd de necessitate sequatur, quòd in supremo Bono sint æqualia supposita, sinè quibus in illo non posset esse æqualitas Donatoris, Doni, & illius, qui donum recipit (sic loquendo) „quia in hoc „loco practica sensualis non sufficit theori„cæ in vocabulis, secundùm quòd ulteriùs „in hoc Capite dabimus explanationem de „hoc, quod nunc impropriè dicimus.

9. Si tu dicis, quòd, quemadmodum supremum Bonum non potest facere æquale sibi ipsi, sic non possit donare æquale sibi ipsi, nec possit donare æquale donum sibi ipsi: verum dicis quoad unitatem essentiæ, sed quoad pluralitatem suppositorum non dicis verum; quia anima, quæ non habet nobilitatem essendi supremum Bonum, habet diversas potentias, & memoria & intellectus dant æquale velle voluntati, quando amat æqualiter objectum recolitum & intellectum in æquali quantitate volendi; & quia tres potentiæ non sunt anima, sed sunt potentiæ, idcirco donū, quod memoria & intellectus dant, non est voluntas, sed est velle,

quod memoria dat cum recolere, & intellectus cum intelligere, dante memoriâ recolere & intellectu intelligere voluntati, ad hoc, ut illi dent velle: & quia memoria non dat se ipsam, nec intellectus se ipsum voluntati, nec dant voluntatem; ideo donum est minus, quàm memoria, intellectus & voluntas; & ideo tres potentiæ non sufficiunt, ut sint una eadem essentia: sed in supremo Bono non est sic, quia donum, & ille, qui donum recipit, sunt una eadem res & unum & idem suppositum; & hoc est ideo, quia donator vel donatores & donum, hoc est, ille, qui donum recipit, sunt una Essentia, una eadem substantia, & unum supremum Bonum infinitum in donare & in dono & in recipere donum; & illi, qui donant illud, donant se ipsos totos: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non haberet nobilitatem, per quam posset esse superius bonum animâ & aliis particularibus mundi.

10. Si dicis, quòd supremum Bonum non donabat, antequam mundus esset; non est verum: quia particularia mundi donabant, quàm citò fuerunt; & si supremum Bonum non donaret æternaliter, non esset tam nobilis Donator in duratione æterna, sicut particularia mundi in duratione non æterna; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset demonstratum, quòd in duratione habente principium esset major nobilitas, quàm in duratione non habente principium; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, æternitas esset inferius bonum, & non æternitas supremum; & hoc non est verum.

11. Si tu dicis, quòd mundus sit æternus, & quòd supremum Bonum donet æternaliter mundo, & quòd non donet in se ipso alteri se ipsum; non est verum: quia si in supremo Bono non esset suppositum, quod daret alteri supposito, in illo non esset æqualitas ipsius donare & doni; & quia superiùs hoc probavimus, ideo est demonstratum, quòd hoc, quod dicis, non sit verum: & quia donum, quod est in supremo Bono, est magis nobile, quàm donum, quod supremum Bonum donat mundo, qui est inferius bonum, idcirco est demonstrabile, quòd conveniat, supremum Donum esse magis concordans cum æternitate, quàm inferius donum: per quam majorem concordantiam est demonstrabile, mundum esse creaturam.

CAPUT XLV.

De Servire.

1. SErvire est bonum; quia si esset malum, deservire esset bonum; & hoc est impossibile: unde cùm servire sit bonum, nos volumus inquirere supremum Bonum cum demonstratione, quam Servire de illo dat.

2. Demonstrabile est servitium, quod composita elementata faciunt homini, sicut vegetabilia & irrationalia & metalla, sicut arbores, herbæ & semina & aromata, quæ serviunt homini, & habent naturam & proprietatem serviendi homini; sicut arbores, quæ sunt convenientes arti lignariæ & ad faciendum ignem, & frumenta ad comedendum, & vinum ad bibendum, & aromata ad condiendum cibos, & herbæ ad sanandum, & linum ad vestiendum, & oleum ad illuminandum & comedendum.

3. Irrationalia habent naturam & proprietatem serviendi homini, sicut equus, qui est conveniens ad equitandum, & bos ad arandum, & asinus ad ferendum pondera, & vervex ad comedendum, & lana ad vestiendum, & canis ad venandum & ad custodiendum, & felis ad destruendum glires, & pinguedo serpentis ad sanandum, & venenum ad theriacam, & accipiter ad venandum, & gallina ad comedendum, & pluma ad jacendum, & pisces ad comedendum; & sic de aliis irrationalibus.

4. Metalla omnia serviunt homini, quia ferrum est conveniens ad ferrariam, & aratrum ad arandum, & ligo ad cavandum, & acus ad suendum, & gladius ad bellandum, & aurum & pretiosa ad thesaurizandum & ad bene esse, & sal ad saliendum, & lapides ad ædificandum, & sic de aliis metallis.

5. Corpora cœlestia serviunt homini, sicut sol, qui dat lumen & calorem, & luna habet operationem in plantis, ad hoc, ut sint convenientes ad serviendum homini; & sic de aliis corporibus cœlestibus; & per hoc, quod corpora cœlestia faciunt in terrenis. Elementa serviunt homini, sicut ignis per calefacere & per coquere cibos, aqua per bibere & lavare, & aër per respirare & audire & videre, & terra per habitare & seminare.

6. Cùm homini in suis necessitatibus omnia supradicta serviant, & cùm homo non serviat illis, idcirco demonstratur, quòd homo habeat majorem nobilitatem, quàm ullum supradictorum bonorum: unde si nulla

la supradictarum rerum est supremum Bonum, de necessitate convenit, quòd homo sit illud supremum Bonum; quia si non esset supremum Bonum, sequeretur, quòd minùs nobile esset supremum Bonum: & quia minùs nobile non potest esse supremum Bonum, & non est conveniens, quòd homo sit supremum Bonum, per hoc, quia habet multos defectus, qui non conveniunt cum æternitate, quæ convenit cum supremo Bono, idcirco est demonstrabile, quòd sit impossibile, quòd bonum, quod est in homine, & bonum, quod est illo inferius in nobilitate, possit esse supremum Bonum: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremũ Bonum: quia sicut homo habet sub se bona, & homo non potest esse supremum Bonum, sic convenit, quòd supra hominem sit aliqua nobilitas, quæ sit supremum Bonum, & quòd homini serviatur per bona, quæ sunt sub illo, ad hoc, ut ille serviat Bono, quod est supra illum; quod supremum Bonum convenit esse æternum; quia sinè æternitate non esset conveniens, illud esse supremum Bonum; & convenit, quòd habeat intelligentiam, quia sinè intelligentia non posset recipere servitium ab homine.

7. Certum est, quòd bona, quæ sunt sub homine in nobilitate, non serviunt speciei hominis, sed serviunt individuis speciei, nec homini serviunt species bonorum, quæ sunt sub illo, sed individua specierum; & quia quilibet homo est bonum in unitate & trinitate, & quia quodlibet individuorum, quæ sunt sub illo, illi serviunt, habentia unitatem & pluralitatem, idcirco est demonstrabile, quòd supremum Bonum sit in unitate & in pluralitate: & ad hoc, ut homo sit magis convenienter naturatus ad serviendum suo simili in unitate & pluralitate, convenit, quòd homo habeat unitatem & pluralitatem: & sicut homini magis convenienter servitur per bona, quæ sunt sub illo, per hoc, quia sunt in unitate & in pluralitate, quàm illi serviretur, si non essent in unitate & pluralitate, idcirco supremo Bono magis convenienter servitur, si homo habet unitatem & pluralitatem, & supremum Bonum similiter, quàm si homo haberet unitatem & pluralitatem, & supremum Bonũ non haberet unitatem & pluralitatem.

8. Manifestum est, quòd, quemadmodum homo non est dignus esse supremum Bonum, per hoc, quia illi servitur ab inferioribus bonis, eò quòd illi sunt necessaria, sic supremum Bonum sit dignum esse supremum Bonum, eò quòd non habet necessitatem inferiorum bonorum: quia si supremo Bono serviretur, & haberet necessaria illa servitia, demonstraretur, quòd illud esset necessarium alteri supremo Bono, & hoc ad infinitum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd supremo Bono non sit necessarium, ut illi serviatur, nisi per modum objecti, hoc est, ut sit amatum, cognitum, obeditum, laudatum & recolitum, & quòd homo speret de illo gratiam & benedictionem, & quòd ille, qui illud cognoscit & amat, illi gratias reddat, & quòd det laudem & cognitionem illius illis, qui illud non amant nec cognoscunt, nec gratias reddunt de bonis terrenis, quæ illis dat.

CAPUT XLVI.

De Culpa & Pœna.

1. CUm homo sit subjectus culpæ & pœnæ, & cùm nullum subjectum culpæ & pœnæ possit esse supremum Bonum, idcirco nos volumus inquirere supremum Bonum per demonstrationes, quas culpa & pœna dant homini de supremo Bono.

2. Veritas est, quòd in inferiori bono justitia & esse conveniant *duobus Modis: primus Modus* & nobilior est per hoc, quia justitia & esse sunt bona, quorum unum convenit alteri; quia si non convenirent, sequeretur, quòd injuria & non esse non convenirent; & hoc est impossibile: *secundus Modus* est, quòd justitia & esse conveniant contra culpam; quia si non convenirent, sequeretur, quòd in bonis inferioribus non esset convenientia inter justitiam & esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd esse & justitia conveniant cum pœna contra esse, quod habet culpam.

3. Notum est, quòd culpa & esse disconveniant; quia per culpam justitia convenit ad dandum pœnam, & per pœnam esse, quod habet culpam, convenit cum non esse; quia omnis pœna inclinat suum subjectum ad destructionem & ad non esse: & si omnis pœna destrueret subjectum culpæ, postquam subjectum esset destructum, justitia non haberet, in quo puniret culpam; & si esset sinè operatione, disconveniret cum esse; quia nulla res sinè aliqua operatione convenit cum esse: & si justitia non conveniret cum esse, conveniret cum privatione & cum non esse; & si conveniret, sequeretur, quòd

non

non esset superior culpâ & pœnâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremum Bonum, quod conservat subjectum culpæ, ad hoc, ut justitia habeat, in quo operetur; quæ conservatio non potest fieri per inferius bonum.

4. Si tu dicis, quòd culpa sit bonum, per hoc, quia per culpam justitia & esse & pœna conveniunt contra esse culpæ, sinè qua culpa non convenirent; non est verum: quia si in prima specie supradicta in inferiori bono justitia & esse conveniunt sinè culpa & pœna, quantò magis conveniunt in aliqua re, quæ sit supremum Bonum, quæ esset, antequam esset culpa & pœna: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd justitia & esse convenirent sinè culpa & pœna in homine, qui non convenit cum æternitate, & quòd non convenirent in aliqua re, quæ convenit cum æternitate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd nobilior essentia esset illa, quæ habet principium & finem, quàm illa, quæ non habet principium & finem; & hoc est impossibile.

5. Si tu dicis, quòd, quemadmodum culpa non est prior mundo, sic justitia non sit prior pœnâ; non est verum: quia si arbor convenit cum esse sinè culpa & pœna, benè sequitur, quòd justitia, quæ est nobilior, quàm arbor, conveniat cum esse sinè culpa & pœna; quia si non conveniret, arbor esset nobilior, quàm justitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia fuerit ante culpam & pœnam: per quam demonstrationem demonstratur suprema Operatio justitiæ, quæ æternaliter operatur in supremo Bono de justitia sinè culpa & pœna; quia si non posset operari sinè culpa & pœna, non haberet, cum quo esset superior inferiori bono.

6. Manifestum est, quòd, si culpa non esset prior pœnâ, misericordia non esset demonstrabilis; quia quàm citò foret culpa, tam citò foret pœna; & quia nos sumus certi, quòd multi homines sint culpabiles, qui non puniuntur, idcirco nobis est demonstrabilis misericordia: unde si supremum Bonum, quod nos inquirimus, nihil esset, misericordia non esset nisi in homine; & quia misericordia convenit cum supremo Bono, & homo non convenit cum æternitate, quæ convenit cum supremo Bono, idcirco est demonstrabilis suprema Misericordia, quæ est supremum Bonum, quæ non punit culpabilem, quàm citò habet culpam; & hoc facit, ad hoc, ut petat veniam, ut sit dignus recipere veniam, per quam veniam suprema Misericordia, quæ convenit cum esse æterno, deleat culpâ, quæ non convenit cum esse: & si hoc non esset ita, non esset, qui posset privare culpam, quæ conveniret cum esse, quia non posset privari, & suprema Misericordia non haberet esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd æternitas conveniret cum culpa, & non cum misericordia; & hoc est impossibile.

7. Si culpa esset prior pœnâ, ad hoc, ut judex haberet deliberationem judicandi pœnam secundùm culpam, esset demonstrabilis ignorantia in supremo Bono; & quia culpa est prior pœnâ, idcirco est demonstrabilis ignorantia in homine, qui, quamprimùm est culpa, non habet cognitionem de pœna, quæ convenit culpabili: unde si esset verum, quòd supremum Bonum nihil esset, homo esset supremum Bonum per justitiam, & æternitas esset inferius bonum per ignorantiam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile; per quam demonstrationem demonstratur, quòd ratio, quare culpa est ante pœnam, sit ad hoc, ut in bonis inferioribus homo habeat antè in theorica sapientiam, quàm in practica justitiam.

CAPUT XLVII.

De Libertate.

1. Libertas est bonum; quia si esset malum, sequeretur, quòd servitus esset bonum, & libertas esset odibilis, & servitus amabilis; & hoc est impossibile: unde cùm libertas sit bonum, idcirco nos inquirimus supremam Libertatem, quæ est supremum Bonum.

2. Veritas est, quòd homo habeat libertatem faciendi bonum & malum; & quia supremæ Libertati disconvenit electio faciendi malum, hoc est, peccatum, idcirco est demonstrabile, quòd libertas, quæ est in homine, non possit esse suprema Libertas: & si libertas, quæ est in homine, non potest esse suprema, nec homo potest esse supremum Bonum: & si homo, qui est magis nobilis, quàm ullum compositorum elementatorum, non potest esse supremum Bonũ, tunc nec composita, quæ sunt illo inferiora in nobilitate, possunt habere libertatem, per quam sint digna esse supremum Bonum.

3. In operatione naturali non est suprema Libertas; quia quamvis ignis de libertate naturali calefaciat aërem, & cum aëre calefaciat aquam, aqua calida coactè calefacit, quia calefacere est contra suam operationem naturalem; & hoc idem sequitur de igne, quia ignis hoc, quod facit in generando phlegmaticum, coactè facit, per hoc, quia generare phlegmaticum est contraria operatio ipsi generare cholericum; & quia in operatione nulla contrarietas est de libertate, idcirco natura multoties deficit in hoc, quod eligit; veluti facere sex digitos in manu, & privare oculos homini cæco, & destruere uredine fructus, & sic de aliis rebus similibus istis: & quia supremæ Electioni & Libertati non convenit passio nec defectus, idcirco demonstratur, quòd libertas, quam elementa habent in componendis vel dissolvendis compositis, non sit suprema Libertas: & si elementa non habent supremam Libertatem, nec prima materia ex illis composita potest illam habere.

4. Corpora cœlestia, quæ habent operationem in terrenis, non habent supremam Libertatem; quia homo habet majorem libertatem ad eligendum diversas operationes & ad operandum contra motum & cursum naturalem, quàm corpora cœlestia, quæ per cursum naturalem faciunt hoc, quod faciunt: unde si homo habet majorem libertatem, quàm corpora cœlestia, & homo non habet dignitatem essendi supremum Bonum, quantò minùs corpora cœlestia habent libertatem essendi supremum Bonum.

5. Mundus in generali non habet supremam Libertatem; quia sicut species non habet libertatem, nec habet electionem, sic mundus, in quantum est universalis, non habet libertatem; & si mundus, absque eo, quòd uteretur libertate & electione, esset supremum Bonum, sequeretur, quòd esset æternus, & quòd æternitas & suprema Libertas & Electio disconvenirent; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd electio & libertas disconvenirent cum magis nobili, & convenirent cum minùs nobili; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd melius convenirent irrationalibus, quàm rationalibus, & plantis, quàm irrationalibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd suprema Electio & Libertas conveniat cum æternitate, quæ est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

6. Cùm probaverimus & demonstravimus cum suprema Libertate, supremum Bonum esse, idcirco supremum Bonum demonstrat, quòd sua suprema Libertas liberè faciat in inferiori bono, quidquid vult, magis nobile vel minùs nobile vel æquale: quia si supremum Bonum semper faceret in inferiori bono æquale vel magis nobile vel minùs nobile, non haberet supremam Libertatem in operando & utendo inferiori bono: per quam imperfectam libertatem non haberet dignitatem essendi supremum Bonum; quia si eligeret in inferiori bono facere aliquam rem nobilem, & postea faceret aliam magis nobilem, & postea aliam magis nobilem, & quòd nunquam faceret minùs nobilem, vel si faceret unum nobile & alterum minùs nobile, & postquam fecisset minùs nobile, non faceret magis nobile, vel si faceret unum nobile & alterum illi æquale, & postea alterum illi æquale, & quòd nunquam faceret nisi res æquales, demonstraretur, quòd in illo non esset tam libera libertas, sicut in bonis inferioribus, in quibus natura & homo faciunt de libera voluntate unum nobile & alterum magis nobile, & unum nobile & alterum minùs nobile, & unum æquale & alterum æquale; & demonstraretur, quòd inferius bonum non esset possessum per supremum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis libertas, quam supremum Bonum habet in se ipso ad producenda æqualia in se ipso: quia si supremum Bonum haberet libertatem faciendi majus, minus & æquale in inferiori bono, & non haberet libertatem producendi aliqua in se ipso æqualia, vel si haberet libertatem producendi in se ipso aliquid magis nobile, quàm aliud, demonstraretur, quòd sua libertas esset imperfecta; per quam imperfectionem non esset digna esse suprema; sinè qua supremitate supremum Bonum non esset dignum esse supremum Bonum.

CAPUT XLVIII.

De Esse & non Esse.

1. *Tam alta & excellens est suprema Bonitas, quòd non solùm sit demonstrabilis cum Esse, sed etiam sit demonstrabilis cum non Esse; & idcirco nos inquirimus supremum Bonum cum Esse & cum non Esse, ad demonstrandum diversum modum, quem quælibet res habet ad demonstrandum supremum Bonum.*

2. Si esset veritas, quòd supremum Bonum, quod nos inquirimus, nihil esset, de necessitate sequeretur, quòd per æternitatem de perfectione esset plus in esse, quàm de defectu, & per privationem supremi Boni de defectu esset plus in esse, quàm de perfectione.

3. Ratio, quare est demonstrabile, quòd

per æternitatem plus perfectionis esset in esse, quàm defectûs, est per hoc, quia æternitas est plus, quàm omnis defectus, qui est in esse; quia omnis defectus, qui est, convenit cum minoritate, & habet principium & finem, & habet quantitatem; & æternitas convenit cum majoritate & cum infinito & cum perfectione, & non habet quantitatem nec defectum: unde quantùm infinitum convenit cum majoritate, & finitum cum minoritate, tantò plus perfectionis est in esse per æternitatem, quàm defectûs per non æternitatem.

4. Hoc, per quod est demonstrabile, quòd, si supremum Bonum nihil esset, plus defectûs esset in esse, quàm perfectionis, est per hoc, quia cameræ Figuræ, quæ est in principio hujus Libri, essent finitæ: unde si quælibet privaretur infinitate, plus defectûs esset in esse, quàm perfectionis; quia non esset infinita bonitas, magnitudo, nec esset infinita potestas &c. Unde cùm sit impossibile, quòd esse possit continere insimul plus de perfectione, quàm de defectu, & plus de defectu, quàm de perfectione, idcirco est demonstrabile, quòd supremum Bonum, quod nos inquirimus, sit, quod est æternaliter; & si est, convenit, quòd sit infinitum in bonitate, magnitudine &c., ad demonstrandum, quòd per esse illius supremi Boni sequatur, quòd plus perfectionis sit per omnem modum in esse, quàm defectûs; quæ demonstratio non esset, si supremum Bonum non esset infinitum in bonitate, magnitudine &c.

5. Si esset verum, quòd perfectio & defectus essent insimul æterni, sequeretur, quòd essent duo principia, unum bonum & alterum malum, & ambo essent suprema; unum esset supremum omni bono, & alterum omni malo; sed unum principium non esset superius altero per æternitatem; & hoc est impossibile: quia quemadmodum supremum Bonum per nobilitatem esset superius omni alteri bono, sic per nobilitatem æternitatis demonstratur, quòd conveniat, supremum Bonum esse superius omni malo: & si hoc non esset ita, vel esset contrarium, demonstraretur, quòd æternitas non conveniret cum majori nobilitate, quàm non æternitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd æternitas conveniat cum supremo Bono, & quòd non conveniat cum supremo malo.

6. Si in æternitate esset æqualiter perfectio & defectus, sequeretur, quòd perfectio æternaliter esset contra defectum, & defectus contra perfectionem; & si hoc esset ita, sequeretur, quòd perfectio adduceret esse de non esse, & quòd defectus inclinaret esse ad non esse, & hoc æqualiter: quia si una operatio esset major, quàm altera, majus operans esset superius altero: unde cùm esse & perfectio conveniant cum majoritate in hoc, quòd perfectio conservat esse, & de non esse facit devenire esse, & cùm non esse & defectus conveniant cum minoritate in hoc, quòd sunt contra esse & perfectionem, idcirco est demonstrabile, quòd in æternitate defectus non sit sinè principio: per quam demonstrationem demonstratur, quòd esse perfectum conveniat cum æternitate sinè principio; quod perfectum esse est supremum Bonum, quod nos inquirimus.

7. Notum est, quòd in generali generatio & corruptio possint habere unum & idem subjectum, velut in uno vulnere corporis vulnerati, in quo generatur sanitas, & in altero corrumpitur; vel sicut in specie, in qua aliqua suorum individuorum sunt subjecta generationi, & alia corruptioni; sed in speciali in nullo subjecto potest esse eodem tempore generatio & corruptio; quia si esset, sequeretur, quòd generatio & corruptio non essent contraria; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd, si in subjecto, quod non est æternum, non possint capi duo contraria, quantò minùs esse & non esse, perfectio & defectus possunt capi insimul in æternitate. Et si tu dicis, quòd in æternitate possint capi per hoc, quia æternitas est major, quàm subjectum finitum, in quo generatio & corruptio non possunt capi eodem tempore; non est verum: quia quemadmodum in subjecto finito per modum minoris nobilitatis generatio & corruptio non possunt capi in uno tempore, sic in æternitate per modum majoris nobilitatis non potest capi defectus cum perfectione; quia si posset capi, æternitas haberet minorem nobilitatem, quàm minus subjectum non æternum, in quo defectus non capitur cum perfectione, nec perfectio cum defectu.

CAPUT XLIX.

De Contrarietate.

1. COntrarium convenit cum minoritate, & concordans cum majoritate; & si hujus esset contrarium, sequeretur, quòd contrarietas esset superior concordantiâ: & si concordantia esset inferior contrario in nobilitate, sequeretur, quòd contrarium & esse cõvenirent, &

& concordantia & non esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si supremum Bonum est aliquid, de necessitate conveniat, quòd habeat in se concordantiam; quia sinè concordantia non haberet, cum quo esset superius contrarietate.

2. Veritas est, quòd subjectum generationis & corruptionis sit subjectum contrarietati, cum qua esse & privatio contrariantur; quia si non contrariarentur, generatio & corruptio non haberent subjectum, in quo contrariarentur: unde cùm majus contrarium corruptionis sit generatio, & majus contrarium ipsius esse sit privatio, idcirco demonstratur, quòd, si supremum Bonum est aliquid, de necessitate conveniat, quòd habeat in se generationem; sinè qua non esset demonstrabile cum suprema demonstratione, quòd in illo non sit corruptio nec privatio: & si cum suprema demonstratione non esset demonstrabile, non esset dignum esse supremum Bonum.

3. Si tu dicis, quòd, quemadmodum in firmamento non est necessaria generatio, ad hoc, ut ibi non sit corruptio, sic in supremo Bono non sit necessaria generatio, ad hoc, ut in illo non sit corruptio; non dicis verum: quia magìs impossibile est, quòd corruptio possit esse in hoc, in quo æternaliter est generatio, quàm in hoc, in quo non est generatio; quia in quantum in illo non est generatio, non demonstratur, quòd in illo non possit esse corruptio & privatio: unde cùm in compositis, quæ non possunt esse supremum Bonũ, sit demonstrata corruptio & privatio, per hoc, quia generatio, quæ est in illis, non est æterna, & quia incorruptio & privatio nõ tam fortiter est negata in corporibus cœlestibus, in quibus non est generatio, sicut in aliqua re æterna, in qua sit æternaliter generatio, idcirco est demonstrabile, quòd illa res, in qua est æterna generatio, sit altior in nobilitate, quàm firmamentũ & composita elementata; & illa res est supremum Bonum, quod nos inquirimus: quia si bonũ, in quo non tantum negatur corruptio & privatio, est in esse, quantò magìs bonum, in quo plùs negatur corruptio & privatio, est in esse; quia si non esset in esse, sequeretur, quòd hoc, quod est propinquum ipsi non esse, esset, & hoc, quod est remotum à non esse, non esset; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile.

4. Notum est, quòd per hoc, quia in essentia, quæ non est æterna, esse & non esse sunt contraria, demonstretur, quòd in Essentia æterna esse & non esse non sint contraria; quia si essent, sequeretur, quòd æternitas esset subjecta ipsi esse & non esse æternaliter: & quia esse & æternitas conveniunt, & cùm non esse non possit esse contrarium ipsi esse sinè principio & fine, idcirco demonstratur, quòd non esse nihil sit in æternitate, nec habeat, cum quo contrarietur ipsi esse æterno, & quòd esse contrariatum per non esse sit contrariatum per non esse cum medio, hoc est, cum suo principio & fine: unde cùm nullum esse habens pincipium & finem possit esse supremum Bonum, & quia non esse non potest contrariari ipsi esse æterno, idcirco demonstratur, quòd esse æternum, quod non est contrariatum per non esse, sit supremum Bonum, quod nos inquirimus, quod non habet contrarium, quod illi inhibeat aut tollat infinitam bonitatem, magnitudinem &c. Unde cùm hoc ita sit, idcirco demonstratur, quòd, sicut esse & æternitas conveniunt sinè contrario, sic esse & æternitas & infinita bonitas, magnitudo &c. conveniant sinè privatione; quia si non convenirent, sequeretur, quòd privatio æternaliter contrariaretur Essentiæ æternæ; & hoc est impossibile, ût suprà probavimus: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile.

5. Manifestum est, quòd perfectio & defectus sint contrarii; unde si supremum Bonum, quod nos inquirimus, est aliquid, de necessitate convenit, quòd sit in aliqua Essentia, in qua perfectio & defectus non sint contrarii; quia si essent contrarii, Essentia suprema non haberet nobilitatem nec virtutem, per quam esset superior essentiæ inferiori, quæ est subjecta contrarietati perfectionis & defectûs, qui in illa contrariantur: & quia esse, majoritas & perfectio conveniunt, non esse verò, minoritas & defectus, & quia esse & perfectio conveniunt in inferioribus bonis, in quibus non esse & defectus conveniunt, de necessitate convenit, quòd sit aliqua Essentia, in qua esse & perfectio conveniant, & in qua non esse & defectus non sint, nec conveniant: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esse & perfectio non convenirent cum majoritate sinè non esse & defectu & minoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd nulla res conveniret cum altera sinè suo contrario; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile.

6. Veritas est, quòd in genere & in specie esse & perfectio non conveniant nec

contrarientur cum non esse & defectu, & è converso; quia si hoc facerent, conveniret de necessitate, quòd in genere & in specie essent aliquæ vel aliqua operatio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis suprema Operatio & suprema Fruitio, in qua esse & perfectio conveniunt sinè non esse & defectu; quia si esse & perfectio non possunt convenire in generibus, nec in speciebus, nec in individuis specierum absque eo, quòd conveniant cum non esse & defectu, tunc de necessitate convenit, esse aliquam tam altam & tam excellentem Essentiam, in qua esse & perfectio conveniant sinè non esse & defectu; quia si non convenirent, sequeretur, quòd æternitas non haberet in se convenientiam sinè non esse & defectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum est demonstrabile humano intellectui.

CAPUT L.

De Amante, Amore & Amato.

1. AMans & Amor conveniunt cum majoritate, & Amatus, qui non sit amans, convenit cum minoritate; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd amor non conveniret cum majoritate, nec odium cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd amatus, qui non est amans, non possit esse supremum Bonum.

2. Certificati sumus, quòd amor sit unum de universalibus mundi, & amantes sint particularia amoris; quia amores, qui sunt in particularibus, sunt individua amoris: unde cùm amor sit universalis, & amores sint in amantibus, qui sunt particulares, idcirco demonstratur, quòd amor, qui est universalis, & amantes & amores, qui sunt in illis, non sufficiant esse supremum Bonum; quia si essent supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum esset compositum de universali & de particularibus & de individuis universalis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd mundus & sua universalia & sua particularia non possint esse supremum Bonum; quia si possent esse supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum posset esse sinè amore, amante & amato; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd amor & amans & amatus convenirent cum minoritate, & illorum contrarium cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd sit aliqua alia res, quæ non sit mundus, nec sua universalia, nec sua particularia, in qua sit amor, amans & amatus, & illa res est supremum gloriosum Bonum, quod nos inquirimus.

3. Quemadmodum species non est amans, & non convenit, supremum Bonum esse supremum Bonum, nisi sit amans, sic non convenit, supremum Bonum esse supremum Bonum, nisi sit insimul amor & amans & amatus, & quòd amatus sit amor & amans, & amor sit amans & amatus, & amans sit amor & amatus, & quòd in illis non sit confusa concordantia & differentia amoris, amantis & amati: & si hoc non esset ita, supremum Bonum non haberet, cum quo esset superius bonũ inferiori bono, in quo est amor, amans & amatus, qui amatus est amans, quamvis non sit amor; & cùm in inferiori bono nulla essentia possit esse amor, quæ sit amans & amata, convenit, quòd hoc, quod est supremum Bonum inferiori bono, sit amor, qui sit Essentia amans & amata, quæ amata sit amatrix.

4. Si in supremo Bono non esset differentia amantis & amati amantis, sequeretur, quòd amor esset superior in inferiori bono, & quòd esset inferior in supremo Bono; quia major amor est in homine, qui amet se ipsum & alterum sibi æqualem, & sit amatus per illum, quem amat, qui amet se ipsum, quàm esset in supremo Bono, si supremum Bonum amaret se ipsum, absque eo, quòd haberet in se ipso amantem, qui amaret se ipsum & æqualem sibi ipsi, & esset amatus per æqualem sibi ipsi amantem se ipsum, & insimul amor esset unum supremum Bonum: & quia est impossibile, quòd amor sit superior in inferiori bono, & inferior in supremo Bono, ideo est demonstrabile, quòd, si amor non potest esse supremus in homine, necessariò cõveniat, quòd sit supremus in aliqua alia re; quia si non esset, homo posset esse supremum Bonum: & quia homo non habet possibilitatem essendi supremum Bonum, idcirco est demonstrabile supremum Bonum in altera Essentia, in qua est magis nobilis amor & amans & amatus amans, quàm in homine.

Perfectus & completus est secundus Liber per gratiam & per auxilium supremi Boni, quod est perfectio & complementum omnium inferiorum bonorum; quod supremũ Bonum inquisivimus & invenimus per Rationes necessarias: per quam inquisitionem & inventionem intellectus potest elevari ad recipiendũ necessarias Demonstrationes de supremo Opere, per quod est demonstrabilis gloriosa sancta suprema Trinitas divina.

INCI-

INCIPIT
TERTIUS LIBER

In quo probatur per necessarias Rationes, quòd in DEO sit Trinitas.

DEUS supreme omnibus bonis, à quo descendunt omnes perfectiones; quidam homo miser, in quo sunt multi defectus, vult Domine scribere *Tertium Librum*, & idcirco offert tibi suum intellectum, ad hoc, ut illum instruas & illumines tali lumine, per quod videat & possit scribere Demonstrationes necessarias, quibus tua glorioſa Trinitas significatur & demonstratur.

DE *PROLOGO.*

SI DEO placeret, tempus & hora esset, quo per necessarias Demonstrationes haberemus cognitionem de sancta Trinitate, quæ est in nostro Domino DEO; quia venit tempus, in quo humanus intellectus est multùm altè elevatus per illuminationem Fidei & sacræ Scripturæ & Philosophiæ; & voluntas vult, quòd intellectus altiùs ascendat, ad hoc, ut illa sit magis fervens & magis acceptabilis supremo Bono, & ut redeat fervor & devotio Apostolorum & Martyrum, ad hoc, ut sancti Homines, qui modò sunt, & qui erunt, dent cognitionem sanctæ Trinitatis Infidelibus, qui illam non credunt & ignorant. Unde si natura, quæ est creatura, exaltat formam supra materiam usque ad causam finalem, ad hoc, ut per finem species conservetur, si pio Creatori placeret, hora & tempus esset, quo sua sancta pia Trinitas se inclinaret ad sanctos homines, & se permitteret intelligi per necessarias Demonstrationes, ad hoc, ut sancta Ecclesia inde meliùs fortificetur contra errorem infidelium, qui exaltantur in destructionem illius, & ad hoc, ut homo, dum est tempus, cum multùm magna charitate possit inducere ad veram semitam Infideles, qui non cessant descendere ad infinitas pœnas, per hoc, quia non amant nec intelligunt sanctam supremam Trinitatem.

Opus Bonitas	*Opus Magnitudo*	*Opus Æternitas*
Opus Potestas	*Opus Sapientia*	*Opus Amor*
Opus Virtus	*Opus Veritas*	*Opus Gloria*
Opus Perfectio	*Opus Simplicitas*	*Opus Libertas*

Sunt *sex Conditiones* hujus Libri.

Prima Conditio est, quòd secundùm Regulam & Artem, secundùm quam inquisivimus supremum Bonum, inquiramus supremum Opus; quia quemadmodum per cognitionem, quam habemus de supremo Bono, habemus cognitionem de uno Deo, sic per cognitionem, quam homo habet de supremo Opere, habet cognitionem de suprema Trinitate.

Secunda Conditio est, „ne nos impedi„amus ad inquirendum sanctam Trinita„tem per improprietates vocabulorum, cùm „homo non possit loqui de DEO sinè im-

„proprietatibus vocabulorum; quia si ho-
„mo sinè improprietatibus verborum de
„DEO posset loqui, sequeretur, quòd Deus
„non esset superior verbis.

Tertia Conditio est, quòd homo intelligat in supremo Opere omnes cameras hujus Figuræ, sinè quibus non posset esse supremum Opus; sinè quo supremo Opere supremum Bonum non esset hoc, quod est.

Quarta Conditio est, quòd magis nobilem Operationem, quam homo possit intelligere, attribuat supremo Bono.

Quinta Conditio est, quòd, quemadmodum in secundo Libro sumus certificati de supremo Bono cum Æternitate, sic in hoc tertio Libro simus certificati de supremo Opere per infinitam Magnitudinem: quia sicut cum supremo Bono convenit Æternitas, sic cum supremo Opere convenit infinita Magnitudo.

Sexta Conditio est, quòd intelligamus, quòd supremum Opus sit altius, quàm noster intellectus, & quòd intellectus per hoc, quod intelligit de supremo Opere, habeat complementum ad intelligendum de supremo Opere per Rationes necessarias: quia si supremum Opus non esset altius, quàm intellectus, & se non posset demonstrare intellectui per necessarias Demonstrationes, non esset supremum Opus.

CAPUT I.
De Opere Bonitatis.

1. SUpremum Bonum vel habet Opus in se ipso vel non? (veruntamen dicimus, quòd supremum Opus sit diversum ab inferiori opere; quia si non esset diversum, non esset supremum Opus) unde si in supremo Bono non est Opus, convenit de necessitate, quòd hoc, quod est supremum Opus, sit opus, quod supremum Bonum habet in creaturis; & si supremum Opus esset opus, quod supremum Bonum habet in creando creaturas, & in faciendo in creaturis, sequeretur, quòd supremum Opus nihil esset, antequam essent creaturæ: & si hoc esset, sequeretur, quòd in supremo Bono non esset operatio æterna; & hoc est impossibile: quia Operatio æterna & majoritas conveniunt, & operatio habens principium & minoritas conveniunt: & quia majus opus convenit cum supremo Bono, & minus cum inferiori, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono sit Operatio æterna: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum haberet majus bonum in se ipso per opus, quod non esset in se ipso, quàm per opus, quod esset in se ipso; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd operatio boni non esset bonum, & quòd operatio mali non esset malum; & hoc est impossibile.

2. Intellectus intelligit, quòd magis altum & magis nobile & majus sit Opus, quod cum operante & operato est una Essentia, quàm opus, quod non potest esse una Essentia cum operante & operato: unde si in supremo Bono non est Opus, quod sit una Essentia cum operante & operato, & in inferiori bono non est opus, quod sit una essentia cum operante & operato, tunc supremum Opus nihil est; quia si esset, conveniret, quòd illa res, quæ esset supremum Opus, esset una & eadem Essentia cum operante & operato. Unde cùm inferius bonum non sit sinè inferiori opere, de necessitate convenit, quòd supremum Bonum non sit sinè supremo Opere; quia si esset, sequeretur, quòd per privationem supremi Operis esset sub inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit supremum Opus.

3. Et si tu dicis, quòd in composito naturali sit causa efficiens & materia & forma, & quòd insimul sint unum compositum, quod est opus; non est verum: quia si esset verum, sequeretur, quòd compositum esset natura; & hoc est impossibile. Et si dicis, quòd mundus sit una essentia, quæ est unita de opere & operante & operato, qui sunt in mundo; non est verum: quia multa sunt opera, & multi sunt efficientes & operata, quæ sunt in mundo, & quæ sunt per se ipsa essentiæ; & si essent cum mundo una essentia, non haberent quantitatem discretam, & mundus esset essentia habens quantitatem continuam, & esset sic unitus de suis particularibus, sicut corpus hominis est unitum de sua carne & suis ossibus; & hoc est impossibile.

4. Veritas est, quòd in compositis forma sit bonum, & materia sit bonum, & conjunctio, quæ exit à forma & materia sit bonum, & compositum sit bonum, quod est unitum de forma & materia & conjunctione; & ideo demonstratur, quòd forma habeat tres species boni in operatione, per quam

quam corpus est compositum, & alias tres habet materia, & alias tres habet conjunctio, & alias tres habet compositum; quia compositum est bonum, & habet tria bona, quæ sunt materia, forma & conjunctio. Unde si in inferiori bono est bonum opus per conjunctionem diversorum bonorum, quantò magis convenit, in supremo Bono esse bonum opus per conjunctionem diversorum bonorum (Glossa Dis. *nota secundam Conditionem in Prologo præmissam per totum hunc Librum, ne offendaris impropriis vocabulis, qualia sunt in Divinis conjunctio & facere, & plura similia, sinè quibus de Deo non possumus loqui*) quia si non esset, sequeretur, quòd inferiùs bonum haberet magis nobile opus in se ipso, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sint diversa bona, quæ sunt unum supremum Opus, à quo descendunt & veniunt omnia bona opera, quæ sunt in inferiori bono, ad demonstrandum, quòd inferior operatio veniat à suprema, ad hoc, ut suprema sit demonstrabilis in inferiori: quia quemadmodum disconvenit, quòd inferius bonum non veniat à supremo Bono, sic disconvenit, quòd inferius opus non veniat à supremo Opere. Unde si disconvenit, quòd inferius opus non veniat à supremo, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit supremum Opus; quia si non esset, sequeretur, quòd inconveniens esset, quòd inferius opus veniret à supremo Opere, & quòd inferius bonum veniret à supremo Bono; & hoc est impossibile.

5. Notum est, quòd anima, quæ intelligit, aliquid faciat; quia si nihil faceret, nihil intelligeret: unde si supremum Bonum intelligit, convenit, quòd aliquid faciat; quia si nihil faceret, nihil intelligeret; & si nihil intelligeret, non esset supremum Bonum: & si supremum Bonum nihil faceret, antequam mundus esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non intelligeret & amaret se ipsum; & si se ipsum intellexit & amavit, antequam mundus esset, convenit, quòd aliquid fecerit; & si aliquid fecit, de necessitate convenit, quòd habuerit in se ipso aliquod opus; quia sinè opere est impossibile quidquam fieri.

6. Veritas est, quòd memoria recolens se ipsam faciat intelligere in intellectu, quamvis non faciat intellectum: & quia operatio, quam memoria facit in intellectu, est inferius opus, convenit, quòd supremum Opus, quod est in supremo Bono, sit magis altum & majus, quàm opus memoriæ: unde cùm opus memoriæ esset majus, si faceret intellectum & intelligere, & est minus, cùm non faciat nisi intelligere tantùm, idcirco demonstratur, quòd in supremo Opere sit aliquis intellectus, qui intelligendo se ipsum facit intellectum, & facit in illo intelligere: & si hoc non esset ita, supremum Opus non haberet virtutem & nobilitatem, per quam esset superius opere animæ.

7. Si memoria, quæ est in inferiori bono, recolens se ipsam, intelligeret, haberet magis nobile opus in suo recolere, quàm habeat, quando recolit, & non intelligit; quia intellectus est ille, qui intelligit: & ratio, quare memoria recolens se ipsam non potest intelligere se ipsam & alterum insimul, est per hoc, quia non facit intellectum: unde si in supremo Bono est nobilius & majus opus, quàm in memoria, de necessitate convenit, quòd opus, quod esset majus & nobilius in memoria, sit in supremo Bono; quia si non esset, Opus supremi Boni non esset supra memoriam, nec haberet perfectionem.

8. Memoria recolens se ipsam non recolit alterum, & intellectus intelligens se ipsum non intelligit alterum, & voluntas amans se ipsam non amat alterum: unde cùm majus opus esset, si memoria recolens se ipsam recoleret alterum, & intellectus intelligens se ipsum intelligeret alterum, & voluntas amans se ipsam amaret alterum, idcirco demonstratur, quòd conveniat, opus, per quod tres potentiæ animæ haberent majus opus, esse in supremo Opere: & si convenit, illud opus in illo esse, sequitur, quòd in supremo Bono sint diversa bona, & quòd quodlibet intelligat se ipsum & alterum, & amet se ipsum & alterum; quod alterum intellectum & amatum non posset esse ibi sinè differentia suppositorum.

9. Si dicis, quòd supremum Bonum intelligens se ipsum intelligat alterum, hoc est, creaturam; verum dicis: sed majus & nobilius opus est, si intelligens se ipsum intelligit alterum in se ipso sibi ipsi æqualem in nobilitate, & intelligit creaturam, quàm esset, si intelligeret se ipsum & creaturam tantùm: quia nobilius opus esset in anima, si intelligens se ipsam intelligeret in se ipsa alterum,

alterum, hoc est, memoriam, & intelligeret omnes creaturas, quàm esset, si intelligeret se ipsam & alteram animam, & non intelligeret alterum in se ipso: & quia opus, per quod anima esset magis nobilis, convenit esse in suprema Bonitate, de necessitate convenit, quòd suprema Essentia intelligens se ipsam intelligat in se ipsa alterum & alterum, hoc est, existentias, & quòd intelligat omnes creaturas, & quòd quælibet existentia intelligat supremam Essentiam & se ipsam & alias existentias & omnes creaturas: & hoc opus intellectûs est supremum Opus, quod nos inquirimus, quod est suprema gloriosa Trinitas, quam nos inquirimus.

10. Manifestum est, quòd melius opus sit in bono, quod facit alterum bonum, quàm esset in bono, quod faceret se ipsum: & si melius opus esset in bono, quod faceret se ipsum, quàm in bono, quod facit alterum bonum, esset aliquod bonum in esse, quod faceret se ipsum: & cùm nullum bonum sit in esse, quod faciat se ipsum, & cùm multa bona sint, quæ faciant alia bona, idcirco est demonstratum, quòd melius opus sit in supremo Bono, si unum bonum in illo faciat alterum, quàm esset, si supremum Bonum faceret se ipsum, vel si unum bonum in illo non faceret alterum bonum; quia si supremum Bonum faceret se ipsum, suum opus non esset superius inferiori bono, quod facit alterum bonum: & si in supremo Bono unum bonum non faceret alterum bonum, inferius bonum haberet majus & nobilius opus, in quantum unum bonum in illo facit alterum bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono unum bonum faciat alterum bonum.

11. Veritas est, quòd in opere substantiarum sensualium & intellectualium meliùs conveniat numerus unius & trium, quàm ullus alius numerus; quia natura facit unum compositum de tribus rebus, scilicet materiâ, formâ & conjunctione, & anima est tria, materia, forma & conjunctio, & animal est tria, anima, corpus & conjunctio, & mundus est unus & est tria, sensualitas, intellectualitas & animalitas, & artifex, qui facit opus artificiale, conjungit tria, quæ sunt forma artificialis, hoc est, materia & forma, & conjunctio, cum qua illa conjungit: unde si opus, quod est in supremo Bono, esset de pluribus vel paucioribus, quàm de uno, & de tribus, esset minus opus, quàm inferior operatio: quia, sicut inferior operatio esset minor, si esset de paucioribus, quàm tribus, vel si esset de pluribus, quàm tribus, sic suprema Operatio non esset suprema, nisi esset magis conveniens, quàm inferior, in numero, per quem inferior operatio habet suam proportionem, convenientiam & ordinationem: unde cùm hoc ita sit, per demonstrationem, quam habemus de supremo Opere, est demonstrata sancta Trinitas, quæ est in supremo Bono.

CAPUT II.

De Opere Magnitudinis.

1. DE necessitate convenit, quòd, si in supremo Bono est Opus, supremum Bonum & suum Opus conveniant in æquali Magnitudine; quia si non convenirent, sequeretur, quòd supremum Bonum vel esset superius suo opere, vel quòd suum opus esset superius supremo Bono: unde cùm hoc sit impossibile, idcirco demonstratur, quòd, si in supremo Bono est opus, supremum Bonum & suum Opus habeant æqualem Magnitudinem.

2. Si in supremo Bono est opus, convenit, quòd illud sit majus & altius in nobilitate, quàm ullum opus: & si opus, quod supremum Bonum habet in inferiori bono, est supremum Opus, sequitur, quòd supremum Bonum non possit habere supremum Opus sinè inferiori bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd inferius bonum esset causa & materia, quòd supremum Bonum esset de nobiliori statu & de nobiliori potestate, sapientia & aliis cameris Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit operatio, quæ est major & nobilior, quàm operatio, quam supremum Bonum habet in inferiori bono: unde cùm hoc ita sit, idcirco est demonstrabilis sancta Trinitas, quæ est supremum Opus.

3. Veritas est, quòd majus opus in duratione sit opus, quod corpora cœlestia faciunt in terrenis, & opus, quod elementa simplicia faciunt in compositis, quàm sit opus, quod anima Sortis facit in speculativa & in practica; sed anima Sortis habet nobilius opus, quàm habeant corpora cœlestia

læstia & elementa; quia nobilius opus est credere, sperare, amare, judicare, monstrare, fortificare, temperare, quàm sit hoc, quod corpora cœlestia & terrena faciunt: unde cùm corpora cœlestia & terrena & anima sint inferiora bona, convenit de necessitate, quòd supremum Bonum habeat majus & nobilius opus, quàm inferius bonum; & si habet majus & nobilius opus, quàm inferius bonum, convenit, quòd, si supremum Bonum habet bonitatem, habeat bonificare, & si habet magnitudinem, habeat magnificare, & si habet æternitatem, habeat æternificare, & si habet potestatem, habeat possificare, & si habet sapientiam, habeat sapientificare, & si habet amorem, habeat amare, & si habet virtutem, habeat virtuificare, & si habet veritatem, habeat verificare, & si habet gloriam, habeat glorificare, & si habet perfectionem, habeat perficere, & si habet simplicitatem, habeat simplificare, & si habet libertatem, habeat liberificare &c.; & si hoc non haberet, non esset superius bonum animâ, quæ habet fidem & credere, & habet spem & sperare, & habet charitatem & amare, & habet justitiam & judicare &c.: unde cùm sit impossibile, quòd anima non sit inferius bonum superiori Bono, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit hoc, quod suprà dictum est; & si hoc est, de necessitate convenit, quòd in illo sit Trinitas Personarum, in quibus sit bonificare, magnificare &c.; quia sinè Personis & sinè numero trium Personarum, quæ sint una Essentia, non posset esse tam magnum & tam nobile opus, sicut est opus bonificandi, magnificandi &c.; & quòd hoc sit verum, demonstratur per composita, quæ conveniunt cum uno & tribus, in quantum sunt materia, forma & conjunctio.

4. Notum est, quòd artifex habeat majorem & nobiliorem intentionem in faciendo navem, quàm in faciendo barcam, & natura habeat majorem & nobiliorem intentionem in conservando speciem hominis, quàm equi: unde si in supremo Bono non esset opus, sequeretur, quòd sua intentio esset finita in intentionare, & quòd sua intentio esset infinita in hoc, quòd supremum Bonum est infinitum, & sua intentio & illud sunt unum & idem: unde cùm in supremo Bono intentio & intentionare conveniant in magnitudine infinita, convenit de necessitate, quòd supremum Bonum habeat intentionem, quæ habeat intentionem generandi infinitum in bonitate, magnitudine æterna &c.; & cùm hoc ita sit, idcirco per hoc est demonstrabilis sancta Trinitas, sinè qua intentio non haberet intentionare infinitum in bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile: quia si materia est idem cum sua intentione, quam habet in conservando species, & si intentio est idem cum anima, quantò magis convenit, quòd intentio & intentionare sint unum & idem cum supremo Bono; cum quo non essent idem, si supremum Bonum esset infinitum, & sua intentio & suum intentionare haberent finem; & si haberent finem, vel si in supremo Bono non esset intentio, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset superius bonum materiâ & animâ per intentionem, quæ est bonum; & hoc est impossibile.

5. Si tu dicis, quòd, sicut navis est majus opus, quàm barca, per hoc, quia est de majoribus & pluribus lignis, quàm barca, sic opus supremi Boni esset majus, si esset de infinitis suppositis in numero, & si quodlibet suppositum infinitum faceret infinita suppositа infinita in Essentia & in numero; non est verum: quia sicut omnia ligna navis habent formam & convenientiam, quòd sint una forma navis, sic convenit, quòd suppositа, quæ sunt in supremo Bono, sint infinita in Essentia, & quòd sint finita in numero; quia si essent finita in essentia, essent una essentia finita; & si essent infinita in numero, impossibile esset, quòd possent esse una essentia; & si non essent una essentia, non esset unum supremum Bonum infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c.; & quia supremum Bonum est, convenit, quòd non sint infinita suppositа in numero.

6. Sicut magnitudo infinita convenit cum opere infinito, sic magnitudo finita convenit cum opere finito; & si magnitudo infinita disconveniret cum opere infinito, sequeretur, quòd magnitudo finita disconveniret cum opere finito; & si disconveniret cum opere finito, possibile esset, quòd conveniret cum opere infinito: & cùm sit impossibile, quòd magnitudini finitæ conveniat operari opus infinitum, idcirco demonstratur, quòd sit impossibile, quòd infinita magnitudo disconveniat cum opere infinito; & si convenit cum opere infinito, de necessitate convenit, quòd in infinita magni-

magnitudine sit pluralitas, per quam sancta gloriosa Trinitas significatur & demonstratur.

7. Certum est, quòd, si in inferiori bono esset opus, quod esset de diversis infinitis & concordantibus infinitis, majus & nobilius opus in illo esset, quàm sit; cùm opus, quod est in inferiori bono, sit bonorum diversorum finitorum & concordantium finitorum: & ideo, quia sunt finita in differentia & in concordantia, est possibile, quòd in opere sint contraria; quæ possibilitas esset impossibilitas, si in inferiori bono esset opus diversarum & concordantium rerum infinitarum in magnitudine & nobilitate; & quia inferius bonum esset supremum Bonum, si hoc, quod in illo est concordans & differens finitum, esset infinitum in magnitudine & nobilitate, idcirco convenit de necessitate, quòd opus, quod est in supremo Bono, habeat nobilitatem, per quam inferius bonum esset supremum Bonum, si haberet hoc, per quod esset supremum Bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd inferius bonum non esset supremum Bonum, si haberet opus diversorum & concordantium infinitorum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem gloriosa Trinitas est demonstrabilis in supremo Bono.

CAPUT III.

De Opere Æternitatis.

1. ÆTernitas est infinita duratio; & cum infinita duratione multò meliùs convenit opus infinitum, quàm finitum: unde si supremum Opus est aliquid, convenit de necessitate, quòd sit in supremo Bono, vel quòd sit per supremum Bonum; & si est in supremo Bono, convenit, quòd sit infinitum, sicut supremum Bonum est infinitum: & si non est in supremo Bono, convenit, quòd sit in inferiori, & convenit, quòd sit finitum, sicut inferius bonum est finitum: unde cùm infinita duratio & infinitum opus conveniant, & finita duratio & finitum opus conveniant, idcirco est demonstratum, quòd in æternitate sit opus infinitum; quia si non esset, esset impossibile, quòd infinita duratio & infinitum opus convenirent; & si major convenientia non esset in majoribus rebus, esset impossibile, quòd esset in minoribus; & si in minoribus non esset, esset impossibile, quòd finita duratio & finitum opus convenirent; & si non convenirent, de necessitate conveniret finita duratio cum infinito opere, vel finitum opus cum infinita duratione: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd duratio & opus convenirent; & si non convenirent, de generatione non fieret opus durabile, & de corruptione non fieret opus destruibile; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd infinita duratio habeat æternum opus, & per æternum opus est demonstrabilis æterna generatio, per quam est æterna duratio; & per æternam generationem est demonstrabilis æterna convenientia inter Generantem & Generatum; sinè qua convenientia non possent convenire Generans & Generatus ad operandum æternam durationem.

2. Certificati sumus, quòd elementa, in quantum sunt simplicia, sint incorruptibilia, & in quantum sunt concordantia unum cum altero, concordant se per generationem in compositis, in quibus sunt corruptibilia per corruptionem; quæ corruptio est in compositis per contrarietatem, quæ est in elementis: unde si opus naturale faceret redire illa eadem composita, quando illa corrupisset, veluti si idem Sortes & idem suus equus & eædem plantæ aliâ vice rediret per opus naturale, sequeretur, quòd opus naturæ esset nobilius & majus, quàm sit: & si natura generaret composita, & nullum illorum corrumperet, suum opus esset nobilius, quàm sit: & si natura generaret per omnia loca, in quibus est materia prima, haberet nobilius & majus opus, quàm habeat, quia materia prima est per omnia loca, quæ sunt sub sphæra lunæ, & natura non generat in prima materia, nisi in locis, in quibus sunt composita habentia formam & materiam, & materia est in illis locis, in quibus illæ sunt, & est per omnia alia loca, in quibus illæ non sunt; in quibus locis est spatium, quod est inter unum corpus formale & alterum: unde si opus naturæ esset per omnia ista, esset altius, nobilius, durabilius & majus, quàm sit; & cùm opus naturæ sit inferius bonum & inferius opus, idcirco convenit de necessitate, quòd hoc, quod habet supremum Opus, & est supremum Bonum, habeat hoc, per quod inferius bonum esset nobilius, quàm sit; dummodo tamen supremum Bonum non habeat ullum defectum in habendo hoc, quod haberet per hoc, quòd esset superius in opere inferiori bono. Unde cùm hoc ita sit, per istam supradictam figuram & intellectam in opere naturæ est demonstrabilis suprema Operatio, quam nos inquirimus: quia si in æterna operatione est aliquis æternus, qui æternaliter & per omnia loca mundi & extra mundum infinitè generat unum æternum eundémque infinitum sinè ulla corruptione & alteratione, convenit de necessitate, quòd illud opus sit superius in æternitate, magnitudine, nobilitate, opere inferiori, quamvis natura haberet nobilitatem supradicti operis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non haberet in se opus, cum quo esset superius supradicto opere naturæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis sancta Trinitas.

3. Et si tu dicis, quòd supremum Bonum operans & creans inferius bonum sit supremum Opus inferiori operi, & quòd non sit necesse, quòd in illo unus æternus infinitus generet alterum æternum infinitum; non est verum: quia si supremum Bonum non haberet in se opus, quo unus æternus infinitus generaret alterum æternum infinitum, natura, quæ haberet supradictum opus, haberet in se, quòd generaret generatum incorruptibile, & haberet in se concordantiam individuorum, quæ in duratione essent æqualia supremo Bono: & si illi essent æqualia per durare, non essent inferiora bona, sed essent æqualia supremo Bono; & hoc est impossibile.

4. Corpora cœlestia sunt durabilia & incorruptibilia; & ratio, quare secundùm suam naturam sunt durabilia & incorruptibilia, est per hoc, quia est concordantia inter materiam & formam, ex quibus sunt composita sinè ulla contrarietate: & composita elementata essent meliùs durabilia & incorruptibilia, quàm corpora cœlestia, si concordantia, quam habent per generationem, quòd sint composita, esset inter materiam & formam sinè contrarietate; sed quia in illis est cum contrarietate, idcirco sunt corruptibilia: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, si in corporibus cœlestibus materia generaret formam absque eo, quòd in illis esset contrarietas, & esset concordantia, quæ ibi est, esset magis impossibile, quòd in illis esset corruptio, quàm modò sit, quando in illis est concordantia sinè generatione: unde si in corporibus cœlestibus, quæ sunt inferius bonum, esset major impossibilitas, quòd in illis esset corruptio, si in illis esset generatio, idcirco in supremo Bono, in quo est major impossibilitas, quòd in illo sit corruptio, quàm in inferiori bono, convenit de necessitate, quòd sit generatio & concordantia sinè contrarietate; quia si non esset, sequeretur, quòd in illo non esset major impossibilitas corruptionis, quàm in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Trinitas est demonstrabilis.

5. Accidens non est durabile per se ipsum, sed durat per operationem sui subjecti: unde si accidens esset per se ipsum nobilius in durare, quàm est, haberet nobilitatem durandi per se ipsum, & non per suum subjectum; & si haberet, esset aliquid aliud, quàm est; hoc est, substantia habens unitatem unitam de materia & forma & conjunctione: unde si accidens, quod est inferius bonum, converteretur in substantiam, quæ est nobilius ens, quàm illud, si per se ipsum posset durare & habere unitatem & trinitatem, & per habere unitatem & trinitatem duraret sinè subjecto, sinè quo non durat, tunc de necessitate convenit, quòd supremum Bonum habeat Unitatem & Trinitatem, ad hoc, ut per se ipsum sit durabile & subsistens: & si hoc non esset ita, demonstraretur in supremo Bono, quòd, sicut accidens est unum, & non potest durare per se ipsum, per hoc, quia sua unitas non est in tribus, sic supremum Bonum non posset durare per se ipsum, si esset unitas, quæ non esset in tribus: & sicut tria accidentia, quæ non essent una substantia, non possent durare, quamvis essent tria, sic supremum Bonum, si esset in tribus vel in pluribus Personis, & tres Personæ non essent una Essentia, non posset esse durabile per se ipsum: unde cùm supremum Bonum sit per se ipsum subsistens & durabile, idcirco sancta Trinitas est demonstrabilis in demonstratione accidentis.

CAPUT IV.

De Opere Potestatis.

1. POtestas operandi bonum est bona; quia si esset mala, impotentia operandi bonum esset bona; & si esset bona, potestas operandi bonum esset mala; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem de-

monstratur, quòd potestas faciendi malum sit mala; quia si esset bona, potestas faciendi bonum esset mala; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas operandi bonum sit bona: & si potestas operandi bonum est bona, esset majus opus & majus bonum & major & magis expressa potestas, si una potestas operaretur & faceret de se ipsa alteram potestatem, quàm sit potestas, quæ facit bonum & operatur bonum de aliqua re, quæ non est potestas; velut faber lignarius, qui facit navem de ligno, quod lignum non habet potestatem faciendi navem: unde cùm supremum Bonum conveniat cum suprema Potestate & cum supremo Opere, convenit de necessitate, quòd in illo una Potestas infinita & æterna operetur & faciat de se ipsa potestatem infinitam æternam: quia si non faceret, sua potestas non haberet tam expressum opus in operando bonum, sicut habet per hoc, quando una potestas operatur de se ipsa potestatem: & quia convenit, magis purum & expressum opus potestatis esse in supremo Bono, idcirco est demonstrabilis sancta Trinitas, quam nos inquirimus; sinè qua purum expressum opus supradictæ potestatis non posset esse in supremo Bono; & si non esset, sequeretur, quòd in natura, quæ est inferius bonum, esset magis purum & magis expressum opus potestatis, quàm in supremo Bono; quia in natura una potestas facit de se ipsa alteram potestatem; sicut ignis simplex, qui de se ipso generat aliam potestatem in aëre, quem calefacit, qui aër habet potestatem calefaciendi aquam: & si ignis simplex posset generare alterum ignem simplicem, haberet majorem potestatem, quàm habet, in quantum non potest generare potestatem simplicem: & quia est impossibile, quòd in inferiori bono potestas habeat tam expressam potestatem, sicut in supremo Bono, idcircò est demonstrabile, quòd in supremo Bono una potestas simplex infinita generet aliam potestatem simplicem infinitam: quia si hoc non faceret, ignis posset habere magis expressam potestatem, si generaret alteram potestatem simplicem: & quia ignis non posset generare potestatem infinitam, quamvis ignis simplex generaret alterum ignem simplicem, idcirco demonstratur, quòd in inferiori bono nulla potestas posset habere tantam potestatem, sicut supremum Bonum, cum qua in supremo Bono una potestas simplex generat aliam potestatem simplicem: quia quemadmodum supremum Bonum transcendit inferius per infinitatem & per æternitatem potestatis, sic convenit, quòd illud transcendat per puritatem & per expressionem & realitatem potentis operis.

2. Manifestum est, quòd potestas & opus conveniant; quia quàm citò potestas naturæ fuit creata, tam citò est operata, & non cessat operari; & si sol uno momento cessaret operari, & disconveniret universaliter cum opere, sic destrueretur opus naturale secundùm cursum naturæ, sicut destruitur corpus hominis in continenti, quando illi tollitur caput, vel ramus arboris, qui destruitur in continenti, quando est separatus ab arbore: unde si potestas naturalis & suum opus conveniunt tam fortiter in inferiori bono, quantò magis de necessitate convenit, quòd in supremo Bono suprema Potestas & supremum Opus conveniant; quia quemadmodum forma & materia conveniunt & fortiùs in opere naturali, quàm in artificiali, & hoc ideo, quia convenientia est per potestatem naturalem, & convenientia, quam habent in opere artificiali, est per potestatem accidentalem, sic & multò meliùs sinè omni comparatione suprema Potestas & supremum Opus conveniunt in supremo Bono: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd per minorem convenientiam potestatis & operis opus artificiale esset nobilius, quàm naturale, in quantum fortiùs esset simile convenientiæ supremæ Potestatis & Operis, quàm opus naturale: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd in suprema Potestate & in supremo Opere esset minor concordantia, quàm in opere artificiali, per hoc, quòd per valde modicam concordantiam factam inter supremam Potestatem & supremum Opus supremum Bonum esset nobilius, quàm opus artificiale & potestas illius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Trinitas est multùm obscurè in hac demonstratione multùm necessariâ demonstrata.

3. Si ignis de se ipso generaret aërem, & aqua non esset contraria igni, ignis haberet majorem potestatem in generando calorem in aëre, & major calor exiret de aëre in aquam calefactam, & majus esset opus generandi calorem, & exeundi caloris, quàm sit in hoc, quòd ignis non generat aërem, nisi quòd in illo generat calorem, & aqua non est concordans cum igne, sed est illi contraria: unde cùm ista majoritas potestatis & operis esset in inferiori bono, si sic esset, sicut suprà dictum est, idcirco de necessitate convenit, quòd opus & potestas & generatio & processio, per quam inferius bonum esset majus, sint in supremo Bono; quia si non essent, sequeretur, quòd potestas & opus supremi Boni non esset supra potestatem & opus inferioris boni; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem glorioſa Trinitas est demonstrabilis.

4. Si tu dicis, quòd per hoc, quòd in supremo Bono sit altior & nobilior potestas, quàm in inferiori, conveniat, quòd supremum Bonum sit ignis & aër & aqua, & quòd conveniant, secundùm quòd suprà dictum est; non est verum: quia quemadmodum supremo Bono convenit charitas, & inferiori bono convenit charitas, & supremo Bono disconvenit fides, spes, comedere &c., & inferiori bono convenit fides, spes, comedere, sic supremo Bono convenit, quòd habeat hoc, per quod inferius bonum conveniret cum majori nobilitate, si hoc haberet; & quòd non habeat hoc, quod inferius bonum habet, per quod supremum Bonum conveniret cum minori nobilitate.

5. Si natura, quæ est inferius bonum, operatur cum diversis, concordantibus & contrariis potestatibus, quantò magis convenit, quòd supremum Bonum operetur cum diversis, concordantibus & non contrariis potestatibus: & si in inferiori bono potest fieri opus de diversis & concordantibus & contrariis potestatibus, quantò magis in supremo Bono potest fieri opus de diversis & concordantibus & non contrariis potestatibus: & si in inferiori bono una potestas generat & facit sibi similem potestatem, quamvis in opere habeat contrarietatem, quantò magis in suprema Potestate una potestas potest facere & generare alteram potestatem sibi ipsi similem in nobilitate: & si in inferiori bono opus finitum & potestas finita conveniunt, quantò magis in supremo Bono Potestas infinita & Opus infinitum conveniunt: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset demonstrabile in inferiori bono; & si non esset demonstrabile in illo, inferius bonum frustra esset creatum; & si hoc esset, supremum Bonum esset imperfectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremum Opus, quod nos inquirimus.

6. In opere naturali potestas naturæ facit de pomo & persico, unâ insertâ in altera, pomum persicum, quod est fructus quasi similis in sapore & in forma pomo & persico; & in animalibus fit de equo & asina mulus; & quia potestas naturæ non potest conservare in pomo persico totam formam & saporem pomi & persici, nec in mulo totam formam equi & asinæ, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono una potestas generet de se ipsa alteram potestatem sibi similem in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c., & de potestate generante & de potestate generata exeat alia æqualis potestas similis duabus potestatibus, è quibus exit infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c.: & cùm in natura non sit tale & tam perfectum opus, idcirco suprema Potestas & supremum Opus est demonstrabile in supremo Bono, & inferior potestas & inferius opus in inferiori bono.

7. Pictor habet potestatem pingendi figuram sibi ipsi similem, & haberet majorem potestatem, si illam figuram posset facere individuum suæ speciei, quàm habeat in pingendo illam; & hoc est ideo, quia pictura animata rationalitate esset composita de magis diversis rebus, per quam majorem differentiam esset demonstrabilis major potestas in pictore, qui illas differentias concordaret ad esse unum animal: unde si in inferiori bono hæc esset major potestas, tunc de necessitate convenit, quòd in supremo Bono una potestas faciat aliam potestatem sibi ipsi similem, & quòd sit major differentia unius potestatis ad alteram, quàm esset differentia materiæ picturæ, quæ reciperet animalitatem; quia si in illo non esset major differentia, differentia esset finita: & quemadmodum potestas pictoris meliùs convenit ad generandum potestatem sibi ipsi similem, quando pictor generat filium in fœmina, quàm quando pictor pingit suam imaginem in pariete, sic convenit, quòd in supremo Bono suprema Potestas meliùs conveniat ad generandum aliam potestatem, quàm potestas pictoris, quia si non meliùs conveniret, sequeretur, quòd suprema Potestas esset finita in concordan-

cordantia; & si esset finita, esset impossibile, quòd esset in supremo Bono; quia omne id, quod est in supremo Bono, est infinitum; per quod infinitum demonstratur, quòd generatio, quam una potestas facit de altera in supremo Bono, sit multùm dissimilis & diversa à generatione naturali, quæ est in inferiori bono.

8. Si tu dicis, quòd, quemadmodum in inferiori bono est impossibile, quòd de pictura, quam pictor pingit, & de rationalitate potestas pictoris possit facere hominem, sic sit impossibile, quòd in supremo Bono una potestas infinita possit generare alteram potestatem infinitam; non est verum: quia ratio, quare pictor non potest facere de pictura hominem, est, quia pictor & sua pictura & sua potestas & homo sunt res finitæ, quæ non conveniunt in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c.; sed in supremo Bono non est sic, quia, quamvis potestas, quæ generat, & potestas, quæ generatur, sint infinitæ, per totum hoc non sequitur, quòd non conveniant, ut sint una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est ideo, quia habent unam eandem æqualitatem in infinita bonitate, magnitudine, æternitate; per quam æqualitatem conveniunt in subsistentiis & in esse una Essentia.

9. Creatura, quæ habet unitatem & pluralitatem, haberet majorem potestatem, quàm habeat, si posset esse simplex, & habet minorem potestatem, cùm de necessitate conveniat, illam esse compositam; idcirco convenit, quòd hoc, quod esset major potestas in inferiori bono, sit in supremo Bono: & si firmamentum cum diversis potestatibus operatur in terrenis potestatibus, & facit nobilius opus, quàm faceret, si non operaretur cum diversis potestatibus, convenit de necessitate, quòd supremum Bonum operetur in se cum diversis potestatibus, ad hoc, ut suum opus inde sit nobilius; cum differentia & concordantia potestatum conveniant cum majoritate, & non differentia & non concordantia potestatum conveniant cum minoritate: & si nobilius opus est illud, quod est de potestatibus infinitis, quàm opus, quod est de potestatibus finitis; convenit, quòd in supremo Bono sit nobilius opus & nobiliores potestates: & si anima, absque eo, quòd haberet diversas potestates, non posset esse forma corpori, convenit, quòd supremum Bonum, quod est forma & complementum animæ, habeat diversas potestates, ad hoc, ut per simile opus sit complementum animæ, cum quo anima est complementum corpori: unde cùm hoc ita sit, per totum hoc est demonstrabilis sancta Trinitas nostri Domini Dei.

CAPUT V.

De Opere Sapientiæ.

1. SApientia est bonum; quia si non esset bonum, ignorantia non esset defectus boni; & hoc est impossibile: & humana species est bonum; quia si non esset bonum, sua individua non essent bonum; & hoc est impossibile: unde cùm sapientia & humana species sint bonum, si sapientia & species essent una essentia & una eadem res, sapientia & species essent in altiori gradu boni, quàm sint: unde cùm sapientia & species sint inferius bonum, convenit de necessitate, quòd supremum Bonum habeat illam nobilitatem vel majoritatem, quam sapientia & species haberent, si essent una eadem res; quia si illam non haberet, non esset superius sapientiâ & specie; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum & sua Sapientia sint una eadem Essentia & una eadem res.

2. Si inferior essentia, potestas, sapientia & voluntas essent una eadem res, conveniret de necessitate, quòd in illa essentia esset opus essentificandi, possificandi, sapientificandi & amandi; quia per potestatem essentia posset essentificare, & sapientia sapientificare, & voluntas amare; & per sapientiam essentia sciret essentificare, & potestas possificare, & voluntas amare; & per voluntatem essentia vellet essentificare & potestas possificare & sapientia sapientificare; & per essentiam potestas posset possificare & sapientia sapientificare & voluntas amare, & per potestatem essentia, sapientia & voluntas possificarent; & per essentiam potestas, sapientia & voluntas essentificarent; & per sapientiam essentia, potestas & voluntas sapientificarent; & per voluntatem essentia, potestas & sapientia amarent: & si istud opus esset in inferiori bono, inferius bonum & suum opus esset in multo altiori gradu, quàm est, & esset impossibile, quòd in illo esset corruptio & ignorantia & peccatum & ullus aliorum defectuum, qui sunt in inferiori bono: sed quia in inferiori bono essentia, potestas & sapientia &

& voluntas non sunt una eadem res, idcirco inferius bonum non potest esse in supradicto gradu: & quia supremum Bonum est supra inferius, convenit de necessitate, quòd in illo sit nobilitas, per quam inferius bonum esset altius, quàm est, si haberet illam nobilitatem, per quam esset nobilius: & si supremum Bonum non haberet nobilitatem & opus supradictum in se ipso, non haberet, cum quo esset superius bonum inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile supremum Opus, quod nos inquirimus: quia si supradictum Opus est in supremo Bono, convenit de necessitate, quòd supremum Bonum sit una Essentia, & quòd in illa Essentia sit pluralitas, sinè qua in illa non posset esse supradictum opus, & quòd in Essentia potestas, sapientia, voluntas supremi Boni sint una eadem res, & quòd in Personis sit differentia & concordantia in Essentia, per quam differentiam & concordantiam possit esse supradictum opus: quia si in Essentia est differentia unius Personæ & alterius, & concordantia unius Personæ & alterius, una Persona potest possificare, sapientificare & amare alteram; & sinè differentia & concordantia supradictum opus esset impossibile.

3. Si tu dicis, quòd secundùm figuram supradicti operis Filius generet Patrem & Sanctum Spiritum, qui procedit producente quâlibet Personâ alteram; non est verum: quia differentia & concordantia esset confusa in supremo Opere, si quælibet Personarum generaret alteram, & quælibet exiret ab altera: & si differentia & concordantia ibi destrueretur, essentia, potestas, sapientia & voluntas non haberent perfectum opus, in hoc, quòd destruerent id, sinè quo non posset esse opus; & destruendo differentiam & concordantiam destruerent opus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, Essentia & Personæ essent contrariæ una alteri, & quælibet esset contraria sibi ipsi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd differentia & concordantia in opere conservetur in tam magna infinitate & nobilitate, sicut est Essentia & Opus, & sicut sunt Personæ: unde cùm multò major differentia sit, quòd una Persona generet alteram, & quòd de duabus Personis exeat altera Persona, quàm esset, si quælibet Persona generaret alteram, & exiret ab altera, multò major concordantia potest esse inter unam Personam & alteram, quàm esset, si differentia esset minor: quia de majoribus differentiis possunt esse majores concordantiæ; & quantò plus differentiæ & concordantiæ potest esse in supremo Opere, tantò plùs potest quælibet Persona essentiare & possificare, sapientificare & amare in se ipsa, & plùs possunt insimul essentiare, possificare, sapientificare & amare in esse una Essentia infinita in potestate, sapientia & voluntate, in qua sunt tres Personæ infinitæ in potestate, sapientia & voluntate.

4. Si humana species uteretur potestate, sapientiâ & voluntate, & haberet tantum potestatis, sapientiæ & voluntatis, quòd posset in suis individuis conservare generationem, & quòd inde privaret corruptionem, sequeretur, quòd opus, quod species haberet in suis individuis, esset nobilius, quàm opus, quod natura habet in illis, in quantum ibi conservat corruptionem: & si opus speciei esset nobilius, si haberet hoc, quod non habet, & species sit inferius bonum, convenit, quòd supremum Bonum habeat illam nobilitatem & majoritatem operis, per quam species esset nobilior, quàm sit: & si habet illam nobilitatem & majoritatem operis, convenit, quòd, sicut humana species tantum multiplicaret sua individua, quòd indigeret totâ materiâ primâ, & sua individua essent per omnia loca, quæ sunt sub sphæra lunæ, sic supremum Bonum habeat in se aliquod suppositum, quod infinitè generet alterum suppositum, quod sit per omnia loca finita, quæ sunt in mundo, & per infinitatem, quæ est ultra mundum; & quòd de illa generatione non sit privata corruptio, & in illa generatione non sit corruptio: & si hoc non esset ita in supremo Bono, non esset demonstrabile, quòd opus supremi Boni esset nobilius, quàm opus speciei, si haberet supradictam potestatem, sapientiam & voluntatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Trinitas est demonstrabilis.

5. Si ego haberem perfectam essentiam & perfectam potestatem, perfectam sapientiam & perfectam voluntatem, & omnes insimul essent una eadem essentia, sequeretur, quòd, si ego generarem filium, generarem essentiam & potestatem, sapientiam & voluntatem perfectam, & generarem impossibilitatem corruptionis; & si non

gene-

generarem filium habentem hoc, quod suprà dictum est, non haberem perfectionem in mea essentia, nec in mea potestate, nec in mea sapientia, nec in mea voluntate: & si haberem perfectionem in generando perfectam essentiam, perfectam potestatem, perfectam sapientiam & perfectam voluntatem, & non generarem, impossibilitas corruptionis non esset bonum opus; & si non esset bonum opus, generatio non esset bonum, & corruptio non esset malum, & essentia, potestas, sapientia, voluntas & perfectio non essent bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

6. Et si tu dicis, quòd ego haberem magìs perfectum opus, si generarem multos filios, quàm si generarem unum filium tantùm; verum dicis: sed in supremo Bono non est ita; cùm mihi & meo filio non sit necessarium, quòd simus una essentia: & ratio, quare nobis non est necessarium, est per hoc, quia sumus finiti: sed si supremus Pater, qui est infinitus, generat Filium, convenit, quòd illum generet infinitum sibi ipsi similem, sicut ego, qui sum finitus similis meo filio; & quòd supremus Pater & supremus Filius sit una Essentia infinita; quia impossibile est, quòd sint plures Personæ infinitæ, absque eo, quòd sint una Essentia. Et si dicis, quòd supremus Pater esset melior, si generaret multos Filios infinitos, & esset cum illis una Essentia; non non est verum: quia sicut generatio convenit duobus in numero, hoc est, Patri & Filio, & non pluribus & non paucioribus, quàm duobus, sic convenit tertio numero, hoc est, Processioni, per quam omnes tres sint una Essentia: & si Essentia non haberet complementum per tria suppositа, & indigeret quatuor aut pluribus, sequeretur, quòd in inferiori bono esset nobilius opus, quàm in supremo Bono, in quantum essentia reciperet esse reale de materia, forma & conjunctione; & si in suprema Essentia non essent necessaria nisi tria suppositа, & Pater vellet, quòd haberet plura, generando duos vel plures filios, suum opus esset vanum & superfluum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd in supremo Opere non sint plura, quàm tria suppositа tantùm.

7. De necessitate convenit, quòd suprema Sapientia sciat omne bonum & omne malum, quod est in inferiori bono; quia si non sciret, non esset in supremo Bono: & sicut hoc convenit de necessitate, sic convenit de necessitate, quòd supremus Amor amet omne bonum, quod est in inferiori bono, & non amet omne malum; quia si amaret omne malum, amaret peccatum; & si amaret peccatum, non esset in supremo Bono: unde si esset veritas, quòd in supremo Bono non esset ulla operatio, conveniret de necessitate, vel quòd sapientia nesciret omne inferius bonum, vel quòd amor amaret peccatum in inferiori bono, vel quòd sapientia esset major in inferiori bono, quàm amor; & si sapientia esset major in inferiori bono, quàm amor, sapientia supremi Boni esset major amore supremi Boni; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò conveniat, aliquod opus virtutis esse in supremo Bono, tali modo, quòd sapientia & voluntas sint æqualiter in superioritate ad inferius bonum, & quòd sint æqualiter in supremo Bono. Unde cùm hoc non posset esse sinè aliquo supremo Opere, idcirco opus demonstrat & significat humano intellectui Trinitatem, quæ est in supremo Bono; quia si in illo est opus, de necessitate convenit, quòd in illo sit Trinitas, secundùm quòd continetur in supradicto paragrapho.

8. Manifestum est, quòd sapientia & opus sapientiæ conveniant; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd sapientia, quæ est in actu, non conveniret cum majoritate, nec sapientia, quæ est in potentia, cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sapientia & opus conveniant: per quam convenientiam demonstratur, quòd in suprema Sapientia sit Opus; quia si in suprema Sapientia disconveniret Opus, esset impossibile, quòd sapientia & opus convenirent in inferiori bono; & si in suprema Sapientia est Opus, convenit, quòd, sicut in inferiori bono sapientia finita convenit cum opere finito, sic in supremo Bono Sapientia infinita conveniat cum Opere infinito: & si suprema Sapientia conveniret cum opere finito, & disconveniret cum infinito, disconveniret cum se ipsa, & conveniret cum inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT

CAPUT VI.

De Opere Amoris.

1. AMor est bonum; quia si non esset bonum, charitas non esset virtus; & hoc est impossibile: & si charitas est virtus, convenit, quòd opus amoris sit bonum; quia si esset malum, charitas esset vitium: unde cùm amor & suum opus sint bonum in inferiori bono, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Amor & Opus Amoris; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum esset inferius inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in inferiori bono amor non est sinè suo opere, quantò magìs conveniat, in supremo Bono esse Amorem, qui non sit sinè Opere sui ipsius: quia si in supremo Bono Amor non fortiùs conveniret cum suo Opere, quàm in inferiori bono, supremus Amor & suum Opus non essent super amorem & opus, quæ sunt in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Trinitas est demonstrabilis.

2. Faber ferrarius operatur de ferro; unde si faber ferrarius esset de ferro, & operaretur de ferro, multò meliùs convenirent faber ferrarius & suum opus, quàm conveniant: unde cùm faber ferrarius & suum opus non tam benè conveniant, sicut supremus Amor & suum Opus, convenit, quòd in supremo Amore sit Amor, qui operetur de se ipso Opus Amoris: quia si faber ferrarius, qui esset ferrum, operaretur de se ipso opus ferri, convenit, quòd supremus Amor operetur de se ipso Opus Amoris; quia sicut conveniret, quòd faber ferrarius, si esset totus ferrum, operaretur de se ipso opus ferri, sic, si in supremo Bono est infinitus Amor, convenit de necessitate, quòd de se ipso operetur Opus infiniti Amoris: unde sicut faber ferrarius, qui esset totus ferrum, faceret de se ipso opus ferri diversum à se ipso, quia sinè differentia non posset operari, sic in supremo Bono, quod est totus Amor, si unus Amor producit de se ipso Opus Amoris, convenit de necessitate, quòd producat differentiam inter se ipsum & suum Opus: unde cùm hoc ita sit, idcirco per hoc sancta Trinitas tibi figuratur & significatur.

3. Si tu dicis, quòd, sicut est impossibile in fabro ferrario, quòd operetur de se ipso ferrum, per hoc, quia non est ferrum, sic sit impossibile, quòd in supremo Bono sit Amor, qui operetur de se ipso alterum Amorem: tunc tu dicis, quòd sit impossibile, quòd in supremo Bono Amor possit operari Opus Amoris, per hoc, quia supremum Bonum non est Amor; & quia negas, quòd supremum Bonum sit Amor, affirmas, quòd inferius bonum, quod habet amorem, sit supremum Bonum; & hoc est impossibile. Et si dicis, quòd de exemplo, per quod affirmatur, esse possibilitatem hoc, quod est impossibilitas, non possit dari comparatio de hoc, quod est possibilitas: tunc tu non facis differentiam inter supremum Bonum & inferius; quia si omne id, quod est impossibile in inferiori bono, esset impossibile in supremo, sequeretur, quòd omne id, quod est possibile in supremo Bono, esset possibile in inferiori; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, non esset supremum Bonum nec inferius.

4. Amans multò meliùs convenit cum opere amoris, quàm amatus; quia amans non potest esse sinè amore & opere amoris; quia si esset, esset amans & non amans; & si esset, sequeretur, quòd amor & suum opus essent & non essent; & hoc est impossibile: & amatus potest esse absque eo, quòd sit amor & amans: unde si in supremo Bono esset Amor & Opus Amoris, & Amans & Amatus, & Amatus non esset Amor, nec Opus Amoris, nec Amans, in illo esset majoritas & minoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sint diversa suppositа, & quòd unum sit Amans se ipsum, & amando se ipsum producat de se ipso alterum Amans, & quodlibet Amans sit Amatum per alterum & per se ipsum, & quodlibet Amans, amando se ipsum & alterum, sit Amatum ab altero Amante exeunte ab ambobus Amantibus, quod sit Amans se ipsum & alia duo Amantia: & iste Amor trium Amantium est tam magnus & tam perfectus, quòd quodlibet Amantium & Amor cujuslibet sit infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris figuræ; & per infinitatem Amantium & Amatorum & Amorum, quæ est in qualibet camerarum, omnia tria Amantia & Amata & Amores & illorum opera sunt una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate & in aliis cameris Figuræ: & si iste Amor & suum Opus non est in supremo Bono, & amor & supradictum

opus esset in esse, supremum Bonum esset altius & nobilius, quàm est; & hoc est impossibile, quòd supremum Bonum possit esse infra ullum amorem & ullum opus amoris, quantumcunque altus & nobilis amor & opus possit considerari & intelligi: quia si hoc esset, intellectus, qui est inferius bonum, caperet altius objectũ amoris & operis amoris, quàm esset Amor & Opus Amoris, quæ sunt in supremo Bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, intellectus ascenderet super supremum Bonum intelligere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatẽ Trinitas est tibi demonstrabilis.

5. Si dicis, quòd in supremo Bono esset magis nobilis & magis altus Amor & Opus Amoris, si in illo essent plures quàm tres Amantes & Amati; non est verum: quia si plures essent necessarii, demonstraretur, quòd Amor & Opus Amoris non possent esse perfecti tribus infinitis, & demonstraretur, quòd tres infiniti haberent defectum; & in quantum ad opus amoris non sunt plures necessarii, quàm tres, est demonstrabile, quòd sint perfecti in bonitate, magnitudine &c. Et si dicis, quòd duo Amantes sufficiant ad supremum Opus Amoris, & quòd tertius in illo non sit necessarius; non est verum: quia de concordantia & de acceptabili amore, quem unus Amans habet ad alterum & ad se ipsum, convenit exire æqualem Amantem, & æqualem infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & si hoc non faceret, sequeretur, quòd suppositа, quæ essent tantùm duo, essent nobiliora, & haberent magis reale esse, quàm convenientia & amor, qui esset inter ambos amantes; & hoc est impossibile.

6. In inferiori bono generatio est appetibilis & amabilis per hoc, quia per generationem formæ veniunt de potentia in actum, & per generationem sibi appropinquant & conjunguntur quædam bona cum aliis; & quia corruptio facit contrarium opus generationi, idcirco in inferiori bono corruptio est odibilis: unde si in supremo Opere generatio non esset amabilis, absque eo, quòd supremum Bonum odiret corruptionem, ad demonstrandum, quòd in sua generatione non sit corruptio nec potentialiter nec actualiter, non esset demonstrabile, ipsum esse superius Bonum inferiori per generationem amabilem, & per corruptionem non odibilem; quæ corruptio est odibilis per inferius bonum, per hoc, quia in illo est mobilis de potentia in actum: unde cùm per generationem in inferiori bono tu disconvenias cum corruptione, & convenias cum esse reali, & cùm per corruptionem disconvenias cum generatione & cum esse reali, & convenias cum privatione, idcirco convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit esse reale per generationem, & quòd in illo non sit privatio, nec corruptio; & si hoc ita est, generatio & corruptio demonstrant magis nobiliter supremum Bonum, quàm demonstrarent, si in supremo Bono non esset generatio.

„Unde cùm tu *secundùm hanc Artem* sis ob-
„ligatus ad affirmandum majorem nobili-
„tatem, quam possis intelligere de supre-
„mo Bono, ideo es obligatus ad affirmandum, Generationem esse in supremo Bono; per quam GenerationemTrinitas tibi est demonstrabilis.

7. Si dicis, quòd, sicut comedere, bibere, dormire, oculi, manus, fides, spes, abstinentia, sanitas sunt bona in inferiori bono, sic conveniat, illa esse in supremo Bono, ad hoc, ut sit magis superius; non est verum: quia bona, quæ tu dicis, sunt bona in inferiori bono, ratione defectuum, qui sunt in inferiori bono: & quia in supremo Bono non est ullus defectus, idcirco esset inferius bonum, si haberet aliquid de inferioribus bonis in se; quia in inferiori bono sunt per defectus, quos habet in se; sed sicut charitas, justitia & alia bona, quæ sunt in inferiori bono, possunt esse in supremo Bono, dummodo in illo sint magis nobiliter & sinè ullo defectu, sic comedere & alia bona supradicta possent esse in supremo Bono, dummodo in illo non essent cum defectu.

8. Homo habet potestatem amandi majorem se, vel sibi æqualem, vel minorem se, cum majori vel minori vel æquali amore: unde cùm in supremo Bono non sit majoritas nec minoritas, convenit, quòd possit amare æqualem sibi, & cum æquali amore suî: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd amor esset magis liberè in inferiori bono, quàm in supremo; & hoc est impossibile.

9. Natura est amoris, quòd amans amet omne id, quod amat amatus, & amet omnes illos, qui amant amatum: unde si in supremo Bono non esset Trinitas, & amor habet istam naturam in inferiori bono, tunc absque eo, quòd Trinitas esset in supremo Bono, amor non posset tam bene sequi suam naturam in supremo Bono, sicut

sicut in inferiori bono; & hoc est impossibile.

10. Manifestum est, quòd quodlibet individuum naturaliter magis amet individua suæ speciei, quàm individua alterius speciei; & contra naturam odit fortiùs individua suæ speciei, quàm ullum aliorum individuorum, quæ sunt alterius speciei: unde si suprema Trinitas non est in supremo Bono, supremus Amor non potest sequi in supremo Bono naturam, quam inferior amor sequitur in inferiori bono: & quia supremus Amor est altioris naturæ, quàm inferior amor, convenit, quòd possit habere altiorem modum amandi, quàm inferius bonum; & si illum habet, convenit, quòd in illo sit Trinitas, & quòd non sit odibile, esse suppositа, quæ sunt in supremo Bono; quia si esset odibile, haberet in se & in illis defectum; & hoc est impossibile.

11. Notum est, quòd, quemadmodum in inferiori bono intellectus inquirit veritatem, & voluntas bonitatem, & memoria repræsentationem veritatis & bonitatis, & ista operatio habet respectum ad unum finem, hoc est, unam perfectionem, sic conveniat de necessitate, quòd in supremo Bono sint diversa bona, quæ conveniant ad unum finem, hoc est, complementum, multò altius & nobilius sinè omni comparatione, quàm sit finis, qui est in inferiori bono; quia si in supremo Bono est unus finis infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate &c., cui conveniant diversa suppositа, & quòd sub illo fine & supra illum non sit ulla nobilitas in supremo Bono, tunc tibi erit demonstrabile, supremum Bonum ita esse superius inferiori bono per supremum finem, sicut per supremam charitatem & per supremam potestatem: unde si in supremo Bono non esset altior & nobilior finis, quàm in inferiori bono, & finis sit nobilior res in inferiori bono, quàm potestas & justitia illius, supremum Bonum non haberet in se simile bonum magis superius, quàm magis nobile bonum inferius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas tibi est demonstrabilis; sinè qua Trinitate in inferiori bono esset magis superior finis, qui conveniret cum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum esset superius per finem, & supremum Bonum inferius per privationem finis; & hoc est impossibile.

CAPUT VII.

De Opere Virtutis.

1. VIrtus & suum opus conveniunt; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd in nobilitate virtutis non nobilitaretur opus; & hoc est impossibile: unde cùm virtus & suum opus conveniant in inferiori bono, de necessitate convenit, quòd conveniant in supremo Bono: quia si virtus & opus convenirent in inferiori bono, & non in supremo Bono, virtus & opus essent suprema convenientia in inferiori bono, & non in supremo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstratum, quòd virtus & suum opus conveniant in supremo Bono: & si conveniunt in supremo Bono, convenit, quòd magis perfectè conveniant in supremo Bono, quàm in inferiori; quia si magis perfectè non convenirent in supremo Bono, quàm in inferiori, supremum Bonum non esset per perfectionem superius inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd virtus & opus conveniant magis perfectè in supremo Bono, quàm in inferiori: & si magis perfectè conveniunt, convenit, quòd convenerint, antequam inferius bonum esset, & quòd infinitè per infinitam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. conveniant: & si conveniunt per infinitam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit virtus infinita in bonitate &c., quæ producat alteram virtutem infinitam in bonitate &c., & quòd de ambabus virtutibus exeat altera virtus infinita in bonitate &c.: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd virtus & opus convenirent in supremo Bono, secundùm quòd convenit; & quia conveniunt, secundùm quòd convenit, ût suprà probavimus, idcirco in actu est demonstrata Sancta Trinitas, quam inquirimus.

2. Sol cum una virtute facit in corporibus terrenis diversa opera, sicut in cera, quam dissolvit, & in terra, quam desiccat; & hoc idem facit ignis cum una eadémque virtute, hoc est, calore: unde si in supremo Bono non esset una virtus, quæ in se faceret diversa opera, sequeretur, quòd unitas virtutis esset nobilior in sole & in igne, quæ sunt inferiora bona, quàm in supremo Bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd unitas virtutis

esset superior in inferiori bono, & esset inferior in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas, quam petis, tibi significatur. Et si dicis, quòd Trinitas tibi non significetur de necessitate per hoc, quod suprà dictum est, tunc tu affirmas, quòd, si una virtus operativa, quam dicimus, esset in supremo Bono, illa esset contraria cameris Figuræ; & si hoc est, monstra hoc de necessitate, & nos faciemus illam eandem affirmationem, quam tu facis: quia ratio, quare nos negamus hoc, quod tu affirmas, est per hoc, quia intelligimus, quòd una virtus operativa, quæ est in supremo Bono, conveniat cum omnibus cameris Figuræ.

3. Faber lignarius de uno eodem ligno potest facere diversa opera, & cum una imaginativa & una manu differentiat unum opus ab altero in ligno: unde si unitates fabri lignarii & ligni habent tam magnam virtutem in inferiori bono, quòd diversa opera possint fieri de ligno per unitatem virtutis, quantò magis in supremo Bono una virtus potest de se ipsa facere alteram: quia si faber lignarius potest operari in alia virtute, quæ non est de sua specie, bene sequitur, quòd, si supremum Bonum habet majorem virtutem & majorem potestatem, quàm faber lignarius, supremum Bonum habeat in se ipso unam virtutem, quæ operetur in altera, quæ sit in eodem supremo Bono; sicut faber lignarius, qui habet unam manum, quæ operatur in altera natura, quæ non est similis in virtute virtuti manûs.

4. Si ignis non haberet nisi unam virtutem tantùm, hoc est, calorem, nec esset alia res, nisi ille calor tantùm, & ignis posset creare creaturam, ignis non posset creare aliam rem, nisi calorem; quia si non haberet in se ipso diversas virtutes, non haberet, cum quo crearet differentiam in creatura: & si differentia esset in creatura, quam ignis non crearet, differentia esset principium sui ipsius, vel esset increata; & hoc est impossibile, quòd in inferiori bono ulla res possit vel posset esse increata, vel sit principium sui ipsius: unde ratio & virtus, quare calor ignis facit diversa opera in cera & in terra, est ratione differentiæ, quæ est inter ceram & terram; quia si in illis non esset differentia, ignis non posset habere in illis diversa opera, nisi ignis haberet in se ipso diversas virtutes: quia quemadmodum una virtus potest habere diversa opera in diversis rebus, sic diversa agentia possunt operari de una materia diversa opera: sicut apparet in fabre lignario & in ligno; quia imaginativa facit in theorica diversa opera de ligno, & faber lignarius in practica. Unde cùm hoc ita sit, per hoc tibi figuratur, quòd, si supremum Bonum non haberet in se ipso nisi unam virtutem tantùm, & si in illa virtute non esset ulla differentia personalis, non creasset nisi unam creaturam tantùm, in qua non esset ulla differentia: unde cùm differentia & pluralitas sint in creaturis, si differentia, quæ est in inferiori bono, esset increata, esset in supremo Bono; & si hoc esset, esset creatura & Creator; & hoc est impossibile: & si differentia haberet de se ipsa principium, sua differentia esset suprema, & non esset inferius bonum superiore per creationem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem tibi demonstratur, quòd suprema Virtus habeat in se ipsa diversas virtutes, quæ sunt una virtus essentialis, quæ per unitatem, quam habet in se, & per differentiam, quam habet in suis proprietatibus, creavit in creaturis unitatem & differentiam virtutum; *in quarum creaturarum qualibet est unitas & trinitas, ad demonstrandum, quòd illæ sint opus suprema Unitatis, quæ est in Trinitate.*

5. Vir habet virtutem generandi filium de se ipso, & fœmina habet naturam, quòd de illa exeat filius per nativitatem: sed super istam generationem est alia generatio minùs composita; sicut ignis, qui generat de se ipso calorem in aqua calida, & de igne & de aqua exit vapor: super istam habetur alia magis propinqua simplicitati, hoc est, quòd ignis generet in aëre calorem, & de igne & de aëre exeat calor in aquam: est alter gradus magis virtuosus & magis altus, hoc est, quòd anima, existens forma corpori, generet de se ipsa virtutem in corpore, & de virtute animæ & corporis exeat virtus in quinque sensibus particularibus corporis: & super istum gradum est alter, qui est magis altus, hoc est, quòd memoria recolens generet in intellectu intelligere, & de recolere & intelligere exeat velle in voluntate: est adhuc alius gradus superior magis simplex & magis virtuosus, hoc est, in Angelo; nam per hoc, quòd Angelus continuò sine ulla cessatione recolat, intelligat & amet suum objectum, ideo generatio, quam sua memoria facit de intelligere, & processio, quæ exit de suo

recolere & de suo intelligere in voluntate, sunt cum majori virtute & cum majori simplicitate, quàm sint generatio & processio, quæ sunt in anima: unde si memoria Angeli posset generare intellectum & operationem intellectûs, memoria & suum memorare essent in Angelo una eadem res sine ulla differentia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem tibi demonstratur, quòd conveniat, Angelum habere in se ipso aliquam compositionem, ad demonstrandum, quòd virtus supremi Boni sit supra illum in nobilitate unitatis & pluralitatis & puræ simplicitatis sinè ulla compositione. Unde quemadmodum tuum corpus per hoc, quia habes calorem naturalem, tantò fortiùs calefit, quantò magis appropinquas igni, & hoc ideo, quia ignis actualis, quo te calefacis, tantò magis adducit ad actualitatem calorem, quem habes in potentia, quantò magis igni appropinquas, sic supradictorum graduum sunt alii superiores aliis, per hoc, quia quidam magis appropinquant in virtute & simplicitate supremo Bono, quàm alii: unde sicut ignis non calefaceret tuum corpus, nisi ignis haberet calorem in se ipso, sic supremum Bonum non faceret quasdam virtutes magis simplices, quàm alias, nec quasdam pluralitates, quàm alias, si illud non esset simplex in unitate & pluralitate: unde cùm sinè pluralitate supremum Bonum non posset habere simplicitatem diversarum virtutum, idcirco tibi demonstratur suprema Pluralitas, quam petis.

6. Cùm in inferiori bono inquisiverimus maximè altam virtutem operativam, & illam invenerimus, ascendente intellectu de uno gradu in alterum, si tu vis exaltare adhuc altiùs tuum intellectum ad intelligendum altiorem virtutem operativam, igitur intellige, quòd in supremo Bono una potestas infinita in omnibus cameris Figuræ generet differenter de se ipsa unam sapientiam infinitam in omnibus cameris Figuræ: & intellige, quomodo supradicta potestas sit una sapientia infinita in omnibus cameris Figuræ, quæ generat de se ipsa differenter infinitam potestatem in omnibus cameris; quæ potestas est supradicta sapientia generata: & intellige, quomodo supradictus Generator sit unus Amor infinitus in cameris, qui generat de se ipso differenter unum Amorem infinitum in illis ipsismet cameris: & intellige, quomodo à Patre & Filio exeat differenter unus Amor, una potestas, una sapientia, quæ est Sanctus Spiritus infinitus in illis ipsismet cameris, in quibus Pater & Filius sunt infiniti: & intellige, quomodo Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint una Essentia infinita in illis cameris, in quibus Pater & Filius & Sanctus Spiritus sunt infiniti: unde si tu intelligis istam virtutem & istud opus, intelliges magis altum & magis nobile opus, quàm ullam virtutem & ullum opus, quod in inferiori bono posses intelligere: & si in supremo Bono intelligis virtutem & supradictum opus, & per hoc, quod intelligis, non intelligis ullum defectum in supremo Bono nec in suis cameris, quare igitur odis hoc intelligere? & si hoc intelligis, quare hoc negas?

7. In inferiori bono pater & generator sunt una eadem res, quando generat filium; sed quando generavit filium, non est generator: unde si in supremo Bono est Pater, convenit, quòd sit superior patre, qui est in inferiori bono: & si supremus Pater est altior in virtute, quàm inferior, convenit, quòd supremus Pater & Generator sint una eadem res, & supremus Filius & Generatio passiva sint una eadem res, ad demonstrandum, quòd filius, qui est in inferiori bono, non sit una eadem res cum generatione; quia si esset, quando pater illum generat, esset generatus, & quando est generatus, pater illum generaret; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem tibi demonstratur suprema Paternitas, Filiatio & Processio; quia per hoc, quòd Pater & Generator sunt una eadem virtus, & Filius & Generatio sunt alia virtus, & Sanctus Spiritus & Processio sunt alia virtus, idcirco Trinitas æqualiter convenit cuilibet Personarum.

8. Si virtus, quæ in supremo Bono est Sanctus Spiritus, exiret à Patre, & non à Filio, exiret à Patre, & non à Generatore; & si hoc ita esset, Pater & Generator non essent una eadem res; & si non essent, æternitas non conveniret cum Generatore & cum Filio; & hoc est impossibile, secundùm quòd suprà probavimus: & si Sanctus Spiritus exiret à Filio, & non à Patre, sequeretur, quòd Filius & sua Generatio non essent à Patre; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Filius esset sinè Patre; & hoc est impossibile in supremo Bono: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono,

generante Patre Filium, Sanctus Spiritus exeat à Patre & Filio.

9. Scisne, quare tu non potes esse pater vel filius infinitus? ideo, quia tuus pater & tuus filius sunt finiti, & es in inferiori bono; sed si tu haberes virtutem camerarum Figuræ, esses supremum Bonum; & si esses supremum Bonum, velles esse Pater vel Filius vel Sanctus Spiritus infinitus in omnibus cameris, & magis amares esse Pater vel Filius vel Sanctus Spiritus, quàm esse Deus infinitus, absque eo, quòd haberes Filium infinitum, vel quòd esses Filius infinitus, vel quòd esses Sanctus Spiritus infinitus; quia altior & nobilior virtus est in Patre vel in Filio vel in Sancto Spiritu, quàm esset in Deo, si non haberet in se, nisi unum infinitum, hoc est, se ipsum: unde cùm hoc ita sit, idcirco tu infidelis quare negas in supremo Bono hoc, quod tu velles esse in illo, si haberes virtutem, per quam posses esse supremum Bonum?

CAPUT VIII.

De Opere Veritatis.

1. VEritas est bonum; quia si non esset bonum, falsitas non esset malum; & hoc est impossibile: unde cùm veritas sit bonum in inferiori bono, de necessitate convenit, quòd Veritas sit in supremo Bono; quia si Veritas non esset in supremo Bono, veritas, quæ est in inferiori bono, esset superior supremo Bono; & hoc est impossibile.

2. In inferiori bono veritas & opus conveniunt; quia si disconvenirent, falsitas & bonum concordarent in opere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in inferiori bono veritas & opus conveniunt, quantò magis conveniat, quòd in supremo Bono Veritas & Opus conveniant: unde si Veritas & Opus fortiùs conveniunt in supremo Bono, quàm in inferiori, convenit, quòd in supremo Bono Veritas & Opus sint una eadem res cum supremo Bono: quia si non essent, Veritas & Opus non fortiùs convenirent in supremo Bono, quàm in inferiori: & si supremum Bonum & Veritas & suum Opus sunt una eadem res, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Veritas, quæ operetur infinitè & æternaliter de supremo Bono & Veritate alteram Veritatem, quæ sit supremum Bonum; & quòd de ambabus Veritatibus exeat altera Veritas, quæ sit supremum Bonum, & quòd omnes tres sint æquales Veritates & æqualia Bona, & quòd sint una Essentia, quæ sit supremum Bonum & suprema Veritas & supremum Opus: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd supremum Bonum & sua Veritas & suum Opus essent infinitè in bonitate, magnitudine, æternitate &c. una & eadem res: & si non essent, in veritate & supremo Opere non esset infinitas in cameris Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Sancta Trinitas est demonstrabilis.

3. Pictor, qui facit imaginem hominis in pariete, non facit tam verum opus in pingendo hominem, sicut in generando de se ipso hominem in uxore; & quia major veritas est in generando hominem, quàm in pingendo hominem, idcirco est melius opus, & est plus de bono in generando hominem, quàm in pingendo hominem: unde si esset possibile, quòd homo, qui generat filium, esset veritas & opus infinitum, & quòd generaret de se ipso veritatem & opus infinitum, filius esset multò major in veritate & in opere, quàm filius, qui generatur de veritate & opere finitis; per quem finem filius est finitus in veritate & in opere: unde cùm conveniat, quòd supremum Bonum sit nobilius in veritate & in opere, quàm inferius bonum, convenit de necessitate, quòd veritas & opus, per quod inferius bonum esset altius, sit in supremo Bono; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non haberet, cum quo esset superius in veritate & in opere inferiori bono, secundùm quòd convenit veritati & operi, quæ sint infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

4. Veritas est, quòd corpus hominis capiat pro objecto veritatem sensualiter cum quinque sensibus particularibus, & anima capiat veritatem pro objecto in suis tribus potentiis cum illis quinque sensibus particularibus; & super quinque sensus particulares anima capit objectum intellectuale, ad quod objectum capiendum non potest sufficere corpus: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd in anima sit plus veritatis, & quòd suum opus sit magis verum, quàm opus corporis; *per quam majorem veritatem & opus super phantasiam recipit demonstrationem de supremo Bono super rationem naturalem & fidem:* unde si animæ, quæ est inferius bonum, est bonum, quòd

quòd sit magis vera, & quòd habeat magis verum opus, quàm corpus; de necessitate convenit, quòd supremo Bono sit bonum habere in se ipso plus de veritate, & quòd suum opus sit magis verum, quàm opus inferioris boni: unde si supremum Bonum non haberet in se ipso opus, quod esset sinè inferiori bono, & quod esset ante inferius bonum, & ultra terminos, quibus inferius bonum est terminatum, sequeretur, quòd supremum Bonum in opere esset simile animæ, quæ non potest capere objecta intellectualia, quousque illa cœpit per imaginationem in suis tribus potentiis objecta sensualia; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum non posset operari de veritate sinè inferiori bono; & sicut inferius bonum est finitum in tempore & in quantitate, sic veritas, de qua supremum Bonum operaretur, esset finita & terminata; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd veritas, quæ est in supremo Bono, fuisset sinè opere tunc, quando non erat inferius bonum; & si fuisset sinè opere, veritas inferioris boni, quæ non est sinè opere, esset superior supremâ Veritate, cùm veritas & operari veritatem conveniant cum majoritate, & veritas & non operari veritatem conveniant cum minoritate.

5. Veritas offertur in phantasia intellectui per imaginativam, quæ communiter colligit veritatem de quinque sensibus particularibus, & offert illam intellectui: unde melius opus & magis verum est illud, quod intellectus recipit in se ipso per hoc, quod illi offert imaginativa, quàm sit opus, quod imaginativa habet in offerendo intellectui: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd intellectus non esset nobilior, quàm imaginativa; & hoc est impossibile: cùm intellectus transcendat imaginativam tunc, quando capit supremum Bonum pro objecto, cujus demonstrationem imaginativa non potest imaginari: unde si intellectus, qui verè operatur de suo intelligere in veritate, quam illi offert imaginativa, & in veritate, quam ille habet in se ipso in capiendo objectum, posset generare objectum de se ipso & de suamet veritate, caperet objectum cum meliori & magis vero operari, quàm capiat: & si hoc ita esset, scil. quòd intellectus esset veritas, & quòd de suamet veritate generaret objectum, quod capit, & veritatem illius objecti, esset impossibile, quòd in intellectu ignorantia & falsitas essent in potentia. Unde cùm hoc ita sit, idcirco, si hæc impossibilitas esset in intellectu, qui est inferius bonum, si esset in supradicto opere, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit veritas, quæ de se ipsa generet aliam veritatem, quæ illi sit objecta, & quòd impossibile sit, quòd in Generatore & Generato sit ignorantia & falsitas.

6. Si supremum Bonum operatum esset inferius bonum de se ipso, conveniret de necessitate, quòd in inferiori bono esset plus de veritate, quàm est; & quia inferius bonum est creatum de nihilo, in quo nihilo non est quidquam veritatis, conveniret, quòd in inferiori bono esset plus de veritate, si esset generatum de veritate: unde cùm inter supremum Bonum & inferius non sit medium bonum, quod sit inferius & superius bonum, idcirco demonstratur, quòd, si supremum Bonum generasset inferius bonum de veritate, generasset illud inferius bonum de se ipso; & si generasset, esset impossibile, quòd in inferiori bono malum & falsitas & ignorantia essent in potentia. Unde si supremum Bonum non posset generare Veritatem de sua Veritate, & potest creare veritatem de nihilo, suum opus & sua potestas essent magis vera in hoc, quod nihil est, & in hoc, in quo non est veritas, quàm in hoc, quod est infinitum in bonitate, magnitudine &c., & in hoc, in quo veritas habet infinitam bonitatem, magnitudinem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat potestatem generandi & operandi veritatem de veritate, dummodò illa generatio sit in se ipso.

7. Ille habet majorem veritatem in se ipso, qui habet illam veritatem in tribus veritatibus infinitis in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quàm haberet, si sua veritas non haberet tres supradictas veritates; & supremum Bonum habet majorem Veritatem in se, si habet suam veritatem in tribus veris, quàm haberet, si illam haberet in duobus veris tantùm: quia si veri essent duo & non tres, esset impossibile, quòd possent concordare, ut essent una Veritas, una Essentia, absque eo, quòd concordantia esset in æquali nobilitate cum duobus veris; & supremum Bonum habet majorem

jorem Veritatem in se ipso, si sua Veritas est in tribus veris, quàm haberet, si sua veritas esset in pluribus, quàm tribus: quia si esset in pluribus, quàm tribus, demonstraretur, quòd opus illius non esset infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c., ut esset una Veritas, una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

8. De Veritate infinita potest exire Veritas infinita; quia si de veritate finita potest exire veritas finita in inferiori bono, sequitur, quòd de veritate infinita possit exire veritas infinita in supremo Bono: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in inferiori bono veritas meliùs conveniret cum finitate, quàm in supremo Bono cum infinitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono unus verus possit exire de altero vero; & si potest exire, sequitur, quòd exeat; quia si non exiret, supremum Bonum haberet in se ipso aliquem injuriosum & ignorantem, & in quo privaretur bonitas, in quantum non exiret infinitus verus de altero vero: unde cùm sit impossibile, quòd in supremo Bono sit ullus defectus, idcirco demonstratur, quòd de supremo Bono possit exire & exeat infinitus verus de infinito vero in bonitate, magnitudine, æternitate &c.

9. Veritas est, quòd tu sis in esse, & quando mentiris & facis falsitatem & deceptionem, tunc tua falsitas est contraria veritati tui esse; nihilominùs veritas est, quòd tu mentiaris, quando mentiris: unde si in inferiori bono est veritas, quæ convenit cum non esse & cum falsitate, hoc est, mentiri, quantò magis in supremo Bono convenit veritas per opus verificandi: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in te convenirent veritas & falsificare, & in supremo Bono non convenirent veritas & verificare; & hoc est impossibile: & si in supremo Bono veritas & verificare conveniunt, de necessitate convenit, quòd in veritate & in verificare sit pluralitas Personarum; sinè qua pluralitate veritas & verificare non possent convenire.

10. In inferiori bono species haberet plus de veritate, quàm habet, si haberet tam reale esse, sicut habent sua individua; & qui illi tolleret sua individua, quæ habet sub se, minus veritatis haberet, quàm habet: unde cùm hoc ita sit, convenit, quòd in supremo Bono sua Essentia habeat esse reale, & quòd habeat in se diversa supposita, quæ sint æqualia in nobilitate cum Essentia: & si hoc non esset ita, humana species esset suprema Veritas, si haberet esse reale, & si sua individua essent incorruptibilia.

11. Inferius bonum vadit ad supremum Bonum per opus veritatis: unde si supremum Bonum non haberet Opus Veritatis in se, sequeretur, quòd inferius bonum iret ad minùs nobile se ipso: & si supremum Bonum non operaretur in se ipso de veritate, non intelligeret, nec gloriaretur, nec amaret; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem & per quas impossibilitates suprà significatas est demonstrabile supremum Opus veritatis, quod nos inquirimus.

CAPUT IX.

De Opere Gloriæ.

1. Gloria & glorificans conveniunt cum majori nobilitate in supremo Bono, & gloria & glorificatum conveniunt cum minori nobilitate in inferiori bono; & ideo demonstratur, quòd in supremo Bono gloria & glorificans & glorificatum æqualiter conveniant in nobilitate; & in inferiori bono glorificans, qui habet gloriam, conveniat cum majori nobilitate; & glorificatus, qui habet gloriam, & non dat gloriam, conveniat cum minori nobilitate: & si hoc non esset ita, supremum Bonum non esset super inferius: unde si in supremo Bono est gloria & glorificans & glorificatus, convenit de necessitate, quòd in illo sit operatio gloriæ; quia sinè operatione gloriæ esset impossibile, quòd in illo esset glorificans & glorificatus: & si in illo non esset glorificans & glorificatus, sequeretur, quòd inferius bonum esset magis nobile per glorificatum, quàm supremum: & si in supremo Bono esset glorificans & glorificatus, qui non haberent differentiam, supremum Bonum esset minùs glorificans & glorificatum, quàm inferius bonum glorificatum, in quantum haberet majorem differentiam cum glorificante, quàm supremum glorificatum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum esset per differentiam & per glorificatum superius glorificato, qui est in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. In inferiori bono conveniunt gloria & generatio contra pœnam & contra corruptionem, & pœna & corruptio conveniunt contra gloriam & generationem; & ideo demonstratur, quòd in supremo Bono conveniant Gloria & Generatio absque eo, quòd ibi sint vel conveniant pœna & corruptio contra Gloriam & Generationem, quæ sunt in supremo Bono; quia si convenirent, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset superius inferiori; quia in supremo Bono Gloria & Generatio convenirent, ad hoc, ut disconvenirent cum pœna & corruptione: & si in supremo Bono Gloria & Generatio non convenirent, inferius bonum esset superius supremo Bono per concordantiam gloriæ & generationis, quam haberet in se ipso; & si per concordantiam gloriæ & generationis inferius bonum esset supra supremum, sequeretur, quòd magis impossibilis esset pœna & corruptio in inferiori bono, quàm in supremo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem divina Trinitas est demonstrabilis; sinè qua Trinitate Gloria & Generatio non possent convenire, ut essent una Essentia; sicut pœna & corruptio non possent convenire contra subjectū, in quo sunt, si essent una eadem res cum subjecto sinè pluralitate.

3. Albedo est accidens; unde si albedo haberet in se ipsa unum album, quod de suomet albo generaret aliud album, & de albo generante & de albo generato procederet aliud album, & omnia ista tria alba essent in albedine, sequeretur, quòd albedo esset substantia: & quia substantia & majoritas conveniunt, & accidens & minoritas, idcirco esset bonum albedini, quòd haberet opus alborum in seipsa, ût suprà dictum est: & cùm albedo sit in inferiori bono, sequitur, quòd in Gloria, quæ est supremum Bonum, sit Gloriosus, qui de suamet gloria, hoc est, de se ipso generet Gloriam, hoc est, Gloriosum, & quod de Generante & Generato procedat Gloria, hoc est, Gloriosus, & quòd insimul tres Gloriosi per opus gloriosum sint una Essentia gloriosa in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in inferiori bono albedo esset de magis nobili opere, si haberet opus supradictorum trium alborum, quàm gloria, quæ est in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit sancta Trinitas, quam nos inquirimus.

4. In inferiori bono album, quod esset generatum de albo & non de alia re, magis naturaliter esset albificatum, quàm sit corpus album, quod non est generatum de albo; & album haberet magis expressum colorem in albedine, quàm sit corpus albificatum: & si homo, qui generat filium, esset in gloria, & generaret filium de suamet gloria, conveniret, quòd filius esset gloria generata de gloria; & si hoc esset, conveniret, quòd haberet majorem gloriam, quàm habeat, in hoc, quòd est generatus de hoc, quod non est gloria. Et si dæmon esset generatus de pœna, & ille esset pœna, conveniret, quòd non haberet pœnam; & sua pœna esset habere gloriam, quæ est contraria pœnæ: unde quemadmodum homo, qui esset generatus de gloria, non haberet liberum arbitrium, per quod haberet possibilitatem peccandi, nec peccatum posset ipsum inclinare ad pœnam per justitiam, & haberet libertatem ad faciendum bonum; nec dæmon, qui esset generatus de pœna, haberet libertatem faciendi hoc, per quod esset glorioſus, & haberet libertatem ad faciendum malum, sic convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Glorioſus, qui sit generatus de Gloria, & qui habeat libertatem ad faciendum opus, per quod sit dignus, ut sit glorioſus; & quòd sit impossibile, quòd in illum possit cadere culpa, per quam mereatur pœnam. Unde si supremum Bonum non operaretur de gloria, nisi in inferiori bono, quod est finitum, & quod non est gloria, & quod non potest recipere gloriam infinitam, esset impossibile, quòd supremum Bonum esset dignum, quòd haberet infinitam & æternam Gloriam, nec quòd esset infinita Gloria in bonitate, magnitudine &c.; & si esset, sua Gloria esset injuriosa in infinita bonitate, magnitudine &c.; & si esset, haberet majorem justitiam in inferiori bono, quàm in supremo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, esse in supremo Bono Generantem Glorificantem infinitum in bonitate, magnitudine &c., qui de sua Gloria generet Glorioſum infinitum in bonitate, magnitudine &c.; & quòd ambo habeant, cum quo conveniant ad esse una Essentia gloriosa infinita in bonitate, magnitudine &c.

&c.: quia si hoc non esset ita, sequerentur supradicta inconvenientia.

5. Quemadmodum corpus hominis damnati habebit majorem pœnam per contrarietatem, quæ erit inter materiam & formam, sic anima illius habebit majorem pœnam per contrarietatem, quæ erit inter suas potentias: & sicut anima non haberet tantam pœnam, si esset sinè contrariis potentiis, sic dæmon non haberet tantam pœnam, si esset una forma tantùm sinè materia; sed quia habet intellectualem formam & materiam, & est contrarietas inter formam & materiam, idcirco est demonstrabilis gloria, quam Angelus habet in Paradiso, in quantum materia & forma conveniunt, quòd sint una essentia gloriosa recipiens gloriam de sua simili gloria in una Essentia suprema, quæ est pura forma sinè materia; quæ forma habet diversa suppositа sinè materia; quia si non posset habere diversa suppositа sinè materia, non esset superior Angelo; qui sinè materia non posset habere diversas potentias in forma: & quia supremum Bonum habet diversa suppositа in sua pura forma sinè materia, idcirco est demonstrabile, quòd sit superior in simplicitate & in gloria & in omni nobilitate ipsâ creaturâ; quæ nobilitas non esset demonstrabilis, si non posset habere diversa suppositа in sua pura forma sinè materia.

6. De necessitate convenit, quòd, si in gloria Angelus habet majorem gloriam de Gloria supremi Boni, quàm de suamet gloria, in supremo Bono sint Glorioſi, qui habeant æqualem Gloriam unus de altero: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd voluntas & gloria Angeli meliùs convenirent cum charitate & justitia, quàm voluntas & gloria supremi Boni, quæ non haberent Gloriam de sua æquali Gloria; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd major gloria possit esse in societate infinitorum æternorum perfectorum in omnibus cameris Figuræ, quàm in una essentia sola, absque eo, quòd in se ipsa habeat supradictam societatem: unde cùm hoc ita sit, per supradictas impossibilitates & demonstrationes tibi demonstratur suprema Trinitas, quam quæris.

CAPUT X.

De Opere Perfectionis.

1. VEritas est, quòd in inferiori bono perficiens, perfectum & perfectio & opus perfectionis conveniant; quia si non convenirent, esset impossibile, quòd ulla forma veniret ad complementum; & si non veniret ad complementum, causa finalis nihil esset; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in inferiori bono perficiens & perfectum & perfectio & suum opus conveniant: unde cùm ista concordantia sit in inferiori bono, de necessitate convenit, quòd concordantia Perficientis & Perfecti & Perfectionis & sui Operis sit in supremo Bono; quia si non esset, non esset superius in perfectione inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono Perficiens & Perfectus & Perfectio & Opus Perfectionis concordent & conveniant.

2. Ratio, quare in inferiori bono perficiens & perfectum disconveniant in opere, est per hoc, quia opus venit ad complementum; & postquam habet complementum, non convenit, quòd operans sit operans in operatum; sicut apparet in fabro ferrario, cui non convenit facere cultrum, quem fecit: unde cùm in supremo Bono Opus Perfectionis nobiliùs conveniat cum Perficiente & Perfecto, quàm in inferiori bono, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Perficiens Operans de Perfectione Perfectum Operatum, qui sit æternaliter & infinitè Perficiens & Operans, & quòd Perfectus & Opus sint æterna & infinita: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd non conveniret, supremum Bonum in Opere & in Perfectione esse superius opere & perfectione inferioris boni, secundùm quòd convenit; quia si supremum Bonum esset perficiens & operans in perficere & in operari perfectum finitum & non infinitum, & opus finitum & non infinitum, non esset superius perfecto operato finito per perfectum operatum infinitum: & si non esset, supremum Bonum esset in nobilitate inferius, & inferius bonum superius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Trinitas est demonstrabilis.

3. Si faber ferrarius, qui facit cultrum, esset ferrum æternum infinitum, & æternaliter & infinitè operaretur cultrum ex ferro, conveniret de necessitate, quòd operans cultrum generaret de se ipso cultrum, & quòd culter esset æternaliter & infinitè culter operatus perfectus, & quòd faber ferrarius æternaliter & infinitè illum perfecisset &

& operatus esset, & quòd æternaliter & infinitè illum perficeret & operaretur sinè ulla cessatione; & si hoc ita esset, esset impossibile, quòd in cultro posset esse corruptio: & ratio, quare in tuo cultro corruptio est in potentia, est per hoc, quia faber ferrarius, qui sit ferrum, non illum generavit nec generat de se ipso; sed si in tuo cultro esset continuè generatio, & operans non cessaret in illo, esset impossibile, quòd corruptio esset in tuo cultro, dum generatio esset in tuo cultro: unde cùm hoc ita sit, per figuram operis ferrarii supradicti tibi figuratur sancta Trinitas, quam quæris: quia si in supremo Bono non esset Operans perfectus, qui infinitè & æternaliter generaret Operatum perfectum infinitum & æternum, sequeretur, quòd ferrarius & suum opus essent superiora supremo Bono in opere & in perfectione, & quòd magis impossibilis esset corruptio in cultro, quàm in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd major possibilitas sit, quòd in supremo Bono sit Generatio actualis æterna infinita & perfecta, quàm in inferiori bono.

4. Omne perfectum finitum potest esse magis nobile per perfectum infinitum, quàm est; quia si non esset, supremum Bonum non esset infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate nec in aliis cameris Figuræ: & si perfectum bonum infinitum potest multiplicare bonum in inferiori bono finito, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono infinito sit aliquis, qui possit perficere infinitum; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum esset magis nobile in inferiori bono perficiendo illud, quàm in se ipso; & hoc est impossibile: & si infinitum perficiens infinitum multiplicaret bonum in perfecto infinito, demonstraretur, quòd infinitum esset insimul finitum & infinitum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd perficiens infinitus de se ipso & de toto se ipso generat & perficit æternaliter & infinitè generatum perfectum sinè ulla multiplicatione generationis & perfectionis; quia si Paternitas est æterna & infinita, & de tota se ipsa generat & perficit Filiationem, convenit, quòd sit impossibile, quòd in Filiatione sit augmentum generationis vel perfectionis. Et si dicis, quòd hoc sit impossibile; verum dicis, quo ad inferius bonum, sed quo ad supremum Bonum, non dicis verum: quia si non esset differentia inter impossibilitatem, quæ est in inferiori bono, & impossibilitatem, quæ est in supremo Bono, sequeretur, quòd inter possibilitatem, quæ est in supremo Bono, & possibilitatem, quæ est in inferiori bono, non esset differentia; & hoc est impossibile.

5. Si vis negare in supremo Bono Trinitatem, pone duodecim cameras Figuræ in tuo intellectu; & si tuus intellectus potest intelligere defectum in cameris per Trinitatem, si in supremo Bono affirmas Trinitatem, tunc poteris verè negare Trinitatem in supremo Bono; quia est impossibile, quòd Trinitas possit esse in supremo Bono ad destructionem camerarum: & si tu intelligis perfectum Opus & perfectas cameras in supremo Bono per Trinitatem, quare ergò negas in supremo Bono Trinitatem? quia negando Trinitatem negas perfectionem in supremo Bono, quia quemadmodum non potes intelligere inferius bonum, si vis illud intelligere sinè defectu, sic non potes intelligere supremum Bonum, si vis illud intelligere sinè Trinitate.

CAPUT XI.

De Opere Simplicitatis.

1. SImplicitas & major nobilitas conveniunt, & compositio & minor; & ideo demonstratur, quòd opus simplex & majoritas conveniant, & opus compositum & minoritas: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd simplicitas & opus conveniant; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd opus conveniret cum privatione, & quòd disconveniret cum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd generatio esset corruptio, & quòd corruptio esset generatio, & quòd elementa composita essent efficientia in simplicibus, & quòd formæ essent incorruptibiles, & quòd materia esset corruptibilis & generabilis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono conveniant Simplicitas & Opus simplex; quia si disconvenirent, suprema Simplicitas non haberet Opus, cum quo conveniret; cùm in inferiori bono nulla simplicitas perfectè conveniat cum opere simplici. Unde cùm suprema Simplicitas sit superiùs, & inferior inferiùs in nobilitate, per hoc sequitur de

necessitate, quòd suprema Simplicitas conveniat cum Opere simplici in supremo Bono: per quam convenientiam Sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. In inferiori bono unum compositum generat alterum compositum; & si compositum, quod generat compositum, esset expressa compositio, & generaret compositionem, & de generante & generato procederet compositio, & omnes tres compositiones essent insimul una compositio, esset magis expressa compositio, quàm sit illa, quæ est in inferiori bono, in quo sunt quatuor elementa simplicia per compositionem, quæ in illa non possent esse, si compositio generaretur de expressa compositione: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit Simplicitas, quæ de se ipsa generat Simplicitatem; & quòd de ambabus Simplicitatibus procedat Simplicitas, & sint una pura expressa Simplicitas essentialis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esset magis impossibile, in inferiori bono simplicitatem esse in compositione generata de compositione, quàm compositionem in suprema Simplicitate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono compositio non esset magis impossibilis, quàm simplicitas in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas, quam quæris, est tibi demonstrabilis, quam intelliges, si illam amas intelligere eâ intentione, quòd illam ames, si illam intelligas.

3. In inferiori bono in omni substantia est convenientia unitatis & pluralitatis in hoc, quòd omnis substantia, quæ habet esse reale, sit in unitate & in pluralitate: unde quantò magis conveniunt unitas & pluralitas, tantò magis in substantia convenit simplicitas, & disconvenit compositio; & ideo est plus simplicitatis in anima, quàm in corpore, & plus in Angelo, quàm in anima: unde si in inferiori bono esset discordantia inter unitatem & pluralitatem, conveniret de necessitate, quòd in substantia, in qua esset plus de simplicitate, pluralitas haberet minus esse reale, quàm in substantia, in qua esset minus de simplicitate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in Angelo unitas & pluralitas haberent minorem concordantiam, quàm in anima, & in anima, quàm in corpore: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd corpus per majorem concordantiam & per majorem pluralitatem & per majorem compositionem haberet magis reale esse, quàm anima, & anima, quàm Angelus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd corpus animatum esset incorruptibile, vel quòd anima & Angelus essent corruptibiles; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit concordantia unitatis & pluralitatis; quia si non esset, sequeretur, quòd, quemadmodum concordantia in Angelo conveniret cum minoritate, si per simplicitatem sua pluralitas conveniret cum minoritate, sic in supremo Bono sua Unitas & sua Simplicitas haberent minorem concordantiam per privationem concordantiæ inter unitatem & pluralitatem, quàm haberent in Angelo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono Unitas & Simplicitas conveniant cum pluralitate.

4. In corporibus elementatis est major compositio, quàm in cœlestibus; & hoc est ideo, quia in elementatis unum elementum contrariatur alteri; sed si in corporibus elementatis non essent contraria, in illis esset minor compositio, quàm in cœlestibus; & hoc est ideo, quia in elementatis per generationem est convenientia inter pluralitatem & unitatem; per quam generationem non est concordantia in cœlestibus, in quantum in illis non est generatio: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd generatio non esset causa, per quam in corporibus elementatis unitas esset unita de pluralitate, nec quòd per corruptionem unitas esset dissoluta per disjunctionem diversarum rerum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, in supremo Bono esse Unitatem & Pluralitatem & Generationem, ad hoc, ut in illo sit perfecta Simplicitas, quæ sit superior unitate & pluralitate, quæ in corpore humano esset superior corporibus cœlestibus, si in illo esset generatio sinè corruptione.

5. In corpore glorificato erit major simplicitas (quamvis in illo non sit generatio) quàm in corpore corruptibili, quamvis in illo sit generatio; & hoc erit propter majorem concordantiam, quæ erit inter unitatem & pluralitatem corporis glorificati, quàm sit illa, quæ est in unitate & pluralitate corporis corruptibilis: unde si in corpore glorificato esset generatio, quæ non cessaret, & in illo non esset corruptio, concordantia unitatis & pluralitatis esset major; & quantò major esset concordantia, tantò major esset simplicitas: unde cùm hoc ita sit, & cùm conveniat, quòd suprema Simplicitas sit major & magis alta, quàm esset simplicitas corporis glorificati, idcirco demonstratur, quòd in suprema Simplicitate sit concordantia unitatis & pluralitatis, & sit generatio, quæ non cessat operari concordantiam unitatis & pluralitatis & simplicitatis.

6. Si infinita in essentia & in differentia essent una essentia sinè concordantia infinita, in inferiori bono non esset ulla essentia tam composita, sicut esset supradicta essentia; igitur si infinita in essentia & in differentia sunt una essentia cum concordantia infinita, convenit de necessitate, quòd in inferiori bono non sit ulla essentia tam simplex, sicut ista, quæ est de infinitis diversis concordantibus habentibus infinitam essentiam & differentiam & concordantiam: unde cùm suprema Simplicitati conveniat, quòd sit suprema, convenit, quòd in illa sit hoc, per quod intellectui est demonstrabile, illam esse supremam.

7. Quemadmodum compositio fit per terminos finitos conjunctos & compositos in una substantia, sic de necessitate convenit, quòd suprema Simplicitas sit per infinita suppositа unita æternaliter & infinitè per Generationem & Processionem in una Essentia æterna & infinita: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd non esset contrarietas inter simplicitatem & compositionem, nec inter infinitum & finitum; & hoc est impossibile.

8. Si dicis, quòd sit impossibile, quòd simplicitas sit in substantia, in qua est pluralitas; verum dicis in inferiori bono; sed quoad supremum Bonum non dicis verum: quia si omne id sequeretur de suprema Simplicitate, quod sequitur de inferiori, suprema non esset superior, nec inferior esset inferior; & hoc est impossibile. Et si dicis, quòd pluralitas non sit bona in unitate per hoc, quia est causa compositionis; non dicis verum: quia si pluralitas non esset bona in unitate, destructio pluralitatis non esset destructio unitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conservatio pluralitatis in unitate sit bona. Et si dicis, quòd in supremo Bono non sit pluralitas, tunc tu dicis, quòd inferius bonum esset melius, si non haberet pluralitatem, in quantum esset magis simile supremo Bono: & si inferius bonum esset melius, si non haberet pluralitatem, esset melius, si non esset hoc, quod est; & hoc est impossibile: cùm esse contineat plus in se, si habet unitatem & pluralitatem, quàm si contineret in se unitatem sinè pluralitate. Et si dicis, quòd pluralitas non sit in supremo Bono, per hoc, quia putas, quòd in illo esset compositio, tunc tu affirmas, quòd in supremo Bono pluralitas haberet majorem possibilitatem dandi compositionem, quàm unitas dandi simplicitatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset impossibile, quòd in supremo Bono essent cameræ Figuræ.

CAPUT XII.

De Opere Libertatis.

1. Libertas & majoritas, & servitus & minoritas conveniunt in inferiori bono; & in supremo Bono libertas & majoritas conveniunt, & in inferiori libertas & minoritas: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Deus non esset supremum Bonum inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd, sicut in supremo Bono Libertas & majoritas conveniunt, & in inferiori bono libertas & minoritas, sic in supremo Bono Libertas & Opus conveniant cum majoritate, & in inferiori bono libertas & opus conveniant cum minoritate: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd libertas & opus inter se contrariarentur; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd servitus & opus concordarent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si Libertas & Opus conveniunt in supremo Bono cum majoritate, & in inferiori cum minoritate, de necessitate sequatur, quòd in supremo Bono Libertas & Opus sint una eadem res, & quòd in inferiori bono habeant differentiam: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd in supremo Bono Libertas & Opus concordarent per omnes cameras Figuræ; sinè qua concordantia non possent esse in supremo Bono, quod non posset esse supremum Bonum sinè Libertate & Opere; quia si haberet Opus, & non Libertatem, esset in-

inferius bonum per servitutem, in qua esset; & si haberet Libertatem sinè Opere, frustra haberet libertatem, & esset concordans cum minoritate & cum defectu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. Si libertas, quam homo habet, esset generata de alia libertate, esset magìs expressa & magis pura libertas, quàm est; & si in generatione libertatis esset generata charitas, justitia, prudentia, fortitudo, temperantia, esset impossibile, quòd homo caderet in servitutem per culpam; & si talis libertas esset continuè generata de alia libertate sinè ulla cessatione, esset impossibile, quòd in hominem, in quo supradicta libertas esset generata, caderet corruptio & ignorantia & ullum vitium aut privatio: unde cùm libertas in supremo Bono conveniat cum majoritate, & in inferiori bono cum minoritate, idcirco demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd in supremo Bono sit libertas, quæ sit generata de alia libertate habente tam altam nobilitatem, quòd sit impossibile, in illa libertate esse privationem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd, si inferius bonum haberet libertatem, quæ esset generata, secundùm quòd suprà dictum est, esset supremum Bonum, & supremum Bonum esset inferius bonum; & hoc est impossibile.

3. Si in supremo Bono non esset Libertas, quæ generaret & operaretur Libertatem infinitam, & quæ daret Libertatem infinitam, Essentia supremi Boni esset infinita, & sua Libertas esset finita, & Essentia esset superior, & Libertas inferior; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset impossibile, quòd duodecim cameræ essent in supremo Bono; sinè quibus supremum Bonum non esset superius inferiori bono: unde cùm sit superius inferiori bono, sequitur de necessitate, quòd, quemadmodum Libertas, quæ est in supremo Bono, est infinita, sic hoc, quod in supremo Bono habet libertatem operandi, sit res infinita; quia sinè sua infinitate supremum Bonum non posset operari infinitè nec liberè.

4. In inferiori bono natura desiderans uti suâ libertate capit objectum, & capiendo illud, generat illud; & de generante & objecto, quod natura liberè generat, procedit concordantia, per quam natura componit substantiam de materia & forma: & quia libertas & generatio conveniunt, & servitus & corruptio, & natura non potest uti suâ libertate sinè servitute in hoc, quòd non potest generare unam formam sinè corruptione alterius; & cùm natura sit inferius bonum, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono sit magìs altum & magìs nobile Opus Libertatis & Generationis, generante Genitore de se ipso Generatum liberè sinè ulla servitute & corruptione: & si hoc non esset ita, suprema Libertas non haberet in se ipsa nobilitatem, per quam esset superior libertate naturali, quæ est inferior; quia si supremum Bonum non haberet libertatem in se ipso, quòd unum suppositum liberè generaret alterum suppositum, natura, quæ in se ipsa habet libertatem generandi de se ipsa unum objectum corrumpendo alterum, haberet magìs nobilem & magis expressam libertatem, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile.

5. Tu scis, quòd tua memoria non sit libertas; quia si esset, non cessaret recolere; cùm recolere sit bonum, & obliviscì sit privatio boni; & quia tua memoria habet libertatem ad recolendum, idcirco liberè recolit, quando potest recolere, & coactè obliviscitur, quando per aliquod accidens non potest recolere; & quia tua memoria liberè capit objectum, quod recolit, & liberè illud relinquit, quando capit alterum objectum, idcirco tua memoria habet libertatem in recolendo: unde si tua memoria esset suamet libertas, & de semetipsa continuè generaret intellectum, & generaret intelligere, quod est operatio intellectûs, esset impossibile, quòd intellectus ignoraret, nec voluntas cessaret velle objectum recolitum & intellectum: unde cùm memoria non sit libertas, & nihilominùs habeat libertatem generandi intelligere in intellectu, & memoria sit inferius bonum, quantò magìs supremum Bonum, quod est libertas, habet in se ipso libertatem, quæ de se ipsa generet aliam libertatem & operationem, quam illa libertas habet in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd tua anima, quæ habet in se ipsa libertatem, quòd una libertas in se ipsa operetur alteram, hoc est, tua memoria, quæ generat tuum intelligere, esset superior in libertate supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatè, & per alias supradictas impossibilitates Sancta Trinitas est demonstrabilis.

Si

6. Si dicis, quòd, quemadmodum memoria recolendo generat intelligere, sic intellectus intelligendo generet recolere; non est verum: quia si converteretur, h. e., quòd intellectus generaret, confunderetur differentia generantis & generati; & quantùm differentia confunderetur, tantùm concordantia esset confusa & annihilata; & quantò magìs esset confusa differentia & concordantia, tantò magìs destrueretur esse reale generantis & generati; & quantò magìs destrueretur, tantò magìs conveniret cum minoritate; & quantò magis conveniret cum minoritate, tantò minùs esset demonstrabilis Creator in cameris Figuræ.

7. Et si dicis, quòd memoria habeat majorem libertatem, quàm intellectus, quia generat intelligere, & dat processionem ipsi velle in voluntate; non est verum: quia memoria de toto suo recolere generat intelligere; & tam nobile opus est intelligere in intellectu, quàm est recolere in memoria; & hoc est ideo, quia de tota memoria generatur intelligere; & ideo tam liber est intellectus ad intelligendum, quàm libera est memoria ad recolendum: & quia velle procedit æqualiter de memoria & intellectu, idcirco tam liber est intellectus in dando processionem ipsi velle intelligendo, quàm libera est memoria recolendo. Et si dicis, quòd memoria & intellectus habeant majorem libertatem, quàm voluntas, in dando processionem ipsi velle; non est verum: quia velle voluntatis vult tam liberè, & habet tam magnam libertatem, sicut habet memoria in recolendo, & sicut habet intellectus in intelligendo; & hoc est ideo, quia illud velle procedit de tota memoria & intellectu mediante memoriâ & intellectu, quæ conveniunt in æqualitate cum voluntate in quantitate & in libertate.

CAPUT XIII.

De DEO, Creatura & Operatione.

1. OMne, quod est, aut est DEUS, aut est Creatura, aut est Operatio; & hoc, quod non est ullum istorum trium, nihil est: unde si creatura, quæ est inferius bonum, generaret continuè æternaliter de se ipsa alteram creaturam, & opus, quod est inferius bonum, generaret aliud opus sinè cessatione, sequeretur, quòd generatum de creatura & operatione procederet de inferiori bono, & extenderetur in infinitum, & non esset in inferiori bono, quod est terminatum & finitum; & quia generatum de creatura & generatum de operatione non essent una essentia, quamvìs extenderentur in infinitum, idcirco non possent esse supremum Bonum; quia, secundùm quòd probavimus *in secundo Libro*, convenit, supremum Bonum esse unam Essentiam: unde si creatura, quæ esset generata continuè de creatura & operatione, quæ non cessaret esse generata de operatione, exirent de inferiori bono, & transcenderent illud, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit talis generatio, quæ per generationem non sit inferius bonum, & sit supremum; & quòd de generante & generato procedat concordantia, per quam generans & generatus sint una Essentia, quæ sit supremum Bonum: & si in supremo Bono non est Generatio nec Processio, sequitur, quòd in supremo Bono privetur perfectio, per quam supradicta generatio creaturæ & operationis essent ultra inferius bonum: & si in supremo Bono privaretur ulla perfectio, per quam hoc, quod est inferius bonum, converteretur in esse superius inferiore, secundùm quòd suprà dictum est, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset perfectè supremum Bonum inferiore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit Generatio & Processio; per quam Generationem & Processionem Sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. Omne id, quod est creatura, vel est substantia, vel est accidens; & omne id, quod est substantia creata, est in unitate & trinitate; in unitate est, in quantum est una substantia; in trinitate est, in quantum est composita de materia & forma & de concordantia, cum qua materia & forma conveniunt: & convenit, quòd omne id, quod est accidens, sit in subjecto; & convenit, esse concordantiam inter illud & subjectum; quia sinè concordantia non conveniret, quòd subjectum esset continens, & accidens contentum: *& convenit, quòd omne id, quod est operatio, sit per tria, hoc est, per agens & per operatum & per medium, cum quo agens est operans, & operatum est operatum; & hoc sequitur in omni opere naturali vel artificiali:* unde cùm omne id, quod est in inferiori bono, rotet & currat per unitatem & trinitatem, secundùm quòd suprà dictum est,

si

si in supremo Bono non esset Trinitas, non esset per inferius bonum tam demonstrabile nec tam honorabile, sicut est, si haberet in se Trinitatem; quia unitas, quæ est in inferiori bono, significat, quòd habeat supra se aliam unitatem magis nobilem, quæ est in supremo Bono; & trinitas, quæ est in inferiori bono; demonstrat, quòd sit alia Trinitas, quæ est superior illâ: & si in supremo Bono non esset Trinitas, trinitas, quæ est in inferiori bono, non haberet supra se aliam trinitatem; & si non haberet, supremum Bonum per solam Unitatem non esset tam nobiliter supremum, sicut est per unitatem, quæ est suprema unitati & trinitati, quæ est in inferiori bono; & per Trinitatem, quam habet in se, quæ est suprema unitati & trinitati, quæ est in inferiori bono.

CAPUT XIV.

De Differentia, Concordantia & Contrarietate.

1. Differentia & Concordantia sunt bonum; quia si essent malum, sequeretur, quòd anima & corpus, quæ sunt diversa & concordantia, ut sint homo, essent malum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd differentiare & concordare sint bonum; quia si essent malum, esset impossibile, quòd differentia & concordantia essent bonum: unde cùm differentia & concordantia sint bonum, per hoc demonstratur, quòd opus differentiandi & concordandi sit bonum; quia sinè opere differentiare & concordare nihil essent; & sinè differentiare & concordare differentia & concordantia non essent bonum.

2. Quemadmodum in inferiori bono opus, quod est de differentia & de differentiare, & de concordantia & de concordare, est bonum, sic in inferiori bono opus, quod est de differentia & de differentiare, & de contrarietate & de contrariari, est malum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd opus differentiæ & concordantiæ non conveniret cum esse & cum generatione; nec opus differentiæ & contrarietatis conveniret cum privatione & cum corruptione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in supremo Bono non esset opus differentiæ & differentiare, & concordantiæ & concordare, esset impossibile, quòd magis impossibile esset in supremo Bono opus differentiandi & contrariandi, quàm in inferiori bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum non haberet, cum quo esset perfectè superius inferiore: unde cùm supremum Bonum sit perfectè superius inferiore, per hoc est demonstrabilis Sancta Trinitas, quam nos inquirimus.

3. Tu scis, quòd in inferiori bono non caperetur bonitas sinè bonificare, nec magnitudo sinè magnificare, nec potestas sinè possificare, nec sapientia sinè sapientificare, nec amor sinè amare; & hoc est ideo, quia bonitas & bonificare, & magnitudo & magnificare &c. conveniunt cum majoritate, quæ convenit cum esse; & bonitas & privatio ipsius bonificare, & magnitudo & privatio ipsius magnificare conveniunt cum minoritate, quæ convenit cum non esse: & quia bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare non convenirent cum esse sinè differentia & differentiare, concordantia & concordare, idcirco convenit de necessitate, quòd in inferiori bono sit differentia & differentiare, concordantia & concordare: & quia differentia & differentiare, concordantia & concordare non possent esse in inferiori bono sinè pluralitate, idcirco convenit de necessitate, quòd in inferiori bono sit pluralitas: per quam pluralitatem demonstratur, quòd, sicut in inferiori bono non caperetur bonitas, magnitudo, sinè pluralitate, secundùm quòd suprà dictum est, sic in supremo Bono non essent duodecim cameræ Figuræ, si pluralitas non esset in supremo Bono: quia si in illo non esset pluralitas, in illo non posset esse differentiare & concordare; nec sinè differentiare & concordare in illo esset bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare, æternitas & æternificare &c.: & si bonitas esset in supremo Bono sinè bonificare, & magnitudo sinè magnificare, & æternitas sinè æternificare &c., per privationem pluralitatis & differentiæ & concordantiæ bonitas, magnitudo & æternitas &c., quæ sunt in supremo Bono, convenirent cum defectu; & si in supremo Bono est pluralitas & differentia & concordantia, conveniunt cum perfectione: unde cùm hoc ita sit, *de necessitate convenit, quòd omne id sit in supremo Bono, per quod cameræ conveniunt cum perfectione*; per quam perfectionem Trinitas, quam

quam quæris, est tibi demonstrabilis; quia si in inferiori bono non potest esse nec capi ullum bonum sinè bonificare, quantò minùs in supremo Bono potest esse bonitas &c. sinè bonificare.

4. Quemadmodum duodecim cameræ Figuræ non possunt comprehendi per inferius bonum, per hoc, quia inferius bonum est terminatum & finitum, sic duodecim cameræ non possent esse in pluralitate supremi Boni, nisi illa pluralitas esset una Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c.; quia si cameræ essent in pluralitate supremorum Bonorum sinè Unitate Essentiæ, in supremis Bonis differentia esset una Essentia, & differentiare esset altera, & in illis esset contrarietas & contrariari, ne omnes Essentiæ essent una Essentia: & si hoc esset ita, sequeretur, quòd Essentiæ, in quibus esset contrarietas & contrariari contra concordantiam & concordare, ne diversæ essentiæ essent una Essentia, non essent supremum Bonum; quia contrarietas & contrariari non possunt esse in supremo Bono.

5. Major differentia est inter album & rubeum, quàm inter album & album; & major concordantia est inter album & album, quàm inter inter album & rubeum; & hoc est ideo, quia album & rubeum differunt & concordant sub colore, qui est genus, & album & album sub albedine, quæ est species: unde si esset unum opus in inferiori bono, quod esset una eadem res cum albedine & rubedine, & albo & rubeo, major differentia in illo esset & major concordantia, quàm sit in differentia albi & rubei, & albi & albi: & si albedo generaret de se ipsa albedinem, & rubedo generaret de se ipsa rubedinem, & de ambabus albedinibus procederet alia albedo, & de ambabus rubedinibus procederet alia rubedo, & si unum album generaret de se ipso aliud album, & de ambobus albis procederet aliud album, & si unum rubeum generaret de se ipso aliud rubeum, & de ambobus rubeis procederet aliud rubeum, & omnes istæ generationes & processiones essent unum opus tantùm, & hoc opus esset sinè cessatione, multò major impossibilitas esset, quòd in opere esset privatio rubei, nec contrarium albi, nec corruptio rubei & albi, quàm sit in inferiori bono, in quo non est supradictum opus. Unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit simile opus supradicto (sic loquendo) quia si non esset, non esset superius bonum inferiore per majorem differentiam & per majorem concordantiam & impossibilitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono una potestas generet aliam potestatem, & de ambabus potestatibus procedat alia potestas, & una sapientia generet aliam sapientiam, & de ambabus sapientiis procedat alia sapientia, & unus amor generet alium amorem, & de ambobus amoribus procedat alius amor, & hoc æternaliter & sinè cessatione; & potestas, quæ generat aliam potestatem, est una eadem res cum sapientia, quæ generat aliam sapientiam, & cum amore, qui generat alium amorem; & potestas generata est una eadem res cum sapientia generata & cum amore generato; & potestas, quæ procedit de ambabus potestatibus, est una eadem res cum sapientia, quæ procedit de ambabus sapientiis, & cum amore, qui procedit de duobus amoribus: & ideo sequitur, quòd suprema Essentia habeat in se majorem differentiam & majorem concordantiam inter supradictas potestates & sapientias & amores, quàm haberet, si in se ipsa non haberet pluralitatem: per quam pluralitatem differentem & concordantem significatur Sancta Trinitas.

CAPUT XV.

De Principio, Medio & Fine.

1. Quemadmodum non convenit, quòd inferius bonum sit supremum Bonum, per hoc, quia habet Principium, Medium & Finem, sic non convenit, quòd supremum Bonum sit inferius bonum, per hoc, quia inferius bonum habet principium, medium & finem: unde si principium, quod est in inferiori bono, generaret de se ipso aliud principium, & de ambobus principiis procederet aliud principium, & hoc æternaliter & infinitè, esset impossibile, quòd medium & finis, quæ sunt in inferiori bono, habuissent principium; & si non habuissent principium, non conveniret, quòd essent inferius bonum; & si non conveniret, quòd essent inferius bonum, conveniret, quòd essent supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tria supradicta principia convenirent cum supremo Bono, & discon-

venirent cum inferiori bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd principium, medium & finis convenirent cum cameris Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si per generationem, quæ esset in tribus supradictis principiis, disconveniret, quòd medium & finis, quæ sunt in inferiori bono, essent inferius bonum, & conveniret, quòd essent supremum Bonum, de necessitate conveniat, quòd in supremo Bono sit Generatio, per quam disconveniat, quòd sit inferius bonum, & conveniat, quòd sit supremum Bonum.

2. Si dicis, quòd, sicut conveniret, quòd medium & finis, quæ sunt in inferiori bono, essent supremum Bonum per supradicta tria principia, sic conveniat, quòd in supremo Bono sint tres generationes, per quas disconveniat, quòd sit inferius bonum; non est verum: quia si primum principium generaret secundum, & illa duo generarent tertium, secundum non esset perfectum in esse generatum, in quantum esset necessarium alterum principium generatum: & quia Pater in suprema Essentia generat perfectum Filium, non convenit, quòd de Patre & Filio generetur Filius; quia si conveniret, unus Filius non esset perfecta Filiatio, nec unus Pater perfecta Paternitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Processio Sancti Spiritûs est demonstrabilis. Et si dicis, quòd, si Pater est perfectus in generando, & Filius in esse generatus, non sit necessarium, quòd ab illis procedat Sanctus Spiritus; non est verum: quia nisi procederet utilitas à Patre & Filio, non conveniret, quòd Pater generaret Filium, nec quòd Filius esset generatus.

3. Si tu posses privare duos terminos, quibus medium, quod est in inferiori bono, est terminatum (qui duo termini sunt principium & finis) esset impossibile, quòd medium esset inferius bonum: & si medium, quod non esset terminatum, generaret de se ipso aliud medium, & de ambobus mediis procederet aliud medium, & insimul essent una essentia, & si generatio & processio non esset terminata intra principium & finem, esset major impossibilitas, quòd medium esset inferius bonum, quàm si esset sinè generatione, quamvis non esset terminatum intra principium & finem: unde cùm hoc ita sit, per supradictum medium tibi significatur Sancta Trinitas; cùm sit major impossibilitas, quòd in supremo Bono sit principium & finis, si habet in se Generationem, per quam unum supremum Bonum generet de se ipso alterum supremum Bonum, & si ab ambobus procedat alterum supremum Bonum, quàm esset, si supremum Bonum non haberet in se ipso Generationem: quia sicut non demonstratur, quòd nigrum sit impossibile in charta alba, per hoc, quia albedo in illa non generat albedinem, quæ impossibilitas demonstraretur, si albedo in illa generaret aliam albedinem æternaliter & infinitè, sic in supremo Bono non demonstraretur impossibilitas principii & finîs sinè Generatione: unde cùm major impossibilitas, quæ possit demonstrari, quòd in supremo Bono sit principium & finis, conveniat cum esse, & minor cum non esse, idcirco in supremo Bono sancta Generatio est demonstrabilis; per quam Sancta Trinitas est demonstrabilis.

4. Si finis, qui est in inferiori bono, de se ipso continuè generaret alium finem, & de ambobus finibus procederet alius finis sinè ulla cessatione, sequeretur, quòd in inferiori bono non esset finis nec medium nec principium; & conveniret, quòd inferius bonum esset supremum Bonum, postquam esset sinè principio & fine: & si finis, qui est in inferiori bono, generaret in materia finem sinè cessatione, conveniret, quòd species devenirent in privationem: unde cùm hoc ita sit, per supradictam majorem generationem, per quam conveniret, quòd inferius bonum esset supremum Bonum, & per generationem, per quam inferius bonum deveniret in privationem, significatur, quòd in supremo Bono necessariò sit Generatio; quia si per generationem finîs inferius bonum posset ascendere superiùs, vel descendere inferiùs, de necessitate convenit, quòd per Generationem infiniti supremum Bonum sit supra inferius bonum; quia si non esset, supremum Bonum non haberet, cum quo esset superius inferiore bono.

5. Si dicis, quòd per hoc, quia in inferiori bono quilibet duorum supradictorum finium est impossibilis, non possit dari demonstratio Trinitatis; non est verum: *nam quia supremum Bonum est superiùs, & inferius bonum est inferiùs, te convenit dare talem comparationem, per quam possis intelligere & demonstrare, supremum Bonum esse supra inferius bonum; & ista intelligentia & demonstratio est supra rationem naturalem, supra quam intellectus intelligit sanctam divinam Trinitatem.*

CAPUT XVI.

De Majoritate, Æqualitate & Minoritate.

1. QUi in inferiori bono destrueret Majoritatem & Minoritatem & Æqualitatem, destrueret totum inferius bonum; & qui supremo Bono adderet majoritatem & minoritatem & æqualitatem, destrueret supremum Bonum; & qui minoritati, quæ est in inferiori bono, adderet infinitum, elevaret minoritatem sursum, & deprimeret majoritatem deorsum; & qui majoritati & minoritati adderet infinita, elevaret majoritatem & minoritatem sursum, & faceret majorem æqualitatem, quàm sit æqualitas, quæ est de bonis finitis, & remaneret majoritas & minoritas; & qui minori æqualitati adderet infinita, remaneret æqualitas, & destrueretur majoritas & minoritas; & si in inferiori bono destrueretur majoritas & minoritas per additionem infinitorum ad majoritatem, minoritatem & æqualitatem, hoc, quod est inferius bonum, esset supremum Bonum; quia si non esset, sequeretur, quòd hoc, quod est inferius bonum, non esset inferius, per hoc, quia habet majoritatem, minoritatem & æqualitatem finitam; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd inferius bonum habens finem in majoritate, minoritate & æqualitate posset esse supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit æqualitas infinitorum sinè majoritate & minoritate; quia si non esset, inferius bonum non posset converti in supremum Bonum per additionem infinitorum ad sua finita; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Æqualitas, per quam est demonstrabilis Sancta Trinitas.

2. Tu scis, quòd magis nobile opus sit æqualificare infinita sinè majoritate & minoritate, quàm æqualificare finitum cum infinito, vel finitum cum finito: unde si in supremo Bono non essent æqualia infinita, esset impossibile, quòd in illo esset supradictum majus Opus, sinè quo non conveniret esse supremum Bonum; quia si esset supremum Bonum per minus opus, quantò magis esset supremum Bonum per majus Opus: unde cùm sit impossibile, quòd supremum Bonum possit esse altius, quàm est, idcirco demonstratur, quòd in illo sit majus Opus, per quod Trinitas tibi est demonstrabilis.

3. Tu scis, quòd in supremo Bono non conveniat majoritas nec minoritas; & si negas in supremo Bono æqualitatem, tunc tu affirmas, quòd in supremo Bono non sit majoritas, quæ sit supra majoritatem & minoritatem & æqualitatem, quæ sunt in inferiori bono: & si affirmas in supremo Bono æqualitatem, tunc dicis, quòd sua æqualitas sit major majoritate, minoritate & æqualitate, quæ sunt in inferiori bono: & si tu hoc affirmas, tunc non negas in supremo Bono Trinitatem; quia per affirmare æqualitatem non negatur Trinitas.

4. Tu, in quantum es substantia, non habes majoritatem nec minoritatem nec æqualitatem, sed in quantum tua substantia est composita de materia & forma, tua substantia habet in se majoritatem & minoritatem, in quantum forma est magis nobilis, quàm materia, & anima, quàm corpus: & quia tua substantia est composita de habentibus in se majoritatem & minoritatem, non potest esse superior inferiori bono, quamvis illa, in quantum est substantia, non habeat majoritatem nec minoritatem nec æqualitatem: unde si divina substantia est superior, & tua inferior, de necessitate convenit, quòd suprema Substantia habeat id, per quod sit superior, & tua inferior: unde si divina Substantia non habet majoritatem nec minoritatem nec æqualitatem, in quantum est substantia, nec tua substantia habet majoritatem nec minoritatem nec æqualitatem, in quantum est substantia, & si tua substantia habet in se ipsa majoritatem & minoritatem, per hoc, quia est composita de hoc, in quo est majoritas & minoritas, convenit, quòd simplex suprema Substantia sit una de rebus æqualibus sinè majoritate & minoritate; quia si non esset, non haberet, cum quo esset superior tuâ substantiâ.

5. Tam impossibile est, quòd in cameris Figuræ sit majoritas, quàm minoritas, & minoritas, quàm majoritas; & est magis impossibile, quòd in cameris sit majoritas & minoritas, quàm quòd in tua substantia sit æqualitas: & si hoc non esset ita, suprema

Substantia non esset superior tuâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in cameris æqualitas esset impossibilis, sequeretur, quòd tua substantia haberet in se convenientiam & concordantiam majoritatis & minoritatis, quòd esset una substantia, & cameræ, in quibus privaretur æqualitas, non haberent convenientiam nec concordantiam, quòd essent una substantia: & si hoc esset ita, duodecim cameræ Figuræ essent sub majoritate & minoritate, quam tua substantia habet in se ipsa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur æqualitas, quam cameræ habent in esse una suprema Essentia; per quam in suprema Essentia est demonstrabilis diversa concordans æqualitas æqualis & æqualis, bonitatis & bonitatis, magnitudinis & magnitudinis, æternitatis & æternitatis &c.; in qua æqualitate & æqualitate, bonitate & bonitate &c. non est differentia & concordantia, in quantum Essentia, sed in quantum Personæ.

6. Si majus, quod est in inferiori bono, generaret de se ipso alterum majus, generaret æquale sibi ipsi; & si æquale, quod est in inferiori bono, generaret de se ipso alterum æquale, non generaret de se ipso majus nec minus; & si minus, quod est in inferiori bono, generaret de se ipso alterum minus, generaret æquale sibi ipsi; & si generans majus esset una essentia cum generato majori, & quodlibet esset essentia per se, essentia esset major; & si generans & generatum essent quodlibet per se una essentia, & non essent insimul una essentia, generans & generatum essent minora, quàm generans & generatum, quæ essent una eadem essentia; & hoc idem sequeretur de æquali & minori: & quia convenit, majus opus esse supra minus, idcirco demonstratur, quòd suprema Essentia habeat in se ipsa majus, quàm inferius bonum, quod generat de se ipso alterum majus, quàm inferius bonum, & habeat in se ipso æquale, quod de se ipso generat alterum æquale, & quodlibet est per se ipsum Essentia, & sunt insimul una Essentia superior inferiori bono: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in inferiori bono unum majus, quod generaret de se ipso majus, & unum æquale, quod generaret de se ipso æquale, non esset majus, quàm unum majus, quod non generaret de se ipso majus, & unum æquale, quod non generaret de se ipso æquale; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta divina Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT XVII.

De Affirmatione, Negatione & Dubitatione.

1. SI Affirmativa convenit cum minoritate, quando affirmat, aliquam rem esse in inferiori bono, per quam conveniret, inferius bonum esse supremum Bonum, si haberet in se illam rem, convenit de necessitate, quòd affirmativa conveniat cum majoritate, si affirmat in supremo Bono illam rem, per quam conveniat, supremam Bonitatem esse supremum Bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd affirmatio, quæ affirmat hoc, quod est in supremo bono, non esset major, quàm affirmatio, quæ affirmat hoc, quod non est in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd, si affirmativa, quæ est in inferiori bono, haberet in se ipsa tres diversas affirmationes, & si una affirmatio generaret continuè unam affirmationem, & de ambabus procederet altera affirmatio, magis impossibilis esset in inferiori bono negatio & dubitatio, quàm possibilis, dum tamen una negatio non haberet in se tres negationes, & in illa non esset generatio & processio, secundùm quòd suprà diximus in affirmatione, & non esset una dubitatio in tribus dubitationibus, generante unâ alteram, & procedente unâ ab ambabus: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit Generatio & Processio; quia si non esset, non esset in supremo Bono major impossibilitas corruptionis & privationis processionis, quàm in inferiori bono privatio affirmationis & negationis & dubitationis, si essent in inferiori bono, secundùm quòd suprà diximus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. Si dicis, quòd, quemadmodum in inferiori bono non oporteret esse generationem, ad hoc, ut in illo non esset corruptio, si inferius bonum haberet in se duodecim cameras Figuræ, sic in supremo Bono, in quo sunt duodecim cameræ, non oporteat esse Generationem, ad hoc, ut in illo non sit corruptio; verum dicis: quia in supremo Bono non est generatio, ad hoc, ut inde privetur corruptio, quia si esset, corruptio esset causa generationis in supremo Bono; & hoc est impossibile: sed quia est major impossibilitas, quòd corruptio sit in hoc, in quo est infinita Generatio in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quàm in hoc, in quo non est generatio, vel in hoc, in quo est generatio terminata & finita, idcirco convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod sit magis impossibile, illud habere corruptionem: & si hoc non esset ita, non posses affirmare secundùm veritatem, quòd in supremo Bono corruptio esset magis impossibilis, quàm in inferiori bono, secundùm quòd convenit supremæ impossibilitati corruptionis.

3. Quantò magis dubitas, quòd in supremo Bono sit una Essentia in tribus, & quòd tria sint una Essentia, tantò magis stas intra duos terminos, hoc est, vel in habere majorem fidem, vel in habere majorem intellectum, si affirmas, quòd in supremo Bono sit una Essentia, quæ sit in tribus Personis, & tres Personæ sint una Essentia: unde si in supremo Bono non esset hoc, per quod potes habere majorem fidem vel majorem intelligentiam, sequeretur, quòd per hoc, quod est in supremo Bono, posses habere minorem fidem & minorem intelligentiam, & per hoc, quod non est in supremo Bono, posses habere majorem fidem & majorem intelligentiam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas, quam quæris, est tibi demonstrabilis.

CAPUT XVIII.

De Necessitate.

1. TAm magna necessitas est, quòd lapis esset sensibilis, si esset animal, quàm magna est, quòd animal sit sensibile; & major necessitas est, quòd inferius bonum esset supremum Bonum, si haberet nobilitatem, quæ est in supremo Bono, quàm sit supradicta necessitas: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in supremo Bono infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c. non essent de majori necessitate, quàm in inferiori Bono finita bonitas, magnitudo & finita potestas & sapientia &c.; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum non esset superius inferiore bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si necessitas, quæ est in inferiori bono, haberet in se ipsa tres necessitates, & una necessitas generaret de se ipsa unam necessitatem, & altera procederet de ambabus, & hoc infinitè in bonitate, magnitudine, æternitate &c., major impossibilitas esset, quòd in inferiori bono esset privatio necessitatis, quàm dum in inferiori bono non sunt tres supradictæ necessitates: unde cùm supremum Bonum & sua necessitas sint unum & idem, idcirco demonstratur, quòd conveniat, hoc, quod est major impossibilitas privandi necessitatem, esse in supremo Bono; quia si non esset, sequeretur, quòd, si in inferiori bono essent tres supradictæ necessitates, supremum Bonum non esset superius illo per majorem impossibilitatem privandi necessitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. Si natura & sua necessitas sunt unum & idem in inferiori bono, quantò magis supremum Bonum est unum & idem cum suamet necessitate; & si natura operatur de necessitate finitum, quantò magis convenit, quòd supremum Bonum habeat in se, qui operetur de necessitate infinitum; quia si hoc non operaretur, sua necessitas non esset supra necessitatem naturæ per infinitum; & hoc est impossibile: & si in inferiori bono tu liberè generas filium, & tuus filius est filius de necessitate, quantò magis convenit, in supremo Bono esse aliquem, qui liberè operetur, & quòd hoc, quod operatur, sit de necessitate: & si tu liberè generas filium, per hoc, quia si nolles, non generares illum, & in supremo Bono est major libertas & major necessitas operis, quàm in te, quantò magis convenit, quòd in supremo Bono sit aliquis, qui magis liberè operetur hoc, quod operatur in se ipso, absque eo, quòd habeat libertatem, quam tu habes, qui potes omittere generare filium: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd suprema Libertas & Necessitas operis non esset superior inferiore; & hoc est impossibile.

3. Manifestum est, quòd in supremo Bono sit multò major necessitas, quàm in inferiore; quia si non esset, necessitas suprema non esset sinè inferiore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum non esset super inferius bonum per supremam Necessitatem; & hoc est impossibile:

sibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in te, qui es in inferiori bono, sit major necessitas, in quantum es de necessitate in unitate & in pluralitate, quantò magis convenit, quòd in supremo Bono sit de necessitate unitas & pluralitas; quia si supremum Bonum esset in unitate & non in pluralitate, vel si esset in pluralitate & non in unitate, sequeretur, quòd in te esset major necessitas, quàm in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si tua unitas est composita de necessitate, per hoc, quia habet in se pluralitatem, Unitas suprema sit de necessitate simplex, per hoc, quia habet in se pluralitatem: & si hoc non esset ita, suprema Simplicitas non haberet necessitatem, per quam esset superior inferiore pluralitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est tibi demonstrabilis.

4. Si dicis, quòd in te esset major necessitas, quàm sit, si tuum corpus esset infinitum, & quòd in supremo Bono esset major necessitas, quàm sit, si esset corpus infinitum; tu dicis verum, in quantum ad te ipsum, in quo esset major necessitas per corpus infinitum, quàm per finitum; sed non dicis verum, in quantum ad supremum Bonum; quia corpus non potest esse sinè superficie, nec superficies sinè forma finita & terminata; & ideo est impossibile, quòd supremum Bonum sit corpus; quia si esset, esset de necessitate finitum: & quia tua anima habet pluralitatem, absque eo, quòd habeat superficiem, idcirco supremum Bonum convenit cum pluralitate, quæ sit sinè superficie, & non convenit cum pluralitate habente superficiem.

CAPUT XIX.

De Generatione & Corruptione.

1. IN inferiori bono non est generatio sinè corruptione vel privatione; quia in compositis elementatis non potest generari ulla forma sinè corruptione alterius; quia si posset, sequeretur, quòd prima materia non esset subjectum illi formæ; & hoc est impossibile: nec memoria potest generare unum intelligere sinè privatione alterius intelligere: & si hoc non esset ita, intellectus haberet diversa intelligere in diversis objectis uno & eodem tempore; & hoc est impossibile: nec corpora cœlestia possunt dare influentiam ad generandum terrena sinè corruptione aliorum corporum terrenorum: unde cùm hoc ita sit, & cùm generatio conveniat cum esse, & corruptio cum non esse, qui posset ponere in inferiori bono generationem, & qui privaret illud corruptione, elevaret sursum in nobilitate inferius bonum; & qui in inferiori bono poneret corruptionem, & qui illud privaret generatione, deprimeret deorsum inferius bonum: & quia hoc ita esset, per hoc demonstratur, quòd, si inferius bonum ascenderet sursum per generationem, per quam non esset corruptio, & descenderet deorsum per corruptionem, per quam non esset generatio, conveniat, in supremo Bono esse generationem sinè corruptione; quia si non esset, supremum Bonum non esset superius inferiore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Sancta Trinitas est demonstrabilis.

2. Si hoc, quod est in inferiori bono generatio activa, generaret de se ipso æternaliter & infinitè aliam generationem passivam, esset impossibile, quòd corruptio esset contraria generationi: unde cùm sit impossibile, quòd corruptio sit contraria supremo Bono, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit generatio, cui non sit contraria corruptio; quia si in illo non esset generatio, supremum Bonum esset sinè nobilitate, sinè qua corruptio illi esset contraria. Et si dicis, quòd corruptio non sit contraria corporibus cœlestibus; non est verum: quia quamvis corruptio non sit contraria illorum essentiæ, est tamen corruptio contraria illorum operationi, in hoc, quòd non possunt privare corruptionem de corporibus, quæ generantur per illorum operationem: & cùm corruptio non possit esse contraria supremo Bono, convenit, quòd supremum Bonum habeat in se ipso operationem, cui corruptio non sit contraria: & ideo demonstratur, quòd sit major impossibilitas, quòd corruptio sit contraria supremo Bono, si in supremo Bono est Generatio, quàm si in supremo Bono privaretur Generatio; & quia major impossibilitas corruptionis convenit cum supremo Bono, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono sit Generatio, per quam suprema Trinitas est demonstrabilis.

3. Si dicis, quòd in supremo Bono non sit Generatio, quia si in illo esset generatio, esset

esset in illo generatio activa & generatio passiva, & in illo esset majoritas & minoritas, concordante actione cum majoritate, & passione cum minoritate; non est verum in supremo Bono: quia in supremo Bono Generatio activa de tota se ipsa generat passivam, ideo activa non potest esse major, quàm passiva, nec passiva, quàm activa.

CAPUT XX.

De Unitate & Trinitate.

1. PRobavimus in *secundo Libro*, supremum Bonum esse, & esse unum supremum Bonum tantùm, & in illo esse duodecim cameras Figuræ, quæ est in *secundo Libro*: unde inquirendo, Unitatem & Trinitatem esse in supremo Bono, non oportet inquirere, utrùm supremum Bonum sit una Essentia vel non; quia jam est probatum in secundo Libro: sed quia nos inquirimus, utrùm in supremo Bono sit Trinitas vel non, idcirco convenit, quòd inquiramus, utrùm illa Essentia sit in Trinitate vel non, & utrùm Trinitas sit una Essentia vel non: unde cùm conveniat, istam inquisitionem fieri in hunc modum, idcirco nos volumus inquirere Unitatem & Trinitatem cum tribus cameris tantùm, hoc est, cum *Potestate*, *Sapientia* & *Amore*; & hoc, quod sequitur de istis tribus cameris, sequitur de aliis cameris, quæ sunt in Figura istius Libri.

2. De necessitate convenit, quòd in suprema Essentia potestas, sapientia & amor sint unum & idem, vel non; unde si sunt unum & idem in Essentia, convenit, quòd in Essentia non sit differentia nec concordantia nec æqualitas potestatis, sapientiæ & amoris; quia si esset, sequeretur, quòd potestas, sapientia & amor non essent unum & idem in essentia: & si in supremo Bono non est infinita differentia, concordantia & æqualitas infinitæ potestatis & infinitæ sapientiæ & infiniti amoris, esset confusa forma, hoc est, demonstrabilitas potestatis, sapientiæ & amoris, per privationem infinitæ differentiæ, concordantiæ & æqualitatis: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd in Essentia privaretur infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, esse differentiam, concordantiam & æqualitatem inter potestatem, sapientiam & amorem, quæ sunt in supremo Bono virtutes personales; quia si non essent, non esset in supremo Bono major & magis alta nobilitas; & hoc est impossibile.

3. Cùm probaverimus, quòd potestas & sapientia & amor, quæ sunt in supremo Bono, sint diversa, si in Essentia potestas, sapientia & amor non essent unum & idem sinè differentia, & si quodlibet esset proprietas personalis per se ipsum, convenit de necessitate, quòd sapientia non possit scire per se ipsam, nec amor possit amare per se ipsum, nec potestas esset potens scire & amare per se ipsam; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in suprema Essentia privaretur infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono non sit differentia potestatis, sapientiæ & amoris quoad Essentiam; quia si potestas, sapientia & amor haberent differentiam in Essentia, conveniret, quòd illam eandem differentiam haberent bonitas, magnitudo, æternitas, virtus & aliæ cameræ Figuræ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd plures, quàm tres proprietates personales, essent necessariæ ad uniendum Essentiam; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tres proprietates personales non essent sufficientes in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile.

4. Cùm contradictio non possit esse vera sinè affirmatione & negatione unius & ejusdem rei non diversæ, & cùm nos probaverimus, quòd conveniat, in supremo Bono esse differentiam inter potestatem, sapientiam & amorem, & probaverimus, quòd differentia non possit esse inter potestatem, sapientiam & amorem, quæ sunt essentia, idcirco sequitur de necessitate, quòd, in quantum Essentia, ipsa potestas, sapientia & amor non sint differentes, sed in quantum proprietates personales convenit, quòd sint differentes: quia sicut color, in quantum est species, non potest habere in se differentiam, sic & multò meliùs sinè omni comparatione suprema Essentia, in quantum sua Unitas & sua essentialitas, non potest habere differentiam in se ipsa: unde cùm potestas, sapientia & amor sint eadem Essentia, convenit, quòd, postquam Essentia non est in se ipsa diversa,

potestas,

potestas, sapientia & amor sint unum & idem sinè differentia: & si color habet in se colores, qui sunt suæ species, & illæ species sunt diversæ, sicut albedo, rubedo & viriditas, in suprema Essentia sunt proprietates personales diversæ una ab altera, & concordantes & æquales una cum altera, & insimul sunt una Essentia, quæ in se non habet differentiam: & si hoc non esset ita, sequeretur de necessitate, quòd in supremo Bono esset Unitas sinè differentia Essentiæ & proprietatum personalium, vel quòd in Unitate esset differentia potestatis, sapientiæ & voluntatis; & hoc est impossibile, secundùm quòd est significatum in supradictis paragraphis.

5. Cùm probaverimus, quòd in supremo Bono sint proprietates personales, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit aliqua operatio, per quam possit esse una Essentia sinè differentia, & possit habere in se ipsa diversas proprietates personales, quæ proprietates personales possint esse differentes, concordantes & æquales in Essentia, si in Essentia est Generatio & Processio; quia si Essentia habet in se ipsa unam proprietatem personalem, quæ sit potestas, sapientia, amor, & illa proprietas personalis generat de tota se ipsa aliam proprietatem personalem, quæ sit potestas, sapientia, amor, & de tota proprietate generante & de tota proprietate generata procedat alia proprietas personalis, quæ sit potestas, sapientia, amor, sequitur, quòd Essentia possit esse sinè differentia, & quòd habeat in se ipsa diversa suppositа concordantia & æqualia in esse una Essentia, & esse quodlibet proprietas personalis, in qua potest esse differentia, concordantia & æqualitas infinita: & cùm hoc Opus tam altum & tam nobile non possit esse in supremo Bono sinè Generatione & Processione, idcirco convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Generatio & Processio.

6. Si in suprema Essentia non essent nisi duæ proprietates personales tantùm, privarentur perfectio & bonitas & benignitas & utilitas, & in illa significaretur invidia & avaritia, & multa alia vitia; quia si de Patre & Filio non procederet æqualis utilitas, quæ esset æqualis utilitati Patris & Filii, Opus non esset tam nobile nec tam virtuosum nec tam perfectum, & in Patre & Filio esset avaritia, in quantum non darent æquali sibi ipsis infinitam potestatem & infinitam sapientiam & infinitum amorem: & quia est impossibile, quòd in Patre & Filio possit esse ullus defectus, idcirco demonstratur, quòd de Generatione exeat Processio, per quam est Sanctus Spiritus.

7. Cùm probaverimus, quòd conveniat, in supremo Bono esse tres proprietates personales, convenit, quòd inquiramus, utrùm in illo non sint quatuor vel plures: unde si in supremo Bono sunt quatuor vel plures proprietates personales, sequitur, quòd tres sinè quarta vel sinè quinta (& sic in infinitum) non essent sufficientes ad esse una Essentia infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c., nec sufficerent ad esse diversæ, concordantes & æquales in infinita potestate & infinita sapientia & infinito amore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd quælibet proprietas personalis esset finita in potestate, sapientia & amore, & in differentia, concordantia & æqualitate & in omnibus cameris Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in suprema Essentia non sint nisi tres proprietates personales tantùm.

8. Si in Paternitate bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, amor &c. essent differentes, & non essent unum & idem, conveniret, quòd Pater generaret diversos Filios, & quòd ab illo procederent diversæ Processiones, & conveniret, quòd essent diversi Patres; & nos probavimus, quòd non conveniat, in Essentia esse nisi tres proprietates personales tantùm: per quam probationem demonstratur, quòd in qualibet proprietate personali bonitas, magnitudo &c. non sint differentes; & quia convenit, in Essentia esse tres proprietates personales differentes una ab altera, idcirco sequitur de necessitate, quòd bonitas, h. e. bonum, quod est una proprietas personalis, sit diversum à bonitate, h. e. bono, quod est altera proprietas personalis; & hoc idem sequitur de magnitudine, æternitate &c.: & ista differentia est per hoc, quia in Patre est bonitas, magnitudo &c., & generat Filium, qui habet bonitatem, magnitudinem &c. à Patre, & à Patre & Filio procedit alia bonitas, magnitudo &c., quæ est Sanctus Spiritus, & omnes tres sunt una Essentia, in qua bonitas, magnitudo &c. sunt proprietates non personales nec diversæ.

9. Cùm Pater sit potestas, sapientia & amor sinè differentia, idcirco sequitur, quòd, quemadmodum potestas, sapientia & amor sunt in Essentia unum & idem sinè differentia, sic potestas, sapientia & amor, quæ sunt in Patre, sint una & eadem Paternitas sinè differentia; & hoc idem sequitur de Filiatione & de Processione: & quemadmodum Essentia scit & amat cum potestate suæmet sapientiæ, & hoc ideo, quia in Essentia non est differentia potestatis, sapientiæ & amoris, sic in Paternitate sapientia scit & amat cum suamet potestate, ideo, quia potestas & sapientia & amor, quæ sunt Pater, non sunt diversa in Paternitate; & hoc idem sequitur de Filio & Sancto Spiritu; quæ consequentia non posset esse sinè diversis suppositis, & quòd potestas, sapientia & amor sint in quolibet supposito sinè differentia.

10. Si dicis, quòd Filius non sit æqualis Patri, per hoc, quia Pater possificat in se ipso & in Filio, & Filius non possificat in Patre; non est verum: quia postquam Pater de toto se ipso generat Filium, non potest generare minorem nec majorem se ipso: & si Filius possificaret in Patre, quem generaret, destrueretur & confunderetur differentia Paternitatis & Filiationis: & si Filius generaret Sanctum Spiritum, demonstraretur, quòd Paternitas Patris non sufficeret ad esse Paternitas, nec ad dandam Processionem Sancto Spiritui: & si Pater generaret Sanctum Spiritum, esset defectuosa Filiatio Filii in Essentia, in hoc, quòd in illa essent necessariæ duæ Filiationes & duæ Paternitates; & hoc est impossibile: & si Sanctus Spiritus procederet à Patre, & non à Filio, sequeretur, quòd Pater non generaret de toto se ipso Filium, & Pater esset major, quàm Filius: & si Sanctus Spiritus procederet à Filio, & non à Patre, Filius esset major, quàm Pater; & si esset major, non esset totus generatus: & si Sanctus Spiritus generaret Patrem & Filium, vel Patrem vel Filium, vel Pater & Filius procederent à Sancto Spiritu, esset confusa differentia Personarum, & in Essentia Paternitas, Filiatio & Processio haberent finem & defectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Unitas & Trinitas, quæ est in supremo Bono, est demonstrabilis. Et si dicis, quòd supradicta Trinitas sit impossibilis; verum dicis, quòd in inferiori bono sit impossibilis, & in supremo Bono non; sed si inferius bonum esset supremum, & haberet duodecim cameras, quæ sunt in Figura, hoc, quod illi est impossibile, illi esset possibile. *Et si dicis, quòd sit impossibile, quòd Trinitas sit demonstrabilis, ad hoc, ut non habeas minus meritum per privationem fidei; tunc tu negas, quòd supradictæ demonstrationes, quæ sunt intelligibiles, sint intelligibiles; & negas, quòd voluntas possit habere tantum meritum per multùm amare objectum recolitum & intellectum, quantum per amare objectum non recolitum neç intellectum; & hoc est impossibile.*

CAPUT XXI.

De Participatione.

1. HOmo sensualiter & intellectualiter participat cum opere naturali & artificiali, secundùm quòd opus est demonstrabile quinque sensibus particularibus & tribus potentiis animæ: unde si opus esset totum demonstrabile quinque sensibus particularibus & tribus potentiis, homo haberet majorem participationem cùm opere, quàm habet, in hoc, quòd opus naturale & artificiale est multùm secretum quinque sensibus particularibus & tribus potentiis: *nam sicut cæcus non participat cum colore, nec surdus cum voce, sic homo non participat cum opere, quod illi est indemonstrabile.*

2. Quantum pictor vel sculptor, qui pingit vel sculpit imaginem, dividit unum membrum ab altero, tantum imago est magìs demonstrabilis; & quantò magìs est demonstrabilis, tantò magìs in illa participat virtus visiva, & magìs illam offert imaginativa in phantasia intellectui, & intellectus fortiùs capit illam pro objecto; quia sicut camera est magìs illuminata per magnum lumen, quàm per parvum, & quantò plùs est illuminata, tantò plùs sunt demonstrabiles tuis oculis formæ, quæ sunt in camera, sic, quantò major est imaginativa, tantò fortiùs illuminat phantasiam; & quantò magìs phantasia est illuminata, tantò fortiùs intellectus capit pro objectis illas res, quæ in phantasia illi sunt magìs demonstrabiles; & quantò fortiùs capit illas pro objectis, tantò major est participatio, quam intellectus habet cum illis.

3. Quantò spes, charitas, justitia, prudentia, fortitudo, temperantia sunt majores virtutes in te, tantò magìs sunt diversæ & magìs concordantes & magìs æquales, & tantò magìs participant tres potentiæ tuæ animæ cum illis virtutibus; & quantò magìs

tres potentiæ animæ participant cum virtutibus, tantò magis elevatur sursum operatio trium potentiarum, & magis fruuntur & contemplantur supremum Bonum, & magis participant cum illo & in illo & per illud.

4. Certum est, quòd, si supremum Bonum est in Unitate & non in Trinitate, Angelus & Anima in cœlesti gloria non possint tam bene participare (sic loquendo) cum supremo Bono, quàm si in suprema Unitate est Trinitas; quia sicut imaginativa in phantasia non posset repræsentare intellectui opus quinque sensuum particularium, nisi esset differentia in illis & in illorum operatione, sic Angelus & Anima non possent habere cognitionem de supremo Bono, nisi supremum Bonum haberet in se ipso diversas proprietates personales; quia sinè differentia non cognoscerent differentiam potestatis & possificare, nec potestatis & sapientificare, nec potestatis & amare; quia in hoc, quòd bonitas, magnitudo, æternitas, potestas & aliæ cameræ Figuræ sunt unum & idem in Essentia sinè differentia, si Trinitas non esset in Essentia, & quodlibet suppositum non esset diversum ab altero, esset impossibile, quòd Angelus & Anima possent capere objectum in Opere, quod supremum Bonum habet in se ipso amando, intelligendo, glorificando se ipsum: & si Opus supremi Boni non possent capere pro objecto, non participarent cum illo, & non haberent gloriam de illo, & esset defectus bonitatis, sapientiæ, amoris, virtutis & perfectionis in supremo Bono & in suo Opere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit Trinitas; & per Trinitatem Angelus & Anima possunt participare cum supremo Bono intelligendo differentiam proprietatum personalium in supremo Bono; per quam differentiam intelligunt, quomodo unum Bonum sit diversum relativè ab altero, & unum magnum ab altero &c.; & quomodo bona & magna (sic loquendo) &c. concordent & conveniant & se æqualificent in esse una Essentia suprema infinita in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & per istam cognitionem, quam Angelus & Anima habent in supremo Bono, recipiunt gloriam de supremo Bono sinè medio, & participant cum illo sinè medio, & supremum Bonum & suum Opus ipsummet est objectum demonstrabile Angelo & Animæ.

5. Si Angelus participat cum supremo Bono per differentiam, quæ est inter supremum Bonum & inferius, multò magis participat cum illo, si intelligit in supremo Bono differentiam proprietatum personalium infinitarum in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & intelligit differentiam inter supremum Bonum & inferius bonum: & si in supremo Bono non est differentia, sequitur, quòd supremum Bonum non possit glorificare Angelum, qui est in inferiori bono, sinè differentia sui ipsius & inferioris boni; & si supremum Bonum glorificat Angelum cum differentia, quam supremum Bonum habet in se ipso, sequitur, quòd illud opus sit majus & magis expressum, quàm sit gloria, quam Angelus habet per intelligere differentiam inter supremum Bonum & inferius bonum: & quia in contradictione major gloria convenit cum esse, & minor cum non esse, idcirco est demonstrabilis sancta Trinitas, quæ est in supremo Bono; cujus privatio concordaret majorem gloriam cum non esse, & minorem cum esse; & hoc est impossibile.

CAPUT XXII.

De Contradictione.

1. QUia mundus est unus, & est in tribus speciebus, quæ sunt sensualitas & intellectualitas & animalitas, idcirco mundus est magis dispositus, quòd sit magis intelligibilis, quàm si mundus esset unus, absque eo, quòd haberet in se differentiam trium specierum; quia si mundus ita esset unus, sicut album est album, facilè posset intelligi & comprehendi per tuum intellectum, & minus intelligeres in mundo, quàm intelligas per hoc, quòd mundus habet in se diversas species, & quælibet species habet sub se diversa individua; & quia intelligis in parte differentiam & concordantiam & contrarietatem, in quas mundus est divisus, idcirco intelligis plus in mundo, quàm intelligeres, si mundus esset simplex, absque eo, quòd haberet differentiam & concordantiam & contrarietatem in se ipso: & in quantum tuus intellectus non potest sufficere ad intelligendam totam differentiam & concordantiam & contrarietatem, quæ est in mundo, idcirco minus intelligis in mundo, quàm intelligeres, si mundus non haberet in se ipso ullam differentiam &c.

Malum

2. Malum esset, si Angelus intelligeret totum supremum Bonum; & malum esset, si Angelus nullo modo intelligeret supremum Bonum; & pejus esset, si Angelus intelligeret totum supremum Bonum, quàm si Angelus non intelligeret vel in pauco vel in multo supremum Bonum: unde cùm hoc ita sit, bonum est, quòd Angelus intelligat supremum Bonum, & melius est, quòd Angelus non intelligat totum supremum Bonum.

3. Si in supremo Bono non esset differentia, sequeretur de necessitate, quòd esset minùs impossibile, supremum Bonum esse totum intelligibile per Angelum, quàm si in supremo Bono est differentia; quia sicut esset minùs impossibile, mundum esse intellectum per tuum intellectum, si non haberet in se differentiam, quàm per hoc, quia habet in se differentiam, sic Angelus haberet minorem impossibilitatem comprehendendi supremum Bonum, si in supremo Bono non esset differentia, quàm habet per hoc, quia in supremo Bono est differentia; & si in Angelo esset supradicta minor impossibilitas, & in illo non esset major, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset tantum superiùs, nec Angelus tantum inferiùs per minorem impossibilitatem, quantum per majorem: & quia impossibilitas, per quam convenit, supremum Bonum esse superiùs, & Angelum inferiùs, convenit cum esse & cum majoritate, & contraria impossibilitas convenit cum privatione & cum minoritate, idcirco est demonstrabilis suprema Trinitas.

4. Quemadmodum tuus intellectus minùs intelligeret in mundo, si in mundo non esset differentia, & quantò minùs intelligeret, tantò minùs illum amaret & recoleret; & hoc esset ideo, quia sinè differentia mundus non haberet in se ipso, in quo à te intelligeretur & amaretur & recoleretur tam perfectè, sicut habet per hoc, quia habet in se differentiam & concordantiam: unde si supremum Bonum non haberet in se ipso diversa & concordantia supposita, & diversa & concordantia opera, minùs in illo intelligeret & amaret & recoleret Angelus, quàm per hoc, quòd in illo sint diversa & concordantia supposita; & quia hoc, per quod Angelus magis intelligit & amat & recolit supremum Bonum, conveniret cum esse, & minus contrarium majori conveniret cum non esse, idcirco est demonstrabilis Sancta gloriosa Trinitas, quam quæris.

5. Si supremum Bonum habet tres Personas, & quælibet est bona infinita æterna potens sapiens amans, & una Persona non est altera, & insimul sunt una Essentia, quæ est bona infinita æterna potens sapiens amans, & tres Personæ & Essentia sunt supremum Bonum, & si Angelus hoc intelligit, multò magis intelligit, quàm intelligeret, si in supremo Bono non esset hoc, quod suprà dictum est; & quia in illo est hoc, quod suprà dictum est, idcirco Angelus minus intelligit de hoc, quod intelligit, & magis intelligit, quòd ille non intelligat supremum Bonum; & quia talis intellectio convenit Angelo ad demonstrandam nobilitatem supremi Objecti, idcirco est demonstrabilis sancta Trinitas per majorem & minorem intelligentiam creatam.

CAPUT XXIII.

De Similitudine.

1. IN omni Similitudine convenit esse pluralitatem; quia est impossibile, quòd ulla res possit esse similis alteri sinè pluralitate, & hoc idem sequitur de rebus dissimilibus: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd, si in supremo Bono sunt similia vel dissimilia, vel similia & dissimilia, in illo sit pluralitas; & si in supremo Bono non est ullum simile nec dissimile, est impossibile, quòd in illo possit esse pluralitas.

2. Si tu dicis, quòd in supremo Bono sint similia, tunc tu affirmas in supremo Bono pluralitatem; quia si sunt similia, convenit, quòd unum non sit alterum, sed quòd unum sit simile alteri; & si illa sunt unum & idem in supremo Bono, sequitur, quòd in Essentia sint diversa; quia si non essent, privaretur similitudo & concordantia, quæ convenit cum esse & cum majoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, in Essentia esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

3. Si dicis, quòd in supremo Bono potestas, sapientia, amor sint dissimiles, & non sint similes, tunc tu affirmas pluralitatem in Essentia habente in se ipsa dissimiles proprietates; & in hoc, quòd negas, quòd sint similes, negas, quòd potestas, sapientia, amor sint similes in infinita bonita-

te, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono esset majoritas & minoritas; & hoc est impossibile.

4. Si negas, quòd in supremo Bono sint similia & dissimilia, tunc ego, in quantum dico, quòd in supremo Bono sint similia & dissimilia, & non sint in illo similia nec dissimilia, attribuo supremo Bono majorem nobilitatem, & tu minorem: & cùm Essentia, quæ habeat in se similia & dissimilia, & non similia nec dissimilia, conveniat cum majori nobilitate, & essentia, quæ non habet in se similia & dissimilia, conveniat cum minoritate, & cùm suprema Essentia sit major, quàm alia essentia, idcirco demonstratur, quòd sit impossibile, quòd hoc, quod tu attribuis supremæ Essentiæ, sit veritas, & hoc, quod ego illi attribuo, sit falsitas; quia si esset possibile, sequeretur, quòd suprema Essentia, quæ est major, posset esse minor; & hoc est impossibile.

5. Si vis intelligere, quomodo in supremo Bono sunt similia & diversa, & non dissimilia nec diversa, tunc ama intelligere hoc, quod ego dico, dicendo, quòd in supremo Bono sint similia & diversa, si in illo sunt proprietates personales; similia sunt in infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c., in quantum proprietates sunt una Essentia, cum qua non habent differentiam; diversa sunt, in quantum una proprietas est Paternitas, & altera est Filiatio, & altera est Processio: unde si hoc ita est in supremo Bono, plus in illo potes intelligere, quàm intelligeres, si non ita esset, sicut suprà dictum est: & quia hoc, per quod meliùs potes intelligere supremum Bonum, convenit cum esse, quia si non conveniret, supremum Bonum privaretur bonitate, magnitudine &c., idcirco Trinitas est demonstrabilis.

6. Tu scis, quòd sit contradictio, quòd creaturæ sint magis nobiles & minùs nobiles per unitatem & pluralitatem: unde si supremum Bonum est unum, absque eo, quòd in se ipso habeat pluralitatem, creaturæ essent magis nobiles, quàm supremum Bonum, si quælibet esset sinè pluralitate; & hoc esset ideo, quia illi essent magis similes: & si non essent magis nobiles per esse magis similes supremo Bono, demonstraretur, quòd supremum Bonum non esset nobile; & hoc est impossibile: & si creatura non haberet in se pluralitatem, non esset tam nobilis, sicut est per hoc, quia habet in se pluralitatem; quia per pluralitatem in substantia substantia est superior accidentibus in nobilitate. Unde cùm hoc ita sit, per supradictam contradictionem tibi demonstratur, quòd supremum Bonum sit in Unitate & in Pluralitate; & ideo creaturæ habent duas nobilitates inter alias per unitatem & pluralitatem; una est, quia sunt similes supremo Bono habentes unitatem & pluralitatem; altera, quia sunt magis nobiles in habendo unitatem & pluralitatem.

7. In inferiori bono unum bonum simile alteri multiplicat nobilitatem substantiæ, quando sunt in illa; idcirco per similem modum convenit de necessitate, quòd in supremo Bono sit Bonum simile alteri personaliter & distinctè, & quòd in Essentia sint unum & idem Bonum: & quia Essentia, in quantum est Pater, non est Filius, & in quantum est Filius, non est Pater; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu, idcirco Pater & Filius & Sanctus Spiritus sunt similes in Essentia: & quia inferius bonum habet majorem nobilitatem, per hoc, quia habet similia in se ipso, quantò magis convenit, quòd supremum Bonum habeat similia in se ipso; quia per omne id, per quod supremum Bonum sit superius per similem modum inferiore bono, convenit esse in supremo Bono, dummodo per illam similitudinem nullo modo esset defectus in supremo Bono.

8. Sicut Anima est forma corpori, sic & multò meliùs supremum Bonum est complementum inferiori bono; & sicut corpus non esset animatum sinè anima, sic inferius bonum non esset bonum sinè supremo Bono: unde cùm hoc ita sit, quantò magis similis est forma inferior supremæ Formæ, tantò magis est nobilis: unde cùm Anima & Angelus sint in inferiori bono, & Anima & Angelus habeant in se pluralitatem, si in supremo Bono est pluralitas, Anima & Angelus habent magis nobilem gloriam in cœlesti gloria, in quantum sunt magis similes supremæ Gloriæ, quæ est complementum illorum gloriæ, quàm haberent, si in supremo Bono non esset pluralitas; & animæ & dæmones, qui sunt in inferno, habent majorem pœnam, si sunt contrarii supremo Bono, quod illis est simile in habendo pluralitatem, quàm haberent, si in supremo Bono non esset pluralitas: & cùm hoc, quod convenit cum majori gloria per gratiam & per justitiam & per misericordiam, & quod convenit cum majori pœna per justitiam & per culpam, conveniat cum esse, & contrarium in contradictione cum non esse, idcirco demonstratur Sancta Trinitas per supradictam similitudinem.

CAPUT XXIV.

De Humilitate & Superbia.

1. HOmo humilis & homo superbus sunt contrarii in suis operibus; quia homo humilis amat illos, qui sunt supra illum in nobilitate, & amat illos, qui sunt illi æquales in nobilitate, & amat illos, qui sunt sub illo in nobilitate; & homo superbus facit totum contrarium: & si hoc non esset ita, Humilitas & Superbia non essent contrariæ.

2. Quemadmodum in inferiori bono homo humilis habet majorem humilitatem, si se humiliat homini pauperi misero, quàm si se humiliat homini diviti & honorato magis nobili se ipso, sic homo, qui se humiliat supremo Bono, habet majorem humilitatem, quàm habeat, quando se humiliat alteri rei, quæ non est supremum Bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd humilitas, quæ est in inferiori bono, non esset magis nobilis per supremum Bonum, quàm per inferius bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd homo superbus sit magis superbus, quando superbit contra alium hominem magis divitem vel magis honoratum se ipso, quàm quando superbit contra hominem pauperem & miserum; & est magis superbus, quando superbit contra supremum Bonum, quàm quando superbit contra aliquem hominem. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd major humilitas & major superbia, quæ sit in inferiori bono, formetur secundùm respectum supremi Boni.

3. Veritas est, quòd superbia non sit in supremo Bono; quia si esset, esset impossibile, quòd in illo esset humilitas; & si humilitas est in supremo Bono, est impossibile, quòd in illo sit superbia: quia si esset possibile, quòd superbia & humilitas essent in supremo Bono, esset impossibile, quòd in supremo Bono essent duodecim cameræ Figuræ: & si non esset humilitas in supremo Bono, esset impossibile, quòd humilitas & superbia, quæ sunt in inferiori bono, essent majores secundùm respectum supremi Boni, quàm secundùm respectum inferioris boni; & esset impossibile, quòd superbia esset tam impossibilis in supremo Bono, si supremum Bonum non haberet in se humilitatem, quàm si in eodem sit humilitas: unde cùm major demonstratio humilitatis & superbiæ, quæ sit in inferiori bono, fiat per comparationem supremi Boni, & cùm major impossibilitas, quæ possit esse, sit, quòd superbia sit in supremo Bono, & conveniat cum esse de necessitate, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono sit Humilitas.

4. Cùm probaverimus, quòd in supremo Bono sit humilitas, convenit de necessitate, quòd illa humilitas sit prior inferiore bono; quia si humilitas non fuisset in supremo Bono tunc, quando inferius bonum non erat, suprema Humilitas esset causata per inferiorem humilitatem; & esset major impossibilitas, quòd superbia esset in supremo Bono, postquam fuit inferius bonum, quàm ante; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset impossibile, quòd cameræ essent in supremo Bono sinè inferiori bono; & hoc est impossibile.

5. Non est licitum affirmare, quòd humilitas, quæ est in supremo Bono, sit similis tuæ humilitati, quæ est in inferiori bono; quia si tu te potes humiliare majori vel minori vel æquali tibi ipsi, non sequitur, quòd in supremo Bono se possit humiliare major minori, vel minor majori; quia si posset, esset in illo defectus bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile. Et si negas, quòd in supremo Bono unus æqualis se humiliet alteri æquali, tunc tu affirmas, pluralitatem esse in supremo Bono, & negas, humilitatem esse in supremo Bono: & si affirmas, quòd in supremo Bono unus humilis se humiliet alteri humili, tunc tu affirmas in supremo Bono pluralitatem & humilitatem & defectum æqualitatis; quia unus humilis non potest se humiliare alteri humili, nisi se faciat minorem in aliqua re illo, cui se humiliat: & si in supremo Bono est defectus æqualitatis, convenit, quòd sit privata infinitas camerarum Figuræ; & hoc est impossibile.

6. Si tu negas, quòd in supremo Bono

sit pluralitas, & affirmas, quòd in supremo Bono sit humilitas, ego affirmo, quòd in supremo Bono sit pluralitas, & affirmo, quòd in illo sit humilitas, & affirmo, quòd humilis, qui est Pater, generet humilem, qui est Filius, & de humili, qui est Pater, & de humili, qui est Filius, procedat humilis, qui est Sanctus Spiritus, & insimul Pater & Filius & Sanctus Spiritus sint una Humilitas: & cùm per hoc, quod ego affirmo, in supremo Bono Humilitas sit magis demonstrabilis, quàm per tuam affirmationem; & hoc ideo, quia negatio, quam tu facis, est contraria tuæmet affirmationi, idcirco es obligatus ad affirmandum hoc, per quod suprema Humilitas est magis demonstrabilis; quia si esses obligatus ad negandum & affirmandum hoc, per quod suprema Humilitas est minùs demonstrabilis, significaretur, quòd humilitas in supremo Bono non haberet virtutem nec utilitatem, & quòd privaretur nobilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est tibi demonstrabilis.

7. Manifestum est, quòd omnes substantiæ, quæ sunt in inferiori bono, sint in unitate & in trinitate: unde si supremum Bonum est in Unitate & in Trinitate, demonstravit in se majorem humilitatem, quando creavit te & alia individua specierum in unitate & in trinitate, quàm se demonstrasset, si supremum Bonum esset unum & in Trinitate, & non creasset omnia individua specierum in unitate & in trinitate: & si supremum Bonum esset in Unitate, & in sua Unitate non esset Trinitas, fecisset majorem humilitatem, si creasset quodlibet individuum specierum in unitate tantùm, quàm fecit in hoc, quòd creavit quodlibet individuum in unitate & trinitate: & hoc, per quod demonstraretur, majorem humilitatem esse in supremo Bono, esset per hoc, quia creasset creaturas sibi ipsi magis similes. Unde cùm tu sis obligatus ad affirmandum hoc, per quod intelligis majorem humilitatem in supremo Bono, idcirco te convenit affirmare de necessitate hoc, per quod suprema Humilitas est fortiùs demonstrabilis inferiori bono.

CAPUT XXV.

De Vita & Morte.

1. SI tuus calor naturalis generaret continuè de se ipso alium calorem naturalem, & de ambobus caloribus procederet continuè alius calor naturalis, & tuum corpus converteretur in illos tres calores, & tres calores essent tuum corpus, esset impossibile, tuum corpus mori, quamdiu supradicta generatio & processio essent in tuo corpore, quod qualibet die moritur, in quantum approximas morti; & vita & vivere essent meliùs demonstrabilia in tuo corpore, quàm sint modò, quando in tuo corpore non est supradicta generatio & processio: unde si tu odires mori, & posses habere supradictam generationem & processionem, tu non odires generationem & processionem, per quam tibi esset impossibile mori.

2. Tu scis, quòd, si tua anima est in peccato, tua anima moriatur per peccatum, in quantum peccatum elongat tuam animam à supremo Bono, quod est suprema Vita: unde si peccatum, per quod tua anima moritur, de se ipso generaret alterum peccatum, & de ambobus peccatis procederet alterum peccatum, & tua anima perverteretur in esse tria peccata, esset impossibile tuæ animæ vivere in supremo Bono, quamdiu generatio & processio peccati essent in tua anima; & magis demonstrabile esset peccatum & mors tuæ animæ per supradictam generationem & processionem, quàm per privationem generationis & processionis: & si tu amares vivere in supremo Bono, tu desiderares virtutem, per quam destrueretur generatio & processio peccati.

3. Si in supremo Bono sunt tres Personæ vivæ, & una Persona generat de se ipsa alteram Personam, & ab ambabus Personis procedit altera Persona, & in qualibet Persona sunt duodecim cameræ Figuræ, & Personæ insimul sunt una Essentia, quæ est Vita, in qua sunt duodecim cameræ, vita est magis demonstrabilis in supremo Bono, & magis demonstrabilis est immortalitas in illo, quàm esset, si in supremo Bono non est nisi una Vita tantùm, & in illa Vita non est supradicta Generatio & Processio: unde cùm tu sis obligatus ad affirmandum majorem vitam & magis nobile vivere, & majorem impossibilitatem moriendi & mortis, quæ tibi sint demonstrabilia in supremo Bono, idcirco convenit, quòd tu non neges Trinitatem in supremo Bono: & si tu esses obligatus ad negandam Trinitatem in supremo Bono per minorem demonstrationem vitæ & vivere, &

& impossibilitatis moriendi & mortis, esset demonstrabile, quòd tuus intellectus esset in altiori operatione per intelligere, quàm supremum Bonum per vitam & per vivere, & per impossibilitatem moriendi & mortis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Si tu dicis, quòd major demonstratio vitæ & vivere, & impossibilitatis moriendi & mortis esset demonstrabilis in supremo Bono, si haberet in se ipso plures quàm tres Personas viventes, & plures quàm unam Paternitatem & unam Filiationem & unam Processionem; non est verum: quia si in supremo Bono non sufficerent una Paternitas & una Filiatio & una Processio ad vitam & ad vivere, & ad impossibilitatem moriendi & mortis, esset impossibile, quòd duodecim cameræ essent infinitæ in tribus proprietatibus personalibus: & si non essent, haberent defectum & finem, & non essent dignæ, esse in supremo Bono: & hoc idem sequeretur de aliis proprietatibus personalibus, quæ essent supra numerum trium, & hoc ad infinitum numerum suppositorum infinitorum in numero, quæ non sufficerent ad esse unum supremum Bonum, postquam essent in se ipsis finita.

5. Si dicis, quòd, quemadmodum non esset perfectio in tribus suppositis, si plura essent necessaria, sic non esset perfectio in suprema Vita, si in illa supposita essent necessaria; non est verum: quia suprema Vita, in quantum est Essentia, sufficit per se ipsam esse vita, & habere impossibilitatem moriendi; & quodlibet trium suppositorum est tam perfectum, quòd quodlibet per se sufficiat esse Vita, & habere impossibilitatem moriendi; quia quodlibet stat per se ipsum; & ideo quodlibet est perfectio sui ipsius, & unum est perfectio alterius, unâ perfectione generante alteram, & unâ procedente ab ambabus, & existentibus omnibus tribus unâ Essentiâ perfectâ, existente Essentiâ in tribus perfectionibus: unde si Essentia esset perfectio sui ipsius infinitè tantùm, & non alterius, non esset perfectio alterius nisi finitè; & quia habet in se proprietates personales infinitas, idcirco potest esse infinita perfectio sui ipsius & alterius, hoc est, proprietatum personalium.

6. Si tua affirmativa affirmat, supremum Bonum esse vivum, in quantum intelligit & amat & judicat & dat veniam, mea affirmativa, quæ affirmat hoc, quod tu affirmas, est major, quàm tua, in quantum affirmat, quòd in supremo Bono sit vivum paternale, quod generat alterum vivum filiale, & sit vivum spirituale, quod procedit de ambobus vivis: & si supremum Bonum amaret & præmiaret fortiùs minorem affirmativam, quàm majorem, odiret majorem vitam in se ipso, & amando minorem vitam privaretur justitiâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT XXVI.

De Vita & Magnitudine & Duratione.

1. IN inferiori bono intelligis differentiam inter Vitam & Magnitudinem & Durationem; quia vita est tibi demonstrabilis per recolere & intelligere & velle; & magnitudo per unam mensurationem majorem, quàm alteram, vel per unam virtutem majorem, quàm alteram; & duratio est tibi demonstrabilis per concordantiam, quæ est inter materiam & formam, & inter subjectum & accidentia; & sic de aliis rebus similibus istis.

2. Per hoc, per quod in inferiori bono est demonstrabilis differentia, quæ est inter vitam, magnitudinem & durationem, est demonstrabilis differentia, quæ est in supremo Bono inter unam proprietatem personalem, in qua est vita, magnitudo, duratio, quæ sunt supremum Bonum; quia suprema Vita est tibi demonstrabilis per sapientiam, amorem, justitiam & misericordiam; & suprema Magnitudo est tibi demonstrabilis per aliquid, quod intelligis in illa, per quod est major, quàm mundus vel ulla mensuratio vel ulla res habens quantitatem; & suprema Duratio est tibi demonstrabilis per aliqua, quæ conveniunt & concordant ad magis durandum, quàm ulla alia convenientia & concordantia, quæ sit in inferiori bono: unde cùm hoc ita sit, quælibet istarum trium demonstrationum demonstrat, in supremo Bono esse proprietates personales, unâ proprietate diversâ & distinctâ ab altera: & si hoc non esset ita, per sapientiam, amorem, justitiam, misericordiam non esset in supremo Bono magis apprehensibilis, hoc est, repræsentabilis vita tuo intellectui, quàm magnitudo vel duratio; nec per infinitatem Essentiæ esset magis apprehensibilis suprema

prema Magnitudo tuo intellectui, quàm vita vel duratio; nec per concordantiam, quæ est in diversis rebus ad durandum, esset magis repræsentabilis tuo intellectui suprema Duratio, quàm suprema Vita vel suprema Magnitudo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono Vita, Magnitudo, Duratio sint proprietates communes demonstrantes proprietates personales, quibus sunt communes; per quas communes sunt demonstrabiles personales, per quas Trinitas est demonstrabilis; & vita & magnitudo & duratio, quæ sunt in inferiori bono, sunt figura & speculum, per quod sancta Trinitas repræsentatur per lumen intellectûs illuminati per supremum Bonum.

5. Si in supremo Bono Vita, Magnitudo, Duratio non sunt unum & idem, est impossibile, quòd infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c. possint esse in supradictis suppositis; & si non sunt in illis, est impossibile, quòd sint in supremo Bono; quia convenit, quòd in omni eo, quod est in supremo Bono, sint omnes duodecim cameræ Figuræ: unde cùm de necessitate conveniat, quòd in supremo Bono sint cameræ, idcireo sequitur de necessitate, quòd quælibet camerarum sit in Vita & in Magnitudine & in Duratione, quæ sunt in supremo Bono: & si quælibet camerarum est in Vita, Magnitudine, Duratione, quæ sunt in supremo Bono, convenit de necessitate, quòd in supremo Bono Vita, Magnitudo, Duratio sint unum & idem sinè ulla differentia.

4. Si dicis, quòd contineat majorem necessitatem, quòd Vita, Magnitudo, Duratio in supremo Bono sint unum & idem, quàm quòd sint proprietates personales distinctæ in supremo Bono, & quòd major necessitas confundat minorem; tunc tu affirmas in supremo Bono privationem sapientiæ, justitiæ, perfectionis, veritatis; quia si ita esset, sicut tu dicis, supremum Bonum tibi daret apparentiam, quòd in se esset hoc, quod non est; & per apparentiam, quam tibi daret, affirmares, in illo esse hoc, quod non est; & de tua affirmatione supremum Bonum haberet culpam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd duarum supradictarum necessitatum una non sit fortior nec major, quàm altera: & quia ambæ demonstrationes apparent tuo intellectui esse contradictio, convenit, quòd nos tibi dicamus & demonstremus modum, per quem intelligas, quòd duæ supradictæ demonstrationes non sint in contradictione.

5. Si in supremo Bono est una Vita, in qua sint omnes cameræ Figuræ, & illa Vita, h. e. Persona de tota se ipsa generat aliam Vitam, h.e. Personam, in qua sint omnes cameræ Figuræ, & de illis duabus Vitis, h. e. Personis procedit altera Vita, h.e. Persona, in qua sint omnes cameræ Figuræ, & tres Vitæ, h. e. Personæ sint insimul una Essentia, in qua sunt omnes duodecim cameræ, sequitur de necessitate, quòd Vita, Magnitudo, Duratio sint unum & idem in Essentia, & quòd sint distinctæ per Generationem & Processionem, quæ sunt diversæ: & hoc idem sequitur, si in supremo Bono est una magnitudo, duratio, in quibus sint omnes cameræ Figuræ: unde si hoc ita est, vides, quàm nobiliter Vita, Magnitudo, Duratio habeant demonstrabilitatem in supremo Bono, si in illo est Generatio & Processio; sinè qua Generatione & Processione non tam nobiliter haberemus demonstrabilitatem.

6. Si dicis, quòd Sanctus Spiritus non operetur, sed quòd sit operatus per Patrem & Filium; non est verum: quia in quantum bonitas, magnitudo, æternitas sunt in Sancto Spiritu, Sanctus Spiritus fruitur in se ipso suâ propriâ proprietate personali, in qua sunt omnes cameræ, & fruitur Paternitate & Filiatione cum omnibus suis cameris & cum omnibus cameris Paternitatis & Filiationis; & ideo operatur (sic loquendo) bonificando, magnificando, æternificando, possificando &c., quamvis non faciat Paternitatem nec Filiationem: quia quemadmodum tuus intellectus operatur intelligendo, quamvis tuum intelligere generetur de tua memoria, & tua voluntas operetur amando, quamvis tuum velle procedat de tua memoria & intellectu, sic & magis altè sinè omni comparatione Sanctus Spiritus non cessat frui, bonificare, magnificare &c., quamvis procedat à Paternitate & Filiatione.

CAPUT XXVII.

De Infinitate & Fine.

1. INfinitas & majoritas conveniunt, & Finis & minoritas: unde si in supremo Bono infinitas est in bonitate, magnitudine, æternitate &c., est impossibile, quòd in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quæ sunt in supremo Bono, sit finis; & si in illis est finis, est impossibile, quòd in illis sit infinitas: & quia supremum Bonum convenit cum majoritate, & inferius bonum cum minoritate, idcirco demonstratur, quòd in supremo Bono non sit finis, & quòd in illo sit infinitas; quia si in illo non esset infinitas nec finis, in illo non esset esse; & hoc est impossibile, cùm jam probaverimus, supremum Bonum esse.

2. Si in supremo Bono bonitas, magnitudo, æternitas &c. sunt unum & idem sinè differentia, de necessitate convenit, quòd infinitas sit unum & idem sinè differentia; cùm infinitas non conveniat ulli alteri rei, nisi supremo Bono: & si in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quæ sunt in supremo Bono, est differentia personalis, & quælibet proprietas personalis est distincta ab altera, & quælibet est infinita, convenit de necessitate, quòd Infinitas, hoc est, Essentia, habeat in se pluralitatem; quia si non haberet, esset impossibile, quòd proprietates personales essent infinitæ & distinctæ una ab altera.

3. De necessitate convenit, quòd in suprema Essentia bonitas, magnitudo, æternitas &c. sint unum & idem sinè differentia; quia si non essent, sequeretur, quòd in Essentia essent multæ proprietates personales diversæ infinitæ & finitæ: multæ infinitæ proprietates personales in illa essent in hoc, quòd in illa essent cameræ Figuræ; & illæ proprietates personales essent finitæ, si conveniret, quòd essent plures quàm tres in Essentia, ad hoc, ut unirentur in illa (sic loquendo) quia si plures quàm tres essent necessariæ, tres non essent sufficientes ad esse Essentia; & si non essent, essent finitæ in bonitate, magnitudine, æternitate, perfectione &c.: unde cùm sit impossibile, quòd supradictæ proprietates sint infinitæ & finitæ, convenit de necessitate, quòd proprietates sint unum & idem in Essentia, in qua non sit differentia proprietatum communium.

4. De necessitate convenit, quòd in bonitate, magnitudine, æternitate, quæ sunt in supremo Bono, una infinitas personalis sit distincta ab altera: quia quemadmodum Essentiæ convenit, quòd in illa bonitas, magnitudo, æternitas sint una & eadem res infinita sinè ulla differentia, sic convenit cuilibet proprietati, quòd sit per se ipsam infinita & distincta ab altera; quia si non esset, quælibet proprietas esset confusa, & non haberet esse per se, & esset finita in bonitate, magnitudine, æternitate; & si esset, esset impossibile, quòd esset in supremo Bono, cum quo disconvenit finis; & sequeretur, quòd in supremo Bono non esset nisi una proprietas tantùm, & illa esset infinita & finita, secundùm quòd suprà est demonstratũ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono de necessitate sint proprietates personales distinctæ & diversæ una ab altera.

5. Cùm probaverimus, quòd conveniat, in supremo Bono bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c. esse unum & idem sinè differentia, & conveniat, quamlibet esse unam infinitatem tantùm, in qua non sit ulla differentia, & cùm probaverimus & demonstraverimus, quòd conveniat, in supremo Bono esse proprietates personales infinitas distinctas unam ab altera, *idcirco repræsentatur figurativè & phantasticè contradictio tuo intellectui, quem non exaltasti super phantasiam;* „sed si tu elevas superiùs tuum „intellectum, & intelligis, quòd una bo„nitas, magnitudo, æternitas &c. sint u„num & idem & una eadem Infinitas in „Essentia sinè differentia, & intelligis, quòd „in Essentia sit una bonitas, h. e. Persona „bona, infinita in magnitudine, æterni„tate &c., & illa de tota se ipsa generet al„teram bonitatem, h. e. Personam bonam, „infinitam in magnitudine, æternitate &c., „& de ambabus bonitatibus, h. e. Personis „infinitis procedat altera bonitas, h. e. Per„sona bona, infinita in magnitudine, æterni„tate &c., & insimul tres bonitates, h. e. Per„sonæ sint una Essentia infinita in bonitate, „magnitudine, æternitate &c. sinè differen„tia, tunc intelliges, quòd hoc, quod tibi „videbatur esse contradictio, non sit contra„dictio, & sequitur hoc, quod tibi negat & „affirmat hoc, quod in phantasia repræsen„tatur tuo intellectui in figura contradi„ctionis; quæ figura destruitur in intellectu, „qui intelligit supremam Generationem & „Processionem; per quam Unitas & Trini„tas est demonstrabilis.

CAPUT XXVIII.

De Subsistentia.

1. IN inferiori bono quælibet substantia subsistit per se per influentiam supremi Boni;

& ideo in tua vinea quælibet vitis subsistit per se: unde si plantas aliquam vitem, pater generabit aliam vitem in suo proprio surculo vel racemo; & illa generatio durabit tamdiu, quousque racemus, quem posuisti subtus terram, convertatur in vitem, quæ stet per se; & tunc pater illius retrahit ad se ipsum suam virtutem; & medium putrescet, & erit quælibet vitis stans per se ipsam.

2. In tua Anima sunt tres potentiæ, memoria, intellectus, voluntas, & quælibet stat in tua anima per se, quemadmodum in tuo corpore stant tres mensurationes per se; & sicut tres mensurationes sunt unum corpus, sic tres potentiæ sunt una potestas in operatione, tunc, quando capiunt aliquod objectum recolitum, intellectum & amatum, vel recolitum, intellectum & oditum: unde si tres potentiæ non starent per se ipsas in anima, non haberent potestatem capiendi objectum, quod capiunt, in se ipsis nec per se ipsas; & ita moverentur per aliam potestatem ad capiendum objectum, sicut tuum molendinum per tuum equum, & essent accidentia; & si essent, tua anima non haberet meritum nec culpam per potestatem trium potentiarum; & meritum & culpa esset illius potestatis, quæ tres potentias moveret: & si hoc ita esset, non esset libera voluntas in tua anima; & hoc est impossibile: & si operatio trium potentiarum tuæ animæ non esset una & eadem potestas in objecto, quod capiunt, essent tres libertates diversæ in tua anima uno & eodem tempore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, memoria posset recolere uno & eodem tempore unum objectum, & intellectus posset intelligere alterum, & voluntas posset amare alterum; & hoc est impossibile.

3. Si dicis, quòd anima liberè moveat suas potentias; verum dicis: dummodò intendas dicere, quòd anima moveat suas potentias cum potestate, in qua illæ potentiæ uniunt suam operationem liberè de suismet potestatibus in capiendo objectum, quod capiunt. Et si dicis, quòd motus, quem anima facit de se ipsa in tribus potentiis, sit similis motui, quem tuum corpus facit in suis membris, quando tuum corpus movet se ipsum movendo sua membra; verum dicis. Et si dicis, quòd, quemadmodum non fit differentia inter motum tui corporis & motum tuorum membrorum, quando tuum corpus se movet in suis membris, sic motus intellectualis tuæ animæ, quæ se movet in suis potentiis, non sit differens à motu suarum potentiarum; verum dicis: quia tam magna est unio, quæ est inter tuam animam & suas potentias, quòd in illis non possit esse distincta differentia potestatis. Et si dicis, quòd recolere & intelligere & amare sint accidentia; verum dicis: sed hoc, in quo stant illa accidentia, sunt substantiales potestates, in quibus accidentia moventur; quemadmodum tu es movens cum calore vel cum frigore, & es movens te ipsum in tuis membris; vel quemadmodum ponderositas movet se ipsam in pluvia & in pomo, quod cadit de arbore pomi, vel in tuo corpore, quod cadit de tuo equo.

4. De necessitate convenit, quòd in supremo Bono potestas, sapientia, amor & aliæ proprietates [communes personalibus] subsistant quælibet per se vel non: unde si quælibet subsistit per se ipsam, convenit de necessitate, quòd sit pluralitas potestatum, sapientiarum, amorum; & hoc est impossibile: & si omnes proprietates sunt unum & idem, & in illis non est proprietas personalis, supremum Bonum non est superius tribus potentiis animæ, quæ sunt distinctæ & subsistentes per suammet potestatem in tua anima, & mobiles per suammet potestatem, secundùm quòd suprà dictum est: unde cùm supremum Bonum sit superius omni eo, quod est in inferiori bono, & tua anima & suæ potentiæ sint in inferiori bono, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono quælibet suarum proprietatum personalium subsistat per se ipsam; & per hoc, quia subsistunt per se ipsas, sunt subsistentiæ, quæ subsistentiæ tam fortiter conveniunt, quòd subsistant per se ipsas, sicut convenit, quòd sint una Essentia, & quòd Essentia subsistat per se ipsam: quia si in supremo Bono quælibet proprietas personalis non posset stare per se ipsam distinctè ab altera, suprema Essentia, quæ est distincta ab omni alia essentia, & quæ stat per se ipsam, esset superior, quàm suæ proprietates personales; & si esset, suæ proprietates essent finitæ, & Essentia esset infinita; & hoc est impossibile, quòd suprema Essentia possit esse suprema habens proprietates finitas, & quòd sint confusæ in sua subsistentia & in sua differentia: per quam impossibilitatē Trinitas est demonstrabilis.

5. Cùm probaverimus, quòd conveniat, in supremo Bono esse subsistentias, convenit, quòd

quòd demonstremus modum, secundùm quem sunt apprehensibiles à nostro intellectu, secundùm quòd sufficit apprehendere hoc, quod illi est incomprehensibile; qui modus est demonstrabilis per Generationem & Processionem; quia si in supremo Bono est una subsistentia, quæ sit stans per se ipsam, sicut tua anima in tua humanitate est stans per se ipsam, vel tua camera in mundo est stans per se ipsam; & illa subsistentia est potestas, sapientia, amor & quælibet aliarum communium proprietatum, quæ sunt in supremo Bono; & illa subsistentia, quæ habet omnes supradictas proprietates, generat de tota se ipsa aliam subsistentiam, in qua sunt supradictæ proprietates communes, & de ambabus subsistentiis procedit alia subsistentia, in qua sunt communes proprietates, tunc Generatio & Processio demonstrant, quòd quælibet subsistentia sit stans per se ipsam, & quòd insimul sint una subsistentia, hoc est, una Essentia stans per se ipsam.

6. Si hoc est demonstratio, per quod est demonstrabile, supremum Bonum esse supra inferius bonum, de necessitate convenit, quòd hoc sit demonstratio, per quod est demonstrabile, supremum Bonum esse superiorem subsistentiam inferiore subsistentiâ: unde cùm tu sinè Generatione & Processione non possis recipere demonstrationem, quæ convenit supremæ subsistentiæ & inferiori, tunc es obligatus ad affirmandum, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod se demonstrat magis stabile, quàm inferius bonum; & in omni eo, per quod est magis demonstrabile, supremum Bonum esse stans per se ipsum, convenit, quòd sit tua affirmatio, quamprimùm tibi facta est demonstratio.

CAPUT XXIX.

De Generatione & Processione.

1. ILlo modo, quo tu es pater generando, fuisti filius; & simili modo, quo tuus filius exivit à sua matre, exivisti tu à tua; unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd in inferiori bono pater & filius secundùm cursum naturalem sint similes in Generatione & Processione.

2. Tu scis, quòd supremum Bonum sit Pater inferioris boni per creationem & conservationem & beneficia; & scis, quòd in inferiori bono unum bonum procedat ab altero bono, & omnia bona venerint per supremum Bonum: unde si in supremo Bono non est Generatio & Processio, in supremo Bono non erit Paternitas nec Processio nisi secundùm relationem inferioris boni; & sequitur, quòd in inferiori bono paternitas, filiatio & processio sint magis verè, quàm in supremo Bono: & si essent, sequeretur, quòd in inferiori bono veritas conveniret cum majoritate, & in supremo Bono cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd veritas conveniat in supremo Bono cum magis vera & cum magis nobili Paternitate & Processione, quàm in inferiori bono; per quam magis veram & magis nobilem Paternitatem & Filiationem est demonstrabilis in supremo Bono magis nobilis & magis vera Filiatio & Processio, quàm in inferiori bono: & quantò magis nobilis & magis vera est Filiatio & Processio in supremo Bono, tantò magis nobilis & magis vera demonstratur Paternitas & Processio: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd de Paternitate infinita, & de filiatione & processione finita formaretur tuo intellectui magis nobilis generatio & processio, quàm de Paternitate & Filiatione & Processione infinita; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis; per quam suprema Generatio & Processio est demonstrabilis, de cujus influentia procedit generatio & processio, quæ est in inferiori bono.

3. Omne id, quod est in inferiori bono, vel est per generationem, vel per processionem; & hoc, quod procedit de inferiori bono, & se inclinat ad privationem, procedit ab illo per corruptionem, quæ est contraria generationi; sicut apparet in tuo olivario, in quo generatur oliva, unde exit oleum; & in tua muliere, de qua generatur filius, & de qua exit lac; & in te sunt generati quinque sensus particulares per formam, quam tuum corpus habet per animam, de quibus procedit virtus sensitiva, quemamodum de tuis oculis procedit virtus visiva; & sic de aliis rebus similibus istis: & ratio, quare in inferiori bono sua particularia procedunt de esse ad privationem, est per corruptionem; sicut apparet in tuo corpore, quod se inclinat ad privationem, in quantum corrumpitur; & sic de aliis rebus: unde cùm in inferiori bono generatio & processio sint tam univer-

sales, & cùm supremum Bonum creaverit inferius bonum ad demonstrandum se ipsum, per hoc significatur, quòd in supremo Bono sit Generatio & Processio sinè corruptione; per quam est demonstrabile, esse supremum Bonum: & si in supremo Bono non esset Generatio & Processio, in inferiori bono generatio & processio & corruptio non essent tam generales, sicut sunt; & si essent, absque eo, quòd in supremo Bono esset Generatio & Processio, non esset humano intellectui tam demonstrabilis infinita bonitas, magnitudo, æternitas &c., quæ sunt in supremo Bono, sicut est, si in supremo Bono est Generatio & Processio.

4. Qui in inferiori bono destrueret generationem & processionem & corruptionem, destrueret totum cursum naturalem, qui est in hoc mundo; quia omnia corpora elementata & omnia corpora cœlestia essent destructibilia, si essent sinè operatione: unde cùm in hoc mundo conservetur generatio & processio, per hoc significatur, quòd in supremo Bono sit Generatio & Processio, quæ conservat generationem & processionem inferiorem; *quia unum simile virtuosum est conservatio alterius sibi similis.*

5. Ratio, quare non est licitum dicere, quòd de Generatione activa & de Generatione passiva, (ùt ita loquar) quæ est in supremo Bono, procedat Generatio, & est licitum dicere, quòd de Patre, qui est potestas, & de Filio, qui est potestas, procedat Sanctus Spiritus, qui est potestas, est per hoc, quia Paternitas & Filiatio sunt proprietates personales infinitæ, & Sanctus Spiritus est proprietas personalis infinita; & si illis opus esset tertiâ Generatione, proprietates essent finitæ, & Paternitas sinè potestate personali infinita, & Filiatio sinè potestate personali infinita, & Processio sinè potestate personali infinita haberent finem in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile.

CAPUT XXX.

De prima & secunda Intentione.

1. PRima Intentio convenit cum majori nobilitate, & secunda Intentio cum minori: unde cùm supremum Bonum & majoritas conveniant, & inferius bonum & minoritas, idcirco supremum Bonum convenit cum prima Intentione, & inferius bonum cum secunda: unde cùm tu sis in inferiori bono, est conveniens, quòd tu habeas primam Intentionem ad supremum Bonum, & secundam ad te ipsum, & quòd supremum Bonum habeat primam Intentionem ad se ipsum, & quòd habeat secundam ad te.

2. In inferiori bono non potest esse majoritas sinè minoritate, nec minoritas sinè majoritate; & ideo in illo non potest esse prima intentio sinè secunda, nec secunda intentio sinè prima: & quia in supremo Bono non est majoritas nec minoritas, convenit, quòd in supremo Bono sit prima intentio sinè secunda; quia si supremum Bonum non posset habere intentionem ad se ipsum sinè secunda, intentio esset imperfecta, & non haberet primam intentionem sinè minoritate; & hoc est impossibile & contra cameras Figuræ: & si in inferiori bono posset esse prima intentio sinè secunda, inferius bonum conveniret cum cameris Figuræ, & esset supremum Bonum; & hoc est impossibile.

3. Si tu, qui es in inferiori bono, esses una intentio, & haberes in te ipso unam intentionem, quæ de se ipsa generaret aliam intentionem, & de prædictis ambabus intentionibus exiret alia intentio, & omnes tres intentiones essent æquales, & essent tu ipse, hoc est, tua essentia, sequeretur, quòd tu esses prima intentio, & quòd quælibet illarum esset prima intentio sinè secunda; & si hoc esset, tu esses similis supremo Bono, quod est prima Intentio, & habet ad se ipsum primam Intentionem: & si tu haberes hoc, per quod perfectè esses similis supremo Bono in intentione, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod tu esses suum simile; quia est impossibile, quòd tu per aliquid, quod haberes, posses perfectè esse similis supremo Bono, nisi in supremo Bono esset hoc, per quod illi esses similis: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabilis sancta Trinitas, quam quæris.

4. Secundùm supremam Justitiam convenit, quòd supremum Bonum habeat nobiliorem intentionem ad se ipsum, quàm ad inferius bonum; & hoc est per hoc, quia est superiùs inferiori in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & si inferius bonum esset æquale supremo, sequeretur, quòd in supremo Bono privaretur justitia, si supremum Bonum haberet nobiliorem intentionem ad se ipsum, quàm ad inferius bonum sibi ipsi æquale in nobilitate: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd per modum, per quem inferius bonum est inferiùs, conveniat, quòd supremum Bonum sit superiùs. Unde si tu, qui es in inferiori bono, habes intentionem ad aliquid, quod tu ipse non es, convenit, quòd in supremo Bono sit aliquid distinctum ab altero, quod habeat intentionem ad se ipsum & ad aliud: & si hoc non esset ita, tua intentio esset magis libera, quàm sua; quia tu potes habere æqualem intentionem ad æquale tibi ipsi, & supremum Bonú non posset habere æqualem intentionem ad æquale sibi ipsi, si in se ipso non haberet æqualem sibi ipsi; quia quantum ad Essentiam, supremum Bonum & suamet Intentio sunt unum & idem sinè differentia: & si tua intentio esset magis libera, quàm suprema, per libertatem tua esset suprema, & sua esset infima; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, in supremo Bono esse diversa suppositа, & quòd quodlibet habeat intentionem ad se ipsum & ad alterum æquale in infinita bonitate, magnitudine & æternitate &c.; per quam intentionem supremum Bonum est supra inferius per libertatem intentionis: quia si tu potes habere libertatem intentionis ad æquale tibi in rebus finitis, supremum Bonum habet in se ipso, qui habeat intentionem æqualem ad se ipsum in rebus infinitis: & si tu habes libertatem ad intentionandum in minori te, & supremum Bonum similiter, in quantum habet intentionem ad creandum & gubernandum inferius bonum: & si tu habes liberam intentionem serviendi majori te, habes libertatem per hoc, quia es sub majori, & haberes nobiliorem libertatem, si supra te non haberes majorem: unde sicut supremum Bonum esset inferius, si haberet libertatem ad habendum intentionem serviendi majori se ipso, sic inferius bonum est inferius per hoc, quia habet libertatem serviendi majori se ipso.

5. Si tu dicis, quòd supremum Bonum habeat intentionem infinitam in intelligere, amare & glorificare se ipsum; dicis verum, quantum ad Essentiam; quia sua Essentia & sua Intentio sunt unum & idem, & sinè differentia suppositorum non potest habere intentionem ad se ipsum: & si tu negas, quòd supremum Bonum habeat intentionem ad se ipsum, tunc tu affirmas, quòd supremum Bonum non habeat intentionem per se ipsum, sed per inferius bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit differentia proprietatum personalium, quæ habent intentionem infinitam una ad alteram; & per differentiam & concordantiam infinitam illarum proprietatum personalium Essentia habet intentionem ad se ipsam, quamvis illa & sua intentio sint unum & idem.

CAPUT XXXI.

De Habere.

1. SCisnè tu, quare color habeat colorem? ideo, quia in colore sunt diversi colores, & quia est differentia inter albedinem & album, & nigredinem & nigrum, & albedinem & viriditatem, & inter albedinem & viride, & sic de aliis coloribus &c.; sed si in colore non esset differentia colorum, nec inter albedinem & album &c., esset impossibile, quòd color haberet colorem.

2. Scisnè tu, quare Anima habeat memoriam, intellectum & voluntatem? ideo, quia est differentia inter potentias & animam; quia anima est substantia, & memoria, intellectus & voluntas sunt suæ potentiæ: & scisnè, quare memoria habeat recolere, & intellectus intelligere, & voluntas velle? ideo, quia est differentia inter memoriam & recolere, & intellectum & intelligere, & voluntatem & velle; sed si in illis non esset differentia, anima non haberet tres potentias, quia illa ipsa esset illæ, nec memoria haberet recolere, quia illa ipsa esset recolere; & hoc idem sequeretur de intellectu & intelligere, & de voluntate & velle: sed quia est differentia inter animam & potentias, & inter potentias & illarum opus, per hoc anima potest habere potentias, & quælibet potentia potest habere opus; & hoc idem sequitur de differentia, quæ est inter unam potentiam & aliam; quia si tres potentiæ non essent diversæ, memoria non haberet recolere &c.; quia potentiæ & illarum opus essent unum & idem, & quælibet esset confusa in altera & in se ipsa & in suo opere.

3. Si in supremo Bono non est differentia inter unam potestatem & aliam, & unam sapientiam & aliam, & unam voluntatem

& aliam, sequitur, quòd supremum Bonum non habeat perfectè potestatem nec sapientiam nec voluntatem; quia potestas, quæ est supremum Bonum, non habet potestatem sciendi nec volendi, nec sapientia, quæ est supremum Bonum, habet potestatē sciendi nec volendi, nec voluntas, quæ est supremum Bonum, habet potestatem sciendi nec volendi; & hoc idem sequitur de aliis cameris Figuræ: & si omnia ista vel aliqua vel aliquod privarentur de supremo Bono, non esset hoc, quod est; & tu esses illi superior, in quantum habes potestatem, sapientiam & voluntatem; & hoc est impossibile.

4. Si in supremo Bono sunt diversæ proprietates personales, sequitur, quòd in supremo Bono sit per differentiam hoc, quod in illo non posset esse, si in illo privaretur differentia; quia si in supremo Bono est Paternitas, Filiatio & Processio, quæ sunt diversa, & Pater est potestas, sapientia, voluntas, & Filius est potestas, sapientia, voluntas, & Sanctus Spiritus est potestas, sapientia, voluntas, sequitur, quòd per differentiam & concordantiam & æqualitatem potestatum, sapientiarum & voluntatum suprema Essentia habeat potestatem, sapientiam, voluntatem, licèt sit unum & idem cum potestate, sapientia & voluntate sinè differentia: quia si anima, quæ est inferius bonum, habet potestatem, sapientiam, voluntatem per tres potentias, licet illa non sit sinè differentia unum & idem cum sua potestate & sua sapientia & sua voluntate, quantò magis suprema Essentia, quæ est unum & idem cum sua potestate & cum sua sapientia & cum sua voluntate, potest habere potestatem, sapientiam, voluntatem: & si hoc non esset ita, suprema Essentia non esset suprema colori, qui habet albedinem, nec albedini, quæ habet album, nec animæ, quæ habet memoriam, sapientiam, voluntatem, recolere, intelligere, velle; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sint diversæ proprietates personales, per quas sit supremum Bonum inferiori bono.

5. In quantum Pater habet potestatem generandi Filium, & dandi Processionem Sancto Spiritui, & habet potestatem sciendi & volendi se ipsum & Filium & Sanctum Spiritum; & quia Pater, in quantum proprietas personalis, est diversus à Filio & Sancto Spiritu, ideo habet potestatem sciendi & volendi se ipsum & Filium & Sanctum Spiritum in Essentia: & hoc idem sequitur de Filio & Sancto Spiritu secundùm relationem Filiationis & Processionis: unde si in supremo Bono non esset differentia Personarum, esset impossibile, quòd in illo esset potestas potentium, sapientia scientium nec voluntas volentium: unde cùm supremum Bonum, si habeat supradicta, conveniat cum majoritate, & per privationem illorum conveniat cum minoritate, per hoc demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd in supremo Bono sint illæ proprietates, per quas convenit cum majoritate; & quòd in illo non priventur illæ proprietates, per quarum privationem conveniret cum minoritate.

CAPUT XXXII.

De Ordinabili.

1. ORdinatio est bonum; quia si esset malum, inordinatio esset bonum; & hoc est impossibile: unde cùm inferius bonum sit ordinabile per supremum Bonum & per se ipsum, convenit, quòd supremum Bonum sit per se ipsum & in se ipso ordinabile, & quòd per aliud non sit ordinabile; quia si non esset ordinabile, aut si esset per aliud ordinabile, non esset per ordinabilitatem superius bonum inferiore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas significatur.

2. Quemadmodum major impossibilitas, quam nigredo potest habere, est, quòd sit albedo, sic major impossibilitas, quam inordinatio potest habere, est, quòd sit ipsa & ordinatio: unde si in supremo Bono est ordinatio, convenit, quòd major impossibilitas inordinationis, quæ possit esse, sit, inordinationem esse in supremo Bono: & si in supremo Bono non esset ordinatio, in illo non esset tam impossibilis inordinatio; & quia major impossibilitas inordinationis convenit cum infinita ordinatione trium proprietatum personalium, & nulla res est infinita, nisi supremum Bonum, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit ordinatio; per quam est demonstrabilis differentia Personarum in supremo Bono; quia sinè differentia rerum est impossibile, quòd possit esse ordinatio: & quia per ordinationem significatur pluralitas in supremo Bono, per hoc demonstratur, quòd per differentiam significetur Trinitas in supremo Bono.

Si

3. Si dicis, quòd causa finalis, propter quam est ordinatio in inferiori bono, sit ad hoc, ut in illo non sit inordinatio; non est verum: quia si esset verum, ordinatio & inordinatio essent æquales in causa finali, & ordinatio non esset supra inordinationem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd ordinatio sit in inferiori bono, ad hoc, ut ordinatio sit sub supremo Bono; & inordinatio sit in inferiori bono, ad hoc, ut sit materia (ita loquendo) ordinationi inferiori; per quam materiam tu habes liberam ordinationem, per hoc, quia potes eligere inordinationem, & per inordinationem habes cognitionem ordinationis; & per hoc potes esse magis ordinatus sub supremo Bono.

4. Tu, qui es inimicus supremæ Trinitatis, in quantum illam persequeris cum negatione & cum occlusione oculorum intellectualium, cum quibus illam non vis intelligere, vide, quantò meliùs conveniat sinè omni comparatione, quòd supremum Bonum sit Ordinatio, & quòd per influentiam illius ordinationis sit ordinatio inferior, quàm conveniret, quòd in inferiori bono sit ordinatio, & quòd in supremo Bono non sit ordinatio; & vide, quantò magis conveniat, quòd cum ordinatione vadas ad ordinationem, quàm cum ordinatione ad hoc, in quo non est ordinatio; & vide, quantò magis conveniat, quòd per inordinationē te removeas ab ordinatione, quàm ab hoc, in quo non est ordinatio; & vide, quantò magis sis contrarius per inordinationem supremo Bono, si supremum Bonum est ordinatio, quàm sis, si illud non est ordinatio: unde si per omnes istas inconvenientias & convenientias Trinitas tibi est demonstrabilis, quare illam negas? & quare es contra demonstrationes, per quas illa demonstratur? quia si es contra hoc, in quo demonstratur, sequitur, quòd sis contra Trinitatem, quam quæris.

5. Quando affirmas, in supremo Bono esse ordinationem, in quantum ordinat inferius bonum, & non in quantum ordinat se ipsum, tunc non negas, quòd inferius bonum sit causa supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd tua negatio sit contra tuam affirmationem; per quam contrarietatē negas, quòd supremū Bonum sit ordinatio inferioris boni; quia causa non est sub causato.

6. Quia tu in tua anima habes tres potentias differentes, concordantes & æquales ordinatas, per hoc potes scire in inferiori bono justitiam & injuriam, & potes amare justitiam, & odire injuriam; & si contingeret, quòd justitia & injuria se possent æquare in æquali quantitate, & quòd amor & odium essent in tua anima æqualia in nobilitate, tam magnus esset tuus intellectus per intelligere injuriam, quàm per intelligere justitiam, & tam magna esset tua voluntas per odire injuriam, quàm per amare justitiam; sed quia supremum Bonum creavit inferius ad significandum & demonstrandum, se ipsum esse justum, & esse amatorem sui ipsius, & non amatorem injuriæ, propter hoc ordinavit, quòd in inferiori bono non sit tam magna injuria, quàm justitia, nec tam magnum odium, quàm amor: & quia Scientia & Voluntas suprema est supra scientiam & voluntatem inferiorem, idcirco convenit, quòd supremum Bonum æqualiter sciat in inferiori bono justitiam & injuriam [ad demonstrandum, quòd sua scientia sit una] & quòd amor, quem habet ad justitiam inferiorem, sit æqualis odio, quod habet ad injuriam [ad demonstrandum, quòd amare & odire non faciant diversum suum velle] quia si hæc æqualitas non esset in supremo Bono, suum scire & suum velle essent finita per inferius bonum: & si magis amaret justitiam sancti Petri, quàm odiret injuriam Mahometi, sequeretur, quòd sanctus Petrus haberet gloriam, quæ non haberet finem, & pœna Mahometi haberet finem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, pœnæ infernales haberent finem; & si haberent finem, esset inordinatio sinè fine in gloria sancti Petri; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si supremum Bonum habet ordinationem in amando se ipsum, & non odiendo se ipsum, & habet ordinationem in ordinando, quòd tu non possis tantùm scire injuriam, quantùm justitiam, nec tantùm amare, quantùm odire; & habet ordinationem, ut sciat & amet vel odiat æqualiter in inferiori bono, de necessitate conveniat, quòd illud sit ordinatum in se ipso; quia si hoc non esset, esset impossibile, quòd in suo opere esset supradicta ordinatio: per quam impossibilitatem Trinitas significatur, & est demonstrabilis in differentia, quam convenit esse

in

in supremo Bono; sinè qua non esset ordinabile.

7. Si in tua anima intellectus & voluntas non essent diversa, omne id, quod scis, amares, & omne id, quod amares, scires, & omne id, quod amas & scis, odires, & omne id, quod scis & odis, amares; sed quia tua memoria & tuus intellectus & tua voluntas differunt, propter hoc potes scire & amare aliquid, & potes scire & odire aliud, & è converso, per diversa tempora: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd, si supremum Bonum non habet in se differentiam [personalem] totum quantum scit, amet; scit peccatum, ergò amet peccatum; & hoc est impossibile: & si scit omne bonum & peccatum, & non amat peccatum, sequitur, quòd scire sit majus, quàm velle; & si est majus, convenit, quòd sit differentia inter suum scire & suum velle; & si scire est majus, & velle minus, scire est superius, & velle inferius; & hoc est impossibile: & si voluntas amat omne bonum, quod sapientia scit, & odit omne peccatum, quod sapientia scit, voluntas est major per amare hoc, quod sapientia scit in supremo Bono, quàm velle, quod voluntas habet in amando inferius bonum, & in odiendo peccatum; & illæ volitiones sunt æquales, quas suprema Voluntas habet in inferiori bono, amando inferius bonum, & odiendo peccatum: unde cùm hoc ita sit de necessitate, per hoc demonstratur, quòd sinè ordinatione, quæ esset essentialiter in supremo Bono, supremum Bonum non posset scire nec amare nec odire, secundùm quòd suprà dictum est: & si hoc non faceret, non esset supremum Bonum: unde cùm supremum Bonum sit, per hoc demonstratur, quòd suprema Essentia totum quantum scit, amet; cùm in se ipsa non sit diversa; sed quia habet diversa supposita, & unum suppositum scit & amat se ipsum & alterum infinitè in bonitate, magnitudine, per hoc fit æternaliter & infinitè Ordinatio inter supposita & Essentiam; & per illam ordinationem Essentia & supposita sciunt omne, quod est, & odiunt omne peccatum, & amant omne bonum.

8. Si dicis, quòd Pater sciat omne bonum & malum, quod est in inferiori bono, & non amet peccatum, & amet bonum, & sua sapientia & voluntas non habeant in Patre differentiam, nec scientia sit major, quàm voluntas, & è converso; verum discis: unde ratio, quare Pater non amat peccatum, & amat bonum, & scit bonum & peccatum, est, quia amat infinitè in bonitate, magnitudine &c. se ipsum & Filium & Sanctum Spiritum, & omne illud, quod sciunt & volunt Filius & Sanctus Spiritus; & Filius & Sanctus Spiritus faciunt hoc idem: & quia inter illa supposita sunt ordinata & diversa opera, potestas & sapientia se habent æqualiter ad bonum & ad peccatum, & possunt amare bonum, & odire peccatum; quia Pater vult, quòd Filius justè amet bonum, & odiat peccatum, & quòd justè sciat bonum & peccatum; & hoc idem vult de Sancto Spiritu; & hoc idem volunt Filius & Sanctus Spiritus in Patre; & hoc idem vult Filius in Sancto Spiritu, & Sanctus Spiritus in Filio: & quia supradicta supposita sunt differentia & concordantia & æqualia in bonitate, magnitudine &c., per hoc sequitur, quòd Pater possit scire & velle æqualiter, licèt amet bonum, & odiat peccatum; quia tam magna est voluntas Patris per odire peccatum, secundùm quòd suprà diximus, sicut per amare inferius bonum: exceptâ Humanitate Christi, cui convénit Filium esse conjunctum, ad hoc, ut supremum Bonum in aliquo individuo inferiori magìs amet bonum, quàm odiat peccatum; & hoc idem sequitur de nostra Domina Sancta Maria, & per dignitatem Christi & nostræ Dominæ sequitur hoc idem in Angelis & in Sanctis gloriæ; quia per Incarnationem fuit facta specialitas generalitatis voluntatis; sinè qua inferius bonum non esset ordinatum; per quam ordinationem Incarnatio Christi est demonstrabilis in demonstratione Trinitatis.

CAPUT XXXIII.

De Abstracto & Concreto.

COlor & albedo & album differunt; quia si non differrent, abstractum & concretum essent unum & idem; & si essent, sequeretur, quòd nigredo & nigrum non essent color; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in inferiori bono est differentia inter abstractum & concretum, in supremo Bono non sit differentia inter Deitatem & Deum; quia si esset, Deitas esset abstractum, & Deus concretum, & Deus esset sub Deitate, quemadmodum album est sub albedine, & albedo sub colore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, conveniret, quòd Deitas esset supremum Bonum, & Deus esset inferius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Deitas & Deus per non differentiam sit superior abstracto & concreto; quia intellectus humanus est causa, quare est differentia inter abstractum & concretum; quia si humanus intellectus non esset, ibi non esset differentia, ad demonstrandum, quòd, licèt humanus intellectus sit, non sequatur, quòd sit differentia inter Deitatem & Deum.

2. In inferiori bono, hoc est, in abstracto & concreto est concordantia inter colorem, albedinem & album; quia si non esset concordantia, album tui equi albi non esset unum & idem cum albedine & colore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, album concretum non esset sua albedo nec suusmet color; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono quædam concordent; quia si non concordarent, non essent per concordantiam supra colorem, albedinem & album tui equi albi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd inter unum & aliud conveniat in Deo esse concordantiam sinè abstracto & concreto; quia si non esset, non esset superius Bonum abstracto & concreto per concordantiam; & si in illo est concordantia, sequitur, quòd in illo sit differentia proprietatum personalium; & si ibi est differentia, convenit, quòd ibi sit pluralitas, per quam significatur Trinitas.

3. In tuo equo albo color, albedo & album sunt æqualia; quia si non essent, in illo esset album sinè albedine vel colore, & in illo esset albedo sinè colore vel albo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd per differentiam elementorum, quæ generarunt colorem & albedinem & album tui equi albi, possit esse æqualitas coloris & albedinis & albi in tuo equo albo, quamvìs in composito sint unum & idem: unde cùm hoc ita sit, demonstratur, quòd, si in inferiori bono in una & eadem re est æqualitas diversarum rerum, & per differentiam illarum est æqualitas inter colorem, albedinem & album, cui æqualitati abstractum & concretum sunt causa, quantò magìs conveniat, in supremo Bono esse æqualitatem rerum, absque eo, quòd abstractum & concretum sint causa æqualitati, & quòd sint unum & idem Deitas & Deus per differentiam Deitatum & Deorum personalium differentium æqualium concordantium æqualium ad essendum una Essentia, in qua non sit differentia Deitatis & Dei: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd per æqualitatem, cui abstractum & concretum non sint causa, supremum Bonum non esset superius inferiori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Quamvìs in inferiori bono non esset rationale, quod capit in abstracto colorem, & in concreto album, per totum hoc non sequitur, quòd inter colorem & album non esset differentia; quia si non esset, sequeretur, quòd omne id, quod non esset album, privaretur colore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, nigredo non esset color, nec rubedo nec viriditas essent colores; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatè demonstratur, quòd, licèt tu capias Deitatem & Deum in tuo intellectu, per totum hoc non sequatur, quòd facias differentiam inter Deitatem & Deum; quia si faceres, esses agens in supremo Bono, & supremum Bonum esset passivum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum esset supra supremum, in quantum tu non potes facere differentiam inter colorem & album, quamvìs caperes colorem in abstracto, & album in concreto; quia si hoc faceres, tu esses color & albedo: & quia est impossibile, quòd inferius bonum sit supra supremum, per hoc demonstratur, quòd sinè abstracto & concreto in supremo Bono sit differentia unius Deitatis ab altera, & unius Dei ab altero (sic loquendo) & Deitatis à Deo; *& hæc differentia est inter unum suppositum & alterum, in quantum quodlibet suppositum est Deitas & Deus sinè differentia.*

5. Si tu tantùm intelligis in abstracto vel in concreto, non intelligis tantum, sicut si intelligis in abstracto & concreto; & si hoc non esset ita, abstractum vel concretum esset majus, quàm abstractum & concretum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd tu plùs intelligeres in supremo Bono, si in illo intelligeres differentiam Deitatis & Dei, & non intelligeres, quòd in supremo Bono

sit differentia inter Deitatem & Deum, quàm quando intelligis unam intelligibilitatem, & non alteram; quia una intelligibilitas est in supremo Bono intelligere, quòd Deitas Patris sit diversa à Deitate Filii, & Deus Pater à Deo Filio, & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu, & è converso; & alia intelligibilitas est, quòd in Essentia, Deitate & Deo nulla sit differentia: *unde cùm in te sit multò nobilior intelligentia, si intelligis in supremo Bono duas intelligibilitates, unam secundùm Essentiam, alteram secundùm Suppositа, quare igitur propter minorem intelligentiam odis majorem?* & quare amas in inferiori bono majorem intelligentiam, quàm in supremo? postquam magis amas in inferiori bono majorem intelligentiam, quàm minorem.

CAPUT XXXIV.

De Eligibili.

1. Eò magis supremum Bonum ab inferiori bono est eligibile, quò magis illi supremum Bonum demonstrat sua secreta; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd revelatio supremorum secretorum non esset bonum; & hoc est impossibile: unde cùm revelatio supremorum secretorum sit magis possibilis, si in supremo Bono est Trinitas, quàm esset sinè Trinitate, idcirco est magis eligibilis major revelatio secretorum, quàm minor; quia si hoc non esset, revelatio secretorũ non esset bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, Trinitatẽ esse in supremo Bono.

2. Quò magis supremum Bonum tibi est demonstrabile, eò magis facit te appropinquare sibi ipsi; & quò propinquior es supremo Bono, eò melior es; igitur hoc, per quod es melior, tibi est eligibile: unde si Trinitas & Unitas est in supremo Bono, & tibi demonstrat suam Unitatem & suam Trinitatem, es melior, & tibi est magis eligibile supremum Bonum ad amandum & ad laudandum & ad serviendum illi, quàm si tibi esset demonstrabile per Unitatem tantùm: unde cùm conveniat, hoc esse in supremo Bono, per quod supremum Bonum tibi est magis eligibile, & tu es melior, per hoc tibi est demonstrabile, Trinitatem esse in supremo Bono; quia si non esset, sequeretur, quòd per hoc, quod nihil esset, supremum Bonum esset magis eligibile ad amandum & ad laudandum & ad cognoscendum, & quòd tu esses magis superiùs, quàm es, per hoc, quod non est, quàm per hoc, quod est; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, hoc, quod non est, conveniret cum majoritate, & hoc, quod est, conveniret cum minoritate; & hoc est impossibile.

3. Si inferius bonum est eligibile ad amandum & ad cognoscendum per differentiam & concordantiam & contrarietatem, quantò magis supremum per differentiam & concordantiam sinè contrarietate: & si dicis, quòd inferius bonum esset magis eligibile, si privaretur in illo differentia, concordantia & contrarietas, tunc dicis, quòd inferius bonum esset melius, si esset hoc, quod non est, quàm quando est hoc, quod est; & hoc est impossibile: & si inferius bonum est eligibile per hoc, quia habet principium & finem, quantò magis supremum bonum est eligibile, si habet Trinitatem sinè principio & fine; & si inferius bonum est eligibile, quia habet majoritatem, minoritatem & æqualitatem, quia sinè majoritate tu non esses major irrationali, nec tua anima desideraret sinè æqualitate æquale recolere suæ memoriæ, nec æquale intelligere sui intellectûs, nec æquale velle suæ voluntatis, igitur quantò magis est eligibile supremum Bonum, si habet æqualia suppositа sinè majoritate & minoritate: & si iste mundus est eligibilis per generationem & corruptionem, quia sinè generatione non esses nec viveres, nec sinè corruptione caperes vitam à plantis nec ab irrationalibus, nec sinè corruptione morereris, nec posses habere alterum sæculum, igitur quantò magis est eligibile supremum Bonum per Generationem & Processionem sinè corruptione & sinè principio & fine, existente Generatione & Processione infinitâ in bonitate, magnitudine &c.

4. An nescis, quòd mundus sit melior, quia est unus, & est in tribus speciebus generalibus omnibus aliis speciebus, hoc est, in sensualitate, intellectualitate & animalitate, quàm esset, si unitas esset sinè his tribus speciebus? *& an non intelligis, quòd quodlibet individuorum specierum mundi sit nobilius, quando est in unitate & in trinitate, quæ trinitas est de materia & forma & conjunctione*, quàm esset, si quodlibet haberet unitatem sinè trinitate? & quò nobilior est mundus & suæ species & individua specierum, eò magis est eligibilis: unde cùm mundus & suæ species & individua specierum sint magis eligibilia per unitatem & trinitatem, si supremum Bonum non esset magis eligibile, quàm mundus & species & individua mundi, per nobiliorem Unitatem & Trinitatem, non esset tam superius supra inferius bonum, sicut esset, si per illum eundem numerum, hoc est, Unitatem & Trinitatem esset magis eligibile, quàm mundus: & quia es obligatus ad eligendum hoc, per quod intelligis supremum Bonum magis eligibile, quàm mundum, ideo habes culpam, quando es contrarius supremæ Trinitati, per quam supremum Bonum est eligibile.

5. Si in supremo Bono intelligis aliquem defectum, quia in illo est Trinitas, & quòd ille defectus non sit tam magnus, sicut alius defectus, qui in illo esset per privationem Trinitatis, adhuc Trinitas esset eligibilis in supremo Bono; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd pœna hujus mundi non esset magis eligibilis, quàm pœna alterius mundi; & hoc est impossibile: „per quam impossi„bilitatem demonstratur, quòd, si per Tri„nitatem tibi est demonstrabile, esse de„fectum in supremo Bono, & per priva„tionem Trinitatis tibi in illo est demon„strabilis perfectio, tunc tibi concedo, „quòd supremum Bonum non sit eligibile „per Trinitatem; & si hoc potes demon„strare, ego eligam tuam demonstratio„nem.

CAPUT XXXV.

De Credibili & Intelligibili.

1. Si supremum Bonum esset credibile, & non intelligibile, finalis ratio, quare esset credibile, esset meritum fidei, & non esset intelligibile ad hoc, ut amaretur; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, credere foret nobilius ad habendum magnam gloriam, quàm cognoscere supremum Bonum per intelligentiam & per multùm amare illud; & hoc est impossibile: & si supremum Bonum esset intelligibile, & non credibile, sequeretur, quòd homines negotiantes in necessitatibus corporis & utentes artibus mechanicis non essent in statu salvationis, quia ab illis supremum Bonum non est intelligibile, sed credibile, quamdiu sunt continuè negotiantes in suis officiis; & si non essent in statu salvationis, supremum Bonum non haberet in se bonitatem, magnitudinem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit credibile & intelligibile; & si esset credibile, & non intelligibile, errores similes veritati, cum quibus veniet Antichristus, non essent ita destructibiles per credibilitatem, sicut per intelligibilitatem.

2. Si in supremo Bono credis Unitatem & Trinitatem, magis credes, quàm si credis Unitatem tantùm (dummodò tamen Trinitas sit in supremo Bono) quia si in illo non esset Trinitas, minùs crederes, si crederes in supremo Bono hoc, quod in illo non esset, quàm si discrederes hoc, quod in illo non est: unde si Trinitas est in supremo Bono, & tu per hoc habes majorem fidem, convenit, quòd supremum Bonum sit magis credibile per hoc, quod dat majorem fidem, quàm per hoc, quod non dat tam magnam fidem; & si hoc, quod dat majorem & nobiliorem fidem, non esset in supremo Bono, & in illo esset hoc, quod dat minorem fidem, demonstraretur, quòd malum esset, supremum Bonum esse credibile, & quòd bonum esset, illud non esse credibile: quia si bonum esset, quòd supremum Bonum esset credibile, conveniret, quòd esset hoc, per quod est magis credibile, & quòd non esset hoc, per quod est minùs credibile. Unde cùm jam probaverimus, quòd bonum sit, supremum Bonum esse credibile & intelligibile, per hoc demonstratur, quòd Trinitas, quæ est in supremo Bono, sit intelligibilis; quia si hoc non esset, non esset bonum, quòd supremum Bonum esset credibile: & si Trinitas est intelligibilis, convenit, quòd sit in supremo Bono; quia si in illo non esset, esset impossibile, quòd sua Trinitas esset intelligibilis.

3. Si supremum Bonum est in Trinitate, magis est intelligibile, quàm sit sinè Trinitate; quia quò plus intelligis in supremo Bono, eò magis tibi supremum Bonum est intelligibile: & quia plus intelligis, si intelligis in supremo Bono Unitatem & Trinitatem, quàm si intelligis Unitatem tantùm, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod est magis intelligibile; quia si in illo non esset, esset in illo solùm hoc, per quod est minùs intelligibile: & si in supremo Bono non esset hoc, per quod esset magis intelligibile, & in illo esset hoc, per quod esset minùs intelligibile, demonstraretur, quòd melius esset, quòd supremum Bonum non esset

intelligibile, quàm quòd sit intelligibile; & hoc est impossibile, secundùm quòd suprà significavimus: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Si tua Anima esset intelligentia, & non haberet diversas potentias, non esset sibi ipsi tam intelligibilis, sicut est; quia per hoc, quia in anima sunt diversæ potentiæ, potest intelligere unum, & posteà aliud; & haberet magìs de intelligentia, si insimul intelligeret differentia & concordantia & æqualia, quàm habeat, quando intelligit unum, & postea aliud: & si esset sinè diversis potentiis, non posset in se ipsa insimul intelligere differentes & concordantes & æquales potestates: unde cùm anima sit magìs intelligibilis per differentes & æquales & concordantes potestates, convenit, quòd supremum Bonum, quod à se ipso est magis intelligibile, quàm anima à se ipsa, habeat in se ipsa differentes & æquales & concordantes potestates, sapientias & amores &c., & quòd insimul intelligat omne id, quod habet in se ipso: & si in supremo Bono non esset talis intelligentia & talis intelligibilitas, non esset per intelligentiam & per intelligibilitatem superius tuà animâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas tibi est demonstrabilis.

5. Tu scis, quòd tuus Angelus Custos, quem supremum Bonum tibi dedit, ad hoc, ut te dirigat ad viam veritatis & ad bonos mores, sit Intelligentia, & intelligat supremum Bonum & se ipsum & te insimul; quia si hoc non faceret, non esset intelligentia, nec quando intelligeret se ipsum vel te, haberet gloriam à supremo Bono, quod non intelligeret; & si non haberet gloriam, illi esset malum intelligere te & se ipsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quemadmodum tu es magìs intelligibilis Angelo per hoc, quia habes in te ipso differentiam, quàm esses, si in te ipso non haberes differentiam, sic sit magìs intelligibilis à se ipso, si in se habet differentiam, quàm si in se ipso non haberet differentiam; & si non haberet differentiam in se ipso, tu illi esses magìs intelligibilis, quàm ille sibi ipsi; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, Angelus esset magìs nobilis per intelligere te, quàm se ipsum; & si hoc esset, tu esses nobilior, quàm ille, & tu posses meliùs intelligere Angelum, quàm te ipsum; cùm Angelus sit nobilor, quàm tu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut Angelus est magìs intelligibilis, si habet in se ipso differentiam, quàm esset, si in se ipso non haberet differentiam, ita supremum Bonum sit magìs intelligibile ab Angelo, si habet in se ipso differentiam Personarum, quàm esset, si esset sinè differentia suppositorum: quia si hoc non esset, sequeretur, quòd Angelus esset magìs intelligibilis sibi ipsi sinè differentia, quàm cum differentia, & quòd meliùs intelligeret te, si esses sinè differentia, quàm intelligat, quia habes differentiam in te ipso; & tu esses magìs intelligibilis à te ipso, si esses sinè differentia, quàm es, quia es compositus ex differentibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit magìs intelligibile à se ipso, si habet diversa suppositа, quàm esset sinè differentia suppositorum: & si hoc non esset ita in supremo Bono, sequeretur, quòd in inferiori bono omnes res essent magìs intelligibiles sinè differentia, quàm cum differentia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est significata.

6. Si supremum Bonum insimul intelligit in se ipso differentia infinita suppositа in differentia & concordantia & æqualitate & simplicitate, & intelligit inferius bonum & omnes differentias & concordantias & contrarietates & æqualitates, quæ sunt in inferiori bono, magìs intelligit, quàm si in se ipso non intelligit diversa suppositа infinita secundùm cameras Figuræ: & si supremum Bonum non intelligit in se ipso diversa suppositа, non est superius tuo Angelo Custode per intelligentiam, qui Angelus insimul intelligit supremum Bonum, & intelligit in se ipso differentia, & intelligit te: & cùm sit impossibile, quòd hoc, per quod supremum Bonum esset magis intelligibile à se ipso, non sit in illo, & sit impossibile, quòd non sit superius tuo Angelo Custode, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit Trinitas.

7. Vide, quantò meliùs conveniat, quòd supremum Bonum intelligendo se ipsum intelligat diversa suppositа in se ipso, & quòd de illa intelligentia & per illam intelligentiam intelligat in inferiori bono uno & eodem tempore omnes differentias, quæ sunt in inferiori bono, quàm quòd supremum Bonum non intelligat in se ipso differentias infinitas, & quòd in inferiori bono intelligat differentias finitas; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd hoc, quod est convenientia, esset inconvenientia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis per hoc, quod meliùs convenit.

CAPUT XXXVI.

De Apprehensibili & Comprehensibili.

1. DE necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod est magìs apprehensibile, & magìs impossibile, illud esse comprehensibile per inferius bonum; quia si hoc non esset, non esset in excellentia nec in altitudine, quæ illi convenit: unde si tu apprehendis pro objecto colorem, albedinem & album in tuo equo albo, magìs apprehendis & comprehendis album in concreto, quàm facis, si in abstracto apprehendis colorem vel albedinem: & si apprehendis & comprehendis colorem & albedinem & album tui equi albi, minus apprehendis & comprehendis de colore & albedine in abstracto, quàm in concreto; quia quando apprehendis & comprehendis colorem & albedinem & album in concreto, non apprehendis colorem nigredinis nec viriditatis, nec colorem albedinis tui canîs & tuæ manûs: unde si non esset differentia inter abstractum & concretum, hoc, quod dicimus, esset contradictio, & per unum modum dixissemus veritatem, & per alterum falsitatem; sed quia est differentia inter abstractum & concretũ, propter hoc dicimus verum affirmando & negando: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd non sit contradictio, si dicatur, quòd supremum Bonum à te sit magìs apprehensibile, & magìs impossibile, esse comprehensibile per Trinitatem, quàm sinè Trinitate; postquam in Trinitate sunt diversa suppositа, per quæ à te magìs est apprehensibile, si illud intelligis, quàm esset, si in se ipso non haberet diversa suppositа: & quia suppositа & illorum differentia & illorum opus sunt infinita, per hoc tibi est magìs impossibile, quòd possis comprehendere supremum Bonum, quàm esset sinè suppositis infinitis & differentibus in bonitate, magnitudine &c.: & si hoc, per quod supremum Bonum à te est magìs apprehensibile, & magìs impossibile est, quòd illud possis comprehendere, esset contradictio, sequeretur, quòd apprehensibilitas objecti esset mala, & quòd comprehensibilitas, in qua supremum Bonum esset comprehensum, non esset mala; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

2. De necessitate convenit, quòd totum supremum Bonum sit apprehensibile à suomet intellectu; quia si hoc non esset ita, esset majus per Essentiam, quàm per intelligere; & hoc est impossibile: & de necessitate convenit, quòd supremum Bonum non comprehendat se ipsum; quia si hoc facit, sua Intelligentia est major, quàm sua Essentia; & hoc est impossibile: & si hoc non est impossibile, convenit, quòd hoc, quod dicimus, sit contradictio, hoc est, quòd totum sit apprehensibile à se ipso, & quòd non sit comprehensibile per se ipsum; & si est contradictio, convenit, quòd per negativam vel per affirmativam sit imperfectum; & si est imperfectum, non est supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit differentia virtutum personalium, per quam convenit & concordat, ut sit apprehensibile & comprehensibile per se ipsum; quia si in supremo Bono sunt diversæ potestates, infinitæ & diversæ sapientiæ, & diversæ voluntates, & si habent infinitas & æquales concordantias in esse una Essentia per infinitatem diversarum & concordantium & æqualium proprietatum in bonitatibus, magnitudinibus, æternitatibus &c., potest esse, quòd non sit contradictio hoc, quod sinè differentiis, concordantiis, æqualitatibus infinitis in bonitatibus, magnitudinibus, æternitatibus non posset esse contrarium contradictioni: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in supremo Bono non essent cameræ Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sint diversæ proprietates, & quælibet sit apprehensibilis à se ipsa & ab altera, & quælibet sit comprehensa per alteram; quia Pater comprehendit totum Filium & Sanctum Spiritum, in quantum scit & amat totum Filium & Sanctum Spiritum; & quia totum Filium & Sanctum Spiritum comprehendit, ideo est proprietas per se diversa à Filio & à Sancto Spiritu; & Filius comprehendit Patrem & Sanctum Spiritum, in quantum scit & amat totum Patrem & Sanctum Spiritum

ritum ; & ideo est diversa proprietas à Patre & à Sancto Spiritu; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu: & quia una proprietas comprehendit totam alteram, per hoc una proprietas non est major alterâ, & sunt æquales ; & quia sinè talibus proprietatibus Essentia sciens se ipsam non posset comprehendere se ipsam, & convenit, eam esse comprehensam per se ipsam, ad hoc, ut non sit major per Essentiam, quàm per Amorem & Intelligentiam, per hoc Trinitas est demonstrabilis.

3. Si tibi est multùm magna utilitas, quòd supremum Bonum à te sit apprehensibile; & quò magìs à te est apprehensibile, eò major utilitas tibi est, si illud capis pro objecto; & cùm supremum Bonum à te sit magìs apprehensibile, si in se habet Trinitatem, quàm esset, si in se non haberet Trinitatem, igitur de necessitate convenit, quòd hoc, per quod illud tibi est major utilitas, sit in illo, ad hoc, ut sit sibi ipsi major utilitas, quàm tibi: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd illud esset cum hoc, quod mihi non est major utilitas, quàm sibi ipsi cum hoc, quod est; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT XXXVII.

De Causa Efficiente & Finali.

1. TU scis, quòd plurimi hominum, qui timent & amant supremum Bonum, illud timeant & ament magìs propter timorem pœnarum infernalium, & ad habendam cœlestem gloriam, quàm propter illud ipsum & propter suammet bonitatem; & quia finalis ratio, quare supremum Bonum creaverit inferius bonum, est, ut magìs timeatur & cognoscatur & ametur propter suam bonitatem, quàm propter pœnas & propter gloriam alterius sæculi, ideo mundus maximè deviat à finali ratione, propter quam est creatus: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit Trinitas; quia si Trinitas est in supremo Bono, meliùs est à te apprehensibile & intelligibile, secundùm quòd jam probavimus; & quò magìs à te est apprehensibile & intelligibile, eò meliùs dispositum est à te esse amabile & timibile; & quò magìs illud amabis & timebis propter suammet bonitatem, eò magìs eris directus ad amandum & timendum supremum Bonum propter finalem rationem, propter quam te creavit: & si Trinitas non esset in supremo Bono, tibi non esset ita dispositum ad esse timibile & amabile & laudabile, sicut est per Trinitatem: unde convenit, quòd hoc, per quod tu es magìs dispositus, ut te inclines ad finalem rationem, quare es creatus, sit in supremo Bono; quia si hoc non esset, esses per hoc, quod nihil est, magìs dispositus ad bonum, quàm per hoc, quod est; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, hoc, quod nihil est, esset bonum, & hoc, quod est, esset malum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

2. Finalis ratio, quare supremum Bonum est efficiens in te, est, ad demonstrandum se ipsum tibi, ad hoc, ut illud ames & timeas, & ut illi des laudem; & si supremum Bonum in se ipso non habet, per quod tu illud possis cognoscere, suum opus esset imperfectum, & esset efficiens imperfectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat in se ipso, per quod illud potes cognoscere: unde si supremum Bonum habet in se ipso Paternitatem, Filiationem & Processionem, & hæ proprietates sunt differentes, concordantes & æquales in infinita bonitate, magnitudine, æternitate, meliùs potes illud cognoscere, quàm si illud non habet in se ipso supradictas proprietates: quia quemadmodum tu in inferiori bono per differentiam generis & speciei habes cognitionem, ita in supremo Bono per differentes, concordantes & æquales proprietates personales potes habere cognitionem bonitatis, magnitudinis, æternitatis, quæ sunt in supremo Bono. Et si esses magìs dispositus ad cognoscendum supremum Bonum sinè differentia, concordantia & æqualitate, quàm cum differentia, concordantia & æqualitate, sequeretur, quòd in inferiori bono haberes majorem demonstrationem sinè differentibus & concordantibus & æqualibus rebus, quàm per differentes & concordantes & æquales res: & si hoc non esset ita, esset causa & efficiens inferius contra superius; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremus Finis creavisset contrarium finem suo fini ad contrariandum sibi ipsi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat in se ipso differentes & concordantes & æquales proprietates personales;

les; & per influentiam illarum tu potes plus cognoscere per differentiam & concordantiam & æqualitatem, quàm sinè differentia, concordantia & æqualitate; & per majorem cognitionem es magìs dispositus ad sequendum finem, quare es creatus, & quare recipis beneficium à supremo Bono.

3. Tu scis, quòd finitum non possit facere infinitum; quia si hoc faceret, faceret majus se; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd infinitum, quantum ad suam virtutem, possit facere infinitum; quia si non haberet potestatem faciendi infinitum, haberet virtutem finitam: undecùm sua virtus sit infinita, idcirco potest facere de finito infinitum; sed quia inferius bonum, quod est finitum, non potest recipere, quòd sit infinitum, ideo supremum Bonum infinitum non facit in inferiori bono finito infinitum: & si in inferiori bono non facit infinitum, & illi secundùm suam virtutem convenit, quòd faciat infinitum, ideo de necessitate convenit, quòd in se ipso faciat infinitum; quia si non faceret, haberet virtutem essendi efficiens infinitum rei factæ infinitæ, & non faceret illam; & si illam non faceret, non frueretur suâ virtute, & haberet defectum infinitæ perfectionis in bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Si in inferiori bono efficiens finitus convenit cum fine finito, bene sequitur, quòd in supremo Bono sit Efficiens infinitus, qui conveniat cum fine infinito; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in inferiori bono esset major concordantia inter efficientem & finem, & in supremo Bono minor [inter unum suppositum infinitum & alterum] & hoc est impossibile: & si cum efficiente inferiori disconvenit finis infinitus, per hoc, quia est finitus, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono, quod est finis infinitus, sit efficiens infinitus, qui conveniat cum fine infinito; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd inconvenientia, quæ esset in inferiori bono inter efficiens finitum & finem infinitum esset major, quàm convenientia, quæ est in supremo Bono inter efficiens infinitum & finem infinitum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

5. In inferiori bono, quantò major est efficiens, & quantò major est finalis ratio, quare facit, tantò major est differentia & concordantia inter efficiens & finem; & si per majorem differentiam & concordantiam in inferiori bono efficiens & suus finis conveniunt cum majoritate, quantò magìs convenit, quòd in supremo Bono sit aliquid, per quod efficiens & suus finis conveniant cum tam magna magnitudine, quòd magnitudo sit infinita in bonitate, æternitate, potestate &c.; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset efficiens nisi in inferiori bono; & si hoc non esset, esset finitum in opere & in fine; & si esset, non esset superius inferiori bono per infinitatem operantis & operis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT XXXVIII.

De Materia & Forma.

1. MAteria & Forma non sunt una essentia sinè differentia; & ideo essentia est composita de materia & forma: unde si materia & forma essent in suprema Essentia, in Essentia esset differentia, & esset composita de materia & forma; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, non esset superior in simplicitate inferiori essentiâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd suprema Essentia vel sit pura materia, vel pura forma simplex: unde cùm materia non possit esse sinè forma, & cùm forma conveniat cum majori nobilitate, & materia cum minori, idcirco convenit, quòd suprema Essentia sit forma, & non materia; & si hoc non esset ita, minoritas concorderet cum supremo Bono contra majoritatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd in inferiori bono tota essentia sensualis vel intellectualis sit composita de materia & forma sensuali vel intellectuali, ad demonstrandum nobilitatem & puritatem puræ formæ simplicis essentialis supremæ Essentiæ.

2. In inferiori bono per materiam fit differentia speciei & speciei, & unius individui & alterius: unde si in suprema Essentia esset materia, cameræ Figuræ essent differentes in essentia; & hoc est impossibile: quia

quia si esset possibile, sequeretur, quòd in Essentia essent plures proprietates personales, quàm tres; & hoc est impossibile: quia si plures in illa essent necessariæ, quàm tres, illæ tres proprietates non essent perfectæ, infinitæ in bonitate, magnitudine &c.; & si non essent, non convenirent cum Essentia, & Essentia esset cum proprietatibus inconveniens, vel sinè proprietatibus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum esset sinè infinitâ bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono non sit materia.

3. Hoc, quod est in esse in inferiori bono, est in materia & forma; quia sinè materia & forma non esset: & quia in supremo Bono non est materia, secundùm quòd suprà demonstravimus, si in supremo Bono non esset forma, non esset forma inferiori bono, & non esset demonstratum, quòd aliquid esset; & nos in *secundo Libro* demonstravimus, supremum Bonum esse; & si in supremo Bono non esset forma, sequeretur, quòd non esset objectum suæ sapientiæ, nec sapientiæ, quæ est in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit Forma.

4. Probavimus, quòd in supremo Bono sit forma sinè materia; unde cùm inferius bonum habeat differentiam & concordantiam per materiam & formam, si per hoc, quia in supremo Bono non est materia, privaretur à supremo Bono differentia & concordantia, sequeretur, quòd suprema Forma in nobilitate non esset supra inferiorem; quia illa forma est nobilior, quæ habet distinctas & concordantes proprietates ab & cum altera forma, quàm forma, quæ non habet distinctas & concordantes proprietates; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd differentia & concordantia esset malum, & quòd contrarietas & privatio differentiæ esset bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, tu valeres magis, si esses in humana specie & in asinina & in marmorea specie; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd suprema Forma habeat in se ipsa differentes, concordantes & æquales proprietates personales, quæ sunt in Essentia una forma sinè differentia; & in quantum sunt proprietates personales, sunt differentes, concordantes & æquales aliæ cum aliis: unde cùm hoc de necessitate ita sit, igitur per hanc necessitatem demonstratur, quòd sancta Trinitas sit demonstrabilis.

5. In hoc, quòd inferius bonum non potest habere formam sinè materia, & supremum Bonum est Forma, & non materia, per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum sit superiùs in nobilitate, & inferius bonum sit inferiùs in nobilitate: unde cùm hoc ita sit, si verum est, quòd suprema Forma habeat in se ipsa diversas formas sinè materia, sequitur, quòd, quemadmodum est demonstrabile, illam esse superiùs supra inferiorem formam per hoc, quia est sinè materia, & inferior forma non potest esse sinè materia, ita sit demonstrabile, quòd sit superiùs per hoc, quia habet in se ipso diversas formas sinè materia, & inferior forma non potest in se habere diversas formas sinè materia: quia quemadmodum materia non potest esse sinè actualibus formis, ita formæ actuales naturales non possunt esse sinè materia: unde cùm hoc, quod meliùs demonstrat, supremum Bonum esse superiùs, & inferius bonum esse inferiùs, sit eligibile, idcirco est demonstrabilis Trinitas, quam quæris.

6. Si tu esses forma sinè materia, tu non posses esse objectum tibi ipsi, nisi haberes formas diversas in te ipso, & quòd per differentiam & concordantiam illarum esses objectum tibi ipsi, existente unâ formâ objecto alteri; quia per hoc, quia una forma esset objectum alteri, tua essentia posset esse subjecta sibi ipsi, & quælibet suarum formarum particularium posset esse subjecta sibi ipsi & tuæ essentiæ, & essentia posset esse objectum cuilibet formarum: & si hoc ita esset, & in suprema Forma non essent differentes, concordantes & æquales proprietates, si tu haberes formam & supradictas particulares formas, tu esses superior per formam & per formas & objectum supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit hoc, per quod est superius tuâ formâ & tuâ nobilitate, quæ est in capere objecta, quæ apprehendis.

7. Anima est forma per se, & est forma corpori; unde si forma, quam anima habet per se, & forma, quam corpus habet per animam, essent unum & idem sinè differentia, sequeretur, quòd in corruptione corporis corrumperetur & senescęret anima, &

& quòd anima hominis cæci & muti & surdi non haberet per se ipsam tam nobiles potentias, sicut tua anima, qui vides & audis & loqueris; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tres potentiæ animæ essent secundùm nobilitatem particularium; & si essent, corpus esset forma animæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit differentia inter formam, quam anima habet in se per essentiam, & inter formam, quam anima habet in esse forma corpori per opus & per usum suarum potentiarum: & cùm probaverimus, quòd sit differentia inter ambas supradictas formas, per hoc demonstratur, quòd illæ formæ sint differentes per materiam sensualem & intellectualem, quæ sunt differentes: & quia corpus habet in sua materia suam formam potentialiter, quamdiu anima illi est forma, quam formam potentialem materia sensualis tribuit corpori, quando anima erit separata à corpore, & quia forma, quam anima habet per se ipsam, existit actualiter in materia intellectuali (quia si esset in potentia, non posset denudare nec elevare intellectum supra phantasiam & imaginativam, quæ sunt particularia formæ, quam corpus habet per animam) per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sint tres formæ personales actuales, quæ sunt superiores illis tribus formis supradictis, quæ sunt in te & in omni rationali, duæ in actu, & una in potentia; & si hoc non esset ita, suprema Forma non esset supra inferiorem formam secundùm nobilitatem, quæ illi convenit; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Trinitas, quæ est in supremo Bono.

8. Si tu dicis, quòd anima non habeat aliam formam præter illam, quam habet corpori, & quando est separata à corpore, recedat cum illa forma, & in illa remaneant objecta, quæ assumpsit cum suis tribus potentiis per quinque particulares sensus corporis, tu dicis verum, in quantum dicis, quòd anima secum auferat illud, quod illi convenit, ad hoc, ut supremum Bonum possit uti justitiâ & gratiâ in illa; quia si objecta privarentur à potentiis animæ, supremum Bonum non haberet ordinatum usum justitiæ & gratiæ in anima; & quia justitia & aliæ cameræ Figuræ sunt perfectæ in supremo Bono, idcirco convenit, quòd anima habeat dispositionem, ut supremum Bonum in illa possit uti suis virtutibus; & per hoc demonstratur, quòd objecta, quæ illi conveniunt secundùm usum virtutum, quem usum supremum Bonum habet in inferiori, remaneant, & quòd ab illo priventur alia objecta, quæ non sunt secundùm illum finem, nec ad illam intentionem: sed quia tu dicis, quòd anima non habeat aliam formam præter illam, quam habet corpori, non dicis verum: quia si anima non haberet aliam formam, supremum Bonum non haberet, in quo illi magis multiplicaret objecta supra numerum objectorum, quæ illi remanserunt per particulares sensus: & si minueret objecta, quæ tres potentiæ habuerunt, quamdiu anima erat forma corpori, minueret essentiam animæ minuendo illa objecta; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd anima defuncti habeat formam, quam corpus per illam habebat, & habeat suammet; quam formam, quam habet corpori, restituet corpori per divinam potestatem, quando corpus resuscitabitur.

CAPUT XXXIX.

De Essentia & Proprietatibus.

1. IGnis habet naturam, quòd se moveat sursum; unde si non esset differentia inter ignem & suam naturam, sequeretur, quòd ignis, qui movetur sursum in nive & in pluvia, quæ moventur deorsum, haberet naturam, quòd moveretur deorsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit differentia inter ignem & suam naturam; per quam differentiam demonstratur, quòd in igne sit proprietas, quæ proprietas non est ignis; quia si esset, motus deorsum non esset igni improprius: unde cùm illi sit improprius, & motus sursum sit illi proprius, per hoc demonstratur, quòd essentia ignea sit unum, & sua proprietas sit alterum.

2. Anima habet tres potentias diversas, memoriam, intellectum & voluntatem; unde si inter essentiam & tres potentias animæ non esset differentia, sequeretur, quòd non esset differentia inter tres potentias, vel quòd anima esset tres essentiæ; & quælibet harum consequentiarum est impossibilis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd essentia animæ est unum, & quòd quælibet proprietatum est alterum, quod

non est essentia; & per hoc demonstratur, quòd quælibet potentia sit proprietas animæ, & diversa ab essentia.

3. Angelus est intelligentia, & convenit, quòd intelligendo supremum Bonum intelligat se ipsum, vel intelligendo se ipsum intelligat supremum Bonum, vel quòd intelligendo supremum Bonum intelligat se ipsum, & intelligendo se ipsum intelligat supremum Bonum, vel quòd intelligat supremum Bonum & se ipsum sinè differentia causæ, h. e., quòd supremum Bonum esse intellectum non sit causa suæ intelligentiæ, nec sua intelligentia intelligendo se ipsam intelligat supremum Bonum: unde cùm prima harum quatuor consequentiarum sit de necessitate, & aliæ non sint necessariæ nec concordantes cum cameris Figuræ, convenit, quòd Angelus, qui est in inferiori bono, sit intelligens se ipsum per hoc, quia intelligit supremum Bonum: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur proprietas in Angelo per relationem sui intellectûs, quo intelligit se ipsum, per hoc, quia intelligit aliud, hoc est, supremum Bonum. Unde si Angelus & sua proprietas essent unum in essentia sinè differentia proprietatis & essentiæ, in illo non esset relatio, nec intelligeret se ipsum intelligendo alterum; & quia hoc est impossibile, secundùm quòd suprà probavimus, per hoc demonstratur, quòd inter essentiam angelicam & proprietatem suæ intelligentiæ sit differentia.

4. Supremum Bonum est suprema Essentia & Intelligentia; & quemadmodum supremo Bono tantùm conveniunt cameræ Figuræ, sic convenit, quòd intelligendo se ipsum intelligat se ipsum, & quòd de illa influentia intelligat inferius bonum, & quòd inferius bonum illi non sit causa intelligendi se ipsum; quia si hoc esset, sequeretur, quòd inferius bonum esset illi causa intelligentiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in divina Essentia proprietas sit diverversa ab Essentia; quia si non esset, non esset intelligens inferius bonum per intelligentiam sui ipsius: *unde ratio, quare supremum Bonum creavit inferius, est ad hoc, ut det demonstrationem differentiæ, quæ est inter Essentiam & proprietatem*, quam habet in intelligendo inferius bonum, intelligendo se ipsum: & si inter supremam Essentiam & suum intellectum, quem habet ad intelligendum alterum, intelligendo se ipsum, non esset differentia, esset impossibile, quòd esset supra inferius bonum, secundùm quòd convenit, per hoc, quia inferius bonum significat differentiam inter proprietatem & Essentiam in supremo Bono secundùm relationem, quòd, in quantum suprema Essentia, intelligendo se ipsam intelligat inferius bonum.

5. Si in supremo Bono non esset differentia inter proprietatem & Essentiam, non esset tam magna concordantia inter proprietates & Essentiam, sicut est, si inter proprietates personales & Essentiam est differentia; & si in Essentia est differentia unius proprietatis personalis ab altera sinè differentia proprietatum ab Essentia, est major concordantia in Essentia, quàm esset, si in illa non essent proprietates personales: unde cùm major differentia & major concordantia sit magis eligibilis secundùm bonitatem, magnitudinem, æternitatem, potestatem &c., per hoc Trinitas significatur & demonstratur.

6. De necessitate convenit, quòd inter Essentiam & suam proprietatem sit concordantia vel non; unde si inter illas non est concordantia, non est sua proprietas; & nos probavimus, quòd sit proprium Essentiæ, quòd intelligendo se ipsam intelligat inferius bonum: unde cùm sit sua proprietas, convenit, quòd Essentia habeat concordantiam cum suamet proprietate; quia si non haberet, non esset superior essentiâ igneâ, quæ habet concordantiam cum suo calore, qui est sua proprietas: unde cùm inferius bonum sit per omnia inferius superiore, per hoc demonstratur, quòd inter supremam Essentiam & suam proprietatem sit concordantia sinè differentia proprietatum personalium & Essentiæ: unde cùm in inferiori bono non possit esse concordantia essentiæ & proprietatum sinè differentia, convenit, quòd in supremo Bono sit concordantia inter Essentiam & proprietatem sinè differentia Essentiæ & proprietatis, & quòd sit concordantia & differentia proprietatum personalium; & si hoc non esset ita, supremum Bonum non esset supra inferius, secundùm quòd convenit.

7. Cùm conveniat, supremum Bonum esse superius inferiore per omnes nobilitates, & quia in inferiori bono est concordantia essentiæ cum diversis proprietatibus essentiæ, & cùm in suprema Essentia & suis proprietatibus non sit differentia, & conveniat, quòd in se habeat concordantiam Essentiæ & proprietatum, & concordantiam & differentiam inter unam proprietatem personalem & alteram, propter hoc convenit, quòd inquiramus, utrùm in Essentia sit una proprietas personalis tantùm vel multæ: unde si in illa est una proprietas personalis tantùm, in illa esset major concordantia, si in illa essent duæ vel plures proprietates personales concordantes cum Essentia & cum se ipsis, & una proprietas esset diversa ab altera; & si major concordantia in illa esset, convenit, quòd hoc, per quod in illa esset major concordantia, in illa sit; quia si non esset, esset impossibile, quòd in Essentia esset perfectio bonitatis, magnitudinis &c.: unde cùm in bonitate, magnitudine &c. sit perfectio, demonstratur, quòd in Essentia sint plures proprietates personales, quàm una.

8. Demonstratum est, quòd in supremo Bono sit una Essentia & duæ proprietates personales, quæ sunt distinctæ ab Essentia, & quælibet est distincta ab altera: unde convenit, quòd inquiramus, utrùm sint plures, quàm duæ, vel non? & idcirco nos dicimus, quòd conveniat, inter Essentiam & duas proprietates esse concordantiam vel non; unde si Essentia disconvenit cum proprietatibus, & quælibet proprietas contrariatur alteri, est impossibile, quòd in Essentia & in proprietatibus sint cameræ Figuræ, sinè quibus non posset esse supremum Bonum, nec suæ proprietates possent esse supra inferius bonum: unde cùm supremum Bonum sit, & cùm in se habeat proprietates, secundùm quòd suprà diximus, per hoc demonstratur, quòd conveniat, esse concordantiam inter Essentiam & duas proprietates; quam concordantiam convenit esse tertiam proprietatem distinctam ab Essentia & ab aliis proprietatibus personalibus: & hoc, per quod tertia proprietas est demonstrabilis, est per rationem & demonstrationem, per quam est demonstrata secunda proprietas in paragrapho supradicto.

9. Invenimus, quòd in supremo Bono sit una Essentia & tres Proprietates personales distinctæ ab Essentia, & quælibet ab altera: unde convenit, quòd inquiramus, utrùm sint plures proprietates personales, quàm tres, vel non: unde si dicimus, quòd sit concordantia inter Essentiam & proprietates, & inter unam proprietatem & alteram, verum dicimus; & si dicimus, quòd illa concordantia sit proprietas personalis, & quòd sit quarta proprietas, convenit, quòd omnes quatuor proprietates sint una Essentia, vel non; & si non sufficiunt esse una Essentia sinè pluribus, quàm quatuor, est impossibile, quòd sint proprietates perfectæ & infinitæ in bonitate, magnitudine &c.; & si non sunt, convenit, quòd non sint in Essentia, cùm Essentia sit infinita in bonitate, magnitudine &c.: igitur demonstratum est, quòd Unitati Essentiæ non sit necessaria quinta proprietas nec sexta, & ita usque ad numerum infinitum, & conveniat, quòd numerus proprietatum sit finitus: & si tres primò dictæ proprietates non sufficerent esse una Essentia divina sinè quarta, sequeretur inconvenientia, quæ sequeretur, si quatuor non possent esse Essentia sinè quinta, nec quinta sinè sexta; & sic usque ad numerum infinitum: igitur demonstratum est, quòd ad essendum una Essentia suprema non sint necessariæ plures, quàm tres proprietates tantùm; & si essent plures, quàm tres, & non essent necessariæ, in illa essent superfluè, & essent, sicut si essent multæ essentiæ infinitæ, & una sufficeret ad essendum tota perfectio, in qua illæ essent.

10. Si dicis, quòd una vel duæ proprietates tantùm sufficerent ad essendum Essentia. Respondeo tibi per probationem & demonstrationem, per quam tibi est probatum in supradictis paragraphis, quòd non tantùm conveniat, esse unam proprietatem personalem in Essentia, sed etiam conveniat, esse duas insimul cum illa. Et si dicis, quòd una non sit completa, si in illa requirantur plures, ut sint unum cum Essentia; verum dicis: quia nec una nec duæ essent infinitæ in bonitate, magnitudine &c., absque eo, quòd insimul concordarent, & quòd per concordantiam essent distinctæ una ab altera, & quælibet esset distincta ab Essentia; quæ concordantia & distinctio formatur & fit per Generationem & Processionem, generante unâ proprietate unam duarum, & exeunte tertiâ ab ambabus, & quòd insimul sint una Essentia, quæ in se ipsa, in quantum est distincta à tribus proprietatibus personalibus, non habeat differentiam, & habeat in se ipsa multas proprietates virtuosas non personales concordantes per proprietates personales

communes illis, & quòd in Essentia quælibet sit altera; quæ multæ proprietates sunt bonitas, magnitudo, æternitas, potestas, sapientia, amor & aliæ, quæ continentur in Figura, & etiam multæ aliæ, quæ in Figura & in isto Libro non sunt nominatæ.

Glossa Discip. Cùm in hoc tertio Libro, & singulariter in hoc & præcedenti Capite ob profunditatem materiæ & sublimem modum explicandi B. Authoris, tum etiam exemplarium, quæ bina tantùm, & quidem linguâ lemovicensi, antiquissimo charactere scripta, vermibus corrosa & vetustate deleta, ac notis vel ipsius B. Authoris vel alicujus Discipuli intermixta habui, ingentem difficultatem expertus sim in genuino sensu ipsius B. Magistri eruendo, hac cautelâ usus sum (ût in cæteris quoque Libris partim transferendis, partim restituendis feci) ut, quantum potui, textum D. Authoris, neglectâ opinione Discipulorum, retinerem; ubi autem mens illius videbatur ambigua, eam elucidare conatus sum textibus aliorum Capitum hujus Libri, vel etiam aliorum Librorum B. Doctoris: unde Discipulus pro Magistro rogatos velim Viros sapientes & doctos, ut, quando legerint in hoc Capite, B. Raymundum facere distinctionem inter Essentiam & Proprietates Personales DEI, ne præpropere judicent, illum velle distinctionem realem statuere, quod utique esset contra Fidem, SS. Patres & Concilia; nullibi enim, nec in hoc Capite, nec in alio totius hujus vel aliorum suorum Voluminum invenient terminum *realis*, quando B. Doctor agit de Distinctione inter Essentiam & Personas, imò eodem Capite simul & semel invenient, si omnes paragraphos illius perlustrabunt, D. Authorem & Identitatem & Distinctionem statuere inter Essentiam & Attributa Personalia, quòd omnes Doctores tenentur facere, ad evitandam difficultatem, quæ oritur ex noto principio: *Quæcunque identificantur in uno tertio, identificantur inter se:* unde enata est Distinctio Scotistica *ex natura rei formalis*, & quorundam recentiorum *virtualis*, ût videre est apud doctissimum R. P. Izquierdo in sua *Pharo Scient. Disp. 13. q. 4. & 8.* quam difficultatem longè clariùs, sublimiùs ac perfectiùs resolutam & sublatam arbitror à B. Magistro suâ arte & methodo in hoc Libro applicatâ, quàm quavis aliâ à præfatis Doctoribus inventâ & usitatâ. Unde, ad hanc vel similes difficultates in hoc vel aliis Libris occurrentes intimè penetrandas, consultum erit Paragraphos Paragraphis, Capita Capitibus, imò Libros ipsius Divi Authoris Libris comparare, non neglectâ sed intimè priùs perspectâ & cognitâ suâ arte in præcedenti Tomo revelata; sinè qua cautela impossibile erit rectum & solidum judicium formare de mente Authoris; quæ mens illius circa Identitatem inter Essentiam & Personas in plurimis locis hujus Voluminis jam satis est exposita, & millies in aliis suis Tractatibus; præsertim in *Lib. Quæstionum super Artem Demonst. & Invent. Quæst. 24.* quæ est: *Utrùm Essentia Dei & divina Suppositа sint idem numero?* ubi per novem Demonstrationes hanc Identitatem probat.

CAPUT XL.

De Convenientia & Inconvenientia.

1. SI Trinitas est in supremo Bono, convenit, quòd sit demonstrabilis per Convenientiam & Inconvenientiam; cùm illud, quod est in inferiori bono, sit demonstrabile per convenientiam & inconvenientiam: unde si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum per demonstrabilitatem non esset superius inferiori; & hoc est impossibile.

2. Si convenit, quòd Trinitas sit in supremo Bono, & disconvenit, quòd supremum Bonum sit supremum Bonum, si habet Trinitatem in se ipso, vel si convenit, quòd supremum Bonum sit in Trinitate, & disconvenit, quòd Trinitas sit in supremo Bono, est impossibile, quòd Trinitas sit in supremo Bono; quia nullum inconveniens convenit cum supremo Bono; quia si conveniret, supremum Bonum non esset superius inferiori per convenientiam sinè inconvenientia; in quo inferiori bono hoc ita est, quòd conveniant & disconveniant: per quam convenientiam & inconvenientiam est conveniens, quòd sit inferius bonum: per quam convenientiam est demonstrabile, quòd de necessitate conveniat, quòd in supremo Bono sit convenientia diversorum suppositorum; quia sinè differentia suppositorum in illo non posset esse convenientia; & sinè convenientia, in qua non esset inconvenientia; supremum Bonum non posset esse superius inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

In

3. In inferiori bono una virtus convenit cum altera, & unum vitium cum altero; & omnis virtus disconvenit cum omni vitio, & omne vitium cum omni virtute; & nulla virtus est disconveniens cum altera, & nullum vitium cum altero: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd convenientia virtutis cum virtute & inconvenientia virtutis cum vitio non conveniret cum perfectione, nec convenientia vitii cum vitio & inconvenientia vitii cum virtute cum imperfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in inferiori bono duæ vel plures virtutes conveniant per se ipsas, & conveniant per hoc, quia disconveniunt cum vitiis, & vitia conveniunt per se ipsa, & per hoc, quia disconveniunt cum virtutibus: unde si in supremo Bono non esset cõvenientia diversorum bonorum [personalium] non esset superius inferiori bono per convenientiam & inconvenientiam supremi Boni, quæ esset cum vitiis, quæ sunt in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd in supremo Bono sit convenientia diversorum bonorum [personalium] quæ conveniunt per se ipsa, absque eo, quòd conveniant per inconvenientiam, quam habent cum vitiis; quia si convenirent, vitia essent causa, quare convenirent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis: quia sinè Trinitate supremum Bonum non haberet, in quo conveniret, absque eo, quòd conveniret per inconvenientiam, quam habet cum vitiis, quæ sunt in inferiori bono (ita loquendo.)

4. Quemadmodum in inferiori bono tres mensurationes conveniunt ad esse unum corpus, & in minori vel majori numero non convenirent ad esse unum corpus (& hoc idem est de materia & forma & conjunctione, quæ conveniunt ad esse unum compositum) & quemadmodum sensualitas & intellectualitas & animalitas conveniunt ad esse unus mundus, sic de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit convenientia trium suppositorũ; quia si non esset, esset major convenientia in supradictis rebus, & magis disconvenirent ad esse plures, quàm tres, & ad esse pauciores, quàm tres, quàm esset convenientia, quam supremum Bonum haberet, in Essentia esse tantùm unum & idem cum bonitate, magnitudine, æternitate &c.: quia quemadmodum homini convenit humànitas & rationalitas & risibilitas, ita suprema Essentia, in quantum Essentia, convenit cum bonitate, magnitudine &c.; & quemadmodum in homine non est convenientia humanitatis & rationalitatis, per hoc, quia sunt unum & idem, & in homine est convenientia corporis & animæ, in quantum sunt diversæ substantiæ, & in homine est convenientia trium potentiarum animæ, quarum una non est altera, ita convenit, quòd in supremo Bono sit convenientia virtuosorum, quorum unus conveniat cum altero, ut una virtus sit alia in Essentiâ; & quòd sit convenientia diversorum suppositorum in Essentia, & quòd in quolibet bonitas, magnitudo &c. conveniant ad esse una altera, & diversa bonitas, magnitudo &c. unius suppositi à bonitate, magnitudine alterius; & hoc personaliter: & si non ita esset in supremo Bono, sequeretur, quòd suprema Convenientia non esset superior inferiore, secundùm quòd convenit; & si non esset, non esset conveniens, supremum Bonum esse superius, & inferius esse inferius; & hoc est impossibile.

5. Tu scis, quòd imaginativa sit medium, per quod intellectus descendit ad intelligendum res sensuales illuminatas per imaginativam in camera phantasiæ; & quia rebus sensualibus imaginativa est necessaria, quia convenit cum illis, & disconvenit, quòd res intellectuales intelligantur cum imaginativa, „ & cùm tu sis certus „ de tua imaginativa, & Trinitas, quæ est „ in supremo Bono, non sit intelligibilis „ cum imaginativa, & hoc ideo, quia est in„ tellectualis & non sensualis, imò conve„ nit, quòd sit intelligibilis per purum in„ tellectum elevatum supra phantasiam & „ imaginativam, ideo tu vis intellige„ re Trinitatem cum hoc, cum quo non „ potes illam intelligere, hoc est, cum tua „ imaginativa; & non vis illam intelligere „ cum hoc, cum quo potes illam intellige„ re, hoc est, cum intellectu; & idcirco es „ ita inconveniens officio tui intellectûs & „ tuæ imaginativæ, sicut esses, si cum oculis „ velles audire, & cum auribus videre.

Glossa Discip. Quoniam Artificium Analyseos speciosæ universalissimæ B. Raymundi Lulli paucis Discipulorum & nemini, quòd sciam, Commentatorum fuit hactenus cognitum, quod Artificium subtilissimus Doctor quidem in primo præcedenti Tomo

sufficienter revelavit, sed ejus arcanum & admirabilem usum nullibi explicitè & perfectè dedit, nisi in *Volum. 3. Lib. 5. Contempl.* Libro verè divinâ potiùs quàm humanâ arte compositò, ideo, ne Lectores Demonstrationum geometricarum universalium inexpertes offendantur Paragrapho 3. hujus Capitis, illum reducemus in formam literarum, apponendo plures ac diversas proportiones, omnes necessarias: sit igitur unde

A. Virtus.	sicut se habet	C. A. A.	ad	C. E.
B. Vitium.	sic	C. B. B.	ad	C. F.
C. Convenientia.	& sicut se habet	D. A. B.	ad	C. E.
	sic	D. B. A.	ad	C. F.
D. Inconvenientia.	ergò per compositionem			
E. Perfectio.	sicut se habet	C. A. A. D. A. B.	ad	C. E
F. Imperfectio.	sic	C. B. B. D. B. A.	ad	C. F.

Ulteriùs.

sicut se habet	C. A. A.	ad	D. F.
sic	C. B. B.	ad	D. E.
& sicut se habet	D. A. B.	ad	D. F.
sic	D. B. A.	ad	D. E.

vel sic, sicut D. A. B. ad C. E.
sic C. B. A. ad D. E.
vel sic, sicut D. A. B. ad D. F.
sic C. B. A. ad C. F.

plures aliæ analogiæ supersunt, sed hæ sufficiant ad intelligendum D. Authorem in aliis locis hujus & aliorum Librorum: ex quibus insuper elucet, quàm malè egerint, qui corrigendo Authorem loco literarum substituerunt alia signa vel characteres, cùm literæ Alphabeti sint signa universalissima servientia formis Demonstrationum universalissimis.

CAPUT XLI.
De Laudabili.

1. TU scis, quòd superius agens sit magìs laudabile in Angelo, quàm in Anima, & in Anima, quàm in corpore, & in rationali, quàm in irrationali, & in irrationali, quàm in vegetabili, & in vegetabili, quàm in metallo; & hoc est ideo, quia quædam creaturæ sunt magìs superiores in nobilitate, quàm aliæ: unde si in supremo Bono non esset agens in re infinita, non esset laudabile nisi per rem finitam, & esset majus per Essentiam, quàm per laudabilitatem; & hoc est impossibile: quia tam dignum est esse laudatum per Opus, quàm per Essentiam; & si hoc non esset, sua Essentia esset major, quàm suum Opus; & si esset, esset sinè Opere infinito; & si esset, non esset magìs laudabile, quàm inferius bonum, in quantum in inferiori bono quælibet res est laudabilis secundùm suum opus finitum, & supremum non esset laudabile secundùm Opus infinitum, sed secundùm opus finitum: & quia convenit, quòd, si inferius bonum est laudabile per opus finitum, supremum Bonum sit laudabile per Opus infinitum, per hoc Trinitas est demonstrabilis, generante uno supposito infinito alterum infinitum, & exeunte uno supposito infinito de duobus infinitis, laudante uno alterum infinitè in bonitate, magnitudine &c., & laudato uno ab altero infinitè in bonitate, magnitudine &c.

2. Angelus est magìs laudabilis in intelligendo & amando supremum Bonum, quàm in intelligendo & amando inferius; igitur demonstratur, quòd supremum Bonum sit magìs laudabile in intelligendo & amando se ipsum, quàm per hoc, quod facit in inferiori bono: unde si Angelus intelligendo & amando supremum Bonum faceret supremum Bonum, esset magìs laudabilis in faciendo supremum Bonum, quàm supremum Bonum in intelligendo & amando se ipsum; quia Angelus faceret infinitum amando & intelligendo, & supremum Bonum intelligeret & amaret se ipsum, sinè eo, quòd faceret se ipsum & alterum infinitum: unde cùm hoc ita sit, convenit, hoc esse in supremo Bono, per quod Angelus esset magìs laudabilis, quàm supremum Bonum; quia si non esset, si Angelus faceret infinitum, non esset magis laudabilis, quàm supremum Bonum, quod non faceret infinitum.

3. Si tu esses infinitus, supremum Bonum infinitè à te esset laudabile; sed quia es finitus, à te est laudabile finitè propter tuum finem: & si non esset laudabile infinitè per infinitum, sua laudabilitas esset finita in actu, & esset potentia ad essendum laudata infinitè; & si illa potentia non deveniret in actum, esset imperfecta, & non esset laudabilis: & si in supremo Bono est suppositum infinitum laudabile à supposito infinito, sequitur, quòd sua laudabilitas & sua laus sint in actualitate perfecta & infinita; per quam Trinitas est demonstrabilis.

Tu

4. Tu intelligis, quòd supremum Bonum sit infinitum in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & per hoc, quod de illo intelligis, à te est laudabile, secundùm quòd de illo intelligis; & quia finitè intelligis suam infinitam bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., ideo à te est laudabile finitè: unde si supremum Bonum non haberet, qui illud intelligeret totum in sua infinita bonitate, magnitudine, æternitate &c., per alterum non esset laudabile nisi finitè; & quia infinitæ laudabilitati convenit infinitus Laudator (quia si non conveniret, non conveniret in inferiori bono finitæ laudabilitati finitus laudator) per hoc est demonstrabilis Trinitas, quam quæris.

5. Si supremum Bonum à te est laudabile propter hoc, quia te creavit, à te est magis laudabile, si in se habeat unum suppositum, quod de se ipso generat unum suppositum infinitum, quòd te creavit; & si de Generatore & Generato exeat alterum suppositum infinitum, quod te creavit: & si tu laudas supremum Bonum propter hoc, quia creavit inferius bonum, ego illud laudo tantùm, quantùm tu, qui illâ eâdem laude illud laudo: & si illud laudas propter hoc, quia est unum infinitum in bonitate, magnitudine &c., ego illam eandem laudem illi do, quam tu illi das: & si ego illud laudo per Generatorem, Generatum & Procedentem infinitum, differente quolibet ab altero, & quolibet habente infinitam bonitatem, magnitudinem &c., tu infidelis non potes illud tantùm laudare, quantùm ego Christianus: & quia major laudabilitas est magìs eligibilis, per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum sit in Trinitate: & si hoc non esset ita, demonstraretur, quòd per minorem laudabilitatem esset magis laudabile, quàm per majorem; & hoc est impossibile: & si per hanc impossibilitatem vis concludere, quòd esset magìs laudabile, si haberet plures proprietates personales, quàm tres, non est verum; quia si illud laudares in pluribus quàm tribus suppositis, vituperares tria suppositis, in quantum illa non essent sufficientia sinè pluribus ad esse una Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c.; & quia supremo Bono non convenit, quòd per unum modum sit laudabile, & per alterum vituperabile, ideo non convenit, quòd per plures proprietates personales sit laudabile, quàm per tres, & convenit, quòd per plures proprietates non personales existentes una altera sit laudabile, quàm per tres.

CAPUT XLII.
De Actu & Potentia.

1. SI ordinalis materia esset major, quàm est, haberet plures formas in Actu & in Potentia, quàm habet, & appetibilitas naturalis esset major, quàm est; & si hoc non ita esset, ignis non descenderet deorsum, nec ascenderet sursum, per generationem & corruptionem inquirendo conjunctionem simplicem appetibilem per igneitatem & calorem simplicem, qui est forma igneitati; quæ conjunctio est appetibilis ad hoc, ut materia & forma & conjunctio sint insimul una essentia incorruptibilis ignea; & hoc idem sequitur de aliis elementis, secundùm quòd convenit illorum qualitati.

2. Anima habet tres potentias, memoriam, intellectum & voluntatem, & opus illarum non est tam magnum, quàm potentia; quia si esset, tu non haberes in potentia, quòd recoleres & intelligeres & amares hoc, quod recolis & intelligis & amas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd memoria sit major, quàm suum recolere, & intellectus, quàm suum intelligere, & voluntas, quàm suum velle; & ideo per animam est appetibilis æqualitas memoriæ & ipsius recolere, intellectûs & ipsius intelligere, voluntatis & ipsius velle; quæ æqualitas est appetibilis, generante memoriâ intelligere in intellectu, ad hoc, ut intelligat æqualitatem memoriæ & recolitionis, & per processionem ipsius velle de memoria & intellectu in voluntatem, ad hoc, ut æqualiter amet cum voluntate recolere & memoriam, intelligere & intellectum: & quia anima & suæ potentiæ in hoc mundo non possunt consequi actualitatem, quam quærunt, per hoc significatur, quòd illam consequantur in altero sæculo; quia si illam non consequerentur, supremum Bonum frustra creavisset animam, & hoc, quod ab illa est appetibile; & hoc est impossibile.

3. De necessitate convenit, quòd supremum Bonum possit facere aliud bonum æquale sibi ipsi, vel non; unde si potest facere aliud bonum æquale sibi ipsi, quod

non

non sit essentiale suæ Essentiæ, sequitur, quòd inferius bonum sit infinitum per potentiam, & quòd possit tantùm recipere, quantùm supremum Bonum in illo potest facere; & si supremum Bonum in illo facit tantùm, quantùm potest, & inferius bonum est æqualis potentia supremæ Potestati, & suprema Potestas est infinita, tunc supremum Bonum facit de inferiori æquale bonum sibi ipsi; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, in inferiori bono non esset finis nec peccatum, nec esset inferius, nec haberet supra se superius; & hoc est impossibile: & si supremum Bonum non potest facere æquale sibi ipsi, sua potestas est finita, & suum opus est finitum, & sua potestas est infinita per potentiam infinitam ad opus infinitum; & est impossibile, quòd illa potentia sit in actualitate infinitâ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset majus per potentiam, & minus per actualitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum possit facere æquale sibi ipsi; quod æquale facit generante in supremo Bono uno supposito de tota sua potestate infinita alteram potestatem personalem infinitam, & exeunte una potestate personali infinita de ambobus suppositis infinitis; & hoc idem sequitur de aliis cameris Figuræ: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd cameræ in supremo Bono vel essent actualitas finita, vel potentia infinita & actualitas finita; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset in illo majoritas & minoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Tu scis, quòd ignis sit potentia ad comburendum plura ligna, quàm sit lignum, quod comburit; quia si non esset, sequeretur, quòd non esset potentia ad comburendum, quando lignum esset combustum: unde si in igne, qui est inferius bonum, est major potentia, quàm opus actuale, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit potestas actualis infinita, quæ conveniat cum opere actuali infinito; & si hoc non esset ita, non esset superius inferiore bono per puram actualitatem potestatis & operis infiniti sinè differentia actualitatis & potentiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas in supremo Bono agat tantùm, quantùm potest; & si potest infinitè, convenit, quòd in illo agat infinitè; & si in illo agit infinitè, convenit, quòd in illo sit Opus infinitum; & si in supremo Bono est Opus infinitum, convenit, quòd in illo sit differentia proprietatum personalium; quia sinè differentia proprietatum personalium non posset in illo esse opus: & si in supremo Bono sunt proprietates personales, convenit, quòd in illo sint in numero ternario; quia alius numerus non convenit Operi infinito in bonitate, magnitudine &c., *secundùm quòd per multa loca hujus Operis probavimus, in quibus sunt signa notabilium.*

5. Si dicis, quòd supremum Bonum faciat Opus infinitum, in quantum se infinitè intelligit & amat, verum dicis, & si unum suppositum infinitum infinitè intelligens & amans se ipsum & alterum infinitum suppositum generat illud, quod infinitè intelligit & amat, majus opus facit, quàm faceret, si se ipsum tantùm infinitè amaret & intelligeret: & si supremum Bonum haberet majus opus in potentia & non in actu, vel non haberet illud in potentia nec in actu, esset finitum in bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, hoc esse in supremo Bono, quod est major actualitas operis, postquam non est contrarium nec inconveniens cameris Figuræ.

CAPUT XLIII.

De Creatione.

1. OMne id, quod in supremo Bono sapientia scit, & quod voluntas in illo amat, est bonum; & ideo non convenit, quòd sit differentia inter sapientiam & voluntatem; quia voluntas potest amare omne id in illo, quod sapientia scit in illo, & sapientia potest scire omne id in illo, quod voluntas amat in illo; sed de inferiori bono non est ita; quia omne bonum & malum, quod est in illo, scitur per supremam Sapientiam, & nullum peccatum amatur per supremam Voluntatem; quia si amaretur, voluntas non esset in supremo Bono, & supremum Bonum sinè voluntate non esset superius inferiori bono: unde cùm hoc ita sit, per inferius bonum significatur differentia inter unam proprietatem personalem & alteram, quæ sunt in supremo Bono.

De

2. De necessitate convenit, quòd voluntas velit, quòd sapientia sciat hoc, quod scit; quia si hoc non vellet, esset contra sapientiam, quæ conveniret cum minoritate, si non sciret peccatum; & convenit, quòd voluntas tali modo velit, quòd sapientia sciat peccatum, quòd voluntas non sit amatrix peccati; quia si esset, magis amaret sapientiam, quàm se ipsam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd inter sapientiam & voluntatem sit differentia & concordantia; quia si non esset, omne id, quod sapientia scit, voluntas amaret, vel sapientia non sciret peccatum, vel voluntas amaret peccatum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Trinitas & differentia proprietatum personalium.

3. Si sapientia & voluntas essent differentes in supremo Bono per inferius, hoc est, quia voluntas non amaret peccatum, & sapientia sciret peccatum, sequeretur, quòd inferius bonum esset causa differentiæ, quæ esset inter sapientiam & voluntatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd finalis ratio, quare supremum Bonum creaverit inferius, & permiserit, quòd in inferiori bono sit peccatum, sit ad hoc, ut demonstretur differentia, concordantia & æqualitas personalis, quæ est inter supremam Sapientiam & Amorem, odiente amore peccatum, & amante bonum, quod sapientia scit: & si in supremo Bono sapientia & amor non essent proprietates personales diversæ, licèt quantum ad Essentiam non sint diversæ, esset impossibile, quòd supremum Bonum creavisset inferius in dispositione, quæ in supremo Bono significat hoc, quod in illo non esset; quia si hoc creasset, non creasset inferius bonum ad demonstrandum se ipsum, sed creasset illud contra demonstrationem sui ipsius: & si sic esset, creavisset illud contra suam sapientiam & contra suam voluntatem & contra omnes cameras Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis, generante unâ sapientiâ personali alteram personalem, & unâ voluntate personali alteram personalem, & exeunte unâ sapientiâ & voluntate personali de duabus sapientiis & voluntatibus personalibus [hoc est, generante uno sapiente alterum, & uno volente alterum, & procedente uno sapiente & volente à duobus sapientibus volentibus] & per illam differentiam & concordantiam & æqualitatem omnium trium Personarum sapientum & volentum, ut sint una Essentia, una sapientia, una voluntas, suprema Sapientia est sciens omne bonum & omne peccatum, quod est in inferiori bono, & voluntas personalis est amans omne bonum, & odiens omne peccatum.

4. Si in supremo Bono non esset differentia proprietatum personalium, & nisi una amaret bonum, & altera odiret peccatum, & illa, quæ amat bonum, sciret bonum & peccatum, & illa, quæ odit peccatum, sciret bonum & peccatum, & amaret bonum, conveniret, quòd mundus non esset creatus; quia inconveniens esset, quòd mundus esset creatus, & supremum Bonum in illo non odiret peccatum; & quia mundus est creatus, per hoc demonstratur, quòd in supremo Bono sit supradicta differentia Personarum, per quam Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT XLIV.

De Salvatione & Damnatione.

1. INferius bonum vel est creatum ad hoc, ut omnes salvemur vel damnemur; vel ad hoc, ut quidam salventur, & alii damnentur; vel ad hoc, ut supremum Bonum cognoscatur & ametur, vel cognoscatur & non ametur, vel ametur & non cognoscatur: unde si finalis ratio, quare sumus creati, est ad hoc, ut omnes salvemur, de necessitate convenit, quòd omnes salvemur; quia si non omnes salvaremur, potestas & sapientia & voluntas, quæ sunt in supremo Bono, non possent dare complementum fini, quare nos creavit; & hoc est impossibile: & si omnes salvamur, est impossibile, quòd in supremo Bono sit perfecta justitia; quia non omnes morimur in statu salvationis: & cùm sit impossibile, quòd in supremo Bono sit privatio justitiæ, & cùm non omnes simus in statu salvationis, per hoc demonstratur, quòd finalis ratio, quare sumus creati, non sit ad hoc, ut omnes salvemur.

2. Si sumus creati ad hoc, ut omnes damnemur, tunc in supremo Bono non est charitas nec justitia nec sapientia; & hoc est impossibile: igitur est alia finalis ratio, quare sumus creati: & si sumus creati ad hoc, ut quidam salventur, & alii damnentur, tunc in supremo Bono est defectus benigni-

nignitatis & charitatis, in quantum creavit homines, ad hoc, ut damnentur: & quia est impossibile, quòd in supremo Bono sit defectus benignitatis & charitatis, idcirco demonstratur, quòd sit alia ratio, quare homines damnati sint creati. Et si dicis, quòd damnati propter nullam intentionem sint creati, tunc tu dicis, quòd supremum Bonum creaverit sinè intentione; & si sic est, habet defectum intentionis in suo opere; & hoc est impossibile.

3. Si sumus creati ad hoc, ut supremum Bonum cognoscatur & ametur, sequitur, quòd damnati illud ament; & hoc est impossibile: quia si illud amarent, haberent gloriam: & si sumus creati ad cognoscendum supremum Bonum, & non ad amandum illud, tunc salvati illud non amarent; & si illud non amarent, non haberent gloriam: & si sumus creati, ad hoc, ut supremum Bonum ametur & non cognoscatur, omnes sumus salvi, & omnes ignoramus suam justitiam & suam sapientiam, & est malum habere cognitionem illius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem & per quas supradictas impossibilitates est demonstrabilis finalis ratio, quare sumus creati; quæ est ad hoc, ut DEUS cognoscatur; quia boni & mali illum cognoscent: & quia est finalis ratio, ut cognoscatur, idcirco sequitur, quòd illi, qui illum cognoscent & amabunt, salvabuntur; & illi, qui illum cognoscent & non amabunt, damnabuntur: & quia est impossibile, quòd supremum Bonum sit magis dignum, ut cognoscatur, quàm ametur, convenit, quòd in salvatis æqualiter sit ratio, quare sunt creati, ad hoc, ut cognoscant & ament supremum Bonum; & in salvatis & in damnatis sit ratio principalis & universalis, ad hoc, ut cognoscatur. Unde si in supremo Bono non esset differentia suppositorum, finalis ratio, quare sumus creati, esset universalis sinè speciali; & si esset, omnes salvarentur vel damnarentur; sed quia est universalis, ad hoc, ut cognoscatur, & specialis, ad hoc, ut ametur, ideo est demonstrabilis sua Essentia, & sunt demonstrabiles suæ proprietates personales; quia Essentia est demonstrabilis per universalitatem, quare sumus creati, hoc est, ad hoc, ut illud cognoscamus; & specialitas, ad hoc, ut ametur per quosdam, qui illud cognoscunt: & per hanc specialitatem significantur diversa supposita; quia sinè differentia suppositorum in supremo Bono finalis ratio, quare sumus creati, non esset diversa in generali & in speciali; & si non esset, supremum Bonum non esset super inferius per generale & speciale; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis; quia si in supremo Bono non esset Trinitas, supremum Bonum non haberet tanta secreta revelanda salvatis, & abscondenda damnatis, quanta habet per hoc, quia in se habet Trinitatem: & quia revelatio supremorum secretorum salvatis est gloria, & damnatis est pœna, quia illa tam manifestè non cognoscent, sicut salvati, per hoc est demonstratum, quòd in supremo Bono sit Trinitas.

CAPUT XLV.

De Prædestinatione.

1. SApientia & Justitia sunt perfectæ in supremo Bono; quia si non essent, non essent in illo; quia non convenit, quòd aliquid imperfectum sit in supremo Bono; & si sapientia & justitia non essent in supremo Bono, esset impossibile, quòd esset supremum Bonum: unde cùm probaverimus, supremum Bonum esse, per hoc demonstratur, quòd sapientia & justitia sint perfectæ in supremo Bono; sinè quâ perfectione in illo non esset infinita bonitas, magnitudo &c.

2. Perfecta sapientia significat in inferiori bono prædestinationem, & perfecta justitia significat in illo liberum arbitrium: unde, cùm sit differentia inter prædestinationem & liberum arbitrium, per inferius bonum significatur & demonstratur differentia relativa & personalis inter supremam Sapientiam & supremam Justitiam: & si sapientia & justitia differunt in Essentia, sequitur, quòd una non sit altera; & si non sunt, bonitas & perfectio & virtus habent finem in qualibet; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sapientia & justitia sint unum & idem in Essentia: & quia in illa significatur differentia per inferius bonum, convenit, quòd per aliquem modum, hoc est, personaliter sit differentia in suprema Justitia & Sapientia; quia si non esset, inferius bonum cum errore & falsò significaret, differentiam esse inter sapientiam & justitiam;

& hoc est impossibile: quia si esset possibile, prædestinatio, quæ est hoc, quod sapientia prævidit, & liberum arbitrium, quod est creatura, essent contra veritatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sapientia & justitia essent contrariæ veritati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis differentia personalis, quæ est inter sapientiam & justitiam in supremo Bono; hoc est, quòd in supremo Bono sit unum suppositum, quod differt ab altero, quorum quodlibet est sapientia & justitia, differente personaliter unâ sapientiâ & justitiâ ab altera sapientiâ & justitiâ, hoc est, uno sapiente & justo ab altero sapiente & justo; & ad hoc, ut ista differentia sit demonstrabilis, prædestinatio significatur per sapientiam unius, & liberum arbitrium per justitiam illius unius, & prædestinatio significatur per sapientiam alterius, & liberum arbitrium per justitiam illius alterius: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd significatio esset sinè contradictione: & si non esset, sequeretur imperfectio contra sapientiam vel justitiam.

3. Scisnè, quare non intelligas prædestinationem nec liberum arbitrium? ideo, quia non intelligis differentiam, quæ est inter liberum arbitrium, quod est in speculativa & in practica; quia in speculativa tam liberum te sentis ad faciendum de duobus contrariis, quod vis, ac si in practica posses facere quodlibet contrariorum: unde si tu intelligeres supradictam differentiam, & intelligeres, quòd finalis ratio, quare tu es creatus, non sit, ad hoc, ut sis salvatus aut præscitus, sed sit, ad hoc, ut DEUM cognoscas & illi servias, tu intelligeres prædestinationem & liberum arbitrium: & quia in his dubitas & ignoras, habes opinionem phantasticam, & tibi videtur, quòd non sis obligatus ad faciendum bonum, nec ad fugiendum malum, ad quam obligationem non esses obligatus, si finalis ratio, quare es creatus, esset tua salvatio vel tua damnatio, & non esset ad hoc, ut DEUS cognosceretur: & cùm non facis bonum, nec fugis malum per falsam opinionem, in qua es, tu ipse te obligas & offers justitiæ, & facis te dignum, quòd sis præscitus, per hoc, quia facis contra finalem rationem, propter quam es creatus, & venis omninò liber in practicam, secundùm quòd te sentis liberum in theorica: & si tu intelligis supra phantasiam per elevationem intellectûs, & intelligis, quid sit, quòd sis prædestinatus vel præscitus, tu es obligatus ad cognoscendum DEUM, & ad serviendum illi; & si amas DEUM, & servis illi, & cognoscis illum, tu te offers sapientiæ omninò liberum in practica, secundùm quòd te sentis liberum in theorica; & quia sequeris regulam finalis rationis, quare es creatus, sapientia & justitia te eligunt ad perdurabilem beatitudinem.

CAPUT XLVI.

De Numero.

1. UNum est primum Numero, & duo sunt principium numeri, & in tribus uteris numero; & si numerus trium tibi non sufficit, demonstratur, quòd tria non habeant complementû in se ipsis ad hoc, quod quæris; & si habent complementum, non est tibi necessarium numerare ulteriùs: quia quemadmodum corpori sufficiunt tres mensurationes, & quarta & quinta non est necessaria in illo, ita tria, quæ habeant complementum, non indigent, quòd illis addantur plura ad complementum, in quo illa tria sufficiunt; quia si illis adderentur plura, essent in illo superfluè, sicut quarta & quinta essent superfluè in illis tribus mensurationibus, quæ sufficiunt ad esse unum corpus.

2. Natura nullo numero tantùm utitur, quantùm uno in tribus, & tribus in uno; quia quodlibet individuorum compositorum est unum in substantia, & est in tribus, hoc est, materiâ & formâ & conjunctione; & omne corpus est unum & est in tribus mensurationibus, hoc est, longo, lato & profundo; & Anima & Angelus quilibet est unus per substantiam, & est in tribus, hoc est, materiâ & formâ & conjunctione intellectuali; & mundus est unus, & est in tribus speciebus generalibus, hoc est, sensualitate, intellectualitate & animalitate; & quælibet species habet sua individua in numero unius & trium; quia sensualitas & intellectualitas habet supradictum numerum; & animal est unum, quia tu es unus, & es tria, in hoc, quia es corpus & anima & conjunctio amborum: unde cùm hoc ita sit, de nullo numero est tantùm, quantùm de uno & de tribus; & nobilior numerus, qui sit, est unum in tribus, & tria in uno; quia si hoc non esset, sequeretur, quòd numerus accidentalis esset nobilior, quàm substantialis; & hoc est

impossibile: quia numerus unius corporis & trium mensurationum est nobilior, quàm duorum vel plurium corporum; quia unum corpus est sinè altero, & unum corpus & tres mensurationes, vel unus mundus & tres species non possunt esse unũ sinè altero.

3. „Tu scis, quòd elementa sint qua„tuor; & quamvis quatuor in quantitate „numeri sint plùs, quàm tria, per totum „hoc non sequitur, quòd in nobilitate sint „plùs, quàm tria; quia si essent, formali„ter se moverent ad numerum quatuor, & „illa formaliter se non movent nisi ad nu„merum unius & trium, uno composito de „materia & forma & conjunctione, & il„lud unum est tria, & illa tria sunt unum; „& quia illa quatuor non se movent ad „unum, quod sit quatuor, & illa quatuor „non sunt unum nisi materialiter, & se „movent ad unum, quod est tria, & illa „tria sunt unum, ideo demonstratur, quòd „numerus unius & trium sit nobilior, „quàm numerus unius & quatuor. *Et scis, quare illa quatuor se moveant ad numerum unius & trium, & non ad numerum unius & quatuor? ideo, quia quatuor sunt ordinalis materia; [materia prima] & illa tria, & composita illorum trium est forma; & quando se movent ad numerum quatuor, se movent per dissolutionem & per contrarietatem; & quando se movent ad numerum trium, movent se ad componendum concordanter unum compositum de tribus:* & quia forma & concordantia conveniunt cum majori nobilitate, & contrarietas & materia cum minori, ideo est demonstrabile, quòd numerus unius & trium sit nobilior, quàm numerus unius & quatuor.

4. Scisnè tu, quare numerus mille hominum sit major, quàm trium? ideo, quia in illo sunt plura individua, quàm sint unum & tria. Et scisnè tu, quare numerus unius & trium in uno homine virtuoso sit nobilior numerus, quàm numerus mille hominum peccatorum? ideo, quia mille vitia non valent unam virtutem. Et scisnè tu, quare numerus sit nobilior in uno homine sapiente & bono, quàm in mille equis? ideo, quia est nobilioris speciei. Et scisnè, quare numerus mille equorum sit nobilior, quàm duorum vel plurium hominum peccatorum? ideo, quia equi non sunt contra finalem rationem, quare sunt creati, & homines peccatores sunt contra illam.

5. Scisnè tu, quare numerus finitus sit nobilior, quàm infinitus? ideo, quia de infinitis in numero non posset uniri substantia; quia infinitæ mensurationes in numero non sufficerent ad esse unum corpus, cui sufficiunt tres mensurationes. Et scisnè, quare numerus quatuor vel plurium, quæ sufficerent ad esse unum corpus, non esset tam nobilis, sicut numerus trium, quæ sufficiunt ad esse unum corpus? ideo, quia illa tria habent complementum, quod haberent cum quarto, & non habent defectum, quem haberent, si sinè quarto non possent sufficere ad esse unum corpus.

6. Cùm sit demonstrabile, quòd in inferiori bono numerus unius in tribus, & trium in uno sit major & nobilior, quàm ullus alius numerus, & quia supremum Bonum creavit inferius ad demonstrandum se ipsum inferiori, & quia convenit, quòd per hoc, quod est magis nobile in inferiori bono, sit magis demonstrabile, quàm per hoc, quod est minùs nobile (quia si non conveniret, non esset magis demonstrabile per rationale, quàm per irrationale) propter hoc convenit de necessitate, quòd ille numerus, qui est nobilior & major in inferiori bono, sit in supremo Bono; quia si non esset, esset magis demonstrabile per alium numerum, quem numerum creavisset in inferiori bono nobiliorem, quàm numerum unius & trium, qui est nobilior & major numerus, qui sit in inferiori bono, secundùm quòd suprà diximus: & si supradictum numerum non creasset ad demonstrandum se ipsum, & numerus unius & trium illud falsò significaret, & illud creasset illum numerum nobiliorem, quàm omnem alium, sequeretur, quòd in supremo Bono privaretur bonitas, magnitudo &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

7. Si in supremo Bono est una potestas essentialis, & in illa potestate est una potestas, quæ est paternalis, & est una potestas, quæ est filialis, & est una potestas, quæ est processionalis (& hoc idem de sapientia, amore &c.) & potestas paternalis & filialis & processionalis sunt potestas essentialis, una potestas essentialis est nobilior, quàm esset sinè una potestate paternali, sinè una potestate filiali & sinè una potestate processionali; & una potestas paternalis & una potestas filialis & una potestas processionalis est nobilior, quando sunt

sunt una potestas essentialis, quàm essent, si non essent una potestas essentialis: unde cùm hoc ita sit, & quia convenit, quòd nobilius unum & nobilior numerus sit in supremo Bono, per hoc Trinitas est demonstrabilis per unitatem numeri essentialem & personalem relativè.

8. Si dicis, quòd nobilius sit unum, in quo non sit numerus, quàm unum, in quo sit numerus, tunc dicis, quòd supremum Bonum debuisset creasse aliquam substantiam, in qua non esset pluralitas, ad demonstrandum se ipsum per illam; & quia illa non scitur in inferiori bono, idcirco hoc est contra te, quod nos diximus rationabiliter in supradicto paragrapho.

CAPUT XLVII.
De Consideratione.

1. CUm tua Consideratio sit sub supremo Bono, ideo convenit, quòd tu ames illud considerare quantò nobilius potes; & si hoc ita non conveniret, demonstraretur, quòd illud non esset superius tuâ consideratione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit nobilius, quàm tu illud possis considerare.

2. Si tu consideras nobilitatem, quæ est in supremo Bono, habes nobiliorem & altiorem considerationem, quàm habeas, si illud consideras nobile per hoc, quod dedit inferiori bono; & si hoc non esset, esset nobilius per inferius bonum, quàm per se ipsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd habeas altiorem & nobiliorem considerationem, quando consideras unam Essentiam supremam infinitam in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quàm haberes, quando consideras, supremum Bonum esse nobile per hoc, quia creavit & beneficiavit inferius bonum: unde cùm hoc ita sit, tunc ego & tu consideremus supremum Bonum sinè relatione inferioris, & videamus, quis secundùm suam credentiam illud poterit magis nobiliter considerare; quia convenit, illam credentiam esse in veritate, in qua est magis nobiliter considerabile: & si hoc non esset ita, esset magis nobiliter considerabile per credentiam, quæ non esset tam nobilis, vel quæ non esset in veritate, quàm per nobiliorem, & quæ est in veritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum posset esse supremum per considerationem; & hoc est impossibile.

3. Si consideras infinitos deos in numero, consideras infinitas essentias in numero, & finitas in essentia; quia impossibile est, quòd infiniti in numero possint esse infiniti in essentia: & si consideras infinitos in essentia in certo numero, habes nobiliorem considerationem; quia possibile est, quòd una Essentia sit infinita in infinitis suppositis, & quòd sint in certo numero: quemadmodum est possibile, tuum corpus esse unum finitum, existente numero mensurationum finitarum in certo numero: & si hoc non esset possibile supremo Bono, & est possibile inferiori bono, supremum Bonum non esset supra inferius; & hoc est impossibile.

4. Si tu consideras, infinitos deos in numero esse unam essentiam, consideras aliquid, quod est impossibile; quia de infinito numero non potest esse unitas essentiæ; quemadmodum tuum corpus non posset esse una substantia, si suæ mensurationes essent infinitæ in numero: & quia tua consideratio est de hoc, quod non potest esse possibile, & tu consideras, quòd hoc sit possibile, quod est impossibile, idcirco non consideras supremum Bonum cum illa consideratione, cum qua est considerabile: quia si hoc faceres, illud esset considerabile in hoc, quod non est; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum, quod non est considerabile nisi in hoc, quod est, esset supra illud per considerabilitatem; & hoc est impossibile.

5. Si consideras infinitos deos in numero & in essentiis, existente quolibet per se distincto ab altero, & concordantibus & æqualibus sinè contrarietate, tunc tu consideras, quòd quidam sint in aliis infinitis in numero & in essentia; & hoc est impossibile: quia si quidam sunt in aliis, convenit, quòd sint finiti in numero; quia quemadmodum de infinitis in numero non posset uniri una substantia, ita infiniti in numero non possent esse in concordantia nec in æqualitate nec in differentia, nec unus posset esse in altero.

6. Si consideras, quòd sint mille millia deorum, vel plures, & quòd sint in certo numero, & quòd sint infiniti in essentia, existente qualibet essentiâ per se, & quòd

una sit in altera, & quòd sint æquales & concordantes & differentes, tunc tu illos consideras finitos in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c.; quia si in illis nullus esset, qui solus sit infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c., & quòd alter non sit infinitus in bonitate, magnitudine, æternitate, potestate &c., tunc quilibet est finitus in hoc, quòd nullus habeat totam bonitatem, nec magnitudinem, nec æternitatem, nec potestatem; quia si haberet, alter nihil haberet: & cùm infinitas considerabilis faciat nobiliorem considerationem, quàm finitas, & cùm unum infinitum possit habere infinitatem in bonitate, magnitudine &c., & esset superfluitas, si essent multi dii, postquam unus tantùm potest esse sufficiens ad plura, quàm omnes illi finiti, ideirco convenit, quòd DEUS sit considerabilis cum nobiliori consideratione.

7. Si dicis, quòd sit nobilior consideratio considerare unum DEUM infinitum in bonitate, magnitudine &c., quàm considerare tres deos; verum dicis: & si dicis, quòd sit nobilior consideratio considerare unum DEUM, qui in se non habeat infinita supposita, & quòd sit infinitus in bonitate, magnitudine &c., non est verum: quia nobilior consideratio est de majoribus & nobilioribus rebus; quia sicut tu nobiliùs consideras lumen, si unum lumen infinitum haberet in se ipso aliquod suppositum infinitum, quod esset purum lumen, & de se ipso generaret infinitum lumen, & ab ambobus luminibus exiret infinitum lumen, & insimul essent unum lumen in essentia, ita habes nobiliorem considerationem, si consideras per similem modum in supremo Bono, quàm haberes, si tantùm considerares in illo infinitatem Essentiæ, & non suppositorum.

8. Si dicis, quòd sit nobilior consideratio considerare quatuor vel plura supposita in suprema Essentia; non est verum: quia si in illa essent necessaria quatuor, tria non essent infinita in bonitate, magnitudine &c., quòd essent unitas divinæ Essentiæ sinè quarto; & si non essent, non essent digna, quòd essent in Essentia. Et si dicis, quòd sit nobilior consideratio considerare, unum suppositum vel duo esse in suprema Essentia sinè tertio; non est verum: quia si esset in illa unum suppositum tantùm, non inde sequeretur utilitas æqualis Essentiæ & suppositò: & si in illa essent tantùm duo, non sequeretur utilitas æqualis duobus & Essentiæ: & si utilitas esset minor, quàm Essentia & supposita, in illa esset majoritas & minoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis; quia Pater generans Filium generat æqualem utilitatem sibi ipsi, & procedente Sancto Spiritu ab ambobus, exit æqualis utilitas illis; quia quilibet est infinitus in bonitate, magnitudine &c., & insimul sunt æqualis utilitas in hoc, quia sunt una Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c.

9. Si dicis, quòd sit nobilior consideratio in supremo Bono considerare tres Patres & tres Filios & tres Sanctos Spiritus; non est verum: quia in illo non sufficeret una Paternitas nec una Filiatio nec una Processio. Et si tu infidelis consideras, quòd supremum Bonum amet & intelligat & glorificet se ipsum, ego, qui sum fidelis Christianus, habeo illam eandem considerationem, & habeo nobiliorem considerationem, quàm tu, in quantum considero, quòd Pater sit gloria sui ipsius & Filii & Sancti Spiritûs, & è converso; quia insimul sunt una gloria: & quia ego credo & intelligo & amo plus in supremo Bono, quàm tu, ideirco in illo possum habere illam nobilem considerationem, quàm tu in illo habes, & etiam magis nobilem, quàm tu, in quantum magis in illo credo & intelligo & amo, quàm tu. Et si tu consideras simplicitatem Unitatis in supremo Bono, & in illo non audes considerare pluralitatem, quia habes timorem considerandi compositionem, ego considero unam simplicitatem, quam tu consideras, & considero simplicitatem pluralitatis; & hoc per infinitam bonitatem, magnitudinem &c.: per quam infinitatem tu illud non vis nec scis nec potes considerare secundùm credentiam, in qua es: & quia mea consideratio semper erit superior tuâ, si consideramus in supremo Bono, ideirco convenit, quòd in supremo Bono sit virtus, per quam mea consideratio habet possibilitatem essendi superior tuâ; quia si non esset, non haberet, unde illi veniret virtus, per quam transcenderet tuam considerationem: unde cùm hoc ita sit, per nobilitatem considerationis Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT

CAPUT XLVIII.

De Consequentia & Relatione.

1. SI supremum Bonum per nobilitatem est supra inferius, de necessitate convenit, quòd, si in supremo Bono est consequentia & est relatio, in illo sit nobiliùs & magis expressè, quàm in inferiori bono; quia si non esset, non esset superiùs inferiori bono per consequentiam & relationem; & hoc est impossibile: & si in supremo Bono non est consequentia nec relatio, sequitur, quòd in illo non sit operatio; & si in illo non est operatio, antequam esset inferius bonum, non erat agens æternaliter; & si non erat agens æternaliter, esset agens accidentaliter; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, concordaret cum minoritate; & si esset agens æternaliter, concordaret cum majoritate: unde cùm majoritas conveniat cum supremo Bono, & minoritas conveniat cum inferiori bono, ideirco demonstratur, quòd in supremo Bono æternaliter sit operatio; & si in se habet operationem, de necessitate convenit, quòd in illo sit consequentia & relatio: quia est impossibile, quòd opus sit sinè consequentia & relatione: unde cùm hoc ita sit, per relationem est demonstrabile, in supremo Bono esse pluralitatem, per quam significatur Trinitas.

2. Infinitatem in supremo Bono potes intelligere sinè consequentia & relatione, & scis quare? ideo, quia in supremo Bono infinitas & Essentia sunt unum & idem; sed infinitatem & infinire non potes intelligere sinè consequentia & relatione: quia infinitas & infinire conveniunt; quia si non convenirent, disconveniret infinitas & actio in supremo Bono, & terminatum & potentia in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono conveniant infinitas & infinire; per quam conventientiam significatur, consequentiam & relationem esse in supremo Bono, quæ significat & demonstrat Sanctam Trinitatem, quam inquirimus.

3. Si Socrates est rationalis, tunc est corpus & anima; & si Socrates habet æqualitatem & concordantiam, de necessitate convenit, quòd in illo sit pluralitas: & si Socrates est pater, convenit, quòd habeat filium; & sic de aliis rebus consequentibus & relativis similibus istis: sed si est corpus, non sequitur, quòd sit Socrates, nec quòd sit anima; & si est pluralitas, non sequitur, quòd sit concordantia nec æqualitas; & si pater non est, quòd sit filius; & si potestas est, non sequitur, quòd sit sapientia & voluntas. Unde cùm probaverimus, quòd conveniat, in supremo Bono esse magis nobilem & magis simplicem & expressam Consequentiam & Relationem, quàm in inferiori bono, per hoc demonstratur, quòd, quemadmodum Socrates significat corpus & animam, & sua æqualitas & concordantia significat pluralitatem, & quòd Socrates, qui est pater, significet filium, ita & multò meliùs in supremo Bono Consequentia & Relatio significent, quòd, si supremum Bonum est, sit infinitas & infinire; & si in supremo Bono est potestas, quòd in illo sit sapientia, justitia & voluntas; & si in supremo Bono est pluralitas, quòd in illo sit concordantia & æqualitas: & si Socrates potest esse pater, & non potest esse una Essentia cum hoc, quod est pater, quòd supremum Bonum possit esse una Essentia, in qua sit Pater & Filius & Sanctus Spiritus: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd suprema Consequentia & Relatio non sit supra inferiorem, secundùm quòd convenit bonitati, potestati &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est probabilis & demonstrabilis.

4. In inferiori bono non est æternitas & æternificare; quia si esset, conveniret, quòd in inferiori bono esset aliquid, quod esset æternum, & quod æternificaret aliud vel se ipsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono & in inferiore conveniant æternitas & æternificare, hoc est, æternitas & ævum: unde cùm æternitas & æternificare meliùs conveniant in supremo Bono, quàm in inferiori, per hoc demonstratur, quòd, si suprema æternitas secundùm suam bonitatem, potestatem &c. convenit cum ævo, quod est inferior duratio, quantò magis conveniat, bonitatem, potestatem &c. facere relationem personalem supremi æternificati: & si hoc non esset ita, demonstraretur, quòd relatio non esset nobiliùs intra supremum Bonum, quàm extra; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur Trinitas, quæ consequenter & relativè sic significatur per bonitatem & bonificare, & per potestatem

&

& possificare, & per sapientiam & sapientificare, & per amorem & amare, & per alias cameras Figuræ, sicut per infinitatem, quæ est Pater, & infinire infinitatem, quæ est Filius, & per æternitatem, quæ est Pater, & æternare æternum, qui est Filius, secundùm quòd suprà significavimus.

5. Si dicis, quòd in supremo Bono sit convenientia æternitatis, infinitatis, potestatis, sapientiæ &c., & hoc per perfectionem & per proprietates essentiales communes absolutas; verum dicis: quia si in supremo Bono est perfectio, de necessitate convenit, omnes alias virtutes esse in illo, & è converso; & hæc consequentia, quam tu dicis, est essentialis; sed quia in supremo Bono relatio convenit cum infinitate & infinire, & cum æternitate & æternificare &c., & hoc secundùm respectum operis, idcirco de necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit Relatio personalis, hoc est, quòd unus infinitus, qui est Pater, generet alterum infinitum, qui est Filius; & quòd infinitus Generans non sit infinitus Generatus, in quantum sunt Personæ, & quòd insimul cum Sancto Spiritu sint una infinita Essentia &c.; & quòd infinitas, quæ est Pater, sit infinitas, quæ est Filius; & hoc idem de Sancto Spiritu; & hoc idem de æternitate &c., & hoc secundùm consequentiam & relationem: quia si Pater est infinitus, etiam Filius est infinitus; sed quia Filius non est Pater, convenit, quòd personaliter una potestas, quæ est Pater, sit Pater, & generet Filium, qui est potestas: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd distinctio, quæ esset in Personis, esset perfecta, nec haberet esse reale: & quia distinctio & concordantia & æqualitas personalis conveniunt cum esse reali tam fortiter, sicut Essentia, idcirco demonstratur, quòd infinire & æternificare & possificare & amare &c., & paternare & filiare & procedere conveniant cum majoritate, secundùm quòd Essentia convenit cum majoritate: & si Pater non esset infinitas, æternitas &c. essentialis, & Filius non esset infinitas, æternitas &c. essentialis, & Sanctus Spiritus non esset infinitas & æternitas essentialis, esset impossibile, quòd in Personis esset esse reale & majoritas, quæ convenit Personis & Essentiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd in supremo Bono significetur & demonstretur Trinitas.

CAPUT XLIX.

De Compositione.

1. TU scis, quòd in inferiori Bono aliqua composita sint propinquiora simplicitati, quàm alia; quemadmodum igneitas & suus calor, qui se movent ad inquirendum suam compositionem simplicem, quæ sunt simpliciora, quàm compositum ex omnibus quatuor elementis; sicut lapis vel tuum corpus, & ita de aliis rebus; & Anima, quæ est magìs simplex, quàm ignis; & Angelus, quàm Anima.

2. In inferiori bono esse æqualiter convenit in substantia per unitatem & per pluralitatem; quia individuum compositum est unum in substantia, & est in pluralitate, in quantum est compositum de materia & forma & conjunctione: unde sicut compositum destrueretur in substantia, si destrueretur sua unitas, ita esset per destructionem suæ pluralitatis, & è converso: unde si ignis esset magìs nobilis, quàm lapis per simplicitatem, per hoc, quia lapis meliùs convenit cum compositione, & ignis cum simplicitate, & pluralitas ignìs annihilaretur in simplicitate multiplicando unitatem, sequeretur, quòd lapis meliùs conveniret cum esse per pluralitatem, quàm ignis, & ignis per simplicitatem & unitatem; & hoc est impossibile, cùm omnis substantia æqualiter conveniat cum unitate & pluralitate secundùm respectum differentiæ & concordantiæ: & si hoc non esset ita, particularia naturalia non componerentur in substantia, in qua esset pluralitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd pluralitas sit æquè naturalis in substantia, sicut unitas; sed quia quædam unitates & illarum pluralitates meliùs conveniunt cum simplicitate, quàm aliæ, & quia simplicitas & majoritas conveniunt, & compositio & minoritas, idcirco sequitur, quòd unitas & pluralitas, in qua est plus simplicitatis, sit magìs nobilis & magis superiùs, quàm unitas & pluralitas, in qua est plus compositionis.

3. Manifestum est, quòd tua anima sit una, & sit in pluralitate, in quantum est composita de materia & forma & conjunctione intellectuali; & cùm unitas & pluralitas sensualis contineant majorem compositionem, quàm intellectualis, & intellectualis contineat majorem simplicitatem, quàm

quàm sensualis, idcirco anima habet majorem nobilitatem, quàm tuum corpus; per quam majorem nobilitatem est forma tuo corpori: unde si per simplicitatem, quam tua anima habet majorem, quàm tuum corpus, esset minor in pluralitate, sequeretur, quòd esset æqualis nobilitas inter tuam animam & tuum corpus: quia sicut anima esset superior, quàm corpus, per unitatem, ita corpus esset superius, quàm anima, per pluralitatem: & quia est impossibile, quòd anima & corpus habeant æqualem nobilitatem, idcirco demonstratur, quòd anima habeat majorem nobilitatem per majorem unitatem & per majorem pluralitatem, quàm corpus: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd anima habens minorem pluralitatem non posset esse forma corpori habenti majorem pluralitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quamvìs anima sit superior per simplicitatem & unitatem, & corpus sit inferius, per totum hoc pluralitas animæ non sit minor in nobilitate, quàm pluralitas corporis; quia si esset, sequerentur supradicta inconvenientia.

4. Quemadmodum in Anima non consumitur sua pluralitas, quamvìs sit magis simplex, quàm corpus, ita in Angelo non consumitur sua pluralitas, quamvis sit superior per simplicitatem, quàm anima; quia quemadmodum tu es cum pluribus rebus in esse, quia in illo es cum corpore & Anima, ita Angelus est superior Animâ, si habet majorem unitatem & pluralitatem & simplicitatem, quàm esset, si esset magìs simplex in sua unitate & in sua pluralitate, & haberet minorem pluralitatem, quàm Anima.

5. Tu scis, quòd quinque sensus particulares sint universaliter in imaginativa, quæ in phantasia illos offert intellectui; & scis, quòd unitas imaginativæ & universalitas sit magìs simplex, quàm sit unitas & pluralitas ullius sensuum particularium; quia si hoc non esset, non esset superiùs, nec sensus particulares essent inferiùs; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd sensus particulares essent in phantasia, & in illa non esset imaginativa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd unitas & pluralitas imaginativæ, hoc est, sua universalitas, conveniat cum majori quantitate & cum majori simplicitate, quàm ullus sensuum particularium per se; & virtus omnium insimul multiplicatur in imaginativa; quemadmodum virtus quatuor elementorum in composito, quod est nobilius, quàm ullum elementorum per se: unde cùm hoc ita sit, si per majorem simplicitatem in inferiori bono multiplicaretur major unitas, & consumeretur pluralitas, sequeretur, quòd imaginativa, quæ est magìs simplex & magìs una, quàm sint quinque sensus particulares, esset minùs universalis, & esset magìs particularis, quàm ullus sensuum particularium; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd intellectus, qui est magìs simplex, & est magis unus, quàm imaginativa, esset minùs universalis, & magìs particularis, quàm imaginativa; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, imaginativa esset supra intellectum, & sensus particulares essent supra imaginativam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd Anima habeat majorem & nobiliorem pluralitatem, quàm corpus, in hoc, quòd intellectus, qui est una suarum potentiarum, meliùs conveniat cum universali, quàm imaginativa; quia intellectus particulariter recipit hoc, quod imaginativa illi offert particulariter; & in quantum illi offert universaliter, recipit universalitatem: & supra universalitatem imaginativæ recipit genera & species & alia, quæ imaginativa non potest imaginari; veluti Deum, Angelum & Animam & amorem & alia similia istis.

6. Cùm probaverimus, quòd in inferiori bono per majorem simplicitatem non destruatur pluralitas, si in supremo Bono esset Unitas sinè pluralitate, & in illo non esset pluralitas, ad hoc, ut in illo non esset compositio, sequeretur, quòd supremum Bonum per nobilitatem simplicitatis & unitatis & pluralitatis non esset superius inferiori: quia si Angelus est superior in nobilitate, & Anima inferior, & Anima est superior in nobilitate, & corpus inferius, & ignis est superior, & lapis inferior, licèt in quolibet sit pluralitas, quantò magìs convenit, quòd in supremo Bono sit simplicitas unitatis & pluralitatis sinè compositione, & quòd sit superius inferiore per unitatem & pluralitatem & simplicitatem; quia illud habet majorem nobilitatem in se, & magis devincitur compositio in illo, quod

quod habet simplicitatem unitatis & pluralitatis, quàm in illo, quod non habet simplicitatem nisi in unitate, &, si haberet pluralitatem, non posset esse sinè compositione. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd de necessitate conveniat, in supremo Bono esse pluralitatem, per quam tibi est significata & demonstrabilis Trinitas.

7. Tu intelligis, quòd in inferiori bono totum sit plus, quàm sua pars, & totum & pluralitas conveniant, & pars & unitas conveniant: unde si unitas conveniret cum majoritate, & pluralitas cum minoritate, sequeretur, quòd totum conveniret cum minoritate, & pars cum majoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd pars esset plus, quàm suum totum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatẽ demonstratur, quòd, sicut in inferiori bono pars convenit cum simplicitate, & totum cum compositione, in quantum pars & unitas conveniunt, & pluralitas & totum conveniunt, ita in supremo Bono conveniant unitas & pluralitas æqualiter cum simplicitate sinè compositione; quia si non convenirent, supremum Bonum non esset superius inferiore; quia pars per simplicitatem convenit cum majoritate, & totum per compositionem convenit cum majoritate.

8. Scis tu, quomodo Adam peccavit & transgressus est præceptum DEI, & DEUS sciebat, antequam Adam peccavit, quòd peccabit, & creavit Adam, & fecit illi præceptum, absque eo, quòd fuerit causa peccati? unde si tu non denudas tuum intellectum ab imaginativa, & illum non elevas super phantasiam, tu non poteris intelligere, quòd DEUS possit creare Adam, & facere præceptum, absque eo, quòd sit causa peccati; & quia est impossibile, quòd DEUS sit causa peccati, idcirco si tu superiùs elevas tuum intellectum, intelligis, quòd supremum Bonum per infinitam bonitatem, magnitudinem &c. potuerit creare Adam, & illi facere præceptum, absque eo, quòd fuerit causa peccati; & hoc idem intelligis, quando intelligis, quòd DEUS non alteretur in volendo, si te amat, quando facis pœnitentiam, & te odit, quando in illum non credis: & quia tu non amas Fidem Catholicam, quando in illam non credis, idcirco non elevas tuum intellectum supra phantasiam tunc, quando tu imaginaris, quòd, sicut in hoc inferiori bono non potest esse pluralitas sinè compositione, ita in supremo Bono non possit esse pluralitas sinè compositione: & si hoc ita imaginaris, tunc imaginaris, quòd, sicut tu non potes te excusare, quòd non sis causa peccati, si facis scienter hoc, per quod ego facerem peccatum, & scis, quòd ego facerem peccatum per hoc, quod tu facis, & scis, quòd, si hoc non facis, non facerem peccatum, ita supremum Bonum non sit innocens ab originali peccato nec etiam ab actuali; & quòd, quemadmodum tuum velle non potest esse sinè alteratione, si uno die me amas, & altero me odis, ita suprema Voluntas non sit sinè alteratione, si uno die te amat, quando in illam credis, & altero die te odit, quando illam negas. Unde si supremum Bonum potest agere in altero, absque eo, quòd sit causa peccati, nec sua voluntas alteretur, quantò magis in se ipso potest habere pluralitatem sinè compositione; quia si hoc non esset, sequeretur, quòd haberet majorem potestatem in altero, quàm in se ipso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT L.

De Possibilitate & Impossibilitate.

1. IN inferiori bono quædam sunt magis possibilia, quàm alia, & quædam sunt magis impossibilia, quàm alia; veluti formæ naturales habent majorem possibilitatem essendi in materia ordinali, quàm artificiales; & major impossibilitas est, quòd non sint in materia, quàm formæ artificiales: quia si non essent, sequeretur, quòd formæ artificiales per corruptionem se non inclinarent ad formas naturales; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd major possibilitas & impossibilitas meliùs conveniant cum esse, quàm minor, & minor possibilitas & impossibilitas meliùs conveniant cum privatione, quàm cum esse: & si hoc non ita esset, non sequeretur, quòd formæ naturales meliùs convenirent cum esse, quàm artificiales, nec quòd artificiales meliùs convenirent cum privatione, quàm naturales.

2. Cùm supremum Bonum sit supra inferius, de necessitate convenit, quòd suum esse sit major possibilitas, quàm esse inferioris boni; quia si non esset, non esset superius illo per esse: & sicut supremo Bono esse est magis possibile, quàm inferiori bono, ita est magis impossibile, quòd supremum Bonum sit in privatione, quàm inferius: & si hoc non esset ita, non esset superius inferiori per impossibilitatem, & sequeretur, quòd major possibilitas & minor impossibilitas meliùs convenirent cum esse, quàm major possibilitas & major impossibilitas, vel quòd minor possibilitas & major impossibilitas meliùs concordarent cum esse, quàm major; & hoc est impossibile.

3. Quemadmodum supremo Bono est major possibilitas esse (ita loquendo) & major impossibilitas non esse, quàm tibi, ita supremo Bono est major possibilitas facere hoc, quod facit, & major impossibilitas, quòd hoc non faciat, quàm tibi sit hoc, quod facis: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd tu meliùs convenires cum esse & cum hoc, quod facis, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tu posses creare alterum mundum magis nobilem, quàm hunc, & quòd tibi non esset possibile peccare, & quòd supremo Bono sit possibile peccare; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur in phantasia, quòd, si supremo Bono est magis impossibile, quòd non faciat hoc, quod facit, quàm tibi hoc, quod facis, supremum Bonum non habeat tantam libertatem in hoc, quod facit, quantam tu habes in hoc, quod facis; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tu haberes majorem libertatem, quàm supremum Bonum; & si haberes, esses superiùs per majorem libertatem, & illud esset sub te per minorem libertatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur intellectui, qui se exaltat supra phantasiam, quòd supremo Bono conveniat, quòd sit magis liberum ad hoc, quod facit, quàm tu; & quòd habeat majorem possibilitatem faciendi hoc, quod facit, quàm tu; & quòd illi sit magis impossibile, quòd hoc non faciat, quàm tibi; & hoc est propter infinitam bonitatem, magnitudinem &c., quæ infinitas non est in te.

4. Cùm probaverimus, quòd supremo Bono sit magis possibile esse, & magis impossibile non esse, quàm inferiori bono; & cùm probaverimus, quòd supremo Bono sit magis possibile facere te, quàm tibi sit possibile facere cultellum, & quòd magis impossibile sit, quòd supremum Bonum non faciat hoc, quod facit, quàm tibi hoc, quod facis; & cùm probaverimus, quòd supremum Bonum faciat cum majori libertate hoc, quod facit, quàm tu facias, idcirco est demonstrabilis gloriosa Trinitas, quam nos inquirimus: quia quemadmodum supremum Bonum habet majorem possibilitatem faciendi hoc, quod facit in inferiori bono, quàm tu, ita de necessitate convenit, quòd habeat majorem possibilitatem faciendi aliquid in se ipso, quàm in inferiori bono: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd inferius Bonum posset tantùm recipere in se ipso, quantùm supremum Bonum in illo posset operari; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat majorem possibilitatem in se, quàm in inferiori bono: & si in illo est major possibilitas, est major impossibilitas, quòd non faciat hoc, quod potest in se, quàm hoc, quod potest in inferiori bono: & si hoc non esset ita, sua major possibilitas & impossibilitas essent contrariæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatẽ demonstratur, quòd, quemadmodum supremum Bonum habet majorem libertatem in faciendo hoc, quod facit in inferiori bono, quàm tu habeas in hoc, quod facis, ita supremum Bonum habeat majorem libertatem in faciendo hoc, quod facit in se, quàm in hoc, quod facit in inferiori bono: & si in hoc non haberet majorem libertatem, sequeretur, quòd sua libertas non concordaret cum sua majori possibilitate & impossibilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit unus infinitus, qui habet possibilitatem, quòd de se ipso faciat alterum infinitum; quia si non haberet, non haberet majorem possibilitatem faciendi in se ipso, quàm in inferiori bono, in quo facit unum finitum de alio finito; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd sit impossibile, quòd supremum Bonum in se non habeat infinitum, qui faciat infinitum; quia si non esset impossibile, non esset major impossibilitas, quòd non faciat hoc in se ipso, quod

facit, quàm impossibilitas, quam habet, quòd non faciat hoc, quod facit in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit unus infinitus, qui liberè faciat alium infinitum; quia si non esset, haberet minorem libertatem in faciendo in se ipso hoc, quod facit, quàm in faciendo hoc, quod facit in inferiori bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur major possibilitas & impossibilitas & libertas, in hoc, quòd unum suppositum infinitum in bonitate, magnitudine &c. generet alterum suppositum infinitum in bonitate, magnitudine &c., & quòd procedat de ambobus alterum suppositum infinitum in bonitate, magnitudine &c., & quòd supradicta suppositа insimul sint tantùm una Essentia infinita in bonitate, magnitudine &c., & quòd illa sit amans & sciens & glorificans se ipsam, quàm sit, si supradicta suppositа in supremo Bono priventur.

5. Major impossibilitas est, quòd virtutes & vitia conveniant, si virtutes conveniant inter se, dependente unâ ab altera, & contrariante quâlibet vitio contrario alteri virtuti, quàm esset, si virtutes non concordarent inter se, & non concordarent contra vitia: unde cùm concordantia vitiorum & supremi Boni sit magis impossibilis, quàm concordantia vitiorum & virtutum in inferiori bono, si in supremo Bono essent suppositа, quæ concordarent contra vitia, sequeretur, quòd vitia essent causa illorum concordantiæ; & si essent, non essent superiùs per concordantiam inferiore bono: & si supremum Bonum non haberet in se ipso concordantiam suppositorum, non esset major impossibilitas, quòd supremum Bonum concordaret cum vitiis, quàm impossibilitas fidei, spei, charitatis, justitiæ &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis concordantia suppositorum in supremo Bono; per quam est demonstrabilis divina gloriosa Trinitas.

Perfectus est tertius Liber, in quo suprema Trinitas est demonstrata per gratiam & per auxilium supremi Boni, cui placeat per suam misericordiam habere has Demonstrationes in sua custodia & sibi commendatas; & ut Infideles inde veniant ad perdurabilem Beatitudinem habentes cognitionem de excellenti divina Trinitate.

INCIPIT

QUARTUS LIBER

In quo probatur per necessarias Rationes Incarnatio & Adventus nostri Domini DEI JESU Christi.

DEUS Pater amabilis & honorabilis in omnibus honorationibus, Tu Domine velis esse principium, medium & finis hujus *quarti Libri*, in quo est demonstrabilis excellens Incarnatio, quam tuus glorioſus Filius assumpsit in excellenti Virgine gloriosa nostra Domina sancta MARIA.

DE PROLOGO.

BOnus Amicus multùm cordialiter inquirebat, ubi posset invenire suum Amatum, & habuit multùm magnum placitum, quando invénit signa & vias sui Amati; & quia voluntas vult, quòd intellectus habeat cognitionem de suo Amato, ad hoc, ut illum magis possit amare, *propterea Domine ego, qui noviter sum factus Procurator appetitûs Infidelium*, quibus gloriosa Incarnatio nostri Domini DEI JESU Christi ita naturaliter est appetibilis per Recreationem, sicut supremum Bonum est appetibile inferiori per creationem & conservationem; ego confidens in adjutorio & in benedictione Filii Dei vivi conabor, quantum potero, ut per Rationes necessarias possim demonstrare sanctum mirabilem Adventum Filii DEI, ad hoc, ut ab Infidelibus cognoscatur, ametur, laudetur & sanctificetur, & ut reducantur à perdurabilibus tormentis, & veniant ad gloriam, quæ non habet finem, & ut in nos Christianos redeat fervor & devotio, quæ solebat esse in Apostolis & in Martyribus, qui sinè timore mortis dabant gloriam & laudem de sancto Adventu JESU Christi.

Major Bonitas	*Major Potestas*	*Major Sapientia*
Major Amor	*Major Virtus*	*Major Veritas*
Major Gloria	*Major Perfectio*	*Major Justitia*
Major Misericord.	*Major Humilitas*	*Major Patientia*

Sunt *quinque Conditiones* hujus Libri.

Prima Conditio est, quòd in quolibet Capite sint concordantes omnes cameræ hujus Figuræ, quæ est primum principium Demonstrationum, per quas probamus Incarnationem.

Secunda Conditio est, quòd major nobilitas operis, quod supremum Bonum habet in inferiori, attribuatur bonitati, potestati & aliis cameris; quia quemadmodum per excellens Opus, quod est in supremo Bono, significatur Trinitas, ita per majus Opus, quod supremum Bonum habet in inferiori, significatur Incarnatio.

Tertia Conditio est, quòd homo faciat liberum suum intellectum ad intelligendum, & quòd illum primò illuminet cum Lumine Fidei, ponendo, possibilem esse Incarnationem Filii DEI.

Quarta Conditio est, quòd homo sequatur Regulam quatuor Graduum, qui continentur in *Prologo primi Libri*.

Quinta Conditio est, quòd de duobus oppositis eligatur illud, quod affert majorem necessitatem; & quamvis calumnietur per minus oppositum, per totum hoc non vilipendatur majus, nec negetur, quòd majus sit Demonstratio, quamvis calumnietur per minus: *quia quemadmodum DEUS permittit, quòd homo possit peccare, ad hoc, ut non corrumpatur liberum arbitrium, ita DEUS permittit, quòd Demonstrationes Trinitatis & Incarnationis & aliorum Articulorum possint calumniari per aliquas falsas similitudines destructibiles; & hoc DEUS permittit, ad hoc, ut homo sit liber ad credendum vel intelligendum Articulos; quia si Articuli essent ita demonstrabiles, quòd non possent calumniari, non esset Fides per illos Articulos in homine, nec humanus intellectus esset ita exaltatus in intelligendo illos; quia essent Rationes grossæ & paucæ subtilitatis*; „ & quia sunt multùm difficiles intellectu, ideo supremum Bonum „ voluit, quòd homines, qui non habent „ subtilem intellectum, & qui sunt occupati „ in rebus temporalibus, possent uti Fide, „ & homines subtiles, & qui relinquunt bona temporalia, possint intelligere Articu„ los, & per illos possit illorum intellectus „ exaltari, ad hoc, ut illos meliùs contem„ plentur, & ut possint dirigere homines sim„ plices, & inducere Infideles ad viam veri„ tatis.

CAPUT I.
De Majori Bonitate.

1. COnvenit, quòd in inferiori bono finito unum bonum finitum possit facere alterum bonum finitum; & quia omne inferius bonum est finitum, propterea non convenit, quòd inferius bonum possit facere bonum infinitum; quia si posset facere bonum infinitum, posset esse majus se ipso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum, quod est infinitum, habeat potestatem faciendi bonum infinitum; quia si non haberet, sequeretur, quòd inferius bonum meliùs conveniret cum suo opere in æqualitate, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset per æqualitatem operis superius supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat potestatem faciendi bonum infinitum de bono finito respectu sui ipsius; sed quia inferius bonum non potest recipere infinitatem, idcirco supremum Bonum non facit illud infinitum; quia si illud faceret infinitum, sequeretur, quòd inferius bonum in se ipso posset recipere & non posset recipere infinitatem; & hoc est impossibile.

2. Cùm finalis ratio, quare supremum Bonum creaverit inferius, sit ad hoc, ut per illud cognoscatur & ametur, propterea de necessitate convenit, quòd supremum Bonum sit demonstrabile inferiori, in quantum habet potestatem, quòd de bono finito faceret bonum infinitum, si inferius bonum posset esse tam magnum, quòd in illo posset capi infinitas: & si supremum Bonum non esset demonstrabile inferiori per istam possibilitatem, non sequeretur finalis ratio in opere, quare supremum Bonum creavit inferius: & si non sequeretur, sequeretur, quòd in supremo Bono privarentur potestas, sapientia, amor & aliæ cameræ Figuræ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd de necessitate sequatur finalis ratio, quare supremum Bonum creavit inferius; & si sequitur, convenit, quòd illud tali modo sit demonstrabile, quòd inferius intelligat, quòd illud de bono finito posset facere infinitum, si inferius bonum hoc posset recipere.

3. Manifestum est, quòd inferius bonum possit recipere, quòd supremum Bonum in illo faciat unum bonum magis nobile, quàm alterum; quia si hoc non faceret, bonum rationale non esset magis nobile, quàm irrationale, nec unus homo, quàm alter; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in inferiori bono possit capi majoritas boni; per quam majoritatem demonstratur, quòd supremũ Bonum possit facere unum hominem meliorem, quàm omne aliud bonum creatum; quia si illum non posset facere meliorem, quàm omne aliud bonum creatum, non demonstraretur, quòd illud de bono finito posset facere bonum infinitum; & quia hoc potest facere, secundùm quòd suprà diximus, idcirco demonstratur, quòd illud possit facere unum bonum finitum melius & nobilius, quàm omne aliud bonum finitum: & si supremum Bonum posset facere unum bonum finitum melius, quàm omne alterum bonum finitum, sed illud unum

unum bonum non posset recipere majorem nobilitatem, quàm omne aliud bonum finitum, sequeretur, quòd illud non posset facere unum bonum magis nobile, quàm alterum, nec quàm multa aliorum bonorum; & hoc est impossibile: quia quemadmodum habet potestatem faciendi unum hominem meliorem, quàm omnia irrationalia, & unum hominem meliorem, quàm alium, ita habet potestatem faciendi unum hominem meliorem omnibus aliis hominibus & omnibus aliis bonis creatis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd finitum bonum prohiberet infinito Bono, quòd illud non posset multiplicare in nobilitate finita tantùm, quantùm vellet; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono privarentur cameræ, quæ continentur *in Figura secundi Libri*; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum possit facere unum bonum finitum majus, quàm omnia alia bona finita; quia si tam magnum bonum potest producere, sicut ipsummet, & producit illud relativè & personaliter, sed finitum bonum non potest hoc recipere, bene sequitur, quòd per virtutem infiniti boni unum bonum finitum possit recipere tantam bonitatem finitam, quantam supremum Bonum in illo vult ponere.

4. Probavimus, quòd supremum Bonum habeat tam magnam potestatem, quòd possit facere unum bonum finitum melius & nobilius, quàm omnia alia bona finita; & per hoc est magis demonstrabilis sua potestas in faciendo de bono finito Bonum infinitum, quàm esset, si non posset facere unum bonum magis nobile, quàm omnia alia bona: unde si supremum Bonum non fecisset unum bonum finitum melius, quàm omnia alia bona finita, & habet potestatem, quòd hoc faciat, & creavit inferius bonum ad demonstrandam suam potestatem, sequitur, quòd sua bonitas & sua potestas & aliæ cameræ Figuræ non sint perfectæ in supremo Bono; quia meliùs & verius supremum Bonum utitur inferiori bono; si fecit unum bonum melius, quàm omnia alia bona, ad demonstrandum, quòd illud de finito posset facere infinitum, si finitum hoc posset recipere, quàm facit, si sua demonstratio est sine opere: quia quemadmodum tua potestas magis manifestatur, si pores facere bonum, & facis bonum, quàm esset, si posses facere bonum, & non faceres illud, ita supremum Bonum meliùs demonstrat suam potestatem in faciendo unum bonum finitum majus, quàm omnia alia bona finita, quàm demonstraret, si illud posset facere, & non faceret illud: & cùm majus & nobilius opus, quòd supremum Bonum habeat in inferiori bono, sit eligibile & affirmabile, ad demonstrandum suam majorem bonitatem & suam majorem potestatem &c., per hoc est demonstrabilis Incarnatio nostri Domini JESU Christi, qui per unionem Filii DEI est melius & majus & nobilius Bonum, quàm omnia alia bona creata.

5. Scisnè, quare Filius DEI assumpserit Carnem in Utero nostræ Dominæ gloriosæ Virginis sanctæ MARIÆ? ad significandum & demonstrandum, quòd in supremo Bono sit infinitum Bonum, quod de se ipso personaliter producit alterum infinitum Bonum, & illud infinitum genitum posset facere de finito bono infinitum, si finitum hoc posset recipere; quemadmodum ille, qui est infinitus, recipit in se infinitatem infiniti Generatoris: & quia finitum non potest recipere infinitatem, idcirco est demonstrabilis nobilitas infiniti Generatoris & Generati: & si ille infinitus Generatus non esset incarnatus, & non dedisset illi Humanitati, quam assumpsit, majorem nobilitatem, quàm omni alteri bono finito, non esset tam demonstrabile supremum Bonum nec suum Opus. Unde cùm hoc, per quod est magis demonstrabile, sit affirmabile, idcirco est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI.

6. Scisnè tu, quomodo Filius DEI faciat, majorem nobilitatem & majorem bonitatem esse in Humanitate, quam assumpsit, quàm sit omne aliud bonum creatum? intellige igitur, quomodo tuum corpus sit nobilius, quàm quatuor elementa, ex quibus est compositum; quam majorem nobilitatem habet per hoc, quia est de quatuor elementis, & est aliud bonum, quod non sunt quatuor elementa, hoc est, compositum de materia & forma & conjunctione: & intellige, quomodo illud sit nobilius, quàm elementa, per hoc, quia Anima illi est forma, per quam utitur suis quinque sensibus particularibus, & continet de communitate illorum in fronte, & superiùs de imaginativa, & magis superiùs de phantasia; & in posteriori parte capitis conti-

continet de memorativa, & in phantasia intellectus accipit de imaginativa, & in corde voluntas utitur suo velle; & sic de aliis potentiis: & quia Anima est forma corpori per istum modum, & nullum elementorum habet per se hanc nobilitatem, ideo tuum corpus est nobilius, quàm elementa, ex quibus est compositum, & quàm omnia alia elementa, in quantum se habent ad ordinalem [primam] materiam. Unde cùm in te ipso intellexeris hoc, intellige, quomodo Filius DEI sit complementum Humanitati, quam assumpsit: & quia per participationem illius divinæ Personæ infinitæ & per participationem humanæ Naturæ est facta unio ambarum Naturarum, propterea ille Homo est major & nobilior sinè omni comparatione in bonitate, potestate &c., quàm omne aliud bonum creatum. Unde sicut tuum corpus est aliud, quàm sint quatuor elementa, & habet majorem nobilitatem, quàm habeant quatuor elementa, & hoc per participationem Animæ, ita humana Natura JESU Christi est superior, quàm tota humana species, & quàm omne aliud bonum creatum: & quemadmodum quilibet Angelus est suamet species, ita Humanitas Christi, in quantum est superior, quàm omne aliud bonum creatum, est suamet species: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd DEUS produxerit unam nobiliorem Creaturam omnibus aliis creaturis, ad significandum, quòd, si DEUS potest facere unam Creaturam nobiliorē omnibus aliis creaturis, possit facere nobiliores creaturas, quàm homines & Angelos, & quàm creaturas, quæ sunt inferius in nobilitate homine & Angelo. Unde si Filius DEI non esset incarnatus, non significaretur, quòd DEUS posset facere unum bonum majus omnibus aliis bonis, nec posset creare majores & nobiliores creaturas, quàm illas, quas creavit; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio, quam nos inquirimus.

7. Si dicis, quòd Filius fecisset majus bonum, si in multis fœminis incarnatus esset, & essent multi JESU Christi, & quòd Pater fecisset similiter, & hoc idem fecisset Sanctus Spiritus; non est verum: quia sicut non convenit, quòd in divina Essentia sint plures quàm unus Pater, & quàm unus Filius, & quàm unus Sanctus Spiritus, quia si hoc esset, quælibet Paternitas & Filiatio & Processio haberet defectum, in quantum non posset per se ipsam habere perfectionem sinè altera, ita esset defectus in Filio, si ad creandum unum bonum melius, quàm omnia alia bona, non sufficeret per se ipsum, & non posset per suam Incarnationem tantum boni creare, quantum inferius bonum posset ab illo recipere, in quantum posset recipere aliud bonum per Incarnationem Patris, & alterum per Incarnationem Sancti Spiritûs: & si hoc esset ita, sequeretur, quòd plus boni posset esse creatum, quàm Filius creaverit in uniendo se cum Natura humana, & potestas Filii esset finita; & si esset, similiter esset finita potestas Patris & Sancti Spiritûs, qui sunt æquales Filio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius habeat tantam nobilitatem, quòd posset creare infinitum bonum per se ipsum, si bonum finitum hoc posset recipere. Unde cùm hoc ita sit, & quia per Incarnationem unius Personæ tantùm meliùs significatur, quòd in divina Essentia sit differentia suppositorum, quæ differentia non esset tam benè significata nec demonstrabilis, si omnes tres Personæ essent incarnatæ, idcirco convenit, quòd sit incarnata una Persona tantùm.

8. Si quæris, quare Filius sit incarnatus? & quare Pater vel Sanctus Spiritus non sit incarnatus? Respondeo, tu scis, quòd inferius bonum conveniat cum recipere generationem: unde quemadmodum Pater generat Filium, & inferius bonum est dispositum ad recipiendum gratiam & benedictionem à supremo Bono, convénit, quòd ille, qui recipit se ipsum à Patre per Generationem, incarnaretur, & quòd Humanitas, quam assumpsit, illum reciperet per unionem, sicut Filius, qui recipit Patrem in esse sua Filiatio: unde si Pater vel Sanctus Spiritus essent incarnati, suprema Operatio non esset tam demonstrabilis, per quam Trinitas est demonstrabilis.

CAPUT II.

De Majori Potestate.

1. CUm supremum Bonum creaverit inferius bonum ad demonstrandam suam infinitam potestatem, idcirco supremus Pater misit supremum Filium per Opus supremi Sancti Spiritûs ad assumendam Carnem in nostra Domina sancta Maria gloriosa Virgine; quia quemadmodum Pater habet

habet potestatem infinitam in generando Filium, qui habet potestatem infinitam, ita Filius habet potestatem, quòd formet infinitam potestatem in Carne, quam assumpsit à nostra Domina, & quòd in Humanitate, quam assumpsit à Virgine, sit creata infinita potestas per supremum Filium; & hoc per unionem supremi Filii & Humanitatis: sed quia Humanitas est creatura, & cùm nulla creatura possit esse infinita, idcirco supremus Filius se habet ad creandam potestatem infinitam in Humanitate, quam assumpsit, quæ de Virgine debet recipi potestas finita: unde ad hoc, ut demonstretur, quòd supremus Filius se habeat ad creandam potestatem infinitam, informavit & creavit majorem potestatem in Humanitate, quam assumpsit, quàm sit omnis alia potestas creata: quia per unionem duorum supradictorum suppositorum humana Natura habet infusam potestatem, & potest plus, quàm omnes aliæ creaturæ. Unde si supremus Filius non esset incarnatus, non esset demonstratum, quòd in illo esset infinita potestas, per tam nobilem demonstrationem, quàm est per hoc, quia est incarnatus; quia quò major est potestas, quam dedit Humanitati, quam assumpsit, quàm sit omnis alia potestas creata, eò meliùs demonstratur potestas supremi Filii; & quò meliùs demonstratur potestas supremi Filii, eò meliùs est demonstrabilis potestas supremi Patris & supremi Sancti Spiritûs. Unde cùm de necessitate conveniat, esse hoc, per quod potestas personalis cujuslibet Personæ divinæ est magis demonstrabilis, idcirco sequitur, quòd Incarnatio Filii DEI sit demonstrabilis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd potestas supremi Boni & trium suppositorum esset finita, si verum esset oppositum, quod est contra demonstrationem, per quam est magis demonstrabilis suprema Potestas: unde, cùm sit impossibile, quòd suprema Potestas sit finita, demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus.

2. Quemadmodum oculi aquilæ possunt plus recipere de splendore solis, quàm oculi hominis, & sicut intellectus comprehendit plura universalia, quàm imaginativa, ita creatura recipit plus de potestate supremi Boni per Recreationem, quàm per Creationem; quia creare est hoc, quod de non esse potest devenire in esse per supremum Bonum; & recreare est, quando hoc, quod de non esse venit in esse, per peccatum est inclinatum ad non esse, & supremum Bonum conservat illud, quòd non deveniat in non esse, & illud reparat, & dat illi veniam, & illi dat, quando illi condonat, & supremus Filius assumit Carnem, quæ est individuum humanæ speciei, ad hoc, ut mundus per virtutem illius Incarnationis reparetur. Unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum creaturæ posset donare infinitam potestatem, si ipsa illam posset recipere, propterea supremus Filius assumpsit Carnem, & Caro, quam assumpsit, assumpsit Passionem, ad recreandum humanum Genus: & si hoc non esset ita, suprema Potestas esset demonstrabilis in demonstratione, in qua est minùs demonstrabilis, hoc est, in Creatione, & non esset demonstrabilis per Recreationem, per quam est magis demonstrabilis, quàm per Creationem: unde cùm major demonstratio potestatis sit affirmabilis, per hoc Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis.

3. Tu scis, quòd in corpore vegetabili inanimato forma vegetativa habeat majorem potestatem, quam habeant formæ elementorum; quia vegetativa est forma illius corporis, & elementa non sunt forma, licèt sint in illo corpore per modum materiæ; & in corpore irrationalis sensitiva habet majorem potestatem, quàm habeat vegetativa, & ideo est forma illi corpori, licèt in illo sit vegetativa: & hoc idem sequitur in rationali, in quo anima habet majorem potestatem, quàm vegetativa & sensitiva, in quantum est forma illius corporis, cui nec vegetativa nec sensitiva possunt esse forma, licèt sint in illo corpore: unde cùm hoc ita sit, respice de gradu in gradum, quomodo in inferiori bono una forma habeat majorem potestatem, quàm altera, ad demonstrandum, quòd, si aliquod individuum, quod est in inferiori bono, est unitum cum supremo Bono, habeat majorem potestatem, quàm sit omnis reliqua potestas, quæ est in inferiori bono. Unde quemadmodum Anima demonstrat, majorem potestatem esse in se, quàm in sensitiva, in hoc, quia est forma illi, cui sensitiva non potest esse forma, ita suprema Potestas est magis demonstrabilis, si potest creare unam potestatem, quæ sit forma & complementum per Recreationem toti humanæ speciei, quàm esset, si illam

illam potestatem non creavisset; quæ potestas non posset recipere tam nobilem formam sinè unione supremæ Potestatis.

Si Filius DEI est incarnatus, vides, quomodo Filius Virginis habeat majorem potestatem cognoscendi & amandi supremum Bonum & inferius, quàm omnis alia potestas; & vides, quomodo magis possit precari, & magis possit condonare & adjuvare, quàm omnis alia creata potestas; & vides, quomodo ego, qui affirmo Incarnationem, habeam majorem potestatem amandi & laudandi supremam Potestatem, quàm tu, qui negas Incarnationem; & vides, quomodo ego sim magis dispositus ad utendum virtutibus, & ad evitandum vitia, quàm tu: & si hoc vides, quare ergò negas hoc, per quod supremum Bonum est magis demonstrabile & amabile, & tibi virtutes magis possunt esse amabiles, & vitia magis odibilia?

CAPUT III.

De Majori Sapientia.

1. MAjor Sapientia est in supremo Bono, & minor in inferiore bono, & æqualis sapientia est in inferiori bono; igitur convenit, quòd in supremo Bono sit æqualis Sapientia; quia si non esset, in inferiori bono esset suprema æqualitas sapientiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, in inferiori bono esse unam sapientiam, quæ sit major, quàm omnis alia sapientia, quæ est in inferiori bono, ad demonstrandum, quòd in supremo Bono sit Sapientia, quæ in inferiori bono faceret æqualem sapientiam sibi ipsi, si sapientia, quæ est in inferiori bono, hoc posset recipere: sed quia inferior sapientia non potest esse suprema, idcirco suprema facit unam Sapientiam inferiorem majorem, quàm omnem aliam sapientiam inferiorem, ad demonstrandum, quòd, sicut in supremo Bono est producta æqualis Sapientia infinita personalis per alteram Sapientiam personalem infinitam, ita Sapientia, quæ est generata infinita, faceret in inferiori bono Sapientiam infinitam, si inferius bonum posset esse ita infinitum, sicut est Sapientia generata in supremo Bono. Unde si suprema Sapientia in inferiori bono non faceret unam sapientiam majorem, quàm omnem aliam sapientiam, non demonstraret, quòd faceret æqualem Sapientiam sibi ipsi, si posset fieri in inferiori bono: & quia hoc, per quod in inferiori bono majus Opus Sapientiæ est demonstrabile, est demonstratio supremi Operis Sapientiæ, quod est in supremo Bono, idcirco est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI, qui est unitus cum humana Natura, quando est incarnatus; in qua est major Sapientia, quàm sit in omni alio inferiori bono; quia per unionem duorum suppositorum, & per hoc, quia Filius DEI scit omne inferius bonum & superius, Humanitas, quam assumpsit, habet infusam Sapientiam, & scit & comprehendit omne inferius bonum & se ipsam, & scit plus in supremo Bono, quàm omne aliud inferius bonum, & scit plus, quàm se ipsam, per influentiam unionis; quia si non sciret, non illi faceret majorem influentiam unionis, quàm inferius bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Filius DEI per suam unionem non posset facere majorem sapientiam, quàm inferius bonum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, haberet defectum bonitatis, potestatis & aliarum camerarum Figuræ; & hoc est impossibile.

2. In tuo corpore potentia vegetativa est per omnia tua ossa & per omnes tuas juncturas & per omnes tuos nervos & musculos & venas & per omnes tuas pulpas & per omnia tua membra; sed quantum ad alios sensus particulares, habes specialem locum, in quo uteris illis; quia si non haberes, cum manibus videres, & cum oculis audires: unde si per omnes tuas partes utereris ipso videre, audire, gustare, odorari, haberes majorem virtutem visivam, auditivam & gustativam, quàm habeas; & esset impossibile, quòd de te privaretur aliqua istarum virtutum, quamdiu es; sicut est impossibile, quòd de te privetur vegetatio, quamdiu es. Unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI: quia sicut tu per totum tuum corpus habes potentiam vegetativam, sic per totum Corpus JESU Christi, & per omnes tres potentias Animæ, & per totum subjectum trium potentiarum est infinita Sapientia; quæ Sapientia est Filius DEI unitus cum Natura humana, ad demonstrandum, quòd per totam divinam Essentiam, & per omnia tria Suppositа illius sit infinita Sapientia: unde si Filius DEI non assumpsisset Carnem, Sapientia, quæ

quæ est per totam supremam Essentiam & per omnia sua Suppositа, non esset tam manifestè demonstrabilis humano intellectui; & quia hoc, per quod suprema Sapientia est magis demonstrabilis humano intellectui, est eligibile & affirmabile, idcirco est demonstrabilis & affirmabilis Adventus nostri Domini DEI JESU Christi, qui fuit in gloriosa Virgine nostra Domina sancta Maria.

3. Tu scis, quòd cum tuo gustare, quod non est nisi unum, possis gustare diversas res, hoc est, pomum, panem & carnem & vinum & alias res; & cum tuo odorari possis odorari rosam & lilium; & hoc idem sequitur de aliis sensibus particularibus: & si quamlibet rem gustares & odorareris per se ipsam, meliùs tibi esset sensibilis, quàm esset, si unam rem misces cum altera, sicut in emplastro vel in vino bene condito vel in electuario composito de diversis speciebus, in quibus non potes tam bene distinguere qualitatem cujuslibet illarum rerum per gustare nec per odorari, sicut distingueres, si quælibet res esset per se ipsam distincta; idcirco intellectus non potest apprehendere tam distinctam demonstrationem cujuslibet illarum rerum, quando communiter illi offeruntur, sicut apprehendit, quando quælibet illi offertur per se ipsam: unde quemadmodum tuum gustare vel odorari est commune rebus, quæ ab illo sunt apprehensibiles, & meliùs illas apprehendit, quando illas apprehendit in speciali, quàm si illas apprehendat in communi, ita tuo intellectui, qui non est nisi unus, sunt subjectæ diversæ res, quæ ab illo sunt apprehensibiles, & apprehendit illas meliùs, quando illas apprehendit particulariter, quàm si illas apprehendit in communi. Unde cùm hoc ita sit, vide, quàm magna sapientia sit in Natura humana, si est unita cum Filio DEI: quia quemadmodum tu intelligis cum intellectu, ita Corpus & Anima JESU Christi scit & intelligit cum Filio DEI, cum quo est unum suppositum; & quia Filio DEI mixtio diversarum rerum non est impedimentum, sicut diversæ voces insimul sunt tuo audire, sed scit quamlibet creaturam per se, & scit conjunctionem & compositionem illarum uno & eodem tempore, ideo manibus & capiti & aliis membris Christi & memoriæ & intellectui & voluntati Christi non est impedimentum ad sciendum ullam rem creatam, quæcunque sit, per se ipsam, vel cum altera; quia quemadmodum tu intelligis cum tuo intellectu, ita quodlibet membrum Corporis Christi & insimul, & quælibet potentiarum suæ animæ & insimul intelligunt cum sapientia Filii DEI: quia sicut luna lucet cum splendore solis, ita totum hoc, quod est in JESU Christo creatum, intelligit cum Filio increato: & si hoc ita est, demonstratur, quòd suprema Paternitas & Filiatio & Processio personaliter sciant cum suprema Essentia, & Essentia sciat cum quolibet suppositorum, & Essentia sciat per se ipsam, & quodlibet suppositorum sciat cum altero & per se ipsum; & hoc secundùm relationem scientiæ paternalis & filialis & processionalis unius in Essentia. Unde si Corpori JESU Christi, quando sinè anima erat in Cruce, erat possibile scire cum Filio DEI, & hoc per influentiam sapientiæ Filii DEI, qui erat & est unitus cum corpore, quantò magis suprema Essentia & suppositа sunt una intelligentia, & quantò magis quodlibet scit & intelligit per se ipsum, & intelligit & scit cum altero. Unde cùm hæc intelligentia non tam convenienter demonstraretur sinè Incarnatione & Unione Filii DEI & Filii Virginis, per hoc Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis; quia si non esset incarnatus, hoc esset in privatione, per quod meliùs est demonstrabilis intelligentia, quæ est in supremo Bono: & si hoc esset, esset defectus in cameris Figuræ: & hoc est impossibile.

4. Cum sensibus particularibus mei corporis tibi est possibile scire operationem potentiarũ meæ animæ in aliquibus rebus, & sinè meis sensibus particularibus tibi est impossibile: unde cùm supremum Bonum sit invisibile, si non est incarnatũ, cum quo intelliges tam bene in gloria, si in illo intelligis operationem, quæ est in suppositis divinis? & si illa non intelligis per illorum operationem, de quo habebis perfectam gloriam? & si est verum, quòd Filius DEI & Natura, quam assumpsit de nostra Domina, sint unum suppositum, per sensus particulares illius Naturæ humanæ poteris intelligere operationes Animæ & intelligentiam, quæ est in Corpore & Anima per Unionem Filii DEI: & per illam intelligentiam poteris intelligere tantùm de operatione supremi Boni, quantùm erit necesse ad tuam gloriam; & si majorem gloriam mereris,

magìs posses intelligere; & si non esset incarnatum, tam convenienter non posses habere complementum tuæ gloriæ, sicut posses mereri gloriam: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum tibi posset dare gloriam infinitam in magnitudine, si in te posset capi, voluit incarnari, ad hoc, ut tibi per illam daret modum, in quo tu illud meliùs potes intelligere; quia si non hoc fecisset, non significaretur, quòd tibi vellet donare infinitam sapientiam & infinitam gloriam, si in te posset capi.

CAPUT IV.
De Majori Amore.

1. SOl ab ortu suo usque ad occasum in quacunque horâ illuminaret totam faciem terræ, si terra non esset rotunda, & esset extensa sicut pellis; sed quia est rotunda, illa sibi ipsi est causa, quare sol non illuminat illam totam in quacunque hora diei: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd supremum Bonum, quod habet infinitum amorem, haberet infinitum amorem ad inferius bonum, si inferius bonum esset dignum infinitè esse amatum: unde quemadmodum ratio, quare sol in una eadem hora non illuminat totam superficiem terræ, non est propter defectum solis, sed est propter defectum terræ, quæ est rotunda, ita ratio, quare supremũ Bonum non habeat infinitum amorem erga inferius bonum, non est ex parte sui amoris, sed est ex parte inferioris boni, quod est finitum; & propter hoc non potest recipere talem dignitatem, per quam infinitè sit amatum. Unde quemadmodum tu intelligis, quòd supremum Bonum habeat infinitum amorem erga se ipsum, ita intelligis, quòd infinitè amareris per supremum Bonum, si esses tam dignus esse amatus, sicut supremum Bonum; & si hoc non esset, intelligeres, quòd in supremo Bono non esset bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum cum infinito amore amet se ipsum & inferius bonum, & quòd in se ipso habeat suppositа, quæ sunt digna esse amata cum infinito amore, & quòd infinitè sint amata, & quòd inferius bonum finitè ametur per supremum Bonum, licèt supremum Bonum illud amet cum infinito amore; quia si illud infinitè amaret, faceret illud æquale sibi ipsi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd aliquod supremorum suppositorum se univerit cum aliquo individuo inferiori, & quòd illud magìs amet, quàm omne reliquum inferius, & magìs ametur per illud, quàm per omne reliquum inferius: & hoc est per virtutem & influentiam unionis & ambarum Naturarum; & si hoc non esset ita, non esset demonstrabile, quòd supremum Bonum amaret inferius bonum cum amore infinito, nec quòd illud infinitè amaret, si inferius bonum hoc posset recipere. Unde cùm supremum Bonum creaverit inferius ad demonstrandum magnum amorem, quem habet erga se ipsum & erga inferius bonum, idcirco de necessitate est verum hoc, per quod supremus Amor est magìs demonstrabilis; quæ major demonstratio est in unione Filii DEI & Filii Virginis.

2. Quemadmodum supremum Bonum secundùm respectum sui amoris infinitè amaret inferius bonum, si inferius bonum esset dignum infinitè esse amatum, ita inferius bonum, hoc est, Angelus & homo infinitè amaret supremum Bonum quantum ad respectum nobilitatis supremi Boni; sed quia inferius bonum est finitum & terminatum in amando, propterea non potest amare supremum Bonum, secundùm quòd supremum Bonum est dignum esse amatum; quia si illud infinitè posset amare, infinitè amaret illud: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI: quia si homo, qui est finitus, infinitè amaret supremum Bonum, si infinitè posset amare, convenit, quòd Filius DEI, qui habet potestatem infinitè amandi, tantum amet aliquem hominem, quòd faciat illum majorem in nobilitate & in virtute, quàm omne aliud inferius bonum, & quòd per magnam influentiam amoris, quem Filius DEI habet erga illum hominem, supremum Bonum magis ametur per illum hominem, quàm per omne aliud inferius bonum: & si hoc non esset ita, non demonstraretur, quòd Filius DEI infinitè amaret hominem, si homo infinitè posset amari, postquam non se uniret cum homine; & si homo tantùm posset amare, quantùm Filius DEI, magis posset amare supremum Bonum, quàm amari per supremum Bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio.

Tua

3. Tua voluntas magìs amat tuum intellectum, quàm meum; & scis quare? ideo, quia suum velle & intelligere tui intellectûs se uniunt in objecto, quod apprehendunt, & tua voluntas & tuus intellectus se uniunt in illorum subjecto, & tua voluntas & meus intellectus non sunt uniti in uno subjecto, & tua voluntas potest apprehendere objectum per tuum intellectum sinè meo: unde cùm hoc ita sit, per hoc tua voluntas naturaliter plùs amat tuum intellectum, quàm meum; & per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit unitus cum humana Natura, ad hoc, ut sua voluntas & voluntas naturæ, quam assumpsit, sint insimul amabiles una voluntas per alteram tam fortiter, sicut est unio duarum Naturarum, quæ sunt una Persona, unum & idem suppositum, in quo est major amor Creatoris & creaturæ, quàm sit omnis amor, quem Creator habet erga omnes alias creaturas, & quàm sit amor, quem omnes aliæ creaturæ habent erga Creatorem: & si hoc non esset ita, non demonstraretur, quòd Creator magìs posset amari per unire creaturam sibi ipsi, quàm per creare creaturam & per beneficiare illam; & hoc est impossibile: quia quemadmodum est major nobilitas ipsi creaturæ, esse unitam cum Creatore, quàm esse creatam & beneficiatam bonis creatis, ita illi est major nobilitas, si tantum est amata per Creatorem, quòd cum illo sit unita, quàm esset, si haberet omnem nobilitatem & beneficium, quod habent omnes aliæ creaturæ: & quò magìs est beneficiata, eò magìs est amabilis per supremum Bonum & per alias creaturas, & magis amat supremum Bonum & alias creaturas.

4. O tu, qui negas Incarnationem, aperi oculos tuæ mentis, & vide, utrùm supremum Bonum à te sit tam amabile per negare Incarnationem, quàm per affirmare illam. Et si dicis, quòd supremum Bonum sit tantùm amabile per non Incarnationem, quantùm per Incarnationem, verum dicis respectu sui ipsius; sed tu non potes tantùm amare illud, si Incarnatio non est, quantùm, si Incarnatio est: unde sicut DEUS est tantùm amabilis per creare lapidem, quantùm per creare hominem, respectu sui ipsius (quia si non esset, homo esset causa vel occasio, quare DEUS esset amabilis; & hoc est impossibile) ita supremum Bonum est tantùm amabile, sive Incarnatio sit, sive non sit: sed sicut tu magìs veraciter intelligis res sensuales, si habes omnes tuos quinque sensus particulares, quàm intelligas, si in te unus privâretur, ita, quò ad te, tibi supremum Bonum est magìs amabile, si affirmas & amas Incarnationem, quàm sit, si illam negas & odis: & quòd hoc sit verum, cogita Adventum & Passionem & alios Articulos Humanitatis Christi; & si amas illos, senties in te ipso majorem virtutem amandi & laudandi supremum Bonum, quàm si Incarnationem negas: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur Incarnatio Filii DEI, sinè qua tu non haberes majorem virtutem amandi, si illam amas, quàm habeas, si illam odis: quia si haberes majorem amorem per hoc, quod non esset, quàm per hoc, quod est, hoc, quod non est, esset causa majoris amoris, & hoc, quod est, minoris; & hoc est impossibile.

5. Si dicis, quòd supremum Bonum esset magìs amabile, si in multis hominibus esset incarnatum, & assumpsisset multas passiones pro homine; non est verum: quia si una Incarnatio & Passio non sufficit ad recreandum mundum, esset defectus in Incarnatione & Passione; & propter illum defectum Filius DEI & Natura humana, quam assumpsit, esset odibilis & contemptibilis: & si Filius DEI in multis hominibus esset incarnatus, fecisset multos amores creatos æquales in nobilitate, & amores non essent in una essentia creata; & si non essent, Filius non significaret amorem paternalem & amorem filialem & amorem spiritualem, qui sunt æquales in una suprema Essentia; qui amor paternalis &c. significantur in hoc, quòd Filius DEI non sit incarnatus nisi in una natura unius hominis, ad demonstrandum, quòd, sicut Natura Filii DEI & Natura Corporis & Natura Animæ JESU Christi sunt unus JESUS Christus, & una Natura non est altera, ita amor paternalis & amor filialis & amor spiritualis sint una divina Essentia, & unus amor non sit alius secundùm respectum relationis Personarũ.

6. Si dicis, quòd Filio DEI sit passio per hoc, quia habet Naturam infinitè amandi inferius bonum, & non infinitè amat illud, quia non est possibile, quòd inferius bonum infinitè ametur; non est verum: quia quemadmodum supremum Bonum posset creare mille mundos, & de isto mundo facere mille mundos, & illi non est passio, quòd non faciat, & hoc ideo, quia habet

complementum in se ipso per Opus Paternitatis & Filiationis & Processionis infinitum in bonitate, potestate &c., ita non habet passionem, quando infinitè amat creaturam, quò ad se ipsum, & creatura non potest recipere, quòd infinitè ametur: & si hoc non esset ita, & esset contrarium, sequeretur, quòd supremus Filius haberet passionem, si justè amaret; & quòd privaretur illâ passione, si injuriosè amaret; & hoc est impossibile.

CAPUT V.
De Majori Virtute.

1. CUm suprema Paternitas sit Virtus, & Paternitas & virtus sint unum & idem, convenit, quòd Paternitas generet æqualem Filiationem & æqualem virtutem sibi ipsi; quia si illam non generaret, esset major in Paternitate, quàm in virtute, vel in virtute, quàm in Paternitate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Paternitas & sua virtus non essent unum & idem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Filius esset unum, & sua virtus esset aliud; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremus Filius & sua virtus per simplicitatem unitatis non essent supra inferiorem filium & suam inferiorem virtutem, qui inferior filius est unum, & sua virtus est aliud; & hoc est impossibile, quòd supremus Filius & sua suprema Virtus non sint supra filium & virtutem hominis.

2. Cùm supremus Filius sit suprema Virtus filialis, per hoc supremus Filius habet virtutem generandi æqualem Filium, æqualem virtutem sibi ipsi: & quia in supremo Bono non est necessarius, nisi unus Pater, unus Filius, unus Sanctus Spiritus, una Virtus Paternalis, una Virtus Filialis, una Virtus Processionalis, quæ sint una Virtus essentialis (quia si hoc esset, esset defectus in supradicta virtute) ideo Filius in inferiori bono generaret virtutem æqualem sibi ipsi, si inferius bonum hoc posset recipere; & quia non potest recipere, idcirco demonstratur, quòd supremus Filius & sua Virtus sit superior inferiore bono, per hoc, quia potest generari in æquali virtute supremi Patris; & ad demonstrandum, quòd supremus Filius de suamet virtute posset generare æqualem virtutem suæmet virtuti, creavit Animam Christi, & formavit Corpus illius in gloriosa Virgine, & se ipsum univit cum illa Humanitate; per quam unionem Humanitas est major in virtute & in nobilitate, quàm omnis alia virtus creata: veruntamen quia est creatura, non sufficit esse tam magna, sicut supremus Filius & sua virtus, ad demonstrandum, quòd supremus Filius sit major per supremum Patrem, quàm Humanitas Christi per supremum Filium, licèt sit major virtus, quàm omnis alia virtus creata. Unde si supremus Filius non esset incarnatus, non esset, qui significaret virtutem, quam supremus Filius habet in generando virtutem æqualem suæ virtuti, nec qui demonstraret, quòd Filius possit esse major per Patrem, quàm creatura per suum Creatorem, & quòd Filius habeat æqualem virtutem Patri: & quia major demonstratio virtutis & major virtus & major veritas meliùs conveniunt cum esse, quàm minor, per hoc sancta Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis.

3. Quemadmodum Trinitas est speculum & demonstratio supremæ Incarnationis, ita Incarnatio est humano intellectui speculum & demonstratio Trinitatis; quia per unionem, quam Filius DEI habet cum Humanitate, quam assumpsit, significatur æqualitas virtutis in Patre & Filio & Sancto Spiritu; quia per unionem, quam Filius habet cum humana Natura, humana Natura est tanta in virtute per Patrem & Sanctum Spiritum, quanta per Filium, ad demonstrandum, quòd virtus Filii sit æqualis virtuti Patris & Sancti Spiritûs: unde si Filius non esset incarnatus, non esset, qui ita convenienter demonstraret æqualem virtutem trium suppositorum, quæ sunt in supremo Bono, sicut est per hoc, quia supremum Bonum est incarnatum: & si magis congrua demonstratio æqualitatis virtutis non esset, sequeretur, quòd in supremo Bono non esset bonitas, potestas, sapientia &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio Filii DEI, quam nos inquirimus, est demonstrabilis.

4. Ad demonstrandum, quòd in suprema Essentia sint tres subsistentiæ subsistente qualibet per se ipsam, voluit Filius DEI incarnari; quia sicut Pater est subsistentia infinita, & generat infinitam subsistentiam æqualem sibi ipsi, generando Filium, ita Filius habet virtutem, quòd Humanitas Christi

Christi esset subsistentia infinita per se per Incarnationem, quam assumpsit in illa; sed quia Humanitas Christi non potest esse tanta per Filium DEI, quantus Filius est per Patrem, & quia Filius Humanitati Christi potest dare majorem subsistentiam per unire suam virtutem cum illa, quàm omnis alia subsistentia creata, idcirco supremus Filius demonstrat in Humanitate Christi infinitam subsistentiam, & subsistentiam Patris & Sancti Spiritûs; quæ demonstratio non posset fieri in creatura, nisi illa creatura esset major in virtute, quàm omnes aliæ creaturæ; quæ creatura non posset habere majorem virtutem, quàm sit omnis alia virtus creata, nisi esset unita cum aliquo Supposito supremo.

5. Si tu infidelis negas Trinitatem, ut non sis coactus per necessarias Rationes ad affirmandam Incarnationem, tunc tu negas *tertium Librum*, in quo Trinitas est demonstrata: & si negas Incarnationem, ut non sis coactus per necessarias Rationes ad affirmandam Trinitatem, tunc tu negas hunc Librum: unde cùm in tertio Libro sit demonstrata Trinitas, & in isto Libro Incarnatio, si verum est, quòd nec Trinitas nec Incarnatio sint aliquid, quæro ex te, unde venit virtus, per quam est facta demonstratio Trinitatis & Incarnationis? quia si Trinitas & Incarnatio nihil sunt, sequitur, quòd nihil sit virtus demonstrandi virtutem, quæ nihil est; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, cùm Trinitas sit demonstrabilis, Trinitas sit aliquid; & hoc idem sequitur de Incarnatione: unde cùm hoc ita sit, aperi oculos tuæ animæ, & intellige, quomodo est major virtus generare infinitam Virtutem, & exire infinitam Virtutem de infinita, quàm sit virtus, quæ sinè Generatione & Processione intelligit infinitam Virtutem; quia Pater, qui generat infinitam Virtutem, intelligit infinitam Virtutem, & generat Virtutem, quam intelligit infinitam, & infinitè intelligit se ipsum & Sanctum Spiritum, & infinitè intelligitur per Filium & per Sanctum Spiritum; & Filius in hoc, quòd est incarnatus, facit esse in esse unam virtutem magis nobilem, quàm sint omnes aliæ virtutes creatæ: unde si Trinitas & Incarnatio non essent, esset impossibile, quòd intelligeretur tanta virtus, quanta est in supremo Bono & in inferiori: unde cùm tam magna demonstratio sit facta in supremo Bono & in inferiori, quid igitur est hoc, per quod est intellecta, si nec Trinitas nec Incarnatio aliquid est?

6. „O tu Infidelis, qui negas Incarnationem, „o tu fidelis Christiane, qui credis Incarna„tionem, & negas, quòd Incarnatio sit de„monstrabilis, aperi oculos tui intellectûs, „& vide, utrùm habeas tantam virtutem „in amando supremum Bonum & in aman„do virtutes, & in fugiendo vitia, si In„carnatio nihil est, quàm si Incarnatio est? „& si sentis tantam virtutem in te ipso per „negare Incarnationem, & per negare su„am Demonstrationem, quantam habes, „si Incarnationem affirmas, & si illam in„telligis, quare igitur affirmas, quòd vir„tus sit perfectio, & quòd vitium sit defe„ctus? & quare habes intentionem, quòd „per virtutes vadas ad supremum Bonum, „& per vitia ad infernales pœnas? & quare „dicis, quòd ignorantia conveniat cum „minoritate, & scientia cum majoritate?

CAPUT VI.
De Majori Veritate.

1. SI supremum Bonum est major Veritas, quæ sit, major falsitas est oppositum supremi Boni; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset major Veritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd illud in inferiori bono creaverit unam Veritatem, quæ est major & nobilior, quàm omne aliud bonum creatum, ad demonstrandam majorem Veritatem supremam: & si hoc non ita esset, oppositum majoris veritatis esset majus, quàm omnis veritas, quæ est in inferiori bono: sed quia supremum Bonum creavit unum Hominem meliorem, quàm omne aliud inferius bonum, idcirco ille Homo est major, quàm oppositum, quod est contra supremam Veritatem; per quem Hominem suprema Veritas est creaturæ magis probabilis, quàm sit negabilis per suum oppositum: & si unus Homo non esset nobilior omni alio bono creato, creaturæ esset magis negabilis suprema Veritas, quàm probabilis, in quantum creatura per suummet defectum non posset recipere tam bene demonstrationem supremæ Veritatis, quàm recipit per Hominem nobiliorem omni alio inferiori bono, qui est oppositum oppositi, quod est contra majorem veritatem: unde cùm supradictus Homo

non

non posset recipere majorem nobilitatem, quàm omne aliud bonum creatum, sinè unione alicujus suppositi, quod sit in suprema Veritate, idcirco convénit, quòd Filius DEI fuerit unitus cum Natura humana, & quòd insimul essent una Persona habens Naturam divinam & humanam.

2. Verum est, quòd omne id, quod est inferius bonum, sit verum; & verum est, quòd omne id, quod est falsum, sit falsum; igitur verum est, quòd in inferiori bono sit plus veritatis, quàm falsitatis: & si hoc non ita esset, & esset contrarium, sequeretur, quòd omne id, quod est inferius bonum, esset falsum, & quòd omne id, quod est veritas, esset falsitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in inferiori bono sit plus veri, quàm falsi; & si in se ipso habet plus veri, quàm falsi, convenit, quòd per supremum Bonum habeat in se ipso plus veri, quàm sit verum, quod inferius bonum habet in se ipso; hoc est, in quantum est ipsummet, hoc est, creatura (ut ita loquar) & si per supremum Bonum est plus veri in inferiori bono, quàm sit verum inferius, convenit, quòd aliquod suppositum supremi Boni sit in aliqua creatura per unionem & per conjunctionem dantem illi majorem veritatem, quàm sit omnis alia veritas, quæ est in aliis creaturis: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd inferius bonum posset esse major veritas in esse ipsummet, quàm in recipere veritatem à supremo Bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum non esset supra inferius in dando majorem veritatem in inferiori bono, quàm sit veritas, quam inferius bonum potest recipere existendo æquale suæmet veritati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Incarnatio est demonstrabilis; quæ Incarnatio est Filius DEI, qui est infinita Veritas, quæ se univit cum Veritate finita in Filio Virginis; qui Filius Virginis habet majorem veritatem in semetipso per Filium DEI, qui est infinitus & unitus cum illo, quàm sit omnis alia veritas creata.

3. Scisnè, quare splendor solis sit magis apprehensibilis, quàm splendor lunæ? ideo, quia est major; „igitur si hoc scis, sequi„tur, quòd scias, quòd suprema Veritas sit „magis demonstrabilis & probabilis, quàm „inferior veritas; quia si inferior veritas „esset magis demonstrabilis & probabilis, „quàm suprema, sequeretur, quòd per de„monstrationem & probationem inferior „veritas esset supra supremam; & hoc est „impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd splendor lunæ, qui est minor, esset magis apprehensibilis, quàm splendor solis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si sol, qui est splendor finitus, habet virtutem, quòd sit magis apprehensibilis in suo splendore, quàm luna, quantò magis conveniat, quòd supremum Bonum sit magis probabile per suam veritatem, quàm inferius bonum: „& si tuo intellectui est ma„gis probabilis veritas, quam tu intelligis „de te ipso, quàm sit suprema Veritas, „quam non tam bene intelligis, quàm in„telligis veritatem de te ipso, igitur appa„ret in phantasia, quòd suprema Veritas „non sit magis demonstrabilis, quàm in„ferior; & quia hoc est, secundùm quòd suprà diximus, per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, & quòd illi Humanitati, cum qua se univit, sit magis demonstrabilis, quàm tibi sit tuamet veritas, & quòd per illam Humanitatem sit magis demonstrabilis Sanctis gloriæ suprema Veritas, quàm sit omnis alia inferior veritas: „& si hoc non esset ita, sequeretur, quòd „supremum Bonum quò ad se esset veritas „magis demonstrabilis, quàm tibi tuamet „veritas, & quòd per perfectionem crea„turæ tuamet veritas tibi esset magis de„monstrabilis, quàm suprema Veritas; & „hoc est impossibile: quia si esset possibi„le: suprema Trinitas esset sub creaturâ „per defectum nobilitatis; & hoc est im„possibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Splendor solis respectu sui ipsius est tam apprehensibilis à tuis oculis, sicut ab oculis aquilæ; sed quia oculi aquilæ sunt magis apprehensivi, ideo sol ratione virtutis oculorum aquilæ est magis apprehensibilis, quàm per virtutem visivam tuorum oculorum; sed oculis tui intellectûs suus splendor est magis intelligibilis, quàm sit imaginabilis imaginativæ aquilæ: unde cùm hoc ita sit, igitur per hoc potes intelligere, quòd suprema Veritas quò ad se ipsam sit tam demonstrabilis uni creaturæ, quàm alteri; sed creatura, quæ habet plus virtutis, quàm altera, capit meliorem cognitionem de suprema Veritate, quàm creatura; quæ non habet, cum quo possit capere tantam cognitionem: unde cùm hoc ita sit, si est verum, quòd Filius DEI & Natura, quam assumpsit de Virgine, sint unus JESUS Christus, Humanitas Christi habet majorem cognitionem supremæ Veritatis & Sanctorum gloriæ, quàm habeant omnes aliæ creaturæ; & si habet, sequitur, quòd suprema Veritas quò ad se sit magis demonstrabilis, quàm alia veritas; & quia hoc, per quod suprema Veritas est magis apprehensibilis, est affirmabile, & oppositum majoris apprehensibilitatis est negabile, ideo sequitur, quòd sancta Incarnatio Filii DEI sit affirmabilis & demonstrabilis.

5. Natura in omni eo, quod facit, habet intentionem ad veritatem; unde cùm veritas & majoritas conveniant, & falsitas & minoritas, & quia homo & majoritas conveniunt, & natura & minoritas, unde ergò venit homini, quòd aliquoties habeat intentionem faciendi falsitatem? & quare in omni eo, quod facit, non habet intentionem ad veritatem? quia si natura, quæ est minor in nobilitate, non habet intentionem faciendi falsitatem, de necessitate convenit, quòd homo, qui est magis nobilis, quàm natura, deviaverit à veritate per falsitatem; ad quam veritatem non potest reduci sinè majori veritate, quàm sit veritas, quæ illum non potuit conservare in primo Patre in statu veritatis; quæ major veritas est illa, quam Filius Hominis recipit à Filio DEI, cum quo est unitus; per quam veritatem homo est reductus per Recreationem ad finalem rationem, propter quam est creatus.

CAPUT VII.

De Majori Gloria.

1. IN inferiori bono quinque sensus particulares diversimodè apprehendunt placita rerum sensibilium; sicut tu, qui habes unum placitum per videre, alterum per audire, aliud per odorari, aliud per gustare, aliud per sentire; & omnia ista placita fiunt communia in tua fronte; & imaginativa, quæ est inter locum, in quo sensus particulares sunt communes in phantasia, offert illa intellectui; & dum intellectus recipit apprehensionem, quam imaginativa facit de particularibus, ponit formam illorum in memoria, quæ illa recolit, voluntate amante vel odiente illa: & ideo figuratur cœlestis gloria intellectui per supradictam similitudinem; quia cœlestis gloria per unum modum est apprehensibilis à memoria, & per alterum ab intellectu, & per alterum à voluntate; & illorum gloria est distincta in qualibet potentiarum, & est communis, quò ad illorum subjectum, hoc est, animam, quæ habet illam eandem gloriam, quam habent suæ tres potentiæ: quia si gloria trium potentiarum non esset communis subjecto, voluntas tantùm haberet gloriam, & memoria & intellectus non haberent gloriam; & si non haberent gloriam, & memoria recoleret, & intellectus intelligeret supremum Bonum, sequeretur, quòd supremum Bonum non uteretur justitiâ in duabus potentiis; & hoc est impossibile.

2. Quemadmodum placita, quæ sensus particulares capiunt, sunt figura gloriæ animæ & suarum potentiarum, ita gloria animæ & suarum potentiarum est figura ad demonstrandam supremam Gloriam; quia Pater fruens suâ infinitâ Gloriâ generat Filium, qui est infinita Gloria, & Pater fruens suâ Gloriâ & Gloriâ Filii, & Filius fruens suâ Gloriâ & Gloriâ Patris, fruuntur infinitâ Gloriâ Sancti Spiritûs, qui à Patre & Filio exit, fruente Sancto Spiritu suâ Gloriâ & Gloriâ Patris & Filii; & quælibet Gloria Personarum est distincta ab altera relativè, & quælibet est infinita, & suæ Personæ insimul sunt una Gloria, una Essentia infinita, quæ fruitur suâmet Gloriâ & Gloriâ suarum Personarum distinctè, & quâ fruitur quælibet trium Personarum: & si hoc non esset ita, suprema Gloria non esset supra gloriam animæ, quæ est in paradiso; quia si anima est unum, & sua gloria est aliud, & anima in se ipsa est unum, & tres potentiæ sunt aliud, & gloria trium potentiarum est gloria animæ, de necessitate convenit, quòd suprema Essentia & sua Gloria sint unum & idem, & quòd sua Gloria & Gloria trium Personarum sint una eadem Gloria: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd per unitatem & differentiam & concordantiam Gloriæ infinitæ supremum Bonum non esset supra inferius; & hoc est impossibile.

3. Cùm per supremam Gloriam intellexerimus Unitatem supremæ Essentiæ, & intellexerimus quamlibet gloriam Personarum distinctè per se, idcirco est demonstrabile, quòd, quemadmodum tres potentiæ apprehendunt finitè supremam Gloriam,

& per hoc anima habet finitam gloriam, ita Personæ divinæ habeant infinitam Gloriam in nobilitate; & ideo Essentia est infinita Gloria: & si tres potentiæ per suam apprehensibilitatem finitam non possunt esse causa, quòd anima habeat infinitam gloriam, de necessitate convenit, quòd in supremo Bono, absque eo, quòd Essentia sit causa Personis, & Personæ Essentiæ, illorum Gloria sit infinita: quia si una esset causa alteri, supremum Bonum non esset supra inferius, quod non potest esse, absque eo, quòd sit effectus causæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est significatum & est probabile, quòd, quemadmodum tres potentiæ, quò ad illarum apprehensibilitatem mediante supremo Bono possunt esse causa animæ, quòd habeat gloriam finitam, ita & multò meliùs sinè omni comparatione supremum Bonum quò ad se sit causa dandi gloriam infinitam inferiori bono, si inferius bonum illam posset recipere: & si hoc non esset ita, non esset per infinitatem causæ supremum Bonum inferiori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum, quò ad se, sit causa infinitæ gloriæ inferiori bono; sed quia inferius bonum non potest esse effectus æqualis supremæ Causæ, per hoc, quia est finitum & terminatum, non potest tantùm recipere, quantùm supremum Bonum illi sufficit esse causa.

4. Cùm probaverimus, quòd supremum Bonum possit esse causa inferiori bono infinitæ gloriæ, & quòd inferius bonum non sufficiat ad recipiendam infinitam gloriam, idcirco demonstratur, quòd, si Filius DEI est incarnatus in nostra Domina sancta Maria gloriosa Virgine, supremum Bonum Filio Hominis magis demonstraverit suam gloriam, quàm omni alteri bono creato: & quia Filius Hominis plùs valet, quàm omne aliud bonum creatum (quia per unionem, quam habet cum Filio DEI, potest recipere majorem gloriam à supremo Bono, quàm omne aliud bonum creatum: & quò majorem gloriam recipit & potest recipere, eò meliùs demonstrat, quòd supremum Bonum inferiori bono daret infinitam gloriam, si inferius bonum illam posset recipere) & quia Filius Hominis, qui est creatura finita in quantitate, à supremo Bono non potest recipere infinitam gloriam, licèt sit unitus cum Filio DEI per Incarnationem, quantò minùs aliud bonum creatum, cum quo Filius DEI non est unitus, posset recipere infinitam gloriam à supremo Bono: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus; quia si non esset, non tam convenienter demonstraretur, quomodo supremum Bonum possit dare infinitam gloriam, sed inferius bonum non possit illam recipere: & si hoc, per quod hæc demonstratio est magis apprehensibilis & magis probabilis, non esset, & esset suum oppositum, hoc est, minor apprehensibilitas & probatio, demonstraretur, quòd in supremo Bono esset defectus in hoc, quòd non daret demonstrationem, quòd daret infinitam gloriam, si esset, qui illam posset recipere, & significaretur, quòd, si esset, qui illam posset recipere, supremum Bonum illam non daret; & hoc est impossibile: & quia est impossibile, quòd in supremo Bono sit defectus, & quia convenit, quòd demonstret, quòd daret infinitam gloriam, si esset, qui illam posset recipere, per hoc est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI.

5. Tu scis, quòd, si una albedo faceret aliam albedinem, & monstraret se ipsam & suum opus tuo intellectui, esset magis apprehensibilis à tuo intellectu, quàm si tantùm monstraret tuo intellectui se ipsam, & si illi absconderet suum opus: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd opus non daret demonstrationem suæ causæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in cœlesti Gloria intellectus creatus habebit majorem gloriam intelligendo supremam Gloriam & supremum Opus Gloriæ, hoc est, Generationem & Processionem, quàm haberet, si tantùm intelligeret Gloriam, & non intelligeret Opus, quod supremum Bonum habet in se ipso: & si supremum Bonum non haberet Opus suæmet Gloriæ in se ipso, sua Gloria per Opus non esset superior animâ, quæ per gloriam & per opus suarum potentiarum habet majorem gloriam, quàm haberet, si tres potentiæ non distinctè apprehenderent gloriam: & quia est impossibile, quòd suprema Gloria non sit super gloriam animæ, ideo est demonstrabile, quòd suprema Gloria habeat Gloriam sui glorioſi Operis, quod habet in se ipsa: unde cùm hoc ita sit, quemadmodum anima habet majorem gloriam per suum opus & per gloriosum Opus, quod intelligit in supremo

premo Bono, ita convenit, quòd habeat majorem gloriam per aliquod opus, quod supremum Bonum fecerit in inferiori bono majus, quàm omne aliud inferius bonum, hoc est, Naturam humanam JESU Christi, per quam omnes Animæ Sanctorum gloriæ habebunt majorem gloriam, quàm per gloriam illarum ipsarummet; & hoc est ideo, quia ille Filius Virginis est major in gloria, quàm omnia alia bona creata: & quantò majorem gloriam beati habebunt per gloriam Filii Virginis, quàm per suammet, per hoc, quia est magis apprehensibilis, tantò majorem apprehensibilitatem poterunt habere in capiendo Gloriam à supremo Bono: unde sicut Sancti gloriæ capient gloriam in una suprema Essentia, & capient Gloriam à tribus Suppositis, quæ sunt in Essentia, ita capient Gloriam in uno JESU Christo, qui est tres Naturæ, hoc est, Deitas, Anima & Corpus; & per Naturam Humanitatis Christi & per naturam humanam Sanctorum gloriæ dabitur influentia à Natura humana Christi naturæ humanæ Sanctorum gloriæ; & de influentia Naturæ divinæ dabitur influentia Naturæ humanæ Christi; & per hoc suprema Gloria erit multò fortius apprehensibilis per Sanctos gloriæ, quàm si Incarnatio non esset.

6. Cùm probaverimus, quòd, si Incarnatio est, gloria sit magis apprehensibilis, quàm esset, si Incarnatio non esset, & hæc major apprehensibilitas non sit per hoc, quòd suprema Gloriæ Incarnatio sit necessaria, sed sit per hoc, quia fragilitati naturæ Sanctorum gloriæ Incarnatio est necessaria, ad hoc, ut per illam suprema Gloria sit magis apprehensibilis à Sanctis gloriæ, si esset verum, quòd Incarnatio non esset, sequeretur, quòd mea consideratio esset major in hoc mundo, quàm gloria Sanctorum gloriæ, in hoc, quòd ego per Incarnationem considerem majorem gloriam, quàm Sancti gloriæ haberent in gloria sinè Incarnatione: & quia est impossibile, quòd mea consideratio in hoc mundo possit esse tanta in considerando gloriam, quanta est gloria Sanctorum gloriæ, idcirco glorioſa Incarnatio est demonstrabilis.

7. Manifestum est, quòd gloria & meritum conveniant cum majoritate, & culpa & pœna cum minoritate: unde si Adam per culpam fuit causa omni pœnæ naturali, quam homo habet in hoc mundo, sequitur, quòd alius homo possit esse causa reparationis humanæ speciei; & quia Adam potuit esse causa, per hoc, quia tota humana species erat in illo, convenit, quòd alius homo, qui fuit post Adam, esset major per alium modum, quàm tota humana species; cùm tota humana species in illo non possit esse: & si convenit, majorem esse in nobilitate, quàm omnem aliam speciem, convenit, quòd esset conjunctus cum majori nobilitate, quàm sit omnis nobilitas humanæ speciei; quæ major nobilitas fuit Filius DEI, cum quo fuit unitus homo, ad hoc, ut cum Filio DEI posset reducere humanam speciem ad finalem rationem, quare fuit creata; & si in practica, hoc est, in effectu non sequeretur, quòd unus homo posset magis reparare, quàm Adam corrumpere, culpa & pœna essent majores, quàm gloria & meritum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI, per quam Filius Virginis meliùs potuit dirigere humanam speciem ad gloriam, quàm Adam illam deviare à gloria: quia si Adam magis posset illam inclinare ad pœnâ, quàm Filius Virginis ad gloriam, Adam haberet majorem possibilitatem corrumpendi per unitatem totius speciei, quam in se habuit, quàm humana natura in reducendo speciem ad causam finalem per unitatem sui ipsius cum Filio DEI; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

8. Si Filius DEI se non vestivisset corporalitate animatâ in nostra natura, non sentiretur à Sanctis gloriæ sensualiter, cùm suprema Gloria sit invisibilis: & si non esset sensibilis, corpora Sanctorum gloriæ non remunerarentur; & si non remunerarentur, DEUS esset injustus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis. Et si dicis, quòd in gloria corpus remunerabitur per cibos & per delicias carnales, non est verum; quia si esset verum, non esset differentia inter hunc mundum & alterum; & hoc est impossibile: cùm sit valde magna differentia inter finalem rationem, quare iste mundus fuit creatus, & inter finalem rationem, quare alter mundus fuit creatus: & sicut est valde magna differentia inter duas supradictas intentiones, ita de necessitate convenit, quòd sit valde magna differentia inter statum hujus mundi & alterius.

CAPUT VIII.

De Majori Perfectione.

1. PErfectio & perficere conveniunt; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd defectus conveniret cum perfectione & cum perficere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit perfectio & perfectibile per se ipsum; quia si non esset, perfectio & perficere non convenirent æternaliter & infinitè; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd suprema Essentia sit perfectio & sit perfecta æternaliter in hoc, quia in se ipsa habet Perfectionem, quæ de se ipsa generat aliam Perfectionem, & de ambabus exit alia Perfectio, & generare & procedere & Unitas omnium trium Suppositorum in esse una Essentia sunt perficere; & Perfectio & perficere sunt in Essentia unum & idem, & sunt distincta in suppositis; & per hoc in supremo Bono sequitur concordantia perfectionis & ipsius perficere; quæ concordantia in illo non posset esse æternaliter & infinitè, nisi in Essentia essent distincta suppositа, quæ essent differentes & concordantes perfectiones & perficere.

2. Cùm in supremo Bono sit demonstrabilis Unitas Essentiæ & Trinitas Suppositorum, secundùm quòd suprà est probatum, & cùm Trinitas sit significatio Incarnationis Filii DEI, & cùm Pater de sua infinita Perfectione generet Filium, qui est infinita Perfectio, ideo Filius generaret alium Filium infinitum in supremo Bono; sed quia in supremo Bono sufficit una Paternitas & una Filiatio & una Processio, ideo Filius in supremo Bono non generat alium Filium; sed ad demonstrandum, quòd ille per suammet perfectionem posset generare Filium infinitum, quemadmodum infinitè est generatus per infinitam Perfectionem Patris, si conveniret, quòd duo Filii essent in supremo Bono, est incarnatus in Filio Virginis, qui est in inferiori bono, & facit, illum Filium Virginis esse magis perfectum, & facit, illum magis perficere, hoc est, recreare, quàm omnem aliam perfectionem, quæ est in inferiori bono; & faceret, illum esse perfectionem & perficere infinitum & æternum, si Filius Virginis, in quantum est Homo, hoc posset recipere; sed quia est creatura, non potest esse sinè termino finito; quia si esset, posset esse æqualis supremo Bono; & hoc est impossibile: unde cùm Filius DEI, quantum ad suam virtutem, posset facere æqualem sibi ipsi, si esset, qui hoc posset recipere, nisi fecisset in inferiori bono majorem perfectionem & perficere, quàm omne reliquum inferius, non demonstrasset suam virtutem nec virtutem, quam habet à Patre, nec virtutem, quam habet in Sancto Spiritu: & si non demonstrasset, haberet in se ipso defectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Incarnatio, quam inquirimus, est demonstrabilis; *per quam demonstrationem alii Articuli sunt demonstrabiles:* quia nisi Filius DEI esset unitus cum Homine, ille homo non posset transcendere in perfectione & in perficere omnem aliam perfectionem & perficere creatum.

3. Majori defectui est necessaria major perfectio; unde cùm major defectus, qui sit in inferiori bono, fuerit peccatum, quod dæmones fecerunt, & peccatum, quod Adam fecit contra supremum Bonum, idcirco convénit, quòd in inferiori bono esset major perfectio, quàm sit supradictus defectus; quia si perfectio non esset major, quàm defectus, perfectio per reparationem non transcenderet defectum: & si illum non transcenderet, non sequeretur finalis ratio, quare supremum Bonum creavit inferius bonum; quod creavit ad demonstrandum se ipsum, & ut amaretur ab inferiori bono, & ut de demonstratione & amore exeat influentia ad inferius bonum, ut glorificetur, secundùm quòd convenit, in gloria sinè fine: unde cùm Natura humana Christi per se ipsam non posset esse major perfectio, quàm omnis supradictus defectus, ideo convénit, quòd Filius DEI se univerit cum Natura humana, quæ vinceret & transcenderet omne peccatum & defectum supradictum, tali modo, quòd posset compleri finis, propter quem supremum Bonum creavit inferius: & si supremum Bonum repararet supradictum defectum sinè perfectione creaturæ, in creatura esset major defectus, quàm perfectio; & si esset, creatura non esset materia nec forma finali rationi, quare supremum Bonum creavit creaturam; & si non esset, non sequeretur finis, quare creatura est creata; & si non sequeretur finis, esset defectus potestatis, sapientiæ &c. in Creatore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

Si

4. Si faber lignarius esset lignum, ex quo facit navem, & si lignum esset perfectio, forma navis esset magis nobilis, quàm sit in hoc, quia est facta de ligno, quod non est perfectio, & est perfecta de materia, quæ non est efficiens: unde cùm Filius DEI sit perfectio, & de sua perfectione & de se ipso perfecerit Filium Hominis, idcirco Filius Hominis potest recipere plus perfectionis in se ipso, quàm omne aliud bonum creatum, quod non est unitum cum Filio DEI: unde cùm nobilior consideratio, quam homo possit habere in supremo Opere, sit affirmabilis, ad hoc, ut illi considerationi Trinitas sit demonstrabilis, ideo sequitur, quòd nobilius opus, quod inferius bonum potest recipere per superius, sit affirmabile, ad hoc, ut sit speculum supremi Operis, quod supremum Bonum habet in se ipso. Unde si esset conveniens, oppositum Incarnationis esse affirmabile, esset conveniens, Incarnationem esse negabilem; & si esset, esset conveniens, quòd nobilius opus, quod tua consideratio posset considerare in supremo Bono, esset negabile; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esses per considerationem superior supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Supremum Bonum naturaliter est appetibile per inferius, ad hoc, ut conservetur, & non deveniat in privationem: unde si supremum Bonum est appetibile vegetabilibus & irrationalibus propter conservationem, convenit, quòd humanæ speciei, quæ est corrupta per peccatum, sit appetibile propter reparationem; quia si non esset, vegetabilia & irrationalia haberent magis virtuosum & magis perfectum appetitum, quàm rationalia; & hoc est impossibile: unde si supremum Bonum est appetibile ab humana specie propter reparationem, & supremum Bonum illam non reparavit, sequitur, quòd supremum Bonum sit magis favorabile vegetabilibus & irrationalibus, quàm rationalibus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, vegetabilia & irrationalia haberent perfectiorem & nobiliorem appetitum, quàm rationalia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis.

6. Si Filius DEI non esset unitus cum Homine, in inferiori bono non esset unum bonum, quod esset majus, quàm omne aliud bonum creatum; & si non esset, non significaretur, quòd plus boni sit in supremo Bono, eò quòd est una Essentia, quàm si essent multæ essentiæ: quia sicut Natura humana JESU Christi sufficit esse major perfectio, quàm omne aliud bonum creatum, per hoc, quia est unita cum Filio DEI, ita suprema Essentia sufficit esse major perfectio, per hoc, quia est una infinita in bonitate &c., quàm esset omnis perfectio, quæ esset in aliis essentiis, in quibus non posset esse infinita bonitas &c.

7. Si dicis, quòd esset major perfectio in inferiori bono, si Filius DEI se uniret cum multis filiis, quàm sit per hoc, quia non est unitus nisi cum uno Filio Hominis, hoc est, cum Natura humana, non est verum: quia si essent plures JESU Christi, conveniret, quòd haberent æqualem perfectionem; & si haberent illam, non esset unus homo, qui haberet plus perfectionis, quàm omne aliud bonum creatum: & quia est major perfectio, quòd unus habeat majorem perfectionem, quàm omne aliud bonum creatum, quàm si essent multi æquales JESU Christi, idcirco convénit, quòd Filius DEI sit incarnatus in una Virgine tantùm, & quòd fuerit cum Filio illius, hoc est, cum Humanitate, quam assumpsit, unitus, ad demonstrandum, quòd melior sit unus, qui non habet æqualem in nobilitate, quàm multi æquales, qui non sint insimul una Essentia: & hoc est demonstrabile per virtutem supremæ Trinitatis, quæ est magis nobilis, quia est una, & quia habet in se æquales virtutes personales, quæ sunt una Essentia infinita in bonitate, potestate, sapientia, charitate &c., quàm si esset una Essentia, in qua non essent diversa suppositа, quæ essent una Essentia.

CAPUT IX.

De Majori Justitia.

1. MAjor injuria, quæ sit, est, quòd inferius bonum sit inobediens supremo Bono; quia si non esset, supremum Bonum non esset superius inferiore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd supremum Bonum puniat majorem injuriam; quia si illam non puniret, non esset suprema Justitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd,

si supremum Bonum non punit totam injuriam, injuria esset major, & justitia minor; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferius bonum esset majus per injuriam, quàm supremum Bonum per justitiam; & hoc est impossibile: unde cùm tota humana species in Adam fuerit inobediens supremo Bono, secundùm quòd probatur in sequentibus, conveniens fuit, quòd tota puniretur; & si fuit punita propter originale peccatum quantum ad hunc mundum, & non quantum ad alterum, injuria esset major, quàm justitia; cùm intentio, quare supremum Bonum creaverit humanam speciem, sit alterum sæculum, à quo humana species deviavit per culpam in Adam; & ideo convénit, quòd non tantùm puniretur secundùm hunc mundum, sed convénit, quòd puniretur secundùm alterũ.

2. Si tota humana species fuisset punita, non sequeretur finalis intentio, quare supremum Bonum creavit humanam speciem, quæ est, quòd cognoscatur & ametur, & quòd illi, qui illud cognoscent & amabunt, sint in gloria, & illi, qui illud cognoscent & non amabunt, sint in pœna: & si non sequitur finalis ratio, quare supremum Bonum creavit hominem, sequeretur, quòd in supremo Bono privaretur bonitas, justitia, sapientia &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd sequatur finalis ratio, quare DEUS creavit hominem.

3. Si supremum Bonum non posset plus condonare, quàm homo peccare, sequeretur, quòd injuria esset major, quàm misericordia; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset major, quàm justitia; cùm justitia & misericordia sint unum & idem in supremo Bono; per quam unitatem demonstratur, quòd, quemadmodum justitia potest punire injuriam, per hoc, quia est major, quàm injuria, ita misericordia possit condonare omnem injuriam, quia est major, quàm injuria; & si suprema Misericordia potest remittere humanæ speciei omnem culpam, quam habuit in Adam, & non condonat, sequitur, quòd justitia, quæ illam totam potuit punire, & illam punit (quia si illam non puniret, non esset tàm magna, quàm culpa) sit major, quàm misericordia; vel quod misericordia & justitia in supremo Bono sint oppositæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si suprema Misericordia ita perfectè condonavit humanæ speciei, sicut suprema Justitia illam punivit, humana species redierit in primum statum, quando Adam erat sinè peccato; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, homo non esset corruptibilis, nec haberet famem nec sitim nec calorem nec frigus; & hoc est impossibile.

4. Probavimus, quòd conveniat, totam humanam speciem esse punitam per supremam Justitiam, & quòd conveniat, toti humanæ speciei esse condonatum per supremam Misericordiam; & probavimus, quòd humanæ speciei non sit condonata culpa quoad pœnas, quas naturaliter in hoc mundo sustinet; & per hoc demonstratur, quòd humana species non sit creata respectu hujus mundi, sed respectu alterius; quia si esset creata respectu hujus mundi, æqualiter reciperet veniam & pœnam per Misericordiam & Justitiam, quæ in supremo Bono sunt unum & idem.

5. Sol cum una eadem virtute dissolvit ceram & indurat terram; sed si cera & terra non essent diversæ, & essent unum & idem, soli esset impossibile, quòd cum una eadem virtute faceret in una eadem re contraria opera: unde cùm humana natura sit una eadem species, & cùm justitia & misericordia sint una eadem virtus in Essentia in supremo Bono, est contradictio, quòd justitia puniat, & misericordia condonet uni & eidem: *unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur sancta gloriosa Trinitas, quæ nobis est speculum & demonstratio, quomodo inveniamus vias, per quas sancta Incarnatio Filii DEI, quam nos inquirimus, sit reperibilis per Rationes necessarias:* nam in hoc, quòd Justitia & Misericordia sunt unum & idem in Patre, qui est Justitia & Misericordia, & generat de toto se ipso supremum Filium, in quo Justitia & Misericordia sunt unum & idem, per hoc, quia Filius est Justitia & Misericordia, idcirco Justitia, quæ est Pater, est distincta à Justitia, quæ est Filius, & Misericordia, quæ est Pater, est distincta à Misericordia, quæ est Filius; & hoc idem sequitur de differentia, quæ est inter Patrem & Filium cum Sancto Spiritu relativè & personaliter, non essentialiter; & quia Justitia, quæ est Pater, est major, quàm tota culpa humanæ speciei, propter hoc punit totam humanam speciem; & quia Filius est major Misericordia, quàm culpa humana

humana, propter hoc condonat toti humanæ speciei; & quia Pater est Misericordia, & Filius Justitia, propter hoc in suprema Essentia concordant Justitia & Misericordia in puniendo & in condonando humanæ speciei, quæ concordantia in illa non esset, si in supremo Bono una Justitia non esset distincta ab altera, & una Misericordia non esset distincta ab altera: quia quemadmodum sol cum una eadem virtute in diversis rebus facit diversa opera, ita supremum Bonum cum diversis virtutibus personalibus in una & eadem re punit & condonat, ad demonstrandam differentiam & concordantiam & benevolentiam suarum proprietatum personalium.

6. Ad condonandam culpam requiritur major misericordia, quàm culpa; quia, si misericordia non esset major, quàm culpa, justitia, quæ est major, quàm culpa, puniret totam culpam: unde cùm supremus Pater sit major Justitia, quàm culpa, quæ est in humana specie per peccatum originale, idcirco convénit, quòd Filius fuerit incarnatus in humana specie, ad hoc, ut in humana specie esset major misericordia, quàm culpa, & ut in illa esset æqualis Misericordia Justitiæ Patris, ad hoc, ut Pater non puniat totam culpam; & quia Pater est æqualis Misericordia Misericordiæ Filii, & Filius est æqualis Justitia Justitiæ Patris, idcirco est concordantia inter Justitiam & Misericordiam Patris & Filii, & per concordantiam exit influentia veniæ & reparationis humanæ speciei, & in illa conservatur intentio, quare supremum Bonum illam creavit: & si Filius non esset incarnatus, esset ita impossibile, quòd humana species posset recipere influentiam à concordantia, quæ est in Justitia & Misericordia Patris, & in Justitia & Misericordia Filii, sicut est impossibile, quòd homo cæcus sinè oculis possit recipere influentiam luminis, quæ exit de globo solis: & si humana species non posset recipere supradictam influentiam, esset impossibile, quòd humana species esset recreata; & si non esset recreata, esset impossibile, quòd sequeretur intentio & finis, quare est creata: & si non sequeretur, esset impossibile, quòd in supremo Bono esset perfectio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

7. Ad demonstrandum, quòd supremum Bonum sit infinita Justitia, & quòd Pater generet Filium, qui est infinita Justitia, & de Patre & Filio exeat Sanctus Spiritus, qui est infinita Justitia, voluit punire propter unum peccatum totam humanam speciem, ad demonstrandum, quòd infinitè puniret, si esset, qui posset esse infinitus in culpa & pœna: & si non puniret totam humanam speciem, non esset demonstrabile, quòd infinitè puniret, si esset, qui posset habere culpam infinitam & pœnam infinitam: & si hoc non esset demonstrabile, non esset demonstrabile, quòd Pater generaret infinitam Justitiam, nec quòd de Patre & Filio exiret infinita Justitia, & ad demonstrandum, quòd supremum Bonum per unam suarum Virtutum personalium unitam cum Homine condonaret infinitam culpam, si esset, qui infinitam culpam posset recipere, ad demonstrandum, quòd Pater generet Filium, qui est infinita Misericordia, & de illo & de Filio exeat Sanctus Spiritus, qui est infinita Misericordia, voluit, quòd totam culpam, quam humana species potuit recipere per originale peccatum, deleret Filius Virginis per unionem Filii DEI cum Natura humana, ad demonstrandum, quòd, quemadmodum unus homo per suum delictum potuit inculpare totam humanam speciem, ita unus Homo per unionem Filii DEI & per Passionem mortis plùs potuerit remittere, quàm homo inculpare; quæ potestas de illo privaretur, si in illo non esset magìs humana species, quàm in Adam; quia humana species in Filio Virginis fuit in majori nobilitate, quàm in Adam totalitas speciei: & hoc fuit propter unionem Filii DEI cum Homine.

8. Si tu facis justitiam de homine proditore, quando illum facis suspendi, tu facis justitiam de altero, & non de te ipso; & si tu es innocens & portas culpam injurioſi, & facis de te ipso justitiam, ad hoc, ut ille injuriosus non habeat pœnam, tu facis majorem justitiam, quàm facis, si injuriosum facis suspendi: & hoc est ideo, quia justitia, quam facis de te ipso pro altero, molìus concordat cum misericordia, quàm justitia, quam facis in homine, quem facis suspendi: unde si tua justitia est major in puniendo te pro altero, quàm sit, si punires alterum & non te ipsum, ad hoc, ut sis causa veniæ, convenit, quòd tu sis magìs dispositus ad faciendam justitiam de injurioso, si portes culpam alterius per miseri-

misericordiam, quam esses, si te non humiliares ad sustinendam pœnam pro altero: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd justitia & misericordia essent oppositæ; & si essent oppositæ, una esset vitium, & altera esset virtus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum de se ipso voluerit facere justitiam, in quantum humiliat Filium, ut sit unitus cum Filio Virginis, & Filius DEI humiliat Filium Virginis innocentem ad pœnam & ad mortem ad recreandam humanam speciem, & convénit, pœnam esse æqualem culpæ: & totum hoc fuit factum ad hoc, ut demonstretur, quòd supremum Bonum sit paratum ad faciendam magnam justitiam & ad faciendam magnam misericordiam inferiori bono, & ut omnis homo faciat de se ipso justitiam, si habet culpam, & ut unus homo se humiliet ad portandam pœnam pro altero, & ut unus faciat justitiam de altero, secundùm quòd habet dominium & licentiam faciendi justitiam; & hoc idem sequitur de misericordia. Unde cùm hæc figura justitiæ & misericordiæ inferiori bono non esset significata sinè Incarnatione & Passione nostri Domini JESU Christi, qui fuit verus DEUS & verus Homo, & quia justitia & misericordia sunt bonum, idcirco Filius DEI voluit incarnari, & voluit, quòd Filius Virginis, hoc est, Natura humana Christi traderetur multùm angustiosæ Morti ad redimendum humanum genus.

CAPUT X.

De Majori Misericordia.

1. PRobavimus in *secundo Libro*, quòd supremum Bonum & sua Misericordia sint unum & idem; & si sunt idem, convenit, quòd in supremo Bono sit opus infinitæ Misericordiæ; quia si non esset, esset impossibile, quòd essent unum & idem: & si suprema Misericordia infinitè miseretur, convenit, quòd sit in esse aliquis culpabilis infinitus æternus, cui Misericordia det veniam infinitè & æternaliter; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, culpa esset æqualis misericordiæ; & si esset æqualis, non posset deleri per misericordiam: unde cùm sit impossibile, quòd suprema Misericordia non sit major, quàm tota culpa, per hoc demonstratur, quòd Opus infinitæ Misericordiæ, quod est æternaliter in supremo Bono, sit misericordiare sinè condonare culpam, hoc est, generare Filium, qui est Misericordia, & Sanctum Spiritum procedere de Misericordia, quæ est Pater, & de Misericordia, quæ est Filius: & si in supremo Bono non esset Misericordia nisi secundùm relationem condonandi, sequeretur, quòd culpa esset causa misericordiæ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum esset effectus, & inferius causa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Trinitas est demonstrabilis, per quam Incarnatio, quam nos inquirimus, est probabilis; quia si Trinitas est, convenit, quòd sit Incarnatio: quia si Trinitas esset, & Incarnatio non esset, esset impossibile secundùm supremam Justitiam & Misericordiam, quòd ista duo, quæ essent opposita, essent in una fide & in una lege: & quia nec Judæi nec Saraceni nec quidam aliorum Infidelium credunt Trinitatem nec Incarnationem, & quia Catholici Christiani credunt Trinitatem & Incarnationem, de necessitate convenit, quòd, si Trinitas est, sit Incarnatio; & si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non uteretur Justitiâ nec Misericordiâ in inferiori bono, secundùm quòd convenit; & hoc est impossibile.

2. Si dicis, quòd supremo Bono sit passio, si sit Misericordia infinita, & in quantum respectivè de se condonaret æternaliter & infinitè, si esset culpa æterna & infinita; & quia non est, cui condonet æternaliter & infinitè, habet passionem & defectum, cùm non condonet æternaliter & infinitè, non est verum; nam per hoc, quia Pater generat Filium, qui est Misericordia, & Sanctus Spiritus, qui est Misericordia, exit à Patre & Filio, & quælibet trium Personarum est Misericordia æterna & infinita, & insimul sunt una Essentia, quæ est Misericordia æterna & infinita, ideo supremum Bonum non habet defectum condonandi, quamvis inferius bonum non possit recipere æternam & infinitam veniam; quia tam perfecta est Generatio & Processio Misericordiæ, quæ est in Personis, quòd in illis non sit necessaria venia; sed si in supremo Bono non esset Generatio nec Processio Misericordiæ, & Misericordia esset sinè condonare, tunc in illo esset defectus misericordiandi; quia sua misericordia esset potentia sinè fruitione misericordiæ: & quia est impossibile, quòd in supremo Bono sit defectus misericordiæ; per hoc Trinitas est demonstrabilis, per cujus demonstrationem Incarnatio est demonstrabilis: nam per hoc, quia Pater, qui est Misericordia infinita & æterna, generat de suamet Misericordia Filium, qui est Misericordia æterna & infinita, Filius generaret & faceret in inferiori bono misericordiam æternam & infinitam, si inferius bonum illam posset recipere; & quia hoc faceret Filius, si inferius bonum hoc posset recipere, quòd Filius in illo faceret, convenit, quòd Filius habeat voluntatem faciendi tam magnam misericordiam in inferiori bono, quòd inferius bonum non possit magis recipere; quia si Filius hoc posset facere, & hoc sciret facere, & hoc deberet facere secundùm suam benignitatem & pietatem, & hoc non faceret, haberet defectum bonitatis, potestatis, sapientiæ, charitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit conjunctus cum Homine, & quòd per conjunctionem sit major misericordia in illo Homine, & habeat plus misericordiæ, quàm omne reliquum misericordiæ, quod est in inferiori bono; & hoc est ad hoc, ut in homine demonstretur, quòd Filius DEI faceret æternam & infinitam misericordiam, si esset, qui illam posset recipere in inferiori bono, ad significandum, quòd ille in se ipso sit æternus, & sit infinita Misericordia, quæ est filia æternæ & infinitæ Misericordiæ, quæ est supremus Pater.

3. Scisnè, quare homo, qui moritur in peccato mortali, propter unum peccatum vel propter plura habeat pœnas, quæ durant sinè fine? propter hoc, ut demonstretur, quòd supremum Bonum æternaliter & infinitè puniret propter justitiam, si esset culpa æternaliter & infinitè; quia si pœna peccatoris, qui moritur in peccato mortali, haberet finem, non demonstraretur, quòd supremus Judex puniret culpam æternam & infinitam, si esset, in quo esset: & si hoc non demonstraretur, nec Generatio nec Processio æterna & infinita justitiæ, quæ est in supremo Bono, esset demonstrabilis: & si in illo esset, & non esset demonstrabilis, haberet in se defectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur & demonstratur, quòd gloriam, quam homo justus habet in gloria perdurabiliter, non habeat per bonum, quod facit; quia gloria, quam habet, est major, quàm bonum, quod fecit in hoc mundo: igitur habet illam gloriam per hoc, quia suprema Misericordia daret gloriam æternam & infinitam inferiori bono, si illam posset recipere; & quia illam non potest recipere, donat homini justo gloriam perdurabilem, licèt illam non mereatur: & si illi illam non daret, quia illam non meretur, non demonstraret, quòd donaret gloriam, nec quòd condonaret culpam sinè fine æternaliter; & supremum Bonum daret falsam demonstrationem de se ipso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quemadmodum supremum Bonum propter unum peccatum mortale dat pœnam, quæ non habet finem, & propter unum bonum opus, quod faceres, tibi daret gloriam, quæ non haberet finem, & propter unam contritionem tibi condonaret culpam, quæ non habuisset principium, ita voluit, quòd Filius sit incarnatus, & quòd tantum exaltaverit Naturam humanam, quòd Filius Virginis, in quantum est homo, non possit magis exaltari; quæ exaltatio est, quòd sit una Persona cum supremo Filio, ad quam exaltationem Filius Virginis non sufficeret per se, nisi esset Filius DEI, nec per hoc, quod habet ex parte Naturæ humanæ; sed quia supremus Filius facit illam Humanitatem unam cum se ipso, ut in illa utatur suâ supremâ Misericordiâ, à qua venit tanta influentia Naturæ humanæ, quòd facta est misericordia ad restaurandum humanum genus per unionem supremi Filii & per suam Nativitatem & Passionem & per alios Articulos.

4. *Tu scis, quòd totum inferius bonum sit creatum in tali ordine & in tali dispositione, quòd significet supremum Bonum:* unde cùm tuus oculus vel tua manus vel aliquod alterum membrum infirmum per corruptionem humoris vel per vulnus habeat defectum virtutis, & indigeat auxilio alterius virtutis, quæ sit *in herbis, vel in lapidibus vel in verbis*, & quòd ambæ virtutes per aliquam creaturam conjungantur in membro contra morbum, per hoc demonstratur, quòd humana species, quando fuit corrupta & vulnerata per peccatum in Adam, habuerit defectum virtutis, & idcirco illi erat necessaria alia virtus, quæ uniretur cum illa, hoc est, Misericordia Filii, qui se univit cum Filio Hominis, ad hoc, ut mediante virtute Filii DEI & virtute

Filii Hominis sanaretur humana species per Recreationem: & si Filius DEI non esset incarnatus, nec Filius Hominis nec tota virtus speciei humanæ sufficeret ad sanandam semet ipsam; & si non esset sanata, esset pejoris conditionis, quàm tuus oculus vel tua manus, quæ per aliquam virtutem potest habere sanitatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, *speciale particulare esset superius generali universali*; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono privaretur misericordia & justitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis.

5. O tu infidelis, qui negas Incarnationem Filii DEI, quæ fuit ad redimendum te de potestate diaboli, vide, utrùm in te sentias tantam misericordiam, si negas Incarnationem, quantam sentires, si illam affirmares & amares; & vide, utrùm in supremo Bono tanta misericordia significetur tuo intellectui, si Incarnatio & Passio est, quanta significatur, si Incarnatio & Passio non est; & intellige, utrùm in inferiori bono poteris intelligere tantam misericordiam creatam, si Incarnatio est, quantam intelligis, si non est; & illud, quod de duobus oppositis tibi dat majorem demonstrationem majoris misericordiæ, crede & ama; & si hoc non facis, tu non amas misericordiam, & non amas, quòd tibi remittantur tua peccata.

CAPUT XI.

De Majori Humilitate.

1. VEl in supremo Bono est Humilitas, vel non? unde si in supremo Bono non est Humilitas, est impossibile, quòd aliquid, quod est in inferiori bono, possit habere suam perdurabilem gloriam in supremo Bono; quia sinè Humilitate supremum Bonum non assumeret ullum hominem in suam gloriam perdurabiliter: & si nullum hominem haberet in sua gloria perdurabiliter, gloria beatorum haberet finem; & si haberet finem, conveniret, quòd de supremo Bono privarentur bonitas, charitas, misericordia, virtus, largitas &c.; & hoc est impossibile: & si Beati in supremo Bono perdurabiliter habent gloriam propter meritum bonorum operum, & non propter Humilitatem, quæ est in supremo Bono, sequitur, quòd gloria & opera conveniant in quantitate; & si conveniunt, tua gloria haberet finem in altero sæculo, sicut tua opera habent finem in hoc sæculo; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd de supremo Bono privarentur supradictæ virtutes; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit Humilitas, propter quam super omnia merita tibi dabit gloriam perdurabilem, ad demonstrandas suas supradictas virtutes.

2. Probavimus, quòd in supremo Bono sit Humilitas; unde sua Humilitas vel est per supremum Bonum, vel per inferius? & si est per inferius, tunc inferius est causa superiori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Humilitas, quæ est in supremo Bono, sit per ipsummet supremum Bonum: unde illa Humilitas vel est operativa in se ipsa, vel non? & si non est operativa in se ipsa, habet majorem virtutem in altero, quàm in se ipsa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd suprema Humilitas sit operativa in se ipsa.

3. Cùm suprema Humilitas sit operativa in se ipsa, de necessitate convenit, quòd habeat pluralitatem in se ipsa; quia si non haberet, esset impossibile, quòd sinè pluralitate posset esse operativa: & si suprema Humilitas habet operationem & pluralitatem in se ipsa, convenit, quòd unum suppositum se humiliet alteri vel non? & si unum se humiliat alteri, convenit, vel quòd velit illud facere nobilius & majus, quàm se ipsum, vel quòd se humiliet, ut sit majus, quàm alterum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd defectus bonitatis, potestatis &c. esset in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit suppositum, quod est Humilitas, quæ est Pater, & de suamet Humilitate generet aliam Humilitatem æqualem sibi ipsi, quæ est Filius, & de ambabus Humilitatibus exeat alia Humilitas, quæ est æqualis duabus, quæ est Sanctus Spiritus, & insimul sint una Essentia humilis in bonitate, potestate &c.; & per hoc in Personis per Generationem & Processionem est Operatio Humilitatis: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd æterna & infinita Operatio Humilitatis esset in supremo Bono.

4. Probavimus, quòd in supremo Bono sit

sit humilis Paternitas, quæ generat humilem Filiationem; & per hoc significatur sancta Incarnatio, quam inquirimus: quia sicut Pater generat Humilitatem æternam & infinitam in supremo Bono, ita Filius generaret æternam & infinitam Humilitatem in supremo Bono, hoc est, in suprema Essentia, nisi sufficeret una humilis Paternitas & una humilis Filiatio & una humilis Processio in illa Essentia; sed quia convenit, quòd in Essentia non sit nisi una humilis Paternitas & una humilis Filiatio & una humilis Processio, & hoc ideo, quia quælibet trium supradictarum humilium Personarum est infinita in bonitate, potestate &c.; per hoc demonstratur, quòd Filius in alia Essentia, h. e. in inferiori bono faceret unam creaturam infinitè humilem; & hoc propter magnam abundantiam humilitatis, quàm habet in se infinitam in bonitate, potestate &c.; sed quia omne aliud bonum est finitum, præter supremum, idcirco inferius bonum non potest tantùm recipere, quantùm supremum illi daret: unde ad demonstrandum, quòd Filius faceret æqualem sibi ipsi & æqualem Patri, ad demonstrandum, quòd in virtute sit æqualis Patri, qui facit æqualem sibi ipsi, ideo Filius est incarnatus & unitus cum Homine; & per suam unionem facit, esse majorem Humilitatem in illo Homine, quàm sit omnis alia humilitas creata: & si Filius DEI non esset incarnatus, non daret demonstrationem suæ nobilitatis, secundùm quòd convenit, & significaretur, quòd in inferiori bono non faceret humilitatem, quam potest recipere; & inferius bonum esset majus per possibilitatem recipiendi, quàm supremum Bonum per opus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est probabilis Incarnatio, quam quæris.

5. Supremum Bonum se non humiliat inferiori, ad hoc, ut ipsum sit majus, sed se humiliat, ad hoc, ut inferius bonum sit majus, quam est; quia sicut in te est defectus humilitatis, si te humilias eâ intentione, ut sis major, & non eâ intentione, ut alium facias majorem, ita in supremo Bono esset defectus, si se humiliaret tibi, ut esset majus, quàm est: unde cùm hoc non sit vera humilitas, igitur est vera humilitas, quando major se humiliat minori, ut illum faciat majorem, quàm est; vel cùm minor se humiliat suo majori, ad demonstrandum, se esse minorem, & suum majorem esse majorem. Unde cùm hoc ita sit, per hoc Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis; quia per hoc, quia Filius DEI se humiliavit ad assumendam Naturam humanam, & quia tota humana species erat minor, quàm alia species, per peccatum originale, secundùm quòd probatur in sequentibus, ideo Filius DEI se humiliavit minori; quia minor est homo peccator, quàm lapis vel lignum: & si lapis vel lignum esset minus, humiliaret se, ut esset lapis vel lignum, ad hoc, ut demonstraret suam majorem humilitatem, & ut tibi daret exemplum, ut te humiliares tuo minori & tuo majori: quia quò magis Filius DEI se humiliavit, eò magis te humiliavit, ut te humiliares tuo minori & tuo majori, ad demonstrandum, quòd majus oppositum superbiæ sit in supremo Bono: & ideo Filius DEI voluit esse Homo in paupertate natus, mortalis, finitus, contemptus, venditus, traditus, humiliatus ad moriendum & ad esse flagellatus, blasphematus, discreditus, derelictus, & voluit prædicari ab hominibus pauperibus pauci numeri & modicæ potestatis, & sic de aliis rebus his similibus: & quia omnia ista conveniunt cum minoritate, & humilitas convenit cum minoritate, igitur vide, quam alteram humilitatem tu possis credere majorem secundùm tuam credentiam, quàm istam. Unde si major Humilitas, quæ demonstratur de supremo Bono erga minus, non esset vera, esset demonstrabile, quòd majus oppositum superbiæ non esset in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI, qui est infinitus & æternus in bonitate, potestate &c. sit conjunctus cum Filio finito habente principium & habente omnes supradictos languores: unde cùm hoc ita sit, quæ igitur Humilitas est similis huic?

6. Aperi oculos tuæ mentis, & intellige, quomodo tu te humiliares potiùs minori propter majorem finem, quàm propter minorem; & si hoc intelligis, igitur intellige, quòd, quò magis Filius supremi Patris se humiliavit inferiori bono, eò magis tibi repræsentet altam & excellentem cœlestem beatitudinem, ad demonstrandum, ut omnibus rebus te humilies, ad hoc, ut illam possis habere: & si tu hoc non intelligis in supremo Bono, quare igitur intelligis, quòd haberes majorem humilitatem ad evitan-

dam mortem, quàm ad habendum unum denarium. Miser, quare non consideras, quòd homo superbus sit inimicus hominis majoris & hominis æqualis & hominis minoris? quia vellet, quòd major esset minor, in quantum vellet esse illi superior in nobilitate, & quòd suus major non haberet illam nobilitatem, quam habet; & vellet, quòd suus æqualis esset minor; & vellet, quòd minor se in divitiis vel in aliqua alia re, esset minor, quàm est: unde cùm majus oppositum superbiæ, quòd est, sit in supremo Bono, idcirco Filius supremi Patris voluit, quòd humana species, quæ erat minor per superbiam, recrearetur, ad hoc, ut converteretur de minori in majus: & si Filius DEI non esset incarnatus, non esset, qui demonstraret, tam magnam Humilitatem esse in supremo Bono, quàm est Humilitas, quæ demonstratur per Incarnationem: & quia de necessitate convenit, esse hoc, quod est demonstratio majoris humilitatis, per hoc Incarnatio demonstratur.

7. Si dicis, quare se non humiliavit, ut essent multi Christi, ad hoc, ut sua Humilitas esset major, & ut quilibet esset peccator, ad hoc, ut videretur magis humilis? nos dicimus, quòd ad demonstrandum, quòd una conjunctio Filii DEI cum Filio Hominis sufficiat ad recreandum humanam speciem, & ad faciendum tantum humilitatis creatæ, quantum inferius bonum ab illo sufficit recipere: & si hoc non esset ita, virtus Filii DEI esset finita, & non significaretur, quòd in suprema Essentia sufficiat una Paternitas, una Filiatio, una Processio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd non convenerit, Filium DEI esse incarnatum nisi in uno homine tantùm, & quòd non convenerit, in illo esse peccatum; quia si esset, essent duo opposita; & si essent, esset impossibile, quòd potuissent esse unum suppositum.

CAPUT XII.

De Majori Patientia.

1. DE necessitate convenit, quòd in supremo Bono sit Patientia, vel non; unde si in supremo Bono non est Patientia, non condonat culpam; & hoc est impossibile: quia si non condonaret, haberet defectum misericordiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit Patientia; quam Patientiam convenit esse in supremo Bono vel respectu sui ipsius, vel respectu inferioris boni: unde si supremum Bonum habet Patientiam secundùm respectum inferioris boni, tunc inferius bonum est causa, quare supremum Bonum habet Patientiam; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, antequam inferius bonum erat, non erat Patientia in supremo Bono; & si in illo non erat Patientia, habebat defectum patientiæ & misericordiæ & humilitatis, quæ conveniunt cum patientia, quæ est bonum; quia si patientia non esset bonum, impatientia esset bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, quòd in supremo Bono sit Patientia respectu suimet proprii esse.

2. Probavimus, quòd in supremo Bono sit Patientia respectui sui ipsius, & convenit, quòd fruatur suâ patientiâ æternaliter & infinitè in se ipso, vel quòd æternaliter & infinitè utatur suâ patientiâ in inferiori bono: unde si æternaliter & infinitè utitur suâ patientiâ in inferiori bono, convenit, quòd iste mundus sit sinè principio & fine; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum non utatur suâ patientiâ in inferiori bono æternaliter & infinitè: & si supremum Bonum fruitur suâ patientiâ, & condonat sibi ipsi, vel est patiens erga se ipsum, habet culpam, & est culpa; & hoc est impossibile: & si supremum Bonum habet patientiam, & non fruitur suâ patientiâ, patientia est in potentia, & suum opus venit in actum in inferiori bono; & hoc est impossibile, cùm potentia & minoritas conveniant, & actualitas & majoritas: per quam convenientiam demonstratur, quòd supremum Bonum, quod convenit cum majoritate, fruatur suâ patientiâ in se ipso sinè remissione & culpa & pœna, quæ non habet in se ipso; quia si haberet, conveniret cum minoritate & cum defectu; & hoc est impossibile.

3. Cùm probaverimus, quòd in supremo Bono sit Patientia, & fruatur suâ Patientiâ, de necessitate convenit, quòd supremum Bonum habeat in se ipso duas proprietates personales, & quòd una sit Patientia effectiva, & altera sit Patientia passiva; quia sinè istis duabus distinctis proprietatibus

tibus supremum Bonum non posset in se ipso frui suâmet Patientiâ, nec sua Essentia posset esse Patientia: unde cùm conveniat, quòd duæ supradictæ proprietates sint in supremo Bono, & proprietas passiva non conveniat cum pœna (quia si conveniret, concordaret cum minoritate & cum defectu) per hoc demonstratur, quòd proprietas effectiva generet de se ipsa proprietatem passivam; & si effectiva generat passivam, convenit, quòd effectiva sit Patientia æqualis in bonitate, potestate &c. cum passiva, & passiva cum effectiva; quia si non esset, sequeretur, quòd esset pœna in passiva; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset impossibile, quòd esset in supremo Bono: per quam impossibilitatem est demonstrabile, quòd de Patientia effectiva & passiva exeat alia Patientia processiva æqualis in bonitate, potestate &c. ambabus supradictis proprietatibus personalibus, quæ cum illis convenit, ut omnes tres proprietates personales sint una Essentia, quæ est Patientia bona potens &c., quæ fruitur, se ipsâ per patientiam bonam potentem &c., & habet in se ipsa proprietates personales, quæ fruuntur patientia essentialiter & personaliter: & si hoc non esset ita, esset impossibile, quòd supremum Bonum esset Patientia, & quòd frueretur suâ Patientiâ: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Cùm Patientia probavimus, quòd in supremo Bono sit Trinitas; per quam Trinitatem demonstratur, quòd Filius ad demonstrandam virtutem Patris & Sancti Spiritûs & sui ipsius voluerit sibi unire Naturam humanam; sed quia inferius Bonum non potest recipere tantam patientiam à Filio, quantam Filius recipit à Patre, & Sanctus Spiritus recipit à Patre & Filio (& hoc ideo, quia inferius bonum de non esse venit in esse, & convenit, quòd omne id, quod est de non esse in esse, sit terminatum & finitum) idcirco Filius non generat in inferiori bono tantum patientiæ, quantum posset, si inferius bonum hoc posset recipere; & ad demonstrandum, quòd ille in illo possit plus generare, quàm inferius bonum in se possit recipere, est conjunctus cum Filio Hominis, & est cum illo unum & idem suppositum, hoc est, noster Dominus JESUS Christus, qui, quantum ad Naturam supremi Filii, habet infinitam & æternam patientiam, & quantum ad Naturam humanam habet majorem patientiam creatam, quàm sit omnis alia patientia creata: & quia Filius Hominis non posset habere tantam patientiam sinè conjunctione suæ Naturæ & Naturæ divinæ, nec supremus Filius sinè illa unione Filii Hominis & sinè Passione & Morte illius Filii Hominis demonstraret magnam patientiam Patris & Sancti Spiritûs & sui ipsius, idcirco voluit assumere Carnem, & voluit demonstrare supradictam Patientiam; per quam voluntatem & patientiam divina Incarnatio est demonstrabilis; quia si Incarnatio non esset, voluntas divina disconveniret cum sua patientia in demonstrando illam, secundùm quòd convenit; & si disconveniret, demonstraret illam in minori nobilitate, secundùm quòd non convenit; & hoc est impossibile.

5. Scisnè, quare Filius DEI voluerit incarnari? ad hoc, ut demonstraret, quòd, licèt esset unitus cum Filio Hominis, qui pendebat & moriebatur in Cruce, per totum hoc non haberet pœnam in se, licèt Filius Hominis illam haberet; & per hoc demonstratur, quòd supremus Filius non habeat pœnam, quamvis sit generatus per supremam Paternitatem, quæ est Patientia, in qua non est pœna; nec Filius, quamvis sit Patientia, habeat pœnam; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu; quia si Filius DEI, qui est unitus cum Homine, non habuit pœnam in pœna Filii Hominis, licèt cum illo esset unum & idem suppositum, quantò minùs potest esse pœna in tribus Personis divinis, quamvis sint una Patientia in Essentia, & quælibet sit Patientia: & si Incarnatio non esset, per quam alteram demonstrationem tibi tam bene significaretur & demonstraretur, quòd in suprema Patientia non sit pœna? cùm omnis patientia, quæ est in inferiori bono, significet pœnam sensualem vel intellectualem.

6. Ut patientia & pœna Filii Virginis essent magnæ, voluit Filius Virginis, quòd Humanitas, quam assumpsit, portaret pœnam æqualem patientiæ: unde cùm sua Patientia esset major, quàm omnis alia creata patientia, convenit, quòd pœna esset major, quàm culpa humanæ speciei, per quam fuit corrupta; per quam majoritatem recrearetur, & per quam majoritatem pœnæ demonstraretur, quòd, quamvis in Natura humana Christi fuerit tam magna pœna, per totum hoc in Natura divina

non fuerit pœna, etiamsi ambæ Naturæ essent unum & idem suppositum: & si pœna Filii Virginis esset æterna & infinita, per totum hoc Filius æternus & infinitus non haberet pœnam, nisi pœna esset major, quàm æternitas & infinitas, quam infinitatem & æternitatem non transcendit majoritas: unde cùm hoc ita sit, aperi oculos tuæ animæ, & vide, quomodo per Incarnationem Filii DEI tibi est demonstrabile, quòd sit impossibile, quòd, quamvis in supremo Bono sit Patientia infinita & æterna, per totum hoc non sequatur, quòd in illo sit pœna.

7. Si affirmas Incarnationem & Passionem, vides, quomodo supremum Bonum amet patientiam in inferiori bono; quia si non amaret magnam patientiam in inferiori bono, fuisset incarnatum in homine impatiente, vel in homine habente modicam patientiam; & si hoc esset, non significaret, quòd in se haberet magnam patientiam: unde cùm Filius Virginis fuerit patiens in paupertate & opprobriis, & fuerit traditus per suum discipulum, & pro vili pretio venditus, & per suosmet derelictus, & à Judæis fuerit contemptus & flagellatus & crucifixus & mortuus & abnegatus, & adhuc ab infidelibus contemptus & vilipensus & abnegatus & blasphematus, & per Catholicos non sit ita honoratus, sicut est honorabilis, & pro omnibus supradictis sustinuerit omnes supradictas passiones, & adhuc multò plures, quàm ego tibi possim dicere, si negas suam Incarnationem & Passionem, videas, utrùm tanta patientia ametur per supremum Bonum in inferiori bono, quanta est patientia, quam vides per affirmationem; & vide, utrùm per affirmationem magìs ames patientiam, quàm per negationem; & si ita affirmas vel negas Incarnationem, quare non affirmas hoc, per quod magìs intelligis de patientia in supremo Bono & in inferiori, & hoc, per quod tu es magìs proportionatus ad sustinendam pœnam pro supremo Bono, & ad amandum suam patientiam?

CAPUT XIII.

De Fide.

1. *CUm Trinitas sit demonstratio Incarnationis, & Incarnatio Trinitatis, secundùm quòd probavimus, idcirco convenit, quòd per lumen Fidei, quæ credit in Trinitatem, demonstremus Incarnationem per necessarias Rationes; quia de lumine Fidei, quæ credit in Trinitatem, descendit influentia ad intellectum, ut illuminetur tali lumine, per quod suprema Trinitas demonstretur per necessarias Rationes.*

2. De necessitate convenit, quòd hoc, quod tu credis vel discredis, sit in supremo Bono vel in inferiori, vel quòd non sit in supremo Bono nec in inferiori; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd aliquid aliud esset bonum, quod esset extra supremum Bonum & inferius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd per hoc, quod tu credis extra inferius bonum, habeas majorem credentiam, quàm habeas per hoc, quod credis extra supremum Bonum, & per hoc, quod discredis extra inferius bonum, habeas majorem discredentiam, quàm per hoc, quod discredis extra supremum Bonum: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum conveniret cum minoritate, & inferius bonum cum majoritate; & hoc est impossibile.

3. Probavimus, quòd major credentia vel discredentia, quam tu potes habere, sit per credere vel discredere hoc, quod est in supremo Bono: unde si Trinitas, quam nos credimus, est in supremo Bono, & tu illam discredis, magìs discredis, quàm si Trinitas non esset in supremo Bono, & tu illam discrederes: & quia discredentia & credentia sunt oppositæ, convenit, quòd oppositum majoris discredentiæ sit in veritate, & suum oppositum sit in falsitate: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esse & minor veritas convenirent, & non esse & major veritas; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd esse & major discredentia convenirent, & major fides & non esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd veritas esset vitium, & falsitas esset virtus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem de necessitate probatur Trinitas; quia si Trinitas non esset in supremo Bono, sequerentur supradicta inconvenientia.

4. Tu scis, quòd major splendor, qui est in die, sit splendor solis, & major splendor, qui est in nocte, sit splendor lunæ; & per influentiam, quam luna recipit à splendore solis, illuminat noctem: unde per similem modum potes intelligere, quòd major fides, quam homo potest habere in inferiori bono, sit credere Incarnationem & Nativitatem & Passionem Filii Virginis, qui est unum suppositum cum Filio DEI: & quemadmodum luna se habet ad dandum majorem splendorem in nocte, quàm aliqua alia res, & illum splendorem, quem dat, habet per majus se ipso, hoc est, per solem, ita convenit, quòd per lumen fidei, quæ fides credit in Trinitatem, veniat majus lumen fidei, quod homo potest habere in credendo in inferiori bono: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd sol haberet majorem nobilitatem in dando splendorem, & luna ad recipiendum, quàm fides ad recipiendum splendorem à supremo Bono, & ad dandum lumen ad credendum in inferiori bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd sol & luna haberent majorem virtutem, quàm supremum Bonum & quàm fides; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd oppositum majoris fidei, quam homo potest habere in inferiori bono, sit major discredentia; quia si hoc non esset, non sequeretur, quòd major discredentia, quam homo potest habere in supremo Bono, esset oppositum majoris credentiæ, quam homo potest habere in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē Incarnatio est demōstrabilis.

5. Ratio, quare vos Judæi tantum prædicatis Talmud, est, quia dicitis, quòd similitudines illius exaltent intellectum: unde sicut illa, quæ Talmud enarrat de pisce, qui habet nomen Johatan, & de aliis rebus similibus istis, sunt causa, quare intellectus exaltetur, ita major fides est causa ad fortiùs illuminandum intellectum, quàm minor; quia per majorem fidem magìs fortificatur ad intelligendum; & quò magis intelligit, eò magìs est proportionatus ad contemplandum supremum Bonum per intelligentiam, & voluntas per benevolentiam: unde cùm major fides sit credere Incarnationem, si est verum, quòd Incarnatio sit, quàm sit discredere Incarnationem, si Incarnatio non est, ideo intellectus est eò magìs dispositus ad intelligendum, quò majus est lumen fidei, quàm sit, quò minus est lumen fidei: & cùm hoc, per quod intellectus est magìs intellectivus, sit amabile & affirmabile, per hoc Incarnatio est demonstrabilis; quia si esset odibile, quòd intellectus esset intellectivus, sequeretur, quòd intelligere & minoritas convenirent, & ignorantia & majoritas; & hoc est impossibile.

6. Tu scis, quòd imaginativa rationalis sit magìs nobilis in repræsentando intellectui in phantasia, quàm sit in communitate sensuum particularium irrationalium, in qua repræsentat phantasiæ; & idcirco imaginativa imaginatur formas artificiales & alia, quæ est impossibile imaginari irrationalia: unde cùm hoc ita sit, per istam similitudinem potes intelligere, quòd, si Incarnatio est, intellectus sit magìs proportionatus, quòd mortificet se ipsum in phantasia propter aliquam falsam similitudinem, quam imaginativa illi dat, contrariam Incarnationi, quàm sit, si Incarnatio nihil est: & per mortificationem, quàm intellectus facit in se ipso in phantasia per lumen fidei, acquirit tantò majus meritum, quantò major est mortificatio; & intellectus est magìs proportionatus, quòd exeat de phantasia, & quòd se ab illa denudet, & supra illam se exaltet, & quòd relinquat objectum, per quod phantasia illi dat falsam similitudinem: & quò magìs intellectus se exaltat & elongat supra phantasiam & supra imaginativam, eò fortiùs utitur suâ virtute operativâ; per quam virtutem est conveniens ad intelligendum supremum Bonum, secundùm quòd convenit.

7. Tu scis, quòd voluntas se habeat ad bonitatem, & intellectus ad veritatem: unde quando amas bonum, quòd non intelligis, quò magìs illud amas, & minùs illud intelligis, eò majorem fidem habes; & quò magìs intelligis bonum, quod amas, eò majorem veritatem intelligis & amas; & quò majorem veritatem intelligis & amas, convenit, quòd plùs intelligas, & habeas majorem amorem: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd virtus operativa voluntatis & virtus operativa intellectûs essent oppositæ; & si essent oppositæ, etiam bonitas & veritas essent oppositæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si Incarnatio est, majus bonum sit in creatura, quàm est, si Incarnatio non est; & si Incarnatio non est in creatura, non habet tantam veritatem, quantam habet, si Incarnatio est: & per hoc demonstratur, quòd, si Incarnatio est, tua voluntas se possit habere ad majorem bonitatem, & tuus intellectus ad majorem veritatem, quàm si Incarnatio non est; & si se potest habere ad majorem bonitatem & ad majorem veritatem, potes habere majorem fidem & majorem intelligentiam, si Incarnatio

tio est, quàm haberes, si Incarnatio non esset: unde cùm majoritas & esse & veritas & bonitas & fides & intellectus conveniant contra illorum oppositа, per hoc demonstratur, quòd Incarnatio sit; quia si non esset, supradicta opposita sibi non contrariarentur, & supradictæ virtutes non concordarent; & hoc est impossibile.

CAPUT XIV.

De Spe.

1. SI tu habes ordinatam Spem in supremo Bono, suprema Justitia & Misericordia te facient æqualem cum supremo Bono in durando sinè fine in cœlesti gloria: unde si tu, qui es in inferiori bono, per spem & bonitatem, potestatem &c. es conveniens ad durandum sinè fine, quantò magis supremum Bonum per suam propriam virtutem habuit voluntatem faciendi æqualem sibi ipsi in durando sinè fine: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum haberet privationem bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: unde, ad demonstrandam hanc impossibilitatem, supremum Bonum voluit, quòd Filius incarnaretur, & quòd haberet conjunctionem cum humana Natura, & voluit hoc, ad demonstrandum, quòd, si tu per habere spem habes tantam virtutem, quòd te facias convenientem ad durandum in gloria sinè fine, supremum Bonum per suam propriam virtutem Filium Virginis faciat sibi ipsi æqualem, cum quo est conjunctum. Unde si Filius DEI non esset incarnatus, non demonstravisset, quòd per suam propriam virtutem in principio Naturæ humanæ Christi fecisset æqualem sibi in durando sinè fine, absque eo, quòd in Christo fuerit Spes, nec in illo fuerit Virtus theologica, nec cardinalis, ad demonstrandum, quòd supremum Bonum per magnam influentiam bonitatis, potestatis &c. fuerit in inferiori bono creatura magis digna esse durabilis sinè fine (absque eo, quòd hoc creatura mereretur, antequam esset) quàm nec tu nec ego nec ille per quotcunque virtutes, quas possemus habere: & quia convenit, hanc demonstrationem esse factam per supremum Bonum, secundùm respectum bonitatis, potestatis &c., ideo Incarnatio est demonstrabilis.

2. Ad demonstrandum, quòd in supremo Bono non sit spes, ignorantia, abstinentia & aliæ virtutes similes istis, voluit Filius DEI esse Homo, in quo non fuit spes, ignorantia, abstinentia propter unionem Filii DEI; sinè cujus unitate spes, ignorantia, abstinentia in hoc mundo non possent privari à natura hominis: unde cùm per inferius bonum homo habeat cognitionem de supremo, idcirco voluit, quòd Filius Virginis esset sinè spe, ignorantia, abstinentia, ad demonstrandum, quòd, si per unionem, quam Filius DEI habuit cum Natura humana, fuit privata spes, ignorantia, abstinentia ab illa Natura humana, quantò magis per Unitatem, quam Pater & Filius & Sanctus Spiritus habent in esse una Essentia infinita in bonitate, potestate &c., disconveniat, quòd in supremo Bono sit spes, ignorantia, abstinentia. Unde si Filius DEI non esset incarnatus, per nullam aliam rem esset tam conveniens ad significandum, quòd in supremo Bono non sit spes, ignorantia, abstinentia; & quia convenit, quòd magis conveniens significatio supremo Bono sit amabilis, ideo est demonstrabilis Incarnatio, quam inquirimus.

3. De necessitate convenit, quòd credentia Christianorum vel Judæorum vel Saracenorum sit vera; quia si nulla harum credentiarum esset vera, esset impossibile, quòd in supremo Bono esset bonitas, justitia, misericordia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, esse legem, per quam homo eat ad veram vitam: & quia de necessitate convenit, esse legem, idcirco convenit, quòd vel Christiani vel Judæi vel Saraceni sint in lege; quia insimul in illa non possunt esse, quia tres supradictæ credentiæ sunt oppositæ, quæ sunt contradictio; quia Christiani credunt in supremo Bono Trinitatem, & credunt Incarnationem, & Judæi & Saraceni hoc discredunt, & Judæi discredunt sectam Saracenorum; & ideo de necessitate convenit, quòd vel Christiani, vel Judæi, vel Saraceni sint in veritate: unde quiscunque sit in veritate, convenit, quòd habeat altiorem & nobiliorem spem, quàm aliæ credentiæ; quia si illam non haberet, sequeretur, quòd spes & veritas essent contrariæ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, desperatio & veritas essent concordantes; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI, quam inquirimus: quia quantamcunque spem Judæi & Saraceni possunt habere in supremo Bono secundùm bonitatem, potestatem & alias cameras Figuræ, tantam possunt habere Christiani, & etiam majorem, quàm Judæi & Saraceni, per Incarnationem & Passionem JESU Christi; quia si Filius DEI voluit esse Homo, & tradidit humanam Naturam, quam assumpsit, gravibus doloribus & angustiosæ Morti pro nobis, & resurrexit cum glorificato Corpore, igitur possumus habere spem, quòd nobis parcat & det veniam, & quòd habeamus Resurrectionem; quam tam magnam spem non possunt habere Infideles secundùm illorum credentiam. Unde si supremum Bonum dedisset veritatem minori spei, quæ esset oppositа majoris spei, quæ major spes esset falsitas, esset contradictio; quia vera spes esset major per legem, & minor per se ipsam; & falsa spes esset major in se, & minor per falsitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd major spes Christianorum sit major per veritatem & per legem & per suammet quantitatem; per quam majoritatem Incarnatio est probabilis.

4. Si tuus pater est misericors, & habes culpam, in illo potes habere majorem spem, quàm in meo patre; & si tuus pater est justus, & habes culpam, de illo debes habere majorem timorem, quàm de meo patre; quia tuus pater faceret majorem justitiam in puniendo te de tua culpa, quàm in puniendo me de mea culpa: unde cùm hoc ita sit, per hoc est demonstrabilis Incarnatio; quia ad hoc, ut haberes magnam spem in supremo Bono, quòd tibi remittat tuam culpam, voluit esse Homo; & ad hoc, ut illud timeres propter justitiam, voluit, quòd Humanitas, quam assumpsit, moreretur propter justitiam: unde si voluit, quòd illa innocens Humanitas moreretur propter justitiam, hoc est, ad delendam culpam peccati originalis, igitur timibilis est tibi sua justitia: unde si Filius DEI non esset incarnatus & mortuus, quantum ad humanam Naturam, tibi non esset, quantum ad tuam naturam, tam sperabilis nec timibilis, licèt supremum Bonum, quò ad se ipsum, tuæ spei sit tam sperabile, & tibi sit tam timibile propter tuam culpam cum Incarnatione, quàm sinè Incarnatione; sed quia tu non potes illud tam convenienter recipere pro objecto, quòd sit sperabile & timibile sinè Incarnatione, quàm cum Incarnatione, ideo voluit assumere Incarnationem & Passionem: & si hoc non faceret, suum opus & sua virtus esset oppositum hujus, per quod tibi potest esse magis sperabile & timibile; & hoc est impossibile:. quia si esset possibile, suum opus & sua virtus esset oppositum suæ bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XV.

De Charitate.

1. TU scis, quòd in balneis sint duæ cameræ, una est temperata, & altera est calida; unde si subitò intras in cameram calidam, non poteris tam bene sufferre calorem, sicut potes, si primò stas in camera temperata: unde cùm major Charitas, quam tu potes habere erga supremum Bonum, sit, quòd illud ames super omnia, & quòd propter amorem illud laudandi velis esse pauper, & ames sustinere oppropria, labores & mortem, & quia tu ad hunc tam perfectum amorem non potes tam citò pervenire, sicut si affirmas Incarnationem & Passionem & Articulos, qui pertinent ad Humanitatem, idcirco demonstratur, quòd Incarnatio sit: quia convenit, quòd supremum Bonum te disposuerit ad omne id, per quod tu possis habere majorem charitatem erga supremum Bonum & te ipsum & erga tuum proximum, ad hoc, ut per proportionem illius dispositionis possis ascendere contemplari supremam Charitatem, quæ est in illo: & si hoc non ita esset, artifex, qui habet artificium in faciendo balnea, haberet majorem sapientiam in faciendo balnea, quàm supremum Bonum in proportionando tuam charitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sancti Religiosi & Martyres primò transeant per charitatem, quam Filius DEI demonstravit in Incarnatione & Passione, & postea ascendant per illam veritatem contemplari supremam Charitatem, quæ est in supremo Bono; ad quam non possent tam bene ascendere sinè Incarnatione Filii DEI, ad demonstrandum, quòd, absque eo, quòd supremum Bonum adjuvaret nostram fragilitatem cum simili natura nostræ, non possemus ascendere ad contemplandum supremam

mam Charitatem ; quam fragilitatem adjuvat cum influentia charitatis creatæ nostri Domini JESU Christi ; & cum illa influentia ascendimus ad contemplandam influentiam, quæ venit à suprema Charitate.

2. In splendore sensuali non est tam magnus splendor, quàm est splendor solis; quia omnes alios splendores illuminat & vincit, & suus splendor est major, quàm omnes alii splendores: unde si in Charitate creata non esset una Charitas increata, quæ esset influentia omnibus aliis charitatibus creatis, & quæ esset major charitas, quàm omnes aliæ charitates, in specie charitatis non esset tam nobile individuum, sicut in specie luminis; & demonstraretur, quòd sol esset magis nobilis sub sua specie, quàm charitas; & hoc est impossibile: cùm sensualitas & minoritas conveniant, & intellectualitas & majoritas: per quam convenientiam demonstratur, quòd in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c., si sub specie sensuali posuisset nobilius individuum, quàm sub specie intellectuali: & quia est impossibile, quòd in supremo Bono sit privatio bonitatis, potestatis &c., per hoc demonstratur, quòd sub charitate sit nobilius individuum, quàm sub specie luminis; quæ nobilior nobilitas non posset esse in individuo, nisi Filius DEI esset incarnatus.

3. Si de tua virtute visiva, & de albedine, quam capis pro objecto, & de tuo intellectu, & de albedine, quam capit, & de tua voluntate, & de albedine, quam capit amando, posset uniri unum suppositum, esset major concordantia inter objectum apprehensibile & supradictas potentias, quàm sit, si suppositum non potest uniri de objecto & illis potentiis: unde cùm supremum Bonum nobiliùs capiat objecta creata, quàm tu, ideo voluit incarnari, & quòd Natura divina & Natura humana essent unum Suppositum ; & quò magis expresè Natura humana esset assumpta & unita cum divina, eò magis esset alta & magis nobilis sua Charitas: & si supremus Filius non esset incarnatus, non demonstraretur, quòd supremum Bonum assumpsisset magis charitativè & magis expresè objectum, quàm inferius bonum, si tuus visus & tuus intellectus & tua voluntas habuissent possibilitatem essendi unum suppositum cum albedine, sensibili, intelligibili & amabili; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Tuus avus naturaliter plùs amat tuum patrem, quàm te, & quàm tuum fratrem, & tu plùs amas tuum fratrem, quàm me; & hoc est ideo, quia tuus pater est magis propinquus tuo avo per generationem, quàm tu per processionem, & tuus frater est tibi magis propinquus in natura, quàm ego: & totum hoc est ad demonstrandum Paternitatem & Filiationem & Processionem supremam, in qua non est elongatio naturæ; quia si esset, supremum Bonum per Unitatem diversorum suppositorum non esset superius inferiori bono ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si originale peccatum non esset, per influentiam supremæ Charitatis tuus avus naturaliter tantùm amaret te, quantùm tuum patrem, & tu tantùm amares me, quantùm tuum fratrem, ad significandam supremam Charitatem : & quia per peccatum nostra fraternitas est corrupta & destructa, ideo Filius DEI voluit reparare illam per Incarnationem & Passionem; quia Filius DEI tantùm fecit pro tuo avo & pro tuo patre & pro te & pro tuo fratre & pro me, & sic de aliis individuis humanæ speciei, quòd omnes æqualiter debent esse sicut fratres secundùm formam charitatis : & si Incarnatio non esset, non esset, qui tibi posset dare tam nobilem formam charitatis, qualem haberes, si peccatum originale non esset : & si DEUS creavisset aliam formam charitatis, & non reparasset corruptam formam fraternitatis per peccatum, peccatum esset magis agens in destruendo charitatem, quàm supremum Bonum in reparando illam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Scisnè quare supremum Bonum creatæ charitati dederit naturam & proprietatem, quòd diversa insimul uniat, & quòd de hoc, quod est in speciali, faciat commune? ideo, ut demonstretur increata Paternitas, quæ est Charitas, & increata Filiatio, quæ est Charitas, & increata Processio, quæ est Charitas, & quòd insimul sint una Essentia, quæ est increata Charitas: & quia supradicta significatio est meliùs demonstrabilis, si Charitas increata sibi univit creatam, quàm sinè unione Charitatis

tatis increatæ & creatæ ; ideo supremum Bonum voluit, quòd Filius, qui est Charitas increata, incarnaretur, ad demonstrandum, quòd, si increata Charitas potest esse unum suppositum cum Natura humana, in qua est charitas creata, quantò magis sinè omni comparatione tres Charitates increatæ possint esse una Charitas in Essentia increata. Et si dicis, quòd sit impossibile, quòd Charitas increata possit esse unum suppositum cum suppositò creato; tunc tu affirmas, quòd de Charitate increata non possit venire major influentia charitati creatæ, quàm de alia charitate creata ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, increata Charitas non haberet majorem potestatem, quàm creata; & creata non posset tantam nobilitatem recipere ab increata, quantam à sua pari creata.

6. Si affirmas Incarnationem & Passionem, secundùm quòd tua imaginativa illam potest imaginari, & tuus intellectus illam potest intelligere, & tua voluntas illam potest amare, tibi esset leve sustinere omnes passiones ad laudandum supremum Bonum, & nulli cibi nec consuetudines tibi essent extraneæ, & omnes terræ tibi essent communes ad tuam habitationem; & ubi plùs posses amare & laudare supremum Bonum, illuc ires stare & habitare, & cum illis gentibus amares magis participare, quàm cum aliis, & omnes tibi essent patres & filii & fratres; & hoc propter abundantiam charitatis : & si Incarnatio non esset, non esset, qui salvando tuæ voluntati suam libertatem tibi posset dare tam magnam affectionem nec tam magnam charitatem. Unde cùm hoc ita sit, & cùm charitas sit tam nobilis semita eundi ad perdurabilem beatitudinem, quare igitur es inimicus supremi Boni, negando hoc, per quod illud tibi fortiùs demonstrat suam Charitatem, & proportionat hoc, per quod haberes majorem charitatem erga illud, & erga te ipsum, & erga tuum proximum?

CAPUT XVI.

De Justitia.

1. SI tu esses Justitia, & de te ipso generes justitiam, & de ambabus justitiis exiret alia justitia, & insimul essent una justitia, esses majus oppositum injuriæ, quàm es, cùm es hoc, quod es; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset majus oppositum injuriæ, quàm tu, si esses oppositum injuriæ secundùm tria supradicta suppositа oppositа injuriæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si tu, qui es finitus, esses majus oppositum injuriæ, si esses una essentia cum aliis prædictis oppositis ipsius justitiæ, igitur quantùm es proportionatus, quòd sis oppositum injuriæ, si supremus Filius, qui est infinita Justitia, est incarnatus propter justitiam, ad hoc, ut te meliùs faceret oppositum injuriæ, quàm esses, si esses justitia, & generares justitiam, & exiret alia justitia: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd de conjunctione Justitiæ infinitæ cum finita non exiret tam magna influentia justitiæ contra injuriam, sicut de unione justitiarum finitarum in esse oppositum contra injuriam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad hoc, ut tu sis majus oppositum injuriæ, si vis: & si non esset incarnatus, & tu inde esses majus oppositum injuriæ, non demonstraretur, quòd in illo esset perfectio bonitatis, sapientiæ, charitatis, virtutis, misericordiæ, humilitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

2. Supremum Bonum habet tantum juris in te, si est incarnatum, quantum habet, si non est incarnatum; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd Incarnatio esset causa suæ dominationi; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, creatura esset causa suo Creatori; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI non sit incarnatus propter suam necessitatem, sed ut tibi sit causa, quòd habeas majorem justitiam ; quia ad hoc, ut recolas, quòd Filius DEI sit incarnatus, & voluerit, quòd Caro, quam assumpsit, traderetur & venderetur & illuderetur & crucifigeretur & moreretur & daretur propter amorem tui, igitur es magis proportionatus, quòd sis justus, quàm si hoc non recoleres: & quia tibi propter tuum defectum est necessarium auxilium, ut sis justus, & nullo alio modo tam bene posses juvari, ut sis justus, sicut per supradictam Incarnationem & Passionem, propter hoc convénit, quòd Filius DEI sit incarnatus; quia si non assumpsisset Carnem, in te non uteretur justitiâ, in hoc, quòd te non adjuvisset, ut esses justus, secundùm

modum, quo meliùs potes juvari; & quia est impossibile, quòd supremum Bonum non utatur te justè, per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus.

3. Tu, & omne id, quod habes, est de supremo Bono; unde si Filius DEI est incarnatus & suscepit Passionem ad redimendum te, si tibi dat morbum, aut tibi auffert filium, vel fratrem, vel divitias, vel aliam rem, quam multùm amas, meliùs es proportionatus ad justitiam in habendo patientiam, quàm si non esset incarnatus; & justitia & patientia meliùs sunt oppositæ injuriæ & impatientiæ: & si tu non habes patientiam & justitiam in hoc, quod supremum Bonum tibi auffert, tua injustitia & tua impatientia est majus oppositum justitiæ & patientiæ, si Filius DEI est incarnatus, quàm si non esset incarnatus: & quia duo majora opposita conveniunt cum esse, ad hoc, ut meliùs possis recipere justitiam à supremo Bono, & duo minora opposita illorum conveniissent cum esse, si Incarnatio non esset, & quia per duo majora opposita magis potes esse proportionatus ad recipiendam justitiam, quàm per minora, & quia majoritas & esse conveniunt, & privatio & minoritas, idcirco demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus; quia si non esset incarnatus, sequeretur, quòd esse & minoritas convenirent contra privationem & majoritatem, & privatio & majoritas contra esse & minoritatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum conveniret cum minoritate contra majoritatem; & hoc est impossibile.

4. Major justitia, quam tu potes habere, est, cognoscere & amare & laudare supremum Bonum, & illi servire; quia per omnia ista & per alia istis similia potes esse magis justus, quàm per ulla alia: unde cùm supradicta meliùs possis habere, si affirmas & amas Incarnationem, quàm si illam negas & odis, propter hoc convenit secundùm bonitatem, potestatem, sapientiam & alias cameras Figuræ, quòd supremum Bonum te proportionaverit in hoc, per quod meliùs potes esse justus; & si hoc non feciisset, non demonstraretur, quòd te vellet punire propter tuam injuriam tormentis, quæ non habent finem: & si in altero sæculo pœnæ infernales habent finem, Justitia supremi Boni habet finem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate sis proportionatus ad hoc, per quod sis magis justus; & si es, convenit, quòd supremum Bonum sit incarnatum; quia sinè Incarnatione non esses tam proportionatus ad esse justus, si illam affirmas & illam amas, nec ad esse injustus, si illam negas & odis.

CAPUT XVII.

De Prudentia.

1. O Tu, qui es inimicus Prudentiæ, negando & odiendo Incarnationem Filii DEI, scisnè, quænam sit differentia inter scientiam & sapientiam & prudentiam? scientia se habet ad esse materia prudentiæ, cùm prudentia sit agens convertendo scientiam in sapientiam; quia scientia est scire bonum & malum, & scire facere bonum & malum; & sapientia est scire bonum & malum, & amare bonum, & odire malum; & prudentia est hoc, per quod scientia convertitur in sapientiam; & ideo scientia se habet ad materiam, & sapientia se habet ad formam, & prudentia se habet ad causam effectivam, per quam sapientia scit facere bonum, & fugere malum: unde cùm prudentia sit bonum, & quia per nullum modum homo tam bene potest esse proportionatus ad habendam prudentiam, sicut per Incarnationem, propter hoc Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis; quia si Filius DEI non esset incarnatus, esset oppositum prudentiæ; & si esset, non esset sapientia; & hoc est impossibile.

2. Tu scis, quòd sit contradictio secundùm cursum naturæ, quòd tua mater sit virgo & mater in uno eodem tempore; quia est impossibile, quòd tua mater sit mater & non mater, & virgo & non virgo insimul: unde si in supremo Opere esset contradictio hoc, quod est contradictio in inferiori bono, supremum Opus non esset supra inferius; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandum supremum Opus & inferius, supremus Pater misit supremam Filiationem, & voluit, quòd nostra Domina sancta Maria esset in uno eodem tempore Virgo & Mater, ad demonstrandum, quòd, quemadmodum de conjunctione infiniti cum finito demonstratur melius opus per influentiam infiniti in finitum, quàm de conjunctione finiti cum finito, hoc est, tui patris & tuæ matris, ita de Unitate

Unitate infiniti cum infinito, hoc est, supremi Patris & supremi Filii exeat melius Opus, quàm de infinito & finito, hoc est, de Filio DEI & Humanitate Christi: unde si majus opus & magis miraculosum non esset Unitas infiniti cum infinito, quàm infiniti cum finito, nec majus infiniti cum finito, quàm finiti cum finito, infinitum non esset majus, quàm finitum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis: per quam demonstrationem prudentia habet proportionem contra ignorantiam & stultitiam, per quam ignoras majorem nobilitatem, quæ est inter infinitum & infinitum, & inter infinitum & finitum, quàm inter finitum & finitum: & quia hoc, per quod prudentia est meliùs proportionata ad esse oppositum ignorantiæ, convenit cum esse & cum bonitate & charitate & misericordia supremi Boni, ideo oppositum majoris prudentiæ convenit cum minoritate & cum privatione & cum defectu.

3. Miraculum est res, quæ est supra cursum naturæ per influentiam infiniti in finitum, in sanando vel resuscitando finitum; & cursus naturalis est influentia finiti in finitum: unde cùm illa influentia sit major, quæ est de infinito in finitum, quàm illa, quæ est de finito in finitum, & cùm sit major influentia sanare humanam speciem ab originali peccato, & resuscitare unum corpus melius & nobilius, quàm omnem creaturam corporalem & incorporalem (exceptâ Animâ Christi) & cùm sit major influentia unire infinitum cum finito, quàm ulla alia influentia finiti cum finito, & cùm sit contradictio, quòd tuum corpus in uno tempore sit vivum & mortuum, & influentiæ infiniti in finitum non sit contradictio, sicut Corpus Christi, quod erat mortuum in Cruce morte naturali, quando Anima descendit ad inferos, & erat vivum vitâ miraculosâ per Unionem Filiationis, quæ est vita, ideo demonstratur, quòd, si Incarnatio est, magis sis proportionatus ad habendam prudentiam, per quam habeas sapientiam ad cognoscendam majorem influentiam, quæ est infiniti cum finito, quàm influentiam finiti cum finito: & quò meliùs es proportionatus ad habendam prudentiam, eò meliùs es proportionatus, quòd possis convertere tuam scientiam in sapientiam; & per hoc Incarnatio tibi est demonstrabilis; quia si Incarnatio nihil esset, demonstraretur, quòd scientia esset magis nobilis, quàm sapientia; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd scire & velle peccatum essent opposita mali; & hoc est impossibile.

4. Est contradictio, quòd tu in isto mundo sis homo secundùm cursum naturalem, & quòd sis ignorans & incorruptibilis; quia si hoc non esset contradictio, esses in tempore innocentiæ, antequam Adam peccasset; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum per suam supremam Potestatem plùs possit facere, quàm natura, voluit esse Homo, qui non esset ignorans nec corruptibilis, & quòd esset resuscitabilis: unde cùm supremum Bonum per hunc mundum det demonstrationem alterius, ad hoc, ut habeas prudentiam, per quam tibi caveas, ne te ulla falsa similitudo decipiat, voluit esse Homo, & voluit privare ab illo Homine ignorantiam & corruptionem, & voluit illum resuscitare, ad demonstrandum, quòd homo in altero sæculo erit incorruptibilis, & quòd resuscitabitur, & quòd nullo tempore habebit ignorantiam hujus, quod sciet. Unde si Incarnatio non esset, homo non potuisset habere tam magnam prudentiam, quòd per istum mundum haberet cognitionem alterius; & cùm iste mundus sit factus propter alterum, de necessitate convenit, quòd sit hoc, per quod prudentia & iste mundus meliùs conveniunt contra oppositum hujus, per quod prudentia & iste mundus minùs conveniunt.

5. Sensualiter sentis, & intellectualiter intelligis, quòd irrationalia habeant industriam & modum, quomodo sciant vivere, & quomodo sciant fugere mortem, & unum fugere ab alio, & quomodo unum capiat vitam ab alio: unde si DEUS in irrationalibus posuit hanc virtutem, quantò magis rationalibus dedit prudentiam, quomodo sciant cavere à tentationibus, & quomodo possint mortificare vitia, & vivificare virtutes: igitur cùm hoc ita sit, aperi oculos tuæ mentis, & vide, utrùm Incarnatio & Passio & Resurrectio & alii Articuli nostri Domini JESU Christi tibi sint causa, per quam habeas prudentiam, ut sis sapiens; & si vides, quòd tibi sit causa ad habendum prudentiam, quare illam negas & odis? Miser, cur non vides pericula & fraudes hujus mundi, & quare non amas omne id, per quod posses habere

majorem prudentiam? quia spernendo hoc, quod tibi est causa habendi majorem prudentiam, spernis gloriam, quæ non habet finem, & pœnas infernales, quæ non habebunt finem.

CAPUT XVIII.
De Fortitudine.

1. REcolere, scire & velle conveniunt ad vivificandum vel mortificandum virtutes vel vitia; & quia vivificare virtutes, & mortificare vitia est bonum, & mortificare virtutes, & vivificare vitia est malum, ideo uti ipsis recolere, scire, velle in vivificando fidem, spem, charitatem, justitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam est bonum, & uti ipsis recolere, scire, velle in vivificando gulam, luxuriam, avaritiam, invidiam, superbiam, acediam, iram est malum: unde cùm hoc ita sit, & cùm nos simus inquisitores demonstrationum, secundùm quas Adventus nostri Domini DEI JESU Christi est demonstrabilis, ideo volumus inquirere, secundùm quas trium credentiarum, hoc est, Christianorum & Judæorum & Saracenorum fortitudo melius conveniat cum recolere, scire & velle ad vivificandum virtutes, & ad mortificandum vitia; quia convenit, illam credentiam esse veram, cum qua fortitudo melius convenit cum virtutibus contra vitia: quia si illa non esset vera, sequeretur, quòd in supremo Bono non essent bonitas, potestas, sapientia, charitas &c.; & hoc est impossibile.

2. Tu scis, quòd natura det aliquibus irrationalibus majorem fortitudinem corporalem, quàm homini; sed quia natura illis non dat intellectum nec rationem, non possunt habere illa objecta, quæ homines habent recolendo & intelligendo & amando; & ideo homines per hoc, quia habent nobiliora & plura objecta, quàm irrationalia, per arma & artificia vincunt & occidunt irrationalia, quæ sunt magis fortia secundùm fortitudinem corporalem; sicut leo & balena & alia animalia irrationalia: unde cùm hoc ita sit, fortitudo animæ nobilitatur ab objectis recolitis & intellectis & amatis: unde magis nobilia objecta, quæ tu possis recolere & intelligere & amare, sunt causa majori fortitudini, & minùs nobilia objecta, quæ potes recolere & intelligere & amare, sunt causa minori fortitudini; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd fortitudo & nobilitas essent oppositæ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd oppositum nobilitatis & oppositum fortitudinis essent oppositæ; & hoc est impossibile.

3. Probavimus, quòd magis nobilia objecta sint melius causa fortitudini, quàm minùs nobilia: unde convenit, quòd nobiliora objecta, quæ tu possis recolere & intelligere & amare, sint in supremo Bono; quia si in illo non essent, sequeretur, quòd per alia objecta posses habere majorem fortitudinem, quàm per objecta, quæ sumis recolendo & intelligendo & amando in supremo Bono; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd hoc, per quod tu posses esse magis fortis contra vitia, & posses habere majores virtutes, esset inferius bonum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quemadmodum tu potes esse magis fortis per objecta, quæ recolis & intelligis & amas in supremo Bono, quàm per alia objecta, ita possis habere majorem fortitudinem per objecta, quæ sunt possibilia esse recolita & intellecta & amata in supposito, quod sit Natura divina & Natura humana, quàm in supposito, in quo non sit nisi natura creata: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd infinita objecta non essent major causa fortitudini, quàm finita; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis: quia si Incarnatio nihil esset, fortitudo non esset tantum causata, sicut est per Incarnationem: & si hoc, per quod fortitudo melius esset causata, non esset, & esset hoc, per quod minùs esset causata, sequeretur, quòd supremum Bonum esset contrarium fortitudini; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, concordaret cum oppositum fortitudinis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si tu, qui es juvenis, recolis & intelligis & amas castitatem, quando tentaris à luxuria, fortior eris contra luxuriam, si recolis & intelligis & amas castitatem, quàm si non recolis nec intelligis nec amas castitatem; & si tu sumis pro objectis tuæ memoriæ & tuo intellectui & tuæ voluntati Articulos Adventûs nostri Domini DEI JESU Christi, & odis illos, minùs fortis eris contra luxuriam, & eris fortior contra luxuriam, si illos amas; & hoc idem sequitur de aliis peccatis mortalibus: & si tu multùm recolis & intelligis & amas simpliciter castitatem, per totum hoc non eris tam fortis contra luxuriam, sicut eris, si simpliciter multùm recolis & intelligis & amas Incarnationem & Passionem & alios Articulos Adventûs Christi; & hoc non est necesse tibi probare in alio, quia in te ipso hoc potes probare: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd per influentiam castitatis, quæ est res finita & terminata, tua fortitudo esset magis causata contra luxuriam, quàm per influentiam Articulorum, in quibus est operatio Filii DEI, qui est infinitus, qui tibi potest dare majorem influentiam fortitudinis contra luxuriam, quàm castitas: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd de infinito non veniret major influentia fortitudini, quàm de finito; & hoc est impossibile: propter quam impossibilitatem de necessitate est Incarnatio, ad dandam majorem influentiam fortitudinis contra vitia, & ad fortificandum virtutes, quàm influentia rerum finitarum: & si ista demonstratio non esset ita, sequeretur, quòd in supremo Bono non esset bonitas, potestas, sapientia, charitas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Quantò magis gloria cœlestis est amabilis, quàm gloria hujus mundi, & quantò magis pœnæ infernales sunt odibiles, quàm pœnæ hujus mundi, tantò magis est fortitudo necessaria in hoc, per quod potes habere majorem gloriam vel majorem pœnam, quàm in hoc, per quod habes minorem gloriam vel pœnam: unde si Adventus nostri Domini JESU Christi tibi est causa majoris fortitudinis, ut tibi gloria alterius sæculi sit magis amabilis, quàm hujus, & ut tibi pœna inferni sit magis timibilis, quàm pœna hujus mundi, quare negas & es inimicus hujus, quod tibi est causa majoris beatitudinis, & ut evadas majores pœnas?

CAPUT XIX.
De Temperantia.

1. PEr appetitum sensualem fit temperantia sensualis inter duas extremitates, una est major, & altera est minor; & hoc ideo, quia major virtus se inclinat ad minorem, & minor per influentiam majoris convertitur de minori ad æqualem: unde cùm supremum Bonum creaverit inferius bonum ad demonstrandam suam nobilitatem & suam operationem, quam habet in se ipso, secundùm quòd probavimus in *Libro de Trinitate*, ideo supremus Filius assumpsit humanam Naturam, ad demonstrandum, quòd, si ignis vel aliquod aliud elementum se inclinat ad suum minus, ad hoc, ut faciat temperamentum de differentibus & concordantibus & contrariis qualitatibus ad generandum individua specierum, & ad conservandum appetitus naturales, quantò magis supremum Bonum se voluerit inclinare ad suum minus, hoc est, quòd esset Homo, ad demonstrandum, quòd in suprema Trinitate non sit inclinatio majoris ad minorem, nec minoris ad majorem; quia si Filius DEI se non fecit minorem per esse Homo, qui est inferius bonum, & Humanitas, quam assumpsit, non fuit æqualis supremæ Filiationi, quantò magis convenit, quòd Filius se non faciat minorem Patre, quamvis sit generatus, & Sanctus Spiritus se non faciat minorem Patre & Filio, quamvis processerit; cùm quilibet sit infinitus in bonitate, potestate &c.: unde cùm hoc ita sit, & cùm Humanitas, quam Filius DEI assumpsit, sit magis exaltata, quàm omne, quod est creatum, & per totum hoc non sit æqualis Deitati, per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus; quia si non esset incarnatus, supremum Bonum non haberet tam nobile opus in inferiori bono, sicut ignis ad aliud elementum, qui se inclinat ad minus, ad exaltandum illud, in faciendo æquale sibi ipsi; & non demonstrasset nobilitatem Personarum divinarum, quæ sunt æquales sinè inclinatione majoris & minoris, & per suam inclinationem ad minus in inferiori bono non esset exaltatum aliquod inferius bonum super omne aliud bonum creatum: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd in supremo Bono privaretur bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

2. In irrationalibus non est temperantia, quia in illis non est majoritas, quæ se inclinet ad minoritatem, per cujus influentiam in imaginatione fiat temperamentum imaginandi & volendi; & ideo irrationale in suo comedere & in suo bibere non habet temperantiam, sed sequitur appetitum

tum naturalem; & hoc idem contingit in infantibus & hominibus stultis, in quibus non est temperantia, quia non utuntur ratione: unde cùm in supremo Bono non sit temperantia, ideo voluit esse Homo, qui uteretur ratione sinè temperantia; quia si in Humanitate Christi esset temperantia, essent in illo extremitates vitiorum, in quibus formaretur temperantia, inclinante se majoritate ad minoritatem, & minoritate ad majoritatem, & non esset imbibita temperantia per influentiam Naturæ divinæ in humanam: & si non esset, conveniret, quòd Humanitas haberet libertatem ad intemperantiam; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset impossibile, quòd esset unum suppositum cum Natura divina. Unde ad demonstrandum, quòd in gloria temperantia erit privata à Sanctis gloriæ per influentiam præsentiæ supremi Boni, supremum Bonum in isto mundo voluit esse Homo, qui uteretur ratione, in quo non esset temperantia: & quia sinè conjunctione Naturæ divinæ & humanæ humana Natura non potuisset conservari, ne uteretur temperantiâ utendo ratione, ideo convénit, quòd Filius DEI fuerit incarnatus, ad demonstrandum, quòd, sicut per supremam Potestatem, Sapientiam, Voluntatem &c. potest in altero sæculo conservari species & natura hominis sinè temperantia, abstinentia & aliis rebus similibus istis, & hoc per suam præsentiam, & quia homo in altero sæculo pervénit ad suum finem, sic per Incarnationem potuerit conjungere usum rationis in Homine, hoc est, Christo, conservando Naturam Hominis in JESU Christo, in quo non fuit temperantia, abstinentia nec ignorantia, etiamsi esset in isto mundo, in quo homo non est in fine, propter quem est creatus.

3. Si dicis, quòd suprema Potestas non sit perfecta, si in isto mundo non potest facere hominem, qui utatur ratione sinè temperantia & abstinentia, nisi sit unita cum homine, tu dicis contradictionem; quia homo non potest uti ratione sinè libero arbitrio, nec sinè ratione & libero arbitrio potest habere proportionem ad finem, quare est creatus: unde si homo uteretur ratione sinè libero arbitrio, esset homo, & non esset homo, & esset creatus ad finem, & non esset creatus ad finem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremum Bonum per influentiam suæ conjunctionis cum Homine potest facere hominem in tali proportione, in qua homo non posset esse per solam creationem; & si hoc non esset ita, non demonstraretur, quòd de conjunctione Naturæ infinitæ cum finita exiret major influentia in hominem, quàm de influentia creata & finita; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, infinitas non esset superior fine; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si tu habes temperantiam in comedendo, vel in bibendo, vel in loquendo, vel in expendendo propter timorem morbi vel mortis vel paupertatis, vel propter aliquod bonum temporale, haberes majorem temperantiam in omnibus supradictis, si caperes pro objecto amando Articulos Adventûs nostri Domini JESU Christi: unde si minora objecta tibi dant temperantiam, quantò magis majora; & si esset hoc, per quod potes habere minorem temperantiam, & non esset hoc, per quod potes habere majorem, demonstraretur, quòd supremum Bonum esset oppositum temperantiæ; & si esset, concordaret cum oppositio temperantiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum sit incarnatum, & quòd humana Natura pro te assumpserit multùm gravem Passionem, & amaverit paupertatem in hoc mundo, ut tu esses temperatus in amando tuos liberos & tuas divitias; & ut haberes temperantiam in usu tuorum quinque sensuum particularium, & omnibus aliis rebus, voluit DEUS, quòd esses tam proportionatus, ut esses temperatus in tuis operibus, quòd non posses esse magis proportionatus, salvando in te liberum arbitrium; quia si liberum arbitrium non destrueretur, fecisset te per nobilitatem objectorum adhuc magis proportionatum, ut esses temperatus, quàm possis recipere; sed supremum Bonum non facit te proportionatum ad habendam temperantiam contra liberum arbitrium; quia si hoc faceret, multiplicaret tuam proportionem per unum modum, & destrueret illam per alterum; & hoc est impossibile.

CAPUT

CAPUT XX.

De Sacrificio Altaris.

1. QUemadmodum inferius bonum in supremo Bono significat & demonstrat bonitatem, potestatem, sapientiam &c., ita de necessitate convenit, quòd det demonstrationem de suprema Trinitate; quia sicut est impossibile, quòd mundus esset creatus, nisi in supremo Bono demonstraret bonitatem, potestatem, sapientiam, charitatem &c., ita est impossibile, quòd mundus esset creatus, nisi demonstraret supremam Trinitátem; & si hoc non esset ita, demonstraretur, quòd in supremo Bono bonitas, potestas, sapientia, charitas &c. essent nobiliora, quàm Trinitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad demonstrandum, quòd Pater sit in Filio, & Filius in Patre; & hoc idem de Sancto Spiritu: & ideo voluit, quòd Hostia consecrata transubstantietur in veram Carnem JESU Christi, & quòd sinè ulla divisione JESUS Christus sit in cœlo & in quolibet loco, in quo sacrificatur, uno & eodem tempore, ad demonstrandum, quòd, si de infinitis sequitur, quòd unus sit in alio, quantò magis finitus uno & eodem tempore possit esse in diversis locis per influentiam virtutis infinitæ, quæ vult esse unum & idem suppositum cum finito, ad demonstrandum, quòd, si finitus per virtutem infiniti potest esse in cœlo & in omnibus Altaribus, quantò magis tres Personæ infinitæ, quæ sunt in supremo Bono, infinitè una possit esse in altera: unde si Filius DEI non esset incarnatus, & Caro, quam assumpsit, per Opus Sacrificii non esset in diversis locis, inferius bonum non tam nobiliter demonstraret supremam Trinitatem & Unitatem, sicut demonstrat supremam bonitatem, potestatem, sapientiam, charitatem &c.; & si hoc non esset, in supremo Bono esset privatio sapientiæ, virtutis, veritatis & perfectionis, in quantum inferius bonum non tam verè daret demonstrationem supremæ Essentiæ & Trinitatis, sicut supremarum Virtutum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

2. Tu scis, quòd contradictio sit differens inter supremum Bonum & inferius; quia si non esset, sequeretur, quòd non esset differentia inter supremum Bonum & inferius; & hoc est impossibile: propter quam impossibilitatem supremum Bonum misit Filium assumere Carnem, ad demonstrandum differentiam, quæ est inter hoc, quod est contradictio secundùm supremum Bonum, & hoc, quod est contradictio secundùm inferius Bonum: & per hoc potes intelligere, quòd sit contradictio inter te & Hostiam, quam tu posses capere in mensurationibus Hostiæ; & hoc est ideo, quia mensurationes tui corporis sunt majores, quàm mensurationes Hostiæ: unde ratio, quare hoc est contradictio inter te & Hostiam, est per hoc, quia tu non es unum suppositum cum Filio DEI, per cujus influentiam Corpus JESU Christi & Hostia consecrata sunt unum & idem: & si esset impossibile, quòd essent unum & idem, sequeretur, quòd tuum corpus non haberet majorem virtutem, si esset unitum cum Filio DEI; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad demonstrandum, quòd per conjunctionem duarum Naturarum in esse unum suppositum id sit contradictio inter unam creaturam & alteram, quod non est contradictio inter Creatorem & creaturam.

3. Dum mundus non erat, nihil erat in supremo Bono, præter ipsummet, & nunc, cùm mundus est, est mundus in supremo Bono, & supremum Bonum, absque eo, quòd sit alteratum, est infinitè in se ipso & in mundo & ultra mundum; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum esset finitum; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandam hanc impossibilitatem, supremum Bonum vult, quòd vera Caro & verus Sanguis sint sub forma [formâ accidentali seu figurâ] Panis per influentiam supremæ Virtutis conjunctæ & unitæ cum illo Sanguine & Carne JESU Christi; per quod significatur, quòd, quemadmodum suum Corpus existit sub forma Panis, ita suprema Essentia sit per totum mundum sub forma lapidis & arboris & hominis & ignis & solis & cœli & per omnia alia: unde si suprema Essentia est sub forma lapidis, absque eo, quòd illa & lapis sint una essentia, bene sequitur, quòd Corpus JESU Christi possit esse sub forma Panis & sub accidentibus Panis per conjunctionem Filii DEI, qui cum illo Corpore & cum Anima illius est unum Suppo-

situm. Unde, ad demonstrandam istam possibilitatem, Filius DEI voluit incarnari, sinè qua Incarnatione non tam perfectè demonstraretur, quomodo supremum Bonum sit in lapide; & hoc est ideo, quia deficeret comparatio; *quia omnis demonstratio est melius probabilis per comparationem & per exemplificationem, quàm sinè comparatione & exemplificatione:* & quia nulla comparatio & nullum exemplum, nisi tantùm Incarnatio & Sacrificium Filii DEI sufficit ad exemplificandum, quòd supremum Bonum sit sub forma lapidis & sub aliis formis creatis, ideo Incarnatio est demonstrabilis per necessarias Rationes.

4. Tu scis, quòd odio habearis à supremo Bono, quando facis peccatum, & quòd ameris à supremo Bono, quando facis bonum, & te pœnitet, & confiteris peccata; & si hoc non scires, & scires contrarium, sequeretur, quòd in supremo Bono scires injuriam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sub tuis operibus sit suprema Voluntas absque ulla alteratione; quemadmodum sua Essentia est sub forma tui corporis, absque eo, quòd sit tuum corpus: unde ad demonstrandum, quòd suprema Voluntas non alteretur per tua opera diversa & contraria, voluit exemplificare in Adventu JESU Christi & in Sacrificio Altaris hoc, per quod posses percipere, quòd voluntas supremi Boni sit inalterabilis; quia si Corpus JESU Christi, quod est in Cœlo, non alteratur, quamvis essentialiter sit in uno tempore in diversis locis in terra, & corpus, quod est creatura, habet hanc virtutem per conjunctionem Filii DEI, cum quo est unitum, quantò magis suprema Voluntas, quæ est Creator, est inalterabilis per opus creaturæ: unde cùm Incarnatio & Sacrificium sint magis demonstrativa exempla, quæ tu possis habere, supremam Voluntatem esse inalterabilem per opus creaturæ, idcirco Incarnatio & Sacrificium sunt probabilia; quia si non essent probabilia, sequeretur, quòd supremum Bonum esset oppositum magis probabilis demonstrationis inalterationis suæ voluntatis; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis, sapientiæ, charitatis &c.; & hoc est impossibile.

5. Scisnè, quare supremum Bonum faciat miracula? ad demonstrandum, quòd sit Dominus naturæ, ad demonstrandum, quòd singulis diebus faciat hoc in Sacrificio Altaris, quod non potest facère natura; *quia natura non potest facere substantiam sinè accidentibus, nec accidentia sinè substantia:* & quia majus miraculum, quod sit, est, si Hostia transubstantietur in Carnem, per hoc, quod est majus miraculum, & quod fit sæpiùs, & quod fit in pluribus locis, supremum Bonum voluit demonstrare, se esse Dominum naturæ: & si hoc, per quod meliùs se demonstrat Dominum naturæ, non esset, & esset hoc, per quod se minùs demonstrat Dominum naturæ, tunc supremum Bonum esset oppositum majoris demonstrationis; & si esset, esset oppositum suæmet dominationis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

6. Sensualiter sentimus, quòd quinque sensus particulares aliquando se habeant ad veritatem, & aliquando se inclinent ad falsitatem; & hoc idem facit intellectus in phantasia: unde ad demonstrandum, quòd intellectus magis se habeat ad veritatem per cameras Figuræ, quàm per sensus particulares, voluit, quòd hoc, per quod intellectus fortiùs se inclinat ad cameras contra sensus particulares, sit veritas; quæ veritas est Incarnatio Filii DEI & Sacrificium Altaris: & si hoc, per quod intellectus capit meliùs virtuosè cameras Figuræ contra particularia sensualia, non esset veritas, sequeretur, quòd intellectus non esset magis nobilis, quando intelligit cameras supra phantasiam & imaginativam, quàm quando intelligit accidentia panis in Hostia consecrata in phantasia & imaginativâ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, demonstraretur, quòd haberet nobiliora objecta in phantasia, quàm supra phantasiam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

7. Tu scis, quòd peccatum sit hoc, per quod homo est minor, quàm per ullam aliam rem; & hoc est ideo, quia minoritas & esse sunt opposita secundùm relationem majoritatis & esse, quæ sunt opposita minoritatis & privationis, quæ conveniunt cum peccato: unde si tu es Presbyter, & dicis verba, quæ conveniunt Sacrificio Altaris, quantuscunque peccator sis, totum hoc non obstat, quòd Hostia non transubstantietur in Corpus JESU Christi, quod est

est majus, quàm omnes aliæ creaturæ, & sinit se comedi & tractari à te, & si tu es ægrotus, sinit se portari ad tuam cameram, & sinit se tibi præsentari; & si hoc ita est, igitur vide, utrùm humilitas & majoritas & Incarnatio & Sacrificium conveniant; & si conveniunt, quare negas & odis Incarnationem Filii DEI?. quia si Incarnatio & Sacrificium essent contra majorem humilitatem, haberes rationem, quòd negares & odires Incarnationem & Sacrificium; quia si essent contra majorem humilitatem, essent contra supremum Bonum, in quo est major humilitas, quàm in ulla alia re.

CAPUT XXI.

De Causa Efficiente.

1. VEritas est, quòd homo participet cum omnibus creaturis; & ideo natura non potest operari in homine cum alia re, quæ non est creatura; quia si posset, sequeretur, quòd homo non haberet participationem cum omni creatura; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum, quod est superius naturâ, sit agens in homine cum re, quæ non est creatura; quia si hoc non esset, suum opus non esset supra naturam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremus Pater miserit Filium assumere humanam Naturam, ad hoc, ut homo participet per divinum Opus cum nobiliori re, quàm sit creatura, ad demonstrandum, quòd, sicut Pater est nobilior efficiens in generando Filium, quàm sit natura in faciendo, hominem participare cum omni creatura, ita Filius in creatura sit nobilior efficiens, quàm creatura, in conjungendo & participando creaturam cum Creatore.

2. Si dicis, quòd supremum Bonum in homine utatur hoc, quod non est creatura, quando in illo facit miracula, non est verum; quia convenit, hoc, quod est resurrectio & sanatio, esse creaturam; quia si non esset, homo reciperet plus, quàm se ipsum, & esset increatus & creatus; & hoc est impossibile. Et si dicis, quòd supremum Bonum sit agens in homine cum sua justitia, charitate, misericordia, potestate & cum aliis virtutibus increatis, verum dicis; sed si Filius DEI non est incarnatus, non participat cum illis in Unitate Persona; & ideo supremum Bonum non esttam nobile agens in inferiori bono, si utitur suis virtutibus in homine, & non assumit naturam hominis, sicut est, si utitur suis virtutibus in homine, & assumit Naturam hominis: & quia nobilior actio de necessitate est affirmabilis, propter hoc tibi de necessitate Trinitas est probabilis.

3. Omnis creatura potest recipere plus proportionis & virtutis, quàm natura illi potest dare; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non posset plùs operari in creatura, quàm natura; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandam istam possibilitatem Filius DEI est incarnatus ad dandum creaturæ plus, quàm possit recipere; quia in quantum Humanitas est unita cum Deitate, Humanitas non potest recipere illam unionem per suam potestatem, & Filius per suam potestatem se potest unire cum Humanitate; & per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum sit plùs agens in finitum, quàm finitum possit recipere; & hoc, quod inferius bonum recipit, recipit per potestatem extra se ipsum, hoc est, per potestatem infinitam: unde si supremum Bonum non esset plùs agens in inferius bonum, quàm inferius bonum patiens ad recipiendum, agens esset æquale patienti; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Trinitas est demonstrabilis.

4. Hoc, quod in inferiori bono recipit majus esse, potest recipere majorem privationem; & hoc, quod recipit majorem perfectionem, potest recipere majorem imperfectionem; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd in inferiori bono majus esse & major perfectio non essent oppositæ majoris privationis & imperfectionis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in supremo Bono sit majus perfectum esse, quàm perfectum esse creatum; quod esse perfectum increatum non potest recipere majorem nec minorem nec æqualem privationem nec imperfectionem; quia si posset, inferius bonum esset æquale supremo bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum creaverit in inferiori bono esse, quod est majus & perfectius, quàm ullum aliud esse, absque eo, quòd illud majus esse possit recipere pivationem & imperfectionem, ad demonstrandum supremum esse & Perfectio-

fectionem: & ratio, quare non potest recipere privationem nec imperfectionem, est propter unionem illius & Filii DEI, per cujus influentiam dissimilatur aliis creaturis, quas est possibile, privari majori esse & perfectione, secundùm quòd quædam sunt nobiliores aliis: & si hoc non ita esset, non esset, qui demonstraret, quòd inferius bonum posset recipere majoritatem per esse & perfectionem, quàm per privationem & imperfectionem; & si non esset, qui hoc demonstraret, non esset, qui demonstraret supremum Bonum, secundùm quòd convenit; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum esset agens habens privationem perfectionis, & esse imperfectionis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Si appetitus, hoc est, opus naturale, haberet complementum per se ipsum, vel si Angelus per suam propriam virtutem infunderet perfectionem formæ actualis in corpus, supremum Bonum esset principium per creationem, & inferius bonum esset finis per perfectionem; & hoc est impossibile: quia, sicut supremum Bonum est principium, ita convenit, quòd sit finis causæ: unde cùm hoc ita sit, per hoc Incarnatio est demonstrabilis: quia quemadmodum nec appetitus naturalis, nec Angelus, nec natura sufficiunt ad complendam formam naturalem, ita ad reducendam humanam speciem non potest sufficere creatura sinè Unitate Naturæ divinæ cum illa.

6. In inferiori bono unum bonum facit æquale bonum sibi ipsi, ad demonstrandum, quòd in supremo Bono Pater generet Filium, qui est æquale bonum sibi ipsi: unde si Filius in inferiori bono non vellet facere æquale bonum sibi ipsi, etiamsi inferius bonum hoc non posset recipere, sequeretur, quòd inferius bonum meliùs significaret supremum Opus, quod est in suprema Trinitate, quàm Filius, qui est generatus à supremo Patre; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus in nostra Domina sancta Maria gloriosa Virgine.

CAPUT XXII.

De Causa Materiali.

1. „PRima [ordinalis] materia elementalis „est in quatuor punctis simplicibus, „igne, aëre, aqua, terra; & quodlibet „horum punctorum est simplex in sua „sphæra; & prima materia est composita „de omnibus quatuor simplicibus, & quod„libet quatuor punctorum simplicium ha„bet in se ipso tria puncta simplicia, ma„teriam & formam & conjunctionem, & „quodlibet elementū habet hæc tria puncta „simplicia in prima materia, sivè elemen„ta sint in sua sphæra, sivè quædam ele„menta sint composita cum aliis in indivi„duis specierum in secunda materia com„posita in corporibus compositis de tribus „punctis compositis materiâ, formâ & con„junctione compositis de quatuor punctis „simplicibus & de tribus punctis simpli„cibus, quæ quodlibet elementum sim„plex habet in se ipso: & si hoc non esset ita, „esset impossibile secundùm cursum naturæ, „quòd esset generatio & corruptio, & quòd „elementa simplicia descenderent & ascen„derent de locis suarum sphærarum eâ in„tentione, quòd de illis tribus punctis, quæ „quodlibet elementum simplex habet in se „ipso, componeretur corpus simplex habens „quantitatem simplicem continuam sinè „compositione alterius elementi.

2. Manifestum est, quòd magìs altum & magìs nobile punctum, quòd sit in materia, sit ignis; & ideo habet sua tria puncta nobiliora, quàm ullum aliorum elementorum; propter quam majorem nobilitatem habet nobiliorem operationem, quàm ullum aliud punctum: & ideo materia appetit magìs virtuosè & magis velociter & magìs violenter operationem ignis, quàm ullam operationem aliorum elementorum; & si hoc non esset ita, non esset nobilior per ignem, quàm per aliud elementum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, calor naturalis non esset magìs causa vitæ compositis vegetatis & sensatis, quàm aliæ causæ naturales; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur, quòd, sicut prima materia habet in se ignem magìs nobilem, quàm ullum aliud elementum, ita supremum Bonum habeat in se unum Hominem magis acceptabilem, quàm omnes reliquos homines: quia si non haberet, sua delectatio non esset supra proportionem primæ materiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut materia per cursum naturalem convenit in majori proportione cum uno elemento, quàm cum altero, & magìs

magìs cum uno elemento, quàm cum omnibus aliis, ita supremum Bonum per Naturam suæ magnæ influentiæ meliùs conveniat cum uno Homine, quàm cum omnibus aliis; cum quo non posset meliùs convenire, quàm cum omnibus aliis hominibus per naturam hominis tantùm, quia non posset sufficere; sed convenit, quòd per suam Naturam naturantem & per Naturam humanam, cum qua est unitum, sit major concordantia, quàm omnes aliæ concordantiæ creatæ.

3. Si dicis, quòd, quemadmodum materia habet majorem appetitum, quia habet appetitum in omnibus corporibus compositis per calorem naturalem, quàm si haberet appetitum in uno corpore tantùm, & per hoc intendis probare, quòd supremum Bonum haberet majorem benevolentiam erga humanam speciem, si se voluisset incarnare in multis hominibus, quàm in uno tantùm, non est verum; quia quemadmodum appetitus primæ materiæ naturalis est major, quia ignis est unum corpus simplex continuum in mensurationibus continuis continuitatis simplicis sinè compositione alterius elementi, quàm sit in materia secunda composita ex universalibus formis actualibus compositis de quatuor elementis, ita & multò meliùs sinè omni comparatione supremum Bonum habet majorem amorem, si amat, quòd unus Homo tantùm sit nobilior omnibus aliis, quàm si unum non amaret plùs, quàm omnes alios.

4. Ordinalis & prima materia non potest habere ullam formam in actu, existente formâ in individuo speciei, sed tantùm in potentia; & materia secunda non potest habere ullam formam in actu, in qua non sit corruptio in potentia: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum habeat suum Opus supra naturam, voluit, quòd in prima materia esset forma sinè potentia, & in secunda esset materia sinè corruptione; quia Corpus JESU Christi fuit conceptum per Sanctum Spiritum, absque eo, quòd prima materia & secunda in illo sequerentur cursum naturalem, nec per potentiam, nec per actum, nec per corruptionem: unde si Filius DEI non esset incarnatus, supremum Bonum vicisset ordinalem materiam in faciendo Adam & Evam supra cursum naturalem, & illam non transcendisset in faciendo Hominem, quem Filius DEI sibi conjunxisset: unde, si ad demonstrandam suam potestatem, voluit vincere materiam in Adam & Eva, quantò magìs in Homine, cum quo se conjunxit; quia licèt forma Adam & Evæ non esset in potentia, sed esset secundùm cursum naturalem, fuit potentialiter in corruptione, quam primùm peccaverunt: unde si esset forma naturalis elementalis, quæ non esset in materia potentialiter, nec corruptibilis, supremum Opus non esset demonstrabile, secundùm quòd sibi convénit; ad demonstrandum, quòd per conjunctionem supremi Boni cum Carne, quam assumpsit, illius materia in se non habuerit illam formam corruptibilem nec potentialiter nec actualiter.

5. Si dicis, quòd supremum Bonum posset facere hominem incorruptibilem de materia, absque eo, quòd incarnaretur, non est verum; quia est contradictio, quòd de materia; in qua per peccatum forma est corruptibilis, possit esse forma incorruptibilis: & si hoc non esset ita contradictio, materia esset hoc, quod est, & quod non est; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd per influentiam conjunctionis supremi Boni cum Carne, quam assumpsit, remaneat Caro in materia, absque eo, quòd forma in illa fuerit corruptibilis nec potentialiter nec actualiter.

6. O tu inimice, qui negas sanctam Incarnationem & Passionem nostri Domini JESU Christi, vide, utrùm in inferiori bono sit ulla materia, hoc est, doctrina, quæ tibi sit tam bona occasio bonorum morum & omnium bonorum, sicut Incarnatio & Passio JESU Christi, quare illam odis? unde si amas formam, quare odis materiam, sinè qua tam nobiliter non potes habere formam doctrinæ?

CAPUT XXIII.

De Causa Formali.

1. IN inferiori bono forma est demonstratio materiæ; quia sinè forma materia non esset apprehensibilis à quinque sensibus particularibus; & convenit, quòd forma, quæ demonstrat materiam, sit sensibilis quinque sensibus particularibus; quia si non esset, non posset demonstrare materiam; & de materia & de forma apprehensibili sunt composita individua specie-

rum; *& ideo materia & forma apprehensibiles conveniunt ad demonstrandam primam materiam & formam universalem omnibus formis; quæ materia & forma sunt inapprehensibiles à quinque sensibus particularibus:* unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur Incarnatio Filii DEI; quia si *secunda forma*, hoc est, formæ apprehensibiles, dat demonstrationem *formæ universalis* inapprehensibilis, de necessitate convenit, quòd suprema Forma inapprehensibilis à sensibus particularibus habeat in inferiori bono Formam apprehensibilem, per quam significetur & demonstretur: & quòd, quemadmodum secunda forma dat demonstrationem universalis per influentiam universalis formæ, ita forma inferior det demonstrationem supremæ per influentiam & per conjunctionem supremi Boni; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esset major unio & concordantia inter secundam formam & formam universalem, quàm inter supremam Formam & Formam Hominis; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd forma universalis esset magis nobilis in esse significata per secundam formam, quàm suprema per hominem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, forma universalis esset supra Formam supremam in esse meliùs significata & demonstrata; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis: quam Incarnationem convénit esse, ad hoc, ut Homo, qui est forma apprehensibilis, esset unitus cum Filio DEI, qui est invisibilis; per quam Unionem suprema Forma significaretur & demonstraretur.

2. Si in mille formis est una forma melior & nobilior, quàm omnes aliæ formæ, meliùs significat & demonstrat nobilitatem suæ causæ, quàm omnes aliæ formæ; & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd non esset nobilior aliis formis: unde cùm sit nobilior aliis formis, convenit, quòd sua causa nobiliùs significetur & demonstretur per illam, quàm causæ vel causa aliarum formarum minùs nobilium: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur & demonstratur, quòd, si in inferiori bono est una Forma magis nobilis & magis virtuosa, quàm omnes aliæ formæ, suprema Forma meliùs significetur & demonstretur per illam, quàm per omnes alias; & quò magis significatur & demonstratur, eò meliùs est laudabilis & amabilis & honorabilis; & quò meliùs est laudabilis & amabilis & honorabilis, eò meliùs est affirmabile, quòd in inferiori bono sit una Forma magis nobilis, quàm omne aliud bonum; quæ Forma non posset esse magis nobilis, quàm omne aliud bonum, quantumcunque nobile & excellens sit, sicut est, si est unita cum supremo Bono. Unde cùm suprema Exaltatio, quam inferior forma possit recipere, sit, quòd sit una cum Filio DEI, ideo demonstratur, quòd de necessitate conveniat, esse hoc, per quod inferius bonum potest plùs recipere de supremo Bono; quia si hoc non esset, in suprema Forma non esset demonstrabilis suprema Bonitas nec suprema Potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Quemadmodum Anima se habet ad esse forma corpori, ita universalis forma se habet ad esse forma primæ materiæ; & quemadmodum Anima est per totum corpus, ita universalis forma est per totam materiam; & quemadmodum anima respectu sui ipsius uteretur suâ virtute tantùm in uno membro corporis, quantùm in altero, & tantùm in uno sensu, quantùm in altero, ita universalis forma uteretur totâ se ipsâ in tota prima materia, si illa posset recipere tantùm in uno particulari materiæ, quantùm in altero: unde sicut Anima se demonstrat, se esse formam corpori in quinque sensibus sensualibus, ita universalis forma demonstrat, se esse formam ordinali materiæ in quatuor elementis, quæ sunt particularia materiæ; & sicut Anima meliùs demonstrat suam virtutem in uno sensu, quàm in altero, vel in uno membro, quàm in altero, ita universalis forma meliùs demonstrat suam virtutem in aliquibus elementis, quàm in aliis; sicut in igne, qui est magis nobilis, quàm aër; & aër, quam aqua; & aqua, quàm terra: & sicut de virtute visiva venit videre, & de virtute odorativa odorari, ita de universali forma & de prima materia cum adjutorio influentiæ corporum cœlestium venit in secundam materiam & in secundam formam generatio & corruptio: & sicut prima materia propter universalem formam appetit conservationem specierum ad conservandam secundam materiam, ita suprema Forma amat in inferiori bono unam Formam super alias, propter quam amat, con-

servationem aliarum formarum: & si hoc non esset ita, sequeretur major concordantia inter universalem formam & primam materiam, quàm inter supremam Formam infinitam, & aliquam Formam finitam, quæ sit in inferiori bono; & hoc est impossibile: quia de necessitate convenit, quòd inter formam infinitam & finitam sit major concordantia, quàm inter formam & materiam, quæ sunt res finitæ: & quia universalis forma, quæ non est nisi una, meliùs convenit cum prima materia, quæ non est nisi una, quàm sit convenientia, quæ est inter universalem formam & primam materiam cum secunda forma, quæ est divisa in diversas formas, & secundâ materiâ, quæ est divisa in diversa individua, per hoc demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd suprema Forma, quæ non est nisi una, habeat majorem concordantiam cum una Forma in inferiori bono, quàm cum omnibus aliis formis; quia si non haberet illam, suprema Forma in unione formæ & formæ non esset in concordantia superior universali formâ & ordinali materiâ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est significabilis & demonstrabilis.

4. Tu, qui cum una forma mensuras aliam formam, & per unam formam habes cognitionem de alia forma, informa in tribus potentiis tuæ animæ Incarnationem & Passionem JESU Christi, & aperi oculos tuæ mentis, & vide, utrùm Conceptio & Nativitas & Passio & alii Articuli tibi sint forma ad omnem formam bonorum operum & bonorum morum; & si per oppositum Articulorum in tua anima non potes informare tanta bona opera nec tantos bonos mores, quare odis & discredis Formam inferiorem, quæ est causa omnibus aliis formis inferioribus per influentiam unionis, quam habet cum suprema? pra supremum Bonum esset aliud bonum, & super illud iterum aliud, & hoc in infinitum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd nobilior finis, propter quem homo est creatus, sit cognoscere & amare & laudare supremum Bonum, & illi servire: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd hoc, quod est majus & magis conveniens fini, quare homo est creatus, conveniat cum esse & cum veritate; quia si conveniret cum non esse & cum falsitate, suum oppositum, quod est minus & minùs conveniens, conveniret cum esse & cum veritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono privaretur bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile.

2. Manifestum est, quòd ad cognoscendum & amandum & ad laudandum supremum Bonum & illi serviendum nihil sit tam conveniens, sicut Incarnatio Filii DEI & alii Articuli consequentes; & hoc est per influentiam unionis Naturæ divinæ & Naturæ humanæ: & si hoc non esset ita, & esset aliquid aliud magis conveniens fini, quare homo est creatus, finis esset magis causatus propter creaturam, quàm propter increatum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad hoc, ut det fini hoc, per quod finis est magis causatus & proportionatus: quia si Filius DEI non est incarnatus, & est causa ad meliùs proportionandum finem, quare homo est creatus, sequeretur, quòd supremum Bonum esset oppositum finis, quare homo est creatus; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, supremum Bonum esset oppositum sui ipsius, cùm homo sit creatus ad cognoscendum & serviendum & amandum supremum Bonum: & quia est impossibile, quòd supremum Bonum sit oppositum sibi ipsi, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

3. Homo est finis omnium creaturarum, quæ sunt sub illo in nobilitate, hoc est, plantarum & metallorum & irrationalium; quia supremum Bonum creavit omnia ista propter hominem: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd supremum Bonum sit finis hominis; quia si non esset, homo non esset finis hujus, quod est sub illo in nobilitate: & quia supremum Bonum est finis hominis, convenit, quòd unus

CAPUT XXIV.
De Causa Finali.

1. FInalis Ratio, quare supremum Bonum creaverit hominem, est ad hoc, ut homo illud cognoscat & amet, & illi faciat reverentiam & honorem; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd homo posset esse creatus propter altiorem & nobiliorem finem, quàm istum; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd su-

Homo

Homo sit finis omnium individuorum humanæ speciei, & quòd supremum Bonum sit finis illius Hominis: quia quemadmodum homo est medium, per quod supremum Bonum est finis plantarum & metallorum & irrationalium, ita de necessitate convenit, quòd unus Homo sit medium, per quod supremum Bonum sit finis omnium hominum: & si supremum Bonum esset finis omnium hominum, absque eo, quòd in illis esset medium, esset complementum omnium hominum; & si esset, non uteretur justitiâ in hominibus peccatoribus, nec in justis, postquam omnes haberemus gloriam; sed quia unus Homo est finis omnibus hominibus, & illi Homini, hoc est, JESU Christo est finis supremum Bonum, ideo ille Homo est finis omnibus Beatis per influentiam unionis Filii DEI & illius Hominis; & homines peccatores & injuriosi sunt digni pœnis, ideo, quia sunt oppositum finis, quare sunt creati; & per justitiam supremum Bonum est finis omnium illorum, ad demonstrandam bonitatem & potestatem &c., quæ est in supremo Bono.

4. Si negas, quòd humana Natura JESU Christi sit finis omnibus individuis humanæ speciei, & hoc ideo intendis negare, ut suæ Humanitati non fiat tantus honor, tunc tu negas Incarnationem Filii DEI, quæ est multò major honor homini sinè omni comparatione, quàm sit, unum hominem esse finem omnibus hominibus: & quia convenit, quòd unus Homo, qui sit unitus cum Filio DEI, habeat majorem Honorem, quàm omnes homines, ideo de necessitate convenit, quòd, sicut homo capit majorem honorem, quem potest capere, in esse unus cum Filio DEI, ita per omnes homines sit honoratus, in quantum potest esse magis honoratus per homines, hoc est, quòd sit finis omnibus hominibus; quia si est finis omnibus hominibus, meliùs convenit, quòd sit unitus cum supremo Bono.

5. Tu non potes eligere nobiliorem vitam, quàm sit vivere ad cognoscendum & amandum & laudandum supremum Bonum & illi serviendum; & non potes eligere nobiliorem mortem, quàm sit, quòd velis mori ad amandum & laudandum supremum Bonum & illi serviendum: unde, cùm hoc sit melior & nobilior finis tuæ vitæ & tuæ mortis, de necessitate convenit, quòd hoc, per quod tu sis meliùs ordinatus & proportionatus ad veniendum ad nobiliorem finem tuæ vitæ & tuæ mortis, sit in veritate; quia si hoc non esset, & esset in falsitate, sequeretur, quòd magis nobilis finis tuæ vitæ & tuæ mortis concordaret cum minoritate & cum privatione, & minùs nobilis finis tuæ vitæ & tuæ mortis concordaret cum esse & cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio & Passio JESU Christi est demonstrabilis.

CAPUT XXV.

Utrùm Messias venerit, vel venturus sit?

1. IN præteritis & sequentibus Capitibus est demonstratum, quòd Filius DEI sit incarnatus; sed in hoc Capite volumus probare, quòd de necessitate Messias venerit, hoc est, noster Dominus JESUS Christus.

2. De necessitate convenit, quòd Opus, quod supremum Bonum habet in se ipso, conveniat cum majoritate, & opus, quod inferius bonum habet in se ipso, conveniat cum minoritate; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset supra inferius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut supremum Opus convenit cum majoritate, & inferius opus cum minoritate, ita Opus, quod supremum Bonum habet in inferiori, concordet cum majoritate, & opus, quod inferius bonum habet in se ipso, concordet cum minoritate: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Opus non esset supra inferius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in inferiori opere est convenientia & concordantia temporis & ordinationis cum causa finali, quantò magis conveniat, quòd sit convenientia & concordantia temporis & ordinationis cum opere & cum causa finali, quare Filius DEI se incarnavit: unde si Filius DEI non esset incarnatus, & esset incarnandus, omnes Christiani, qui fuerunt & sunt, essent in errore & in damnatione, & Prophetæ & Sancti Patres essent adhuc in inferis; & si essent, sequeretur, quòd tempus & ordinatio privaretur in Incarnatione Filii DEI; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset possibile, quòd in supremo Bono privaretur bonitas, potestas

potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Messias venerit; quia si non venisset, Christiani, qui credunt, quòd venerit, meliùs concordarent cum tempore & cum ordinatione, quàm supremum Bonum, in quantum facerent suum posse in utendo Articulis, & natura meliùs concordaret cum fine in generando plantas & animalia in tempore, quo convenit, quàm Christiani cum Adventu Messiæ, & supremum Bonum cum Incarnatione; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, inferior operatio esset supra supremam; & hoc est impossibile.

3. Error, falsitas & vitia conveniunt, & veritas & directio & virtutes conveniunt: unde si Messias necdum venisset, virtutes, quas Christiani habent, hoc est, fides, charitas, spes, justitia &c. (quæ virtutes habent vivificationem & multiplicationem per Adventum & Passionem JESU Christi) haberent principium falsitatis & erroris; & si haberent, concordarent cum vitiis, & disconvenirent cum se ipsis; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd veritas & directio & vitia concordarent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Messias venerit; quia si esset venturus, supradictæ virtutes essent contrariæ virtuti; & si essent, vitia essent contraria defectui; & hoc est impossibile.

4. Natura incipit generare formam propter causam finalem; & ideo forma venit de potentia in actum, ad hoc, ut sit causa finalis: & ideo natura non est contra formam, usque dum sit causa finalis; & quando forma venit ad finem, propter alium finem contrarium primo natura generat aliam formam, quæ forma est contra primam, quia habet intentionem ad alium finem: unde si Messias non venisset, natura meliùs conveniret cum fine, quàm supremum Bonum cum Adventu Messiæ; quia supremum Bonum in principio esset contrarium fini Adventûs, in hoc, quòd pateretur, quòd illi, qui credunt contradictionem in eodem Adventu, essent in errore, & crederent unum & eundem finem: & quia est contradictio & impossibile, quòd supremum Bonum sit concordans & contrarium uni & eidem fini, per hoc demonstratur de necessitate, quòd Messias venerit.

5. Tu scis, quòd ponderositas non moveat se ipsam, sed quòd moveat hoc, in quo est, ad loca, ad quæ habet suum appetitum, hoc est, ad suum centrum; & hoc idem de levitate: quia si ponderositas se moveret in se ipsa, esset mobilis in suo centro; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si ponderositas, quæ non utitur ratione, se non moveat, & moveat hoc, in quo est, ad suum centrum, quando est in sua virtute, si Messias non venisset, & esset venturus, quis moveret Christianos, qui nunc sunt, ad virtutem, si essent in errore? ad quam virtutem moventur per Adventum Messiæ, ad contemplandum & amandum suum Adventum & ad essendum in religione & capiendum Martyrium & faciendas eleemosynas & jejunia & romerias & sacrificia & ad deferendas delicias hujus mundi ob amorem Messiæ; & quare causa finalis, quare Messias est, se moveret contra se ipsam, & moveret aliam contra se ipsam? cùm finalis ratio, quare Messias est, sit multò nobilior & excellentior sinè omni comparatione, quàm finis, ad quem ponderositas & levitas se movent.

6. Si Messias non venisset, & esset venturus, nulla secta esset tam contraria Messiæ, sicut secta Christianorum, qui credunt, quòd venerit; quia si non venisset, crederent in alium hominem, qui non est Messias; & ille homo esset magis oppositus Messiæ, quàm alius, & ille homo amaretur & laudaretur & adoraretur loco Messiæ; & sequentes illum hominem essent magis culpabiles, quàm infideles, qui in illum hominem non credunt, & qui illum hominem non adorant; & si essent magis culpabiles, conveniret, quòd haberent majorem culpam; & hoc est impossibile, cùm Adventus & Articuli sint unum & idem & unus idem finis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Messias venerit.

CAPUT XXVI.

De Conceptione nostri Domini JESU Christi.

1. IGnis & alia elementa sunt aliud sub forma plantarum vel animalium; quia unum est compositum, quod est individuum speciei, aliud sunt elementa, quæ sunt in illo individuo, cujus corpus est compositum de elementis: unde cùm fœmina concipit filium de viro, tunc elementa sunt sub forma vegetativa, & unum est

forma, & aliud sunt elementa; & cùm forma vegetativa venerit ad finem, & sua virtus non potest ulteriùs operari sinè alia forma, tunc forma sensitiva est forma vegetativæ; & propter perfectionem, quæ sensitiva est vegetativæ, operatio vegetabilis remanet in actu: & hoc idem sequitur de forma rationali, & de sensitiva; quia anima est forma corpori, quod corpus concipit, quòd anima sit sua forma, per hoc, quia corpus per complementum & per influentiam animæ habet complementum in operatione sensitiva & vegetabili: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd omnes formæ sint sub aliis, exceptâ animâ, quæ est forma corpori; & hoc idem sequitur de omnibus aliis rebus in formis naturalibus: & ista consequentia est ad dandam demonstrationem, quòd, sicut in inferiori bono nulla forma, quæ componitur cum altera in aliquo supposito, potest remanere in sua propria simplicitate, & est alia in composito, sic demonstrent supremam Unitatem Patris & Filii & Sancti Spiritûs, qui sunt una Essentia, absque eo, quòd aliqua Personarum privetur suâ simplicitate, & alteretur de sua Essentia & de sua virtute: & quia hoc ita est, per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum sit supra inferius in bonitate, potestate &c.

2. Cùm dederimus demonstrationem, per quam significatur, quòd supremum Bonum sit supra inferius, & quia supremum Bonum propter suam benignitatem & charitatem & virtutem &c. faceret æquale sibi ipsi in inferiori bono, si hoc posset recipere, ideo voluit, quòd Filius sit incarnatus, & quòd Caro, quam assumpsit, sit concepta per Opus Sancti Spiritûs, & quòd Natura divina & Natura humana non sint alterabiles in unione Suppositi, & quælibet forma remaneat in sua propria simplici natura & virtute, ad demonstrandum, quòd, si de unione Filii DEI & humanæ Naturæ JESU Christi Filius & humana Natura non sunt aliud in supposito, hoc est, in JESU Christo, quantò magis sinè omni comparatione Pater & Filius & Sanctus Spiritus possint esse una Essentia sinè alteratione Personarum in Essentia & in se ipsis: unde cùm hæc demonstratio sit multùm necessaria humano intellectui, ad hoc, ut habeat cognitionem de sancta Trinitate, & propter dilectionem, quam supremum Bonum habet erga inferius, ideo de necessitate convénit, quòd Filius DEI fuerit incarnatus, & quòd Incarnatio fuerit per opus supra cursum naturæ, hoc est, per gratiam Sancti Spiritûs; quia si fuisset per opus naturale, non posset nec esset digna ad demonstrandam supremam Operationem, quam supremum Bonum habet in se ipso; & si supremum Bonum non demonstraret supradictam Operationem, haberet defectum bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Tu scis, quòd virgo secundùm cursum naturæ non possit concipere filium, nec parere filium, permanens virgo: unde tam impossibile est, quòd fœmina virgo possit concipere & parere filium, permanens virgo, sicut est impossibile, quòd secundùm cursum naturæ generetur Filius sinè principio & fine: unde ad demonstrandum, quòd supremus Pater generet supremum Filium sinè principio & fine, voluit generare Filium humanum in Virgine sinè corruptione Virginis, & voluit, quòd nasceretur de Virgine. Unde si ad hoc opus in Virgine potuit esse subjectum, quæ est res finita & creata, & hoc per influentiam supremi Boni, quantò magis sinè omni comparatione supremum Bonum potest in se habere Virtutem, quòd de se ipso generet Virtutem, & quòd ab ambabus Virtutibus procedat Virtus, & quòd Generatio & Processio sint sinè principio & fine: unde ad demonstrandum, quòd hoc ita sit, de necessitate convenit secundùm respectum bonitatis, potestatis &c., quòd Virgo conciperet & pareret Filium sinè corruptione & sinè consortio viri.

4. Si materia prima, quæ est creatura, habet appetitum ad conservandas species, quantò magis supremum Bonum, quod est increatum, & est Creator, amat demonstrationes & circumstantias, ex quibus magis convenienter demonstratur, quomodo supremus Pater generat supremum Filium; quia si hoc non amaret, non esset super materiam in nobilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut in inferiori bono non potest esse conceptio sinè appetitu naturali, ita conveniat, quòd inter supremum Bonum & inferius sit Conceptio, quæ sit medium, quæ sit nobilior, quàm conceptio naturalis, quæ est in inferiori bono, & quòd illa Conceptio sit minùs nobilis, quàm Generatio & Processio, quæ est in supremo Bono, ad demonstrandum, quòd, si Conceptio Christi est superior in nobilitate, quàm ulla alia conceptio, & hoc per influentiam unionis, quam habet cum supremo Bono, quantò magis Generatio & Processio suprema est super omnem conceptionem.

5. Cùm supremum Bonum creaturæ possit plus dare, quàm creatura recipere, convenit, quòd impossibilitas, quam creatura habet in non tantum recipere, quantum Creator illi potest dare, sit minor, & quòd possibilitas, quòd Creator possit dare, sit major; quia si non esset, possibilitas non esset supra impossibilitatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, Creator non esset major per possibilitatem, quàm creatura minor per impossibilitatem; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, possibilitas & impossibilitas essent æquales; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, possibilitas Creatoris esset finita, postquam esset æqualis impossibilitati creaturæ, quæ est finita: unde cùm sit impossibile, quòd possibilitas Creatoris sit finita, per hoc demonstratur, quòd, si in aliquo speciali bono inferiori non esset conceptus Filius DEI supra hoc, quod natura potest recipere, non demonstraretur, quòd supremum Bonum posset plùs operari in creatura, quàm creatura recipere; & si potest plùs operari, quàm creatura recipere, & non operaretur super hoc, quod natura potest recipere, haberet defectum, in quantum non uteretur in creatura suâ potestate. Unde cùm sit impossibile, quòd in supremo Bono sit defectus, per hoc est demonstrabilis Conceptio Filii DEI, qui est Creator, quem creatura non potest recipere nec comprehendere; sed ille per suam influentiam facit in creatura hoc, quod est supra creaturam.

6. „Principia, quæ tu habes, quòd to„tum sit majus, quàm sua pars, sunt, quan„do habes cognitionem totius & partis; „quia si non haberes cognitionem, non „posses scire, quòd totum esset majus, „quàm sua pars: *unde sicut tu facis demonstrationem per medium supradictorum principiorum, quòd totum sit majus, quàm sua pars, sic potes facere demonstrationem de Conceptione nostri Domini JESU Christi, si scis suam bonitatem, suam potestatem, suam sapientiam & alias cameras Figuræ:* „quia si de toto & „de parte, quæ sunt res creatæ, fit comparatio demonstrativa, quantò magis de „virtutibus increatis & de creatura meliori „& nobiliori, quàm sint omnes aliæ crea„turæ, potest fieri demonstratio per Con„ceptionem, cameras Figuræ demonstran„do nobiliores, quæ nobilitas per nul„lum oppositum Conceptionis JESU Chri„sti tam benè posset demonstrari.

7. Tu scis, quòd non esse concipiat esse per influentiam Creatoris; unde si non esse concipit aliquid per influentiam Creatoris, quantò magis esse potest concipere Creatorem per influentiam increatam: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd per influentiam Creatoris fortiùs conveniret non esse & creatura, quàm Creator & creatura; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd Creator & sua influentia meliùs convenirent cum non esse & cum creatura, quàm cum creatura & cum se ipso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significandi & demonstrandi est demonstrabilis Conceptio JESU Christi per supradicta principia.

CAPUT XXVII.

De Nativitate nostri Domini JESU Christi.

1. MAximus honor, quem Vir potest recipere, est, quòd sit unitus Naturæ divinæ; & maximus honor, quem Mulier potest recipere, est, quòd permanens Virgo pariat DEUM & Hominem: unde, cùm supremum Bonum velit honorari per Virum & per Mulierem, secundùm quòd Vir & Mulier illud possunt honorare, de necessitate convenit, quòd supremum Bonum honoraverit Virum & Mulierem, secundùm quòd Vir & Mulier possunt recipere honorem per supremum Bonum; quia si illos non honorasset, non demonstrasset, quòd vellet honorari à Viro & à Muliere, secundùm quòd illud possunt honorare; & si hoc non vellet, illud ipsum esset contrarium principiis hujus Artis, quæ sunt cameræ Figuræ, quæ continentur *in Prologo hujus Libri:* & quia est impossibile, quòd supremum Bonum sit contrarium sibi ipsi, per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum assumpserit Naturam Viri ad honorandum Virum, & quòd sit natum de Virgine ad honorandam Mulierem.

2. Veritas est, quòd supremum Bonum sit causa, & inferius bonum sit effectus:

unde si supremum Bonum se facit causatum (ita loquendo) & facit, creaturam esse causam ipsius, causa & causatum sunt principia, per quæ est demonstrabile majus causatum, quod possit esse: unde ad demonstrandum causatum (ita loquendo) quod convenit esse demonstrabile in supremo Bono, hoc est, Filium natum à Patre, convénit, quòd supremum Bonum assumpserit Naturam humanam, & quòd humana Natura illud causet nasci, existens unum suppositum cum Natura humana JESU Christi, qui natus est de gloriosa Virgine nostra Domina sancta Maria: & si hoc ita est, demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum est supra inferius, quia est causa, & inferius bonum est inferiùs, quia est causatum, ita supremum Bonum sit supra inferius, quia est causatum ad nascendum, & inferius bonum est inferiùs, quia est causa, quòd Filius DEI sit natus ex Muliere: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum est majus, quàm creatura, quia est causa inferiori, ita sit causatum majus, quàm creatura, quia supremum Bonum est causatum ad nascendum per creaturam: & si est majus, quàm creatura, convenit, quòd supremum Bonum sit majus, quàm creatura, quia est causa & causatum; & si non esset majus, quàm creatura, quia est causatum, haberet defectum bonitatis, potestatis &c., in quantum non transcendisset creaturam per esse causatum, sicut illam transcendit per esse causa, & non dedisset æquale causatum suæ causæ: & quia est impossibile, quòd supremum Bonum habeat defectum bonitatis, potestatis &c., per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit natus de Muliere, & fuerit causatus ad nascendum de Muliere, per hoc, quia fuit unitus cum Natura humana, quæ convenit cum Nativitate.

3. Probata est Trinitas in *tertio Libro:* unde ad demonstrandum, quòd Pater æternaliter & infinitè generet & generabit Filium cum perfecta sapientia, Pater voluit, quòd Filius incarnaretur & nasceretur, & quòd Humanitas, quam assumpsit, nasceretur cum tanta sapientia, quantam habuit tunc, quando pervénit ad perfectam ætatem, ad demonstrandum, quòd, si Humanitas habuit tantam sapientiam, quando fuit nata, quantam habuit, quando fuit in perfecta ætate, & hanc sapientiam habuit per unionem Naturæ divinæ, igitur quantò magis Filius, qui est unus cum Patre & Sancto Spiritu in Essentia, habuerit tantam sapientiam, antequam mundus esset, quantam habet nunc, & quantam habebit æternaliter & infinitè. Unde si supremum Bonum non esset incarnatum, & non esset natum cum Natura humana, habendo perfectam sapientiam, non daret de se ipso perfectam demonstrationem supradictæ sapientiæ; & si illam non daret, haberet defectum bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Nativitas Filii DEI est demonstrabilis.

4. Natura non nascitur, sed compositum naturale individuum speciei nascitur; & si individua specierum nascuntur ad conservandum species, de necessitate convenit, quòd sit natus aliquis Homo ad conservandum in te & in me & in illo fidem, spem, charitatem, justitiam &c.; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd appetitus naturalis magis se haberet ad conservandum species, quàm supremum Bonum ad conservandum virtutes in rationalibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ad conservandum virtutes in homine, quæ illi conveniunt; sinè qua Incarnatione supradictæ virtutes non tam congruè possent conservari in homine, sicut per Incarnationem & Nativitatem & alios Articulos.

5. Si dicis, quòd sit impossibile, quòd infinitum possit nasci de finito, verum dicis; sed sicut tua anima est nata à tua matre cum corpore, quia erat unum suppositum cum corpore, & non, quia erat anima, & tuum corpus est natum, quia se inclinat ad nascendum secundùm cursum naturalem, ita infinitum, de quo tu intendis loqui, hoc est, Filius DEI, fuit natus, in quantum erat unum suppositum cum Humanitate, quæ fuit nata; sed quantum ad naturam divinam non convénit, quòd nasceretur à natura finita, ad significandum, quòd de Natura infinita, hoc est, Patre, Filius sit generatus infinitè & æternaliter sinè quantitate & principio & fine.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

De Passione nostri Domini JESU Christi.

1. DE necessitate convenit, quòd mors, quæ in hoc mundo est causa finalis vitæ, conveniat cum majoritate, & vita, quæ in hoc mundo est causa finalis morti, conveniat cum minoritate; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd mors plantarum & irrationalium, quæ est propter hoc, ut rationalia vivant, non concordaret cum minoritate, & quòd mors, quam rationalia habent ad serviendum & laudandum & honorandum supremum Bonum, quæ mors est causa finalis vitæ, quam Martyres habuerunt in hoc mundo, non concordaret cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd noster Dominus JESUS Christus sit mortuus, & voluerit mori, ad serviendum, laudandum & honorandum supremum Bonum; quia si non esset mortuus, sequeretur, quòd mors Martyrum, qui sunt mortui ad serviendum & laudandum & honorandum supremum Bonum, non concordaret cum majoritate, & vita JESU Christi cum minoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd unio Filii DEI cum humana Natura JESU Christi (quam unionem probavimus in hoc Libro) non esset causa Vitæ JESU Christi, quòd esset nobilior, quàm omnes aliæ vitæ creatæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd noster Dominus JESUS Christus fuerit mortuus morte accidentali, ad demonstrandum, quòd sua mors & sua vita fuerit supra omnem aliam vitam, quæ fuit & est in creatura.

2. Certum est humano intellectui, quòd supremum Bonum habeat perfectionem in se ipso & in suo Opere, quod Opus habet in se ipso; & hoc est probatum & demonstratum *per secundum & per tertium Librum:* unde cùm supremum Bonum sit perfectum in se ipso & in suo opere, convenit, quòd extra se ipsum faciat Opus perfectum, ad demonstrandum Opus perfectum, quod habet in se ipso; quia si hoc non faceret, haberet defectum in suo Opere ad extra, per quem demonstraretur, quòd esset defectus in Opere, quod habet in se ipso: & quia est impossibile, quòd habeat defectum in se ipso & in Opere, quod habet in se ipso, ideo convenit, quòd creaverit & fecerit Opus extra se ipsum, quod sit perfectum in altiori perfectione, quam creatura possit recipere; quia si creatura posset plus recipere, opus non venisset ad perfectionem nec ad finem nec ad supremum gradum, quem creatura potest recipere; & si hoc non esset, Opus, quod supremum Bonum fecisset extra se ipsum, non esset perfectum: unde ad hoc, ut Opus esset perfectum, voluit perficere Opus cum se ipso, tunc, quando se univit cum humana Natura, quæ fuit in altiori perfectione & in nobiliori fine, quem creatura potest recipere: & quia illa Natura humana est nobilior & perfectior, si sua Mors est causa & finis ad recreandam humanam speciem, quàm si non fuisset mortua ad recreandam humanam speciem, idcirco demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum voluit exaltare Naturam humanam JESU Christi per unire se cum illa, ita illam voluerit honorare & exaltare per mortem, quæ esset finis & reparatio humani generis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum perfecisset Naturam humanam JESU Christi per unum modum, hoc est, per Incarnationem, & non honorasset illam per alium modum, hoc est, per Mortem & per Recreationem; quem honorem Natura humana Christi potuisset recipere, & supremum Bonum non tanto honore illam honorasset, quantum honorem Natura humana potest recipere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Passio JESU Christi & Recreatio humani generis est demonstrabilis.

3. Multæ sunt rationes, quare supremum Bonum est incarnatum, & inter alias potes scire, quòd supremum Bonum, hoc est, Filius, sit incarnatus ad hoc, ut faciat unum hominem totum perfectum in sua vita & in sua morte, ad dandum tibi & mihi & illi, ut faciamus omne id, quod possumus, ad hoc, ut supremum Bonum honoretur ab illis, qui illud inhonorant, & ut laudetur ab illis, qui illud blasphemant, & ut cognoscatur ab illis, qui illud ignorant, & ut ametur ab illis, qui illud odiunt; & sic de aliis. Unde sicut tu eris similis DEO, secundùm quòd es creatura, si facis hoc, quod potes, in serviendo supremo Bono per mori & per vivere, & per relinquere mulierem & liberos & dominium terrenum

est impossibile,
quòd infinitum
possit nasci de
finito; sed sicut
anima est nata
à Matre cum
corpore, quia e-
rat unum sup-
positum cum
corpore, et non,
quia erat anima,
et corpus est na-
tum, quia se
inclinat ad nas-
cendum secundum
cursum natura-
lem, ita infini-
tum hoc est, Fi-
lius Dei, fuit
natus, in quan-
tum erat unum
suppositum cum
Hu

Humanitate
quidem fuit nata,
sed quantum
ad habitudinem
divinam non
convenit, quòd
naturam finita.

unde si supremum Bonum se facit causatum (ita loquendo) & facit, creaturam esse causam ipsius, causa & causatum sunt principia, per quæ est demonstrabile majus causatum, quod possit esse: unde ad demonstrandum causatum (ita loquendo) quod convenit esse demonstrabile in supremo Bono, hoc est, Filium natum à Patre, convénit, quòd supremum Bonum assumpserit Naturam humanam, & quòd humana Natura illud causet nasci, existens unum suppositum cum Natura humana JESU Christi, qui natus est de gloriosa Virgine nostra Domina sancta MARIA: & si hoc ita est, demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum est supra inferius, quia est causa, & inferius bonum est inferiùs, quia est causatum, ita supremum Bonum sit supra inferius, quia est causatum ad nascendum, & inferius bonum est inferiùs, quia est causa, quòd Filius DEI sit natus ex Muliere: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum est majus, quàm creatura, quia est causa inferiori, ita sit causatum majus, quàm creatura, quia supremum Bonum est causatum ad nascendum per creaturam: & si est majus, quàm creatura, convenit, quòd supremum Bonum sit majus, quàm creatura, quia est causa & causatum; & si non esset majus, quàm creatura, quia est causatum, haberet defectum bonitatis, potestatis &c., in quantum non transcendisset creaturam per esse causatum, sicut illam transcendit per esse causa, & non dedisset æquale causatum suæ causæ: & quia est impossibile, quòd supremum Bonum habeat defectum bonitatis, potestatis &c., per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit natus de Muliere, & fuerit causatus ad nascendum de Muliere, per hoc, quia fuit unitus cum Natura humana, quæ convenit cum Nativitate.

3. Probata est Trinitas in *tertio Libro:* unde ad demonstrandum, quòd Pater æternaliter & infinitè generet & generabit Filium cum perfecta sapientia, Pater voluit, quòd Filius incarnaretur & nasceretur, & quòd Humanitas, quam assumpsit, nasceretur cum tanta sapientia, quantam habuit tunc, quando pervénit ad perfectam ætatem, ad demonstrandum, quòd, si Humanitas habuit tantam sapientiam, quando fuit nata, quantam habuit, quando fuit in perfecta ætate, & hanc sapientiam habuit per unionem Naturæ divinæ, igitur quantò magis Filius, qui est unus cum Patre & Sancto Spiritu in Essentia, habuerit tantam sapientiam, antequam mundus esset, quantam habet nunc, & quantam habebit æternaliter & infinitè. Unde si supremum Bonum non esset incarnatum, & non esset natum cum Natura humana, habendo perfectam sapientiam, non daret de se ipso perfectam demonstrationem supradictæ sapientiæ; & si illam non daret, haberet defectum bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Nativitas Filii DEI est demonstrabilis.

4. Natura non nascitur, sed compositum naturale individuum speciei nascitur; & si individua specierum nascuntur ad conservandum species, de necessitate convenit, quòd sit natus aliquis Homo ad conservandum in te & in me & in illo fidem, spem, charitatem, justitiam &c.; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd appetitus naturalis magis se haberet ad conservandum species, quàm supremum Bonum ad conservandum virtutes in rationalibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ad conservandum virtutes in homine, quæ illi conveniunt; sinè qua Incarnatione supradictæ virtutes non tam congruè possent conservari in homine, sicut per Incarnationem & Nativitatem & alios Articulos.

5. Si dicis, quòd sit impossibile, quòd infinitum possit nasci de finito, verum dicis; sed sicut tua anima est nata à tua matre cum corpore, quia erat unum suppositum cum corpore, & non, quia erat anima, & tuum corpus est natum, quia se inclinat ad nascendum secundùm cursum naturalem, ita infinitum, de quo tu intendis loqui, hoc est, Filius DEI, fuit natus, in quantum erat unum suppositum cum Humanitate, quæ fuit nata; sed quantum ad naturam divinam non convénit, quòd nasceretur à natura finita, ad significandum, quòd de Natura infinita, hoc est, Patre, Filius sit generatus infinitè & æternaliter sinè quantitate & principio & fine.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

De Passione nostri Domini JESU Christi.

1. DE necessitate convenit, quòd mors, quæ in hoc mundo est causa finalis vitæ, conveniat cum majoritate, & vita, quæ in hoc mundo est causa finalis morti, conveniat cum minoritate; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd mors plantarum & irrationalium, quæ est propter hoc, ut rationalia vivant, non concordaret cum minoritate, & quòd mors, quam rationalia habent ad serviendum & laudandum & honorandum supremum Bonum, quæ mors est causa finalis vitæ, quam Martyres habuerunt in hoc mundo, non concordaret cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd noster Dominus JESUS Christus sit mortuus, & voluerit mori, ad serviendum, laudandum & honorandum supremum Bonum; quia si non esset mortuus, sequeretur, quòd mors Martyrum, qui sunt mortui ad serviendum & laudandum & honorandum supremum Bonum, concordaret cum majoritate, & vita JESU Christi cum minoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd unio Filii DEI cum humana Natura JESU Christi (quam unionem probavimus in hoc Libro) non esset causa Vitæ JESU Christi, quòd esset nobilior, quàm omnes aliæ vitæ creatæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd noster Dominus JESUS Christus fuerit mortuus morte accidentali, ad demonstrandum, quòd sua mors & sua vita fuerit supra omnem aliam vitam, quæ fuit & est in creatura.

2. Certum est humano intellectui, quòd supremum Bonum habeat perfectionem in se ipso & in suo Opere, quod Opus habet in se ipso; & hoc est probatum & demonstratum *per secundum & per tertium Librum:* unde cùm supremum Bonum sit perfectum in se ipso & in suo opere, convenit, quòd extra se ipsum faciat Opus perfectum, ad demonstrandum Opus perfectum, quod habet in se ipso; quia si hoc non faceret, haberet defectum in suo Opere ad extra, per quem demonstraretur, quòd esset defectus in Opere, quod habet in se ipso: & quia est impossibile, quòd habeat defectum in se ipso & in Opere, quod habet in se ipso, ideo convenit, quòd creaverit & fecerit Opus extra se ipsum, quod sit perfectum in altiori perfectione, quam creatura possit recipere; quia si creatura posset plus recipere, opus non venisset ad perfectionem nec ad finem nec ad supremum gradum, quem creatura potest recipere; & si hoc non esset, Opus, quod supremum Bonum fecisset extra se ipsum, non esset perfectum: unde ad hoc, ut Opus esset perfectum, voluit perficere Opus cum se ipso, tunc, quando se univit cum humana Natura, quæ fuit in altiori perfectione & in nobiliori fine, quem creatura potest recipere: & quia illa Natura humana est nobilior & perfectior, si sua Mors est causa & finis ad recreandam humanam speciem, quàm si non fuisset mortua ad recreandam humanam speciem, idcirco demonstratur, quòd, sicut supremum Bonum voluit exaltare Naturam humanam JESU Christi per unire se cum illa, ita illam voluerit honorare & exaltare per mortem, quæ esset finis & reparatio humani generis: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd supremum Bonum perfecisset Naturam humanam JESU Christi per unum modum, hoc est, per Incarnationem, & non honorasset illam per alium modum, hoc est, per Mortem & per Recreationem; quem honorem Natura humana Christi potuisset recipere, & supremum Bonum non tanto honore illam honorasset, quantum honorem Natura humana potest recipere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Passio JESU Christi & Recreatio humani generis est demonstrabilis.

3. Multæ sunt rationes, quare supremum Bonum est incarnatum, & inter alias potes scire, quòd supremum Bonum, hoc est, Filius, sit incarnatus ad hoc, ut faciat unum hominem totum perfectum in sua vitâ & in sua morte, ad dandum tibi & mihi & illi, ut faciamus omne id, quod possumus, ad hoc, ut supremum Bonum honoretur ab illis, qui illud inhonorant, & ut laudetur ab illis, qui illud blasphemant, & ut cognoscatur ab illis, qui illud ignorant, & ut ametur ab illis, qui illud odiunt; & sic de aliis. Unde sicut tu eris similis DEO, secundùm quòd es creatura, si facis hoc, quod potes, in serviendo supremo Bono per mori & per vivere, & per relinquere mulierem & liberos & dominium terrenum

& amicos & parentes & bona temporalia, & relinquas tuam terram, & vadas in extraneam terram mori propter ſupremum Bonum, ita ſupremum Bonum, in quantum eſt incarnatum, & eſt Creator, eſt ſimile tibi in hoc, quòd tantum fecerit ob amorem tui; quia de non eſſe te traxit, & dedit tibi eſſe humanum, & dedit tibi bona temporalia, & fecit te Chriſtianum, & te recreavit cum Carne & Sanguine, quæ aſſumpſit ad te redimendum, & ad tantam gloriam te diſpoſuit, quæ non habebit finem. Unde cùm ſupremum Bonum tantum fecerit propter amorem tui, & ut te poſſet inducere, ad hoc, ut faceres omne, quod potes facere, ad honorandum, ſerviendum & amandum illud, voluit aſſumere Naturam hominis, & voluit, quòd illa Natura moreretur ad reſtaurandum hominem: unde ſi hoc non ita eſſet, ſupremum Bonum non cauſaſſet te tam proportionaliter, ut eſſes ſimilis illi in faciendo totum tuum poſſe, ſicut ſupremum Bonum, quod in ſe ipſo fruitur totâ ſuâ poteſtate in generando Filium, & in ſpirando Sanctum Spiritum à Patre & Filio, ut ſint una Eſſentia bona, potens, ſapiens &c.

4. Vita & eſſe conveniunt, & mors & privatio conveniunt; unde, cùm eſſe & majoritas conveniant, & privatio & minoritas, & quia ſupremum Bonum creavit inferius bonum ad demonſtrandam ſuam nobilitatem & ſuam altitudinem, vide, utrùm una mors ſit nobilior & altior in una creatura, quàm omnes vitæ aliarum creaturarum, quantò magis & fortiùs per illam nobilitas & altitudo eſt demonſtrabilis, quàm ſi non nobilitaſſet unam mortem ſuper omnes alias vitas & mortes: unde cùm hoc ita ſit, de neceſſitate convenit hoc, per quod ſua nobilitas & ſua altitudo eſt fortiùs demonſtrabilis.

5. Si tu vis amare ſupremum Bonum tantùm, quantùm potes illud amare, tunc vis mori ad laudandum & honorandum ſupremum Bonum; & ſi ob amorem illius vis mori, convenit, quòd hoc ponas in opere; quia ſi hoc non faceres, non velles illud tantùm amare, quantùm vis amare: & ſi non vis mori ad illud honorandum & illi ſerviendum, tunc non vis illud tantùm amare, quantùm illud potes amare: unde, cùm hoc ita ſit, ad hoc, ut ſupremum Bonum demonſtret, quòd in ſe ipſo Pater tantùm velit amare Filium, quantùm illum poteſt amare, Filius voluit incarnari, & tantùm voluit amare Carnem, quam aſſumpſit, quantùm Caro poteſt recipere amorem Filii; & ideo illa Caro JESU Chriſti fuit crucifixa & vituperata & mortua ad amandum te & me & illum tantùm, quantùm poteſt amare: unde ſi Caro JESU Chriſti non fuiſſet mortua, magis potuiſſet amare, quàm amaſſet; & ſi hoc feciſſet, eſſet defectus amoris in Filio DEI unito cum illa; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem eſt demonſtrata ſancta Paſſio noſtri Domini JESU Chriſti.

6. Si tu morereris, ut ires in gloriam, tua mors eſſet cauſa gloriæ; & ſi eſſet, ſequeretur, quòd mors diſconveniret cum peccato, & quòd conveniret cum virtute; & ſi conveniret cum virtute, non eſſet mors in homine ratione peccati originalis: unde cùm tu Judæus & ille Saracenus & ego Chriſtianus dicamus, quòd naturaliter moriamur propter peccatum originale, ſi verum dicimus, de neceſſitate convenit, quòd ſit una mors, per quam moriatur & deleatur peccatum originale, & quòd illa mors, quæ eſt propter peccatum originale, non ſit cauſa, quare homo vadat ad gloriam, ſed ſit alia mors, quæ ſit contraria peccato, quæ ſit major, quàm peccatum; quæ mors ſinè conjunctione Naturæ divinæ & humanæ non ſufficeret eſſe cauſa gloriæ, nec eſſe major, quàm totum originale peccatum.

7. Si tu me creaviſſes, & mihi dediſſes bona hujus mundi, & me poſuiſſes in viam perdurabilis gloriæ per tuam paſſionem & tuam mortem, tunc ego non meliùs poſſem eſſe tuus, nec meliùs ſubmiſſus tuo honori: unde cùm hoc ita ſit, aperi tuos oculos, & vide, quomodo Paſſio JESU Chriſti in iſtis verbis ſignificetur & demonſtretur.

CAPUT XXIX.

De Anima JESU Chriſti, quæ deſcendit ad Inferos, ad hoc, ut inde liberaret illos, qui in illum ſperaverunt.

1. PRincipia, per quæ probatur, quòd Anima JESU Chriſti deſcenderit ad Inferos, ſunt cameræ Figuræ, quæ continentur in *Prologo hujus Libri*; & quòd hoc ita ſit, probamus iſto modo.

2. De neceſſitate convenit, quòd, ſi in ſupremo Bono eſt bonitas, poteſtas, ſapientia &c., iſtæ cameræ ita demonſtrentur inferiori

inferiori bono, ſicut inferius bonum hoc poteſt recipere; quia ſi inferius bonum poſſet altiùs & nobiliùs recipere demonſtrationes camerarum, quàm ſint demonſtrationes, quas ſupremum Bonum de illis dat, ſequeretur, quòd ſupremum Bonum eſſet oppoſitum ſuismet virtutibus; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd, ſi inferius bonum poſſet plus demonſtrationis recipere, quàm recipit, ſupremum Bonum ſe demonſtraret adhuc plùs, quàm demonſtrat: unde cùm hoc ita ſit, per hoc demonſtratur, quòd Anima JESU Chriſti deſcenderit ad inferos, ad demonſtrandum, quòd Filius DEI ſit in omni loco eſſentialiter in bonitate, poteſtate &c.; quia ſi Corpus JESU Chriſti remanſit in Cruce, & Anima deſcendit ad inferos, & Filius DEI fuit unum Suppoſitum cum Corpore & Anima, demonſtratum fuit, quòd Filius eſſentialiter & bene & potenter &c. erat in Cruce & in inferis; quia ſi non, eſſet impoſſibile, quòd poſſet eſſe unum Suppoſitum cum Anima & cum Corpore, dum illud Corpus erat in Cruce, & Anima in inferis.

3. Cùm Prophetæ & ſancti Patres eſſent in inferis, per hoc, quia non erant recreati, usque dum JESUS Chriſtus aſſumpſit Paſſionem (& hoc probatur ulteriùs) convénit, quòd Anima Chriſti deſcenderet ad inferos, & quòd extraheret illos, ad demonſtrandum, quòd, ſicut homo, hoc eſt, Adam, fuit cauſa illorum pœnæ, quia peccavit, ita Homo, hoc eſt, JESUS Chriſtus, eſſet cauſa illorum Redemptionis per Paſſionem & per Mortem; & ſi hoc non ita eſſet, demonſtraretur, quòd humana ſpecies magis potuiſſet mortificari & deſtrui per peccatum, quàm vivificari & reſtaurari per virtutem: & ſi hoc eſſet, ſequeretur, quòd peccatum & homo fortiùs concordarent contra humanam ſpeciem, quàm concordantia virtutis & hominis cum humana ſpecie; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd homo & peccatum concordarent cum eſſe & cum majoritate, & virtus & homo cum privatione & cum minoritate; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd peccatum concordaret cum majoritate, & virtus cum minoritate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd Anima Chriſti deſcenderit ad inferos.

4. Tu ſcis, quòd, ſi teſtimonium duorum eſt magis affirmabile, quàm unius, ſit magis demonſtrabile, quòd Filius DEI ſit unum Suppoſitum cum JESU Chriſto, ſi Anima deſcendit ad inferos, & ſe demonſtravit illis, qui fuerunt in inferis, & per juſtitiam reliquit culpabiles, & inde extraxit per charitatem & per juſtitiam innocentes à peccato actuali, ut eſſent teſtes, quàm ſi Anima JESU Chriſti non deſcendiſſet ad inferos, nec dediſſet de ſe illa teſtimonia, quæ dat de ſanctis Patribus in gloria Angelis, & in inferno damnatis: *& quia hoc, quod eſt magis probabile, eſt affirmabile ſecundùm Conditiones hujus Artis*, ideo demonſtratur, quòd Anima Chriſti deſcenderit ad inferos.

5. Tu ſcis, quòd humilitas & perfectio & eſſe conveniant, & quòd ſuperbia, defectus & privatio conveniant: unde ſi Corpus JESU Chriſti fuit humiliatum ad graves labores & ad anguſtioſam mortem & ad eſſe poſitum ſub terra, & hoc ad demonſtrandam perfectam humilitatem, convénit, quòd Anima ſe humiliaverit ad deſcendendum ad inferos, ad demonſtrandam perfectam humilitatem; & ſi hoc non eſſet, Corpus daret majorem demonſtrationem humilitatis, quàm Anima: & quia conveniunt in humilitate & perfectione, ideo convénit, quòd, ſi Corpus fuit humiliatum ad mortem, Anima fuerit humiliata ad deſcendendum ad inferos, ad hoc, ut exaltaret humiles, & relinqueret ſuperbos.

CAPUT XXX.

De Reſurrectione noſtri Domini DEI JESU Chriſti.

1. CAmeræ Figuræ, quæ eſt in Prologo hujus Libri, & mors JESU Chriſti ſunt principia, per quæ eſt demonſtrabilis Reſurrectio noſtri Domini JESU Chriſti; quia ſi non eſſet Reſuſcitatus, ſequeretur, quòd Anima JESU Chriſti, quæ habuit perfectas virtutes, & Corpus, quod ſuſtinuit gravem Paſſionem & Mortem, ut perveniret ad finem, quare fuit creatum & conjunctum cum Filio DEI, concordarent cum majoritate, & bonitas & poteſtas &c. cum minoritate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem de neceſſitate convenit, quòd JESUS Chriſtus ſit reſuſcitatus.

2. Principalis ratio & intentio, quare JESUS

JESUS Christus est mortuus, est, ut demonstraret magnam bonitatem & magnam potestatem &c., quæ sunt in supremo Bono; & secundaria ratio & intentio, quare est mortuus, fuit ad recreandum humanum genus: unde si esset à contrario sensu, demonstraretur per suam mortem, quòd supremum Bonum conveniret cum minoritate, & inferius bonum cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur & demonstratur, quòd, si JESUS Christus est resuscitatus, bonitas, potestas &c. conveniant cum fine, quare JESUS Christus est mortuus; & si non esset resuscitatus, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. essent oppositæ sibimet ipsis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem sancta Resurrectio est demonstrabilis.

3. Non tantùm est unus finis, quare Filius DEI est incarnatus, imò sunt multi; quia si non esset nisi unus finis, non esset facta nisi una demonstratio per unum finem; & si non esset nisi una demonstratio, sequeretur, quòd in supremo Bono privàretur bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut Filius DEI est incarnatus ad demonstrandam suam bonitatem, potestatem &c., & ad recreandum humanum genus, ita sit incarnatus, & voluerit, quòd Corpus moreretur, & quòd Anima descenderet ad inferos, & quòd Corpus resuscitaretur, ad demonstrandum, quòd in suppositò non fuerit alteratio, licèt Anima fuerit separata à Corpore, & fuerit reversa ad Corpus; & convenit, hanc demonstrationem fieri, ad hoc, ut esset demonstratio alterius demonstrationis, quam convenit fieri, hoc est, quòd, si Filius DEI non fuerit alteratus in esse unum Suppositum cum Corpore & Anima JESU Christi, licèt Corpus & Anima fuerint alterata in mutatione per Mortem & Resurrectionem Corporis, quantò magis igitur disconveniat, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus alterentur per Incarnationem Filii; quia si Creatura non est alterata in Creatore, licèt illa sit alterabilis in se ipsa, quantò meliùs convenit, quòd tres Personæ non sint alterabiles in Incarnatione: & quia hæc demonstratio convenit per Resurrectionem, si Resurrectio non esset, bonitas, potestas &c. essent oppositæ demonstrationi, cum qua conveniunt; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Resurrectio est demonstrabilis.

4. Si JESUS Christus est resuscitatus, tu potes habere majorem fidem & spem in tuam resurrectionem, si affirmas Resurrectionem Christi; & si Christus non est resuscitatus, & tu affirmas, quòd sit resuscitatus, haberes tantam fidem & spem in tuam resurrectionem, quantam haberes, si JESUS Christus esset resuscitatus; & si tantam haberes, in supremo Bono privaretur bonitas, potestas &c.; quia de hoc, quod non est, haberes tantam virtutem, quantam de hoc, quod est; & quia non esse convenit cum minoritate, & esse cum majoritate, ideo convenit, quòd Christus sit resuscitatus, & quòd per virtutem sui esse & suæ Resurrectionis tu habeas majorem fidem & spem in tuam resurrectionem, si affirmas, quòd Christus sit incarnatus, & quòd haberes minorem fidem & spem in tuam resurrectionem, si negas Resurrectionem JESU Christi.

CAPUT XXXI.

De Assumptione nostri Domini DEI JESU Christi.

1. PEr principia, quæ sunt in Figura hujus Libri, & per Conceptionem & per Nativitatem & per alios Articulos JESU Christi demonstratur Assumptio nostri Domini JESU Christi; quia si JESUS Christus non ascendisset ad Cœlos, multa inconvenientia sequerentur contra supradicta principia, per quæ Assumptio JESU Christi est demonstrabilis.

2. Probavimus, quòd noster Dominus JESUS Christus sit mortuus & resuscitatus; *propter hoc sua Mors & sua Resurrectio & cameræ Figuræ istius Libri sunt principia ad probandum, quòd JESUS Christus sit resuscitatus habens Corpus glorificatum;* quia si non haberet Corpus glorificatum, haberet corpus corruptibile; & si haberet, in supremo Bono non esset perfectio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Corpus glorificatum JESU Christi est demonstrabile; quæ demonstrabilitas est principium cum supradictis principiis ad demonstrandam Assumptionem nostri Domini JESU Christi, cùm iste mundus non sit locus corporis glorificati; quia si esset, non esset differentia inter hunc mundum & alterum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Corpus glorificatum JESU Christi conveniat cum altero sæculo, quod convenit cum majoritate, & quòd disconveniat cum hoc sæculo, quod convenit cum minoritate: unde si sæculum, quod convenit cum majoritate, non haberet in se hoc, quod illi convenit, & hoc sæculum, quod convenit cum minoritate, haberet in se hoc, quod illi disconvenit, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile.

3. Certum est, quòd Anima in isto mundo non sit in suo loco; quia si esset, haberet complementum in actione suarum potentiarum: & quia anima non potest satiari volendo (quia si satiaretur, quando haberet hoc, quod voluit, non vellet habere hoc, quod non habet, nec vellet intelligere hoc, quod non intelligit, quia intelligeret hoc, quod vellet intelligere) ideo demonstratur, quòd alterum sæculum sit locus animæ; quia si iste mundus non est suus locus, nec alter mundus esset suus locus, sequeretur, quòd Anima non veniret ad finem, propter quem est creata; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, quòd alterum sæculum sit locus Animæ: per quam probationem demonstratur, quòd Anima JESU Christi sit in altero sæculo; quia si non esset, aliæ Animæ concordarent cum majoritate, & sua concordaret cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem & per Resurrectionem est demonstrabilis Assumptio nostri Domini JESU Christi.

4. Supposito, quòd dæmones peccaverint, secundùm quòd tenet sancta Fides Catholica, est demonstrabilis Assumptio JESU Christi; quia si JESUS Christus est in gloria, Angeli illum adorant, quia est unum suppositum, in quo est Natura divina, & non habent invidiam esse æquales illi in nobilitate, & dæmones inde habent invidiam, & sunt magis oppositi Angelis; & ideo Angeli habent plus meriti & plus gloriæ, & dæmones habent plus pœnæ, quia habent majorem culpam: & quia major gloria & major pœna sunt principia, per quæ significatur major bonitas, potestas &c., quæ sunt in supremo Bono, ideo de necessitate convenit, quòd hoc, per quod meliùs est demonstrabilis bonitas, potestas &c. in supremo Bono, conveniat cum esse; quia si conveniret cum privatione, minor demonstratio opposita majori conveniret cum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, suprema Bonitas, Potestas & aliæ virtutes essent oppositæ sibimet ipsis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Assumptio, quam quæris, est demonstrabilis.

5. Imaginatio & spes sunt principia, per quæ demonstratur, quòd JESUS Christus ascenderit ad Cœlos; quia Animæ, quæ sunt in gloria, vident res corporales cum imaginatione, & imaginatio illas offert intellectui sinè quinque sensibus particularibus; & si hoc non ita esset, haberent defectum gloriæ, & haberent ignorantiam hujus mundi; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, in supremo Bono privaretur bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd res corporales sint apprehensibiles ab Animabus, quæ sunt sinè corpore, cum imaginativa: [*Gl. Disc. existente in illis in habitu, non in actu: videatur quæst. 79. Lib. Quæst. sol. per Art. Demonst. & Inv. Utrùm mortuo homine imaginativa remaneat in anima?*] unde si Corpus JESU Christi est in Cœlis, & imaginativa Animarum illud demonstrat intellectui, fortiùs format spem Resurrectionis, si JESUS Christus est in Cœlis, quàm formaret, si non esset in Cœlis; & quælibet Anima nobiliùs imaginatur suum corpus, quàm imaginaretur, si Corpus JESU Christi non imaginaretur: unde cùm per Assumptionem JESU Christi sequatur nobilior imaginatio & nobilior spes resurrectionis, quàm sequeretur, si JESUS Christus non esset in cœlesti gloria, ideo sua Ascensio est demonstrabilis: quia si JESUS Christus non esset in gloria, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. essent oppositæ imaginationi & spei, & quòd concordarent cum minoritate imaginationis & spei; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, essent oppositū hujus, in quo sunt fortiùs demonstrabilia; & hoc est impossibile.

6. Si tu es creatus, ut corporaliter ascendas ad cœlos, & tu non es unum suppositum cum Filio DEI, de necessitate convenit, quòd Corpus JESU Christi sit priùs in Cœlis, quàm tuum; quia si non, non conveniret cum majoritate, nec tuum cum minoritate: & si JESUS Christus est in

Cœlis, magìs conveniens est, quòd ille te recolat hìc inferiùs, ad hoc, ut ascendas ad illum, & quòd tu illum recolas in Cœlis, ad hoc, ut sis cum illo, quàm esset, si ille esset in terra; & si tua anima meliùs demonstrat suam virtutem in magìs nobilibus membris tui corporis, quàm in minùs nobilibus, de necessitate convenit, quòd JESUS Christus det majorem demonstrationem sui ipsius in magìs nobilibus locis, quàm in minùs nobilibus locis: unde cùm hoc ita sit, per omnes istas probationes & per multas alias demonstratur, quòd JESUS Christus abhinc ascenderit ad cœlestem Gloriam.

CAPUT XXXII.

Quomodo probetur, quòd noster Dominus JESUS Christus judicabit.

1. JUstitia & sapientia conveniunt Judici; & si Judex conveniret cum injuria & ignorantia, esset impossibile, quòd justitia & sapientia convenirent Judici: unde ad demonstrandum, quòd justitia & sapientia conveniant supremo Bono, & quòd supremum Bonum non conveniat cum injuria & ignorantia, supremus Pater voluit, quòd supremus Filius incarnaretur, & quòd esset Homo, & quòd justitia & sapientia tam fortiter conveniret cum illo Homine, quòd injuria & ignorantia non conveniret cum illo Homine, judicante illo Homine omnes creaturas; quia si per influentiam Naturæ divinæ unitæ cum Natura humana illa Natura humana potest esse conveniens ad judicandum omnes creaturas, quantò meliùs supremum Bonum est conveniens ad esse Judex omnium creaturarum: & quia convenit, hanc demonstrationem esse factam, & homo non posset esse convèniens ad judicandum omnes creaturas sinè Unione Naturæ divinæ & humanæ, ideo convénit, quòd Filius DEI incarnaretur, & quòd Judex esset DEUS & Homo.

2. Tu scis, quòd ad judicandum conveniant testimonia, ad demonstrandum justitiam judicis judicatis: unde si Filius DEI non judicaret cum Natura humana, judicaret sinè testimoniis; quia nisi creatura sit unita cum Natura divina, est inconveniens, quòd una creatura sciat omnia bona & omnia mala, quæ creaturæ fecerunt: unde ad hoc, ut Filius DEI judicaret cum testimoniis, voluit incarnari, & voluit, quòd Natura humana, cum qua fuit unum Suppositum, sciret omnia bona & omnia mala, quæ homo fecit, ad hoc, ut esset testimonium sententiæ divinæ, & ad hoc, ut Natura divina esset testimonium humanæ, voluit, quòd illa eadem sententia daretur per Naturam humanam: unde cùm talis sententia conveniat cum esse & cum majoritate, si suum oppositum, quod convenit cum minoritate, esset in esse, bonitas, potestas &c. esset oppositum ipsius esse & majoritatis, & concordaret cum minoritate & cum privatione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd Judex, qui in Die Judicii judicabit bonos & malos, sit DEUS & Homo.

3. Nunquam fuit major, nec erit tanta sententia, quanta erit sententia, quæ dabitur in Die Judicii; unde si minori sententiæ convenit, quòd Judex audiatur & videatur, quantò magis convenit tantæ Sententiæ, quanta est illa in Die Judicii, quòd videatur & audiatur Judex, qui dabit sententiam: & si hoc esset inconveniens, sequeretur, quòd virtus visiva & auditus disconvenirent cum majori sententia, & quòd convenirent cum minori; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. convenirent cum minoritate contra majoritatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd Judex, qui in Die Judicii dabit sententiam, sit visibilis & audibilis; & quia DEUS est invisibilis & inaudibilis secundùm suam expressam Naturam divinam, ideo convénit, quòd Filius sit incarnatus, & quòd sit vestitus Naturâ, per quam sensualiter esset visibilis & audibilis.

4. Si dicis, quòd supremum Bonum sit visibile intellectualiter, verum dicis; unde si damnati intellectualiter viderent supremum Bonum in Die Judicii, esset impossibile, quòd haberent damnationem; quia si esset possibile, sequeretur, quòd videre DEUM non esset gloria: unde cùm sit gloria, demonstratur, quòd, ad hoc, ut damnati sensualiter viderent Judicem, & illum non viderent in sua divina Essentia, convenerit, Judicem esse DEUM & Hominem. Et si dicis, quòd dæmones, qui sunt damnati, videant Essentiam divinam, verum dicis, in quantum illam vident per usum justitiæ, potestatis, sapientiæ &c., sed quantum ad Essentiam, non est verum; quia si viderent Essentiam, non essent passibiles; & si non essent passibiles, in suprema Essentia esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile.

5. Si JESUS Christus est verus DEUS & verus Homo, & est mortuus ad salvandum te, & judicavit se ipsum ad moriendum, ad delendum tua peccata & mea & peccata illius, si tu te judicas ad moriendum, ad honorandum illum & serviendum illi, & ille in die Judicii judicat te ad gloriam perdurabilem, magìs proportionaliter te judicabis ad moriendum, & judicaberis ad gloriam sinè fine, quàm si ille Judex, qui te judicabit in Die Judicii, non esset Homo, nec esset mortuus pro homine: & quia major proportio justitiæ & sententiæ convenit cum bonitate, potestate &c., si suum oppositum, quod convenit cum minoritate, conveniret cum esse, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. essent contrariæ illi causæ, per quam tu es magìs proportionatus ad judicandum te ipsum ad mortem, & ad vestiendum te vestimentis, quibus Christus se vestivit amore tui, quæ sunt vulnera, & quòd essent contra causam, propter quam supremum Bonum te meliùs potest judicare ad gloriam, quæ non habet finem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd conveniat, quòd Judex, qui feret ultimam sententiam, sit DEUS & Homo, & conveniat, quòd sit mortuus pro homine.

CAPUT XXXIII.

De Peccato Originali.

1. AD probandum & ad demonstrandum, quòd Natura divina sibi univerit Naturam humanam, convenit inquirere principia, per quæ potest probari & demonstrari; & quia Peccatum Originale est conveniens terminus ad probandum & ad demonstrandum Incarnationem, ideo per Peccatum Originale volumus significare & demonstrare Incarnationem, quam inquirimus: sed antequam per Peccatum Originale probemus Incarnationem, convenit, quòd probemus & demonstremus Peccatum Originale per aliqua principia; quia quemadmodum Peccatum Originale capimus pro principio ad probandam Incarnationem, ita convenit, quòd inquiramus principium vel principia ad probandum Peccatum Originale; quæ principia sunt *Bonitas, Justitia, Perfectio, Majoritas, Concordantia* & alia principia *Artis Compendiosæ inveniendi Veritatem.*

2. Sensualiter sentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd in homine sit passio per calorem & frigus & famem & sitim & morbum & mortem & per multos alios modos, & quòd hæc passio sit naturalis toti humanæ speciei: unde si ista passio & corruptio esset in homine sinè culpa, sequeretur, quòd bonitas, justitia, perfectio, quæ sunt in supremo Bono, concordarent cum minori usu in creatura; quia si non, sequeretur, quòd, si supradicta passio esset in homine per culpam, concordarent cum majori usu in creatura; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, bonitas, justitia, perfectio & majoritas non essent hoc, quod sunt; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd passio naturalis, quæ naturaliter est in homine, sit per culpam primorum Parentum, in quibus erat humana species, hoc est, Adam & Evæ: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd Peccatum Originale sit in humana specie.

3. Cùm probaverimus, quòd Peccatum Originale naturaliter descenderit in hominem à primo Parente, convenit, quòd probemus, utrùm Peccatum Originale sit spiritualiter in humana specie, vel non? unde sicut per supradicta principia probavimus Peccatum Originale corporaliter, ita per supradicta principia possumus probare, quòd peccatum non tantùm sit originale, quantum ad corpus, sed potiùs, quantum ad Animam.

4. De necessitate convenit, quòd in suprema Essentia bonitas & justitia sint unum & idem; & quia de necessitate est, quòd in supremo Bono bonitas & justitia sint unum & idem, ideo demonstratur, quòd Peccatum Originale sit spiritualiter super humanam speciem; quia si non esset, sequeretur, quòd bonitas haberet majorem usum in humana specie, quàm justitia; & si haberet, esset impossibile, quòd essent unum & idem: unde cùm sint unum & idem, convenit, quòd, sicut bonitas exaltavit per benignitatem & per gratiam in Adam humanam speciem super alias species, ita justitia per culpam ipsius Adam depresserit humanam speciem infra species, super quas illam exaltavit bonitas; quæ di-

minutio vel depressio fuit facta, quantum ad culpam spiritualem; quia si peccatum non esset generale spiritualiter, quivis homo, qui haberet opinionem, quòd esset in vera credentia, salvaretur, licèt esset in falsa secta & credentia: & si salvaretur habendo falsam opinionem & credentiam, humana species non esset inferior speciebus vegetabilibus & irrationalibus, quibus est inferior, si homines, qui non recreantur, damnentur; quia meliùs esset illis, quòd essent irrationalia vel vegetabilia, quàm quòd sint homines & damnati; & quia usus justitiæ & bonitatis est unum & idem, in quantum sunt unum & idem, ideo demonstratur, quòd usus, quem bonitas habet in humana specie, habeat æqualem perfectionem cum usu, quem justitia habet in illa: & ideo demonstratur, quòd Peccatum Originale sit spiritualiter in humana specie; & si hoc non ita esset, bonitas & perfectio & majoritas convenirent, & justitia & perfectio & minoritas; & hoc est impossibile: quæ impossibilitas est principium, per quod Peccatum Originale spirituale est demonstrabile.

5. Si Adam non peccasset, individua humanæ speciei non essent mortalia nec corruptibilia, & appetitus naturalis haberet complementum in individuo rationali, sed Anima non haberet complementum; quia si homo non esset mortalis nec corruptibilis, non haberet liberum arbitrium ad acquirendum meritum nec culpam tam bene, sicut nunc habet, cùm homo est mortalis; & si illud non haberet, DEUS non haberet perfectam sapientiam in suo Opere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Peccatum Originale, & per peccatum demonstratur Incarnatio, ad reducendum hominem ad meliorem statum, quàm antè erat, quando non peccaverat, secundùm quòd suprà dictum est; in quo meliori statu non esset sinè Incarnatione Filii DEI.

6. Cùm probaverimus per necessarias Rationes demonstratas per supradicta principia necessaria Peccatum Originale corporaliter & spiritualiter, ideo per necessarias Rationes demonstratur Incarnatio Filii DEI; quia si Filius DEI non esset incarnatus, non esset, qui humanam speciem reduceret ad gradum, in quem fuit exaltata per supremam Bonitatem; de quo gradu illam depressit suprema Justitia, secundùm quòd suprà dictum est: & si humana species non fuisset reducta ad illum gradum, ad quem fuit exaltata per creationem, non esset in fine, quare fuit creata; & si non esset in fine, in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd humana species fuerit reducta ad finem, ad quem fuit creata; à quo fine fuit deviata per originale peccatum; per quam reductionem est demonstrabilis Incarnatio, quam inquirimus; sinè qua nec homo nec Angelus nec ulla alia creatura sufficeret ad reducendũ humanam speciem ad finem, quare fuit creata; quia sicut supremum Bonum illam creavit per bonitatem, & justitia illam depressit propter Originale Peccatum, ita convenit, quòd illud idem supremum Bonum illam exaltaret cum se ipso in eadem humana specie per unionem Naturæ divinæ & humanæ.

7. Suprema Justitia voluit, quòd Peccatum esset Originale, ad demonstrandum, quòd, si suprema Voluntas non consentit in Peccatum Originale, quamvis suprema Sapientia sciat Peccatum, antequam Adam illud faceret, quantò magis demonstratur, quòd, si tu facis Peccatum, per totum hoc suprema Voluntas non consentiat in tuum Peccatum, antequam te crearet, quamvis suprema Sapientia sciat, quòd tu peccares, si te crearet: unde sicut bonitas, potestas &c., quæ est in supremo Bono, meliùs demonstratur, si Peccatum est originale, quàm si generale non esset, ita suprema Voluntas fortiùs demonstratur, si Natura divina est unita cum Natura humana per influentiam supremæ Voluntatis, quàm si Natura divina non uniretur cum Natura humana: & quia suprema Justitia concordat cum suprema Voluntate, ideo suprema Justitia de necessitate voluit hoc, per quod suprema Voluntas esset maximè demonstrabilis; quia si hoc non vellet, esset oppositum voluntatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XXXIV.

De Recreatione.

1. SUpremum Bonum est infinita Virtus, & omne id, quod creavit & fecit in inferiori bono, creavit & fecit cum sua infinita Virtute; quia cum illa eadem Virtute, qua

quâ supremum Bonum habet productionem in se ipso, fruendo suâmet Trinitate, creat & facit in inferiori bono; sed quia inferius bonum non habet dignitatem nec possibilitatem essendi infinitum, ideo est creata & facta virtus finita per virtutem infinitam: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, sicut supremus Pater habet potestatem & sapientiam & voluntatem absolutam in generando Filium, & Filius habet potestatem & sapientiam & voluntatem absolutam in esse generatus (& hoc ideo, quia Pater est Virtus infinita Paternalis, & Filius Filialis, & Sanctus Spiritus Processionalis) ita omnes tres Personæ divinæ utantur inferiori bono cum potestate, sapientia & voluntate absoluta; sed quia inferius bonum non potest esse infinitum, ideo recipit, quòd tres Personæ divinæ utantur illo ordinatè & finitè, quantum ad relationem inferioris boni: & ideo finis, propter quem inferius bonum est creatum, convenit cum materia & forma finita; per quem finem supremum Bonum utitur inferiori bono, secundùm quòd convenit fini.

2. Secundùm quòd suprà dictum est, significatur, quòd supremum Bonum creaverit & fecerit meliorem & nobiliorem creaturam, quàm creatura per se possit recipere; quia si non creavisset, creatura esset æqualis in recipiendo cum agente, hoc est, Creatore; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, Creator non concordaret cum majoritate in sua actione, nec creatura cum minoritate in sua receptione & passione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Natura divina nobilitaverit Naturam humanam cum se ipsa; cùm non sit alia natura increata, nisi Natura divina: & si Natura increata nobilitavit creatam supra suos terminos, convenit, quòd sit conjuncta & unita cum illa in esse unum Suppositum, in quo Supposito natura creata est nobilior se ipsâ.

3. *De duobus supradictis paragraphis fecimus duo principia, in quibus significatur Recreatio, quam inquirimus;* quia sicut supremum Bonum operatur in inferiori bono de absoluta potestate & sapientia & voluntate, & sicut supremum Bonum nobilitat creaturam, uniendo Naturam divinam cum humana, ita convenit, quòd natura humana sit recreata cum nobiliori natura, quàm creaturâ; quia sicut natura humana fuit deteriorata, debilitata & diminuta in nobilitate & in virtute per minus, quàm per creaturam, hoc est, per peccatum, tunc, quando Adam peccavit, & peccatum fuit generale, secundùm quòd probavimus, ita de necessitate convénit, quòd natura humana recrearetur per majus, quàm per creaturam; quia si non, minus, quàm creatura, hoc est, peccatum, deprimeret & annihilaret creaturam & majus se ipso; & Creator non exaltaret nec renovaret nec recrearet creaturam, quæ est minor ipso: & si hoc ita esset, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Recreatio, quam inquirimus.

4. Multò major & nobilior virtus est recreare mundum, quàm creare illum; quia in creando non est opus misericordiâ, quæ condonet, nec justitiâ, quæ judicet culpam; & ad recreandum est opus usu misericordiæ & justitiæ: unde, ad demonstrandum, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus, qui sunt tria Supposita, possent creare mundum, Pater voluit mittere Filium, & quòd Filius esset unum Suppositum cum Natura humana, & quòd illud unum Suppositum sufficeret ad recreandum mundum, ad demonstrandum, quòd, si unum Suppositum sufficit ad recreandum mundum, & recreare est plus, quàm creare, & in illo Supposito est Natura finita, hoc est, humana Natura, quantò magis tria Supposita infinita, quæ sunt una Essentia infinita, sufficiant ad creandum mundum: unde si Recreatio non esset, non esset facta supradicta demonstratio; & quia demonstratio convenit ad demonstrandam perfectionem Creatoris, si demonstratio non esset facta per Recreationem, in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c., in quantum esset contrarium suæ demonstrationi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Recreatio est demonstrabilis.

5. Quando supremum Bonum creat inferius bonum, & facit aliquid in inferiori bono, hoc, quod facit in inferiori bono, facit extra se ipsum; sed si Natura divina sibi univit Naturam humanam, & propter illam Unionem & propter Mortem & Passionem Hominis, cum quo est unita Natura divina (secundùm quòd probavimus) est creatus mundus, tunc Natura divina con-

conjunxit in se ipsa Naturam humanam, cum qua recreavit mundum: unde si propter influentiam Unionis Filii cum Natura humana Christi supremum Bonum habet mundum, quantò magis est unum in se ipso per suam expressam Naturam & per Unitatem trium Personarum divinarum: unde cùm Recreatio demonstret multùm convenienter Opus, quod supremum Bonum potest habere & habet in se ipso, de necessitate convénit, quòd Recreatio esset, ad demonstrandum, quòd, si supremum Bonum conjungit tam fortiter sibi ipsi hoc, quod est extra se ipsum (ita loquendo) quantò magis uniat in se ipso hoc, quod non est extra se ipsum; hoc est, tres Personas divinas.

6. Inter alias rationes, per quas est demonstrabilis Recreatio, est hæc, ut in supremo Bono demonstretur Trinitas & Unitas; quia quando Adam fuit creatus, tunc in illo humana species per bonitatem & benignitatem fuit nobilitata super species, quæ sunt sub illo in nobilitate; & quando Adam peccavit, tunc justitia depressit humanam speciem infra species, quibus humana species est superior per Recreationem; & hoc ita fuit, ad demonstrandam differentiam & concordantiam & unitatem, quæ est inter Personas divinas, bonitatem & justitiam paternalem, & bonitatem & justitiam filialem, & bonitatem & justitiam processionalem: & ad hoc, ut demonstraretur, quòd bonitas & justitia paternalis & filialis & processionalis sint una eadem Essentia, bonitas & justitia essentialis voluit reducere humanam speciem in nobilitatem, per quam convenit cum fine, propter quem est creata; ad quam nobilitatem est reducta per Recreationem: & si Recreatio non esset, non tam congruè demonstraretur suprema Trinitas & Unitas; & si non, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, esset possibile, quòd supremum Bonum esset contrarium demonstrationi suæ Trinitatis & Unitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis Incarnatio, quam inquirimus.

CAPUT XXXV.

De Terminatione.

1. OMne id, quod intellectus intelligit in rebus sensualibus, intelligit mediatè cum imaginativa; unde quamvis intelligere & imaginari terminentur intra certos terminos, quando intellectus & imaginativa sunt in una eadem consideratione, per totum hoc non sequitur, quòd intellectus sit terminatus in imaginativa; quia si esset, sequeretur, quòd intellectus non posset intelligere sinè imaginativa; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd intellectus nihil posset intelligere, nisi corporale, cùm imaginativa capiat objectum corporale, & non possit apprehendere objectum incorporale; & quia intellectus capit objectum incorporale, ideo demonstratur, quòd intellectus non terminetur in imaginativa: unde ad demonstrandum, quòd, si una consideratio composita de intelligere & imaginari est, absque eo, quòd intellectus terminetur in imaginativa, quantò magis unum Suppositum infinitum possit esse unum Suppositum cum Natura finita, absque eo, quòd Suppositum infinitum terminetur in Natura finita: unde si Suppositum infinitum se non vellet unire cum Natura finita, ad hoc, ut in se ipso conservaret infinitatem, demonstraretur, quòd, si se uniret cum natura finita, non posset in se conservare suam infinitatem; & si non posset, esset inferius in nobilitate supradicto intellectu; & hoc est impossibile: ad quam impossibilitatem demonstrandam Filius DEI voluit incarnari, ad demonstrandum, quòd ille sit superior intellectu creato, habendo unam considerationem cum illo, hoc est, cum intellectu JESU Christi, & quòd Filius DEI non sit terminatus in illa consideratione, imò infinitè intelligat ultra intellectum creatum terminatum & finitum: & si Filius DEI non esset incarnatus, non demonstrasset supradictam demonstrationem; & si illam non demonstrasset, demonstraretur, quòd in illo privaretur bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

2. Tuus intellectus est potentia, & tuum intelligere est operatio tui intellectûs, & intellectus & intelligere sunt unum, & potentia non terminatur in suo intelligere; quia si terminaretur, potentia non concordaret cum majoritate, nec intelligere cum minoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tu non posses intelligere plus, quàm hoc, quod intelligis;

telligis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si intellectus est unum cum suo intelligere, absque eo, quòd terminetur in suo intelligere, quantò magis conveniat, quòd Filius DEI possit esse unum Suppositum cum Natura humana, absque eo, quòd terminetur in Natura humana: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd humanus intellectus conveniret cum majori potestate, & supremum Bonum cum minori; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandam hanc impossibilitatem Filius DEI voluit incarnari, ad hoc, ut demonstraret majorem possibilitatem in se ipso, quàm in creatura; sinè qua demonstratione possibilitatis in supremo Bono non esset demonstrabilis perfecta potestas.

3. Tua Anima & tuum corpus sunt unum suppositum, hoc est, tu ipse; unde quamvis tua Anima & tuum corpus sint unum suppositum, per totum hoc non sequitur, quòd tua Anima sit terminata in tuo corpore; quia si esset, non posset intelligere, nec amare, nec imaginari res, quæ sunt extra tuum corpus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut tua Anima non terminatur in tuo corpore, ita Natura divina JESU Christi non terminetur in Natura humana; & sicut tua Anima non terminatur in tuo corpore, quia Anima concordat cum majoritate, & virtutes & membra tui corporis terminantur in tua Anima, quia concordant cum minoritate, ita in nostro Domino JESU Christo Natura divina non terminetur in humana, & humana terminetur in divina, quia Natura divina concordat cum majoritate, & humana cum minoritate.

4. Ad demonstrandum, quòd Filius DEI non sit terminatus, quamvis sit generatus, Filius voluit incarnari, & esse unum Suppositum cum Natura humana finita, absque eo, quòd terminaretur per Naturam, cum qua est unum Suppositum; quia si Filius per Naturam finitam non recipit terminationem, quamvis cum illa sit unum Suppositum, quantò magis est inconveniens, quòd recipiat terminationem, quamvis sit generatus per Paternitatem infinitam: unde si Filius non esset incarnatus, non demonstrasset inferiori bono infinitatem, quæ est in supremo Patre & in se ipso; quam infinitatem convenit esse multùm demonstrabilem; per quam demonstrationem Incarnatio est demonstrabilis, ad demonstrandam bonitatem, potestatem &c., quæ in supremo Bono est demonstrabilis.

5. Si supremum Bonum esset unum suppositum cum lapide, & esset terminatum in lapide, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset in Cœlo: unde cùm sit in Cœlo & in lapide, posset esse unum suppositum cum lapide, absque eo, quòd terminaretur in lapide, ad demonstrandum, quòd, sicut in inferiori bono materia & forma non possunt esse unum suppositum sinè terminatione, ita in supremo Bono sit Natura, quæ potest esse unum Suppositum cum Natura finita sinè terminatione Naturæ divinæ, & sinè infinitate Naturæ creatæ: & quia supremum Bonum creavit inferius ad demonstrandum se ipsum majus in bonitate, potestate &c., quàm inferius bonum, ideo convénit, quòd Filius DEI incarnaretur, & quòd demonstraret, quòd, sicut est impossibile, quòd materia & forma possint conjungi & uniri sinè limitatione, ita sit impossibile, quòd finitum possit limitare & terminare infinitum, quamvis cum illo sit unum Suppositum: unde cùm Incarnatio sit multùm conveniens ad demonstrandam supradictam demonstrationem, si Incarnatio nihil esset, demonstraretur, quòd in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XXXVI.

De Simplicitate & Compositione.

1. ORdinalis materia est composita de quatuor elementis, veruntamen in illa sunt quatuor elementa simplicia; quia si essent composita, quodlibet elementum non haberet suam propriam sphæram; sicut ignis, qui habet suam sphæram supra aërem, & aër habet suam supra aquam, & aqua habet suam supra terram; & ideo demonstratur, quòd, quantum ad universalem materiam & formam, elementa sint simplicia, & in quantum componuntur in individuis specierum, sint particularia composita, & habeant materiam & formam particularem.

2. Materia & forma sunt hoc, de quo est compositum individuum speciei, absque

que eo, quòd forma sit composita de materia nec de individuo speciei; quia si esset, essent in quolibet individuo composito de materia & forma duo individua; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd forma sit simplex, quamvis cum materia, quæ est composita ex elementis, sit unum individuum speciei compositæ de materia & forma.

3. Quemadmodum sensualiter individuum sensibile est compositum ex materia & forma sensibili, ita intellectualiter intelligere est compositum ex intellectu & ex specie objecti intellecti; veruntamen intellectus non est compositus, nec species, quamvis intelligere ex illis sit compositum; & si intellectus & species objecti intellecti essent composita per compositionem ipsius intelligere, sequeretur, quòd intellectus esset compositus ex intelligere & specie, & quòd species esset composita ex intellectu & intelligere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd intellectus & species non sint composita, quamvis intelligere sit compositum ex intellectu & specie; & si non sunt composita, de necessitate convenit, quòd sint simplicia.

4. Homo est compositus ex Anima & corpore, & Anima est forma corpori; veruntamen Anima non est composita, quamvis ex illa & corpore componatur homo; quia si esset composita, conveniret, quòd esset composita ex homine & corpore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Anima sit simplex, quamvis homo componatur ex corpore & Anima; veruntamen Anima est composita secundùm comparationem simplicitatis DEI; quam compositionem non habet respectu sui ipsius & corporis; quia si illam haberet, sequeretur, quòd, quando est separata à corpore, esset simplex secundùm comparationem simplicitatis DEI; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Anima sit composita in se ipsa, & quòd sit simplex quantùm ad comparationem corporis, quamvis cum corpore, quod est compositum de quatuor elementis, sit unum individuum animal rationale.

5. Cùm supremum Bonum creaverit & ordinaverit inferius bonum ad demonstrandum suam gloriosam simplicitatem, & quia in quatuor supradictis paragraphis demonstratum est, quòd duo termini non intrent in compositionem, quamvis medium sit ex illis compositum, per hoc demonstratur sancta Incarnatio, cujus nos sumus inquisitores per necessarias Rationes; quia si duo termini creati & finiti non componuntur in se ipsis, quamvis medium sit ex illis compositum, & si forma remanet simplex, quamvis cum materia composita sit individuum compositum, de necessitate convenit, quòd Natura divina, quæ est simplex & infinita, possit esse unum individuum compositum de Natura divina & humana sinè compositione, quamvis humana Natura sit finita & creata & composita: & si Natura divina non posset esse simplex, & esset composita, quia est unum individuum compositum de Natura divina & humana, sua simplicitas non esset supra simplicitatem creatam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio; quam Incarnationem convénit esse, ad hoc, ut fieret demonstratio supremæ Simplicitatis, secundùm quòd convenit illam demonstrari per bonitatem, potestatem, quæ sunt in supremo Bono.

6. Scisnè, quare non possis intelligere, quòd simplicitas sit in Natura divina, quamvis de illa & de Natura humana sit compositum unum individuum, hoc est, JESUS Christus? ideo, quia tu non denudas intellectum ab imaginativa, quæ imaginatur, quòd hoc, quod sequitur de rebus compositis in composito ex illis, de necessitate debeat sequi in Natura divina, si est unita cum Natura humana; & quia tu non facis differentiam inter virtutem increatam & creatam, nec attribuis majoritatem virtuti increatæ, nec minoritatem virtuti creatæ, & non intelligis primos paragraphos hujus Capitis, ideo ignoras, & es contrarius bonitati, potestati &c., quæ est in supremo Bono; propter quam contrarietatem es indignus intelligere Incarnationem, quamdiu es contrarius Virtuti increatæ.

CAPUT XXXVII.

De Vita Contemplativa & Activa.

1. QUemadmodum forma vegetabilis in animali stat sub sensitiva, & sensitiva stat sub forma rationali, ita convenit, quòd Vita Activa sit sub Vita Contemplativa; & quia appetitus naturalis & vita activa

activa & iste mundus conveniunt (quia si disconvenirent, essent plures homines in hoc mundo in vita contemplativa, quàm in activa) ideo Filius DEI voluit esse Homo, & elegit vitam contemplativam, ad demonstrandam nobilitatem vitæ contemplativæ, & ad dandum exemplum, quòd omnes illi, qui sunt in vita activa, debeant esse submissi illis, qui sunt in vita contemplativa: unde sicut convenit, quòd sit forma rationalis, ad hoc, ut sit forma ipsi sensitivæ, & quia convenit, quòd sit forma sensitivæ, est in esse, ita convenit, quòd Filius DEI ipsemet sit Homo, & quòd, in quantum est Homo, assumpserit vitam contemplativam, ad hoc, ut vita contemplativa sit forma activæ; & si hoc convenit de Filio DEI & de vita contemplativa & activa, & Filius DEI non fecisset hoc, quod convenit, demonstraretur, quòd in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est significabilis.

2. Si tu es tam fortiter occupatus propter bona temporalia, quòd non possis abjicere vitam activam (quia si illam relinqueres, esses injuriosus tuæ uxori & tuis liberis vel tuæmet sensualitati) multò magis es causatus ad amandam vitam contemplativam, quàm activam, si Filius DEI est incarnatus, & assumpsit Passionem & Mortem ob amorem tui; & quia propter justitiam & charitatem tenes vitam activam, multò majorem justitiam facies, & plus desiderii & charitatis habebis: & quia Incarnatio & Passio JESU Christi convenit ad fortificandam speculativè in te vitam contemplativam, & practicè in te fortificat vitam activam, ideo convénit, quòd Filius DEI faceret hoc, per quod tu meliùs esses proportionatus ad vitam contemplativam & ad vitam activam; quia si hoc non fecisset, esset contrarius vitæ contemplativæ & vitæ activæ; & si esset, esset in supremo Bono privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem tibi significatur & demonstratur Incarnatio, quam quæris.

3. Charitas & contritio & lachrymæ & ploratus & vita contemplativa conveniunt; & si vis plorare ob amorem & ob contritionem de tuis peccatis, & non potes plorare, redi ad vitam activam, & permitte te duci ad tuammet sensualitatem, recolendo tuam uxorem vel tuos liberos, vel aliquem cognatum, quem multùm amas, & imaginare, quòd injustè coram te occidantur, & quòd te aspiciant, & ad te clament, ut illos adjuves, & quòd illos non possis adjuvare; & tunc tua sensitiva movebitur ad pietatem & ad plorandum; & postea redi ad vitam contemplativam, & recole JESUM Christum, qui, in quantum est Homo, est tuus cognatus, & in quantum est DEUS, est tuus Dominus, & imaginare, quomodo illum flagellabant & crucifigebāt & occidebant sinè culpa, quam non habebat, & tunc tu plorabis & contemplaberis illum: unde si Filius DEI non est incarnatus, & tu credis, quòd sit incarnatus, non habebis tantam virtutem ad mutandum te de vita activa ad contemplativam plorando, quantam habebis, si Christus est incarnatus; quia si haberes, sequeretur, quòd hoc, quod est, & quod non est, convenirent in æquali causalitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad hoc, ut per suam Incarnationem meliùs possis convertere tuos ploratus de vita activa ad contemplativam.

4. Desiderare & lætari & laudare & gratias agere & alia similia istis conveniunt cum vita contemplativa: unde si est verum, quòd Natura divina assumpserit Naturam humanam, & quòd Natura humana assumpserit Mortem ob amorem tui ad salvandum te, magis es causatus ad desiderandum & ad lætandum & ad laudandum & ad gratias agendum, quàm esses, si Natura divina & humana non essent unitæ in uno Supposito: & quò magis es causatus ad desiderandum & ad lætandum & ad laudandum & ad serviendum, eò magis es causatus ad contemplandum; & quò magis es causatus ad contemplandum, eò magis es causatus ad esse consolatus de aliquibus damnis, quæ capis in vita activa. Unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd hoc, per quod es meliùs causatus ad omnia supradicta, sit in esse; quia si non esset, sequeretur, quòd supremum Bonum & esse essent oppositæ; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd supremum Bonum & privatio convenirent, & quòd inferius bonum & esse convenirent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Si vis bonum expresè contemplari, abjice

abjice à tuo corde omnia, & pone ſupremum Bonum in illud; & ad hoc, ut objecta ſenſibilia, quæ impediunt contemplationem, tibi non ſint contraria, vade ad loca ſolitaria, & ſta ibi, & conſidera ſupremum Bonum & pœnas infernales tantùm, quantùm potes; & ſi Incarnatio & Paſſio & alii Articuli, quos inquirimus, te juvant ad contemplationem, quare negas illos Articulos? & quare odis hoc, quod ad contemplandum te adjuvat? quia odiendo cauſam, odis effectum: unde cùm hoc ita ſit, per hoc Incarnatio eſt demonſtrabilis; quia ſi Incarnatio Filii DEI eſſet poſſibilitas, per quam meliùs eſſes cauſatus ad contemplandum, & eſſet impoſſibilitas ſupremo Bono, ſequeretur, quòd in ſupremo Bono eſſet impoſſibile hoc, per quod tu habes majorem poſſibilitatem ad contemplandum; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſequeretur, quòd tu convenires cum majori poſſibilitate, & ſupremum Bonum cum minori; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem Incarnatio eſt demonſtrabilis.

CAPUT XXXVIII.

De Appetitu Naturali.

1. SEcundùm curſum naturalem ignis, qui eſt in ſua ſphæra, habet Appetitum naturalem deſcendendi ad ſphæras aliorum elementorum, quæ ſunt inferiora illo, ad hoc, ut elevet ad ſuam ſphæram hoc, quod non eſt in ſua ſphæra; & ſi hoc non eſſet ita, ſequeretur, quòd ignis, qui eſt altus in ſua ſphæra, non deſcenderet naturaliter, & quòd violenter deprimeretur, & quòd non eſſet agens in ſua operatione; & hoc eſt impoſſibile, & contra curſum naturalem: unde ſicut ignis, qui eſt altus, habet appetitum, quòd deſcendat, ad hoc, ut elevet hoc, quod eſt deorſum, ita habet appetitum, quando deſcendit, quòd aſcendat in ſuam ſphæram cum hoc, propter quod habuit appetitum deſcendendi: unde cùm hoc ita ſit, per appetitum ignis ſignificatur ſancta Incarnatio Filii DEI; quia ſi ignis, qui eſt creatura, habet appetitum, quòd de loco alto deſcendat ad imum, & de imo elevet ad locum altum hoc, quod eſt in loco imo, quantò magis convenit, quòd Creator habeat voluntatem, quòd deſcendat in Creaturam, & quòd elevet creaturam altiùs, quàm ſit ipſa, hoc eſt, ad Naturam divinam, cum qua fuit unita: & ſi hoc non eſſet ita, ſequeretur, quòd ignis haberet nobiliorem appetitum, quàm ſupremum Bonum voluntatem; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem Incarnatio eſt ſignificata & demonſtrabilis.

2. Ignis, qui eſt in ſua alta ſphæra, non poteſt deſcendere in ſphæram aliorum elementorum, nec poteſt aſcendere de inferioribus ſphæris ad altas ſinè mutatione locorum & ſinè motu: unde ad demonſtrandum, quòd Filius DEI ſit immutabilis & immobilis, & quòd ſit infinitus, & quòd ſit in omni loco & ultra locum, Pater voluit, quòd Filius deſcenderet in terram aſſumere Carnem humanam, & quòd inde elevăret in Cœlos illam Carnem; & ideo Filius deſcendit aſſumere illam Naturam, & aſcendit in illa Natura, absque eo, quòd fuerit mutabilis & mobilis; & hoc ideo, quia eſt in Cœlis, & eſt in terra, & eſt in omni loco, & omnis locus eſt terminatus in Filio: unde cùm Incarnatio & Aſſumptio, quam inquirimus, ſit multùm conveniens ad ſignificandum, quòd Filius ſit infinitus, & quòd ſit in omni loco, & immutabilis & imobilis, convénit, quòd eſſet Incarnatio & Aſſumptio noſtri Domini JESU Chriſti; quia ſi non eſſet, privaretur demonſtratio, quæ convenit ad ſignificandam infinitatem & immutabilitatem & immobilitatem Filii; & ſi privaretur demonſtratio Filii, hoc idem fieret de Patre & Sancto Spiritu; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, de ſupremo Bono privaretur bonitas, poteſtas &c.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem Incarnatio eſt demonſtrabilis.

3. Prima materia eſt per omnes ſphæras quatuor elementorum quantitate continuâ, & ſecunda materia habet quantitatem diſcretam in individuis ſenſibilibus compoſitis de materia & forma; & ideo materia prima & ſecunda habent communicationem in virtute: & quia ignis eſt nobilior in ſua ſphæra, quàm in alia ſphæra, ideo ignis, qui eſt in ſecunda materia, habet appetitum eſſendi in illa ſphæra, in qua ignis habet plus de regione in prima materia; & quia prima materia habens quantitatem continuam demonſtrat ſuam virtutem in ſecunda materia habente quantitatem diſcretam, ideo per opus & per appetitum naturalem eſt demonſtrabilis ſancta Unitas & Trinitas, quæ eſt in ſupremo Bono; quia per primam materiam ſignificatur

nificatur ſuprema Eſſentia, & per ſecundam materiam ſignificantur tres Perſonæ divinæ: unde ſi materia prima & ſecunda, quæ ſunt creaturæ, ſunt convenientes ad ſignificandam ſupremam Eſſentiam & tres Perſonas divinas, quantò magis convenit, quòd aliqua trium Perſonarum divinarum ſit unum Suppoſitum cum aliqua creatura, & quòd inſimul dent ſignificationem ſupremæ Eſſentiæ & trium Perſonarum divinarum: & ſi hoc non ita eſſet, demonſtraretur, quòd creatura ſinè Unione Creatoris eſſet magis conveniens ad ſignificandum & demonſtrandum Creatorem, quàm creatura unita cum Creatore; & hoc eſt impoſſibile: quia ſi eſſet poſſibile, ſignificaretur, quòd creatura concordaret cum majoritate, & Creator cum minoritate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem Incarnatio eſt demonſtrabilis.

4. Secunda materia eſt limitata in prima materia, ſed non è converſo; quia ſi converteretur, ſequeretur, quòd prima materia non eſſet inter ſpatium, quod eſt inter te & lunam; & hoc eſt impoſſibile: unde, ad demonſtrandum, quòd Filius ſit in Patre, & Pater in Filio ſinè ulla limitatione, convénit, quòd Filius incarnaretur, & quòd Humanitas limitaretur in Filio, & Filius non terminaretur in Humanitate: unde ſicut prima materia eſt eſſentialiter in ſecunda, & ſecunda eſt eſſentialiter in prima (quia ſi una non eſſet in altera eſſentialiter, ſequeretur, quòd prima materia non eſſet continua, & ſecunda non eſſet compoſitum ſenſibile cum forma) ita Pater eſt eſſentialiter in Filio, & Filius eſt eſſentialiter in Patre; quia ſi prima materia & ſecunda, quæ ſunt creaturæ, ſunt eſſentialiter una in altera, quantò magis Pater & Filius & Sanctus Spiritus, qui ſunt proprietates perſonales increatæ, ſunt eſſentialiter unus in altero: & ſi prima materia & ſecunda dant ſupradictam demonſtrationem, quantò magis convenit, quòd ipſemet Filius cum unione ſui & alicujus creaturæ det demonſtrationem, quòd eſſentialiter ſit unus cum creatura, & creatura eſſentialiter ſit una cum illo, ad demonſtrandum, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus ſint una Eſſentia.

5. Veritas eſt, quòd natura habeat appetitum, quòd conſervet, aliquas ſpecies eſſe in majori nobilitate, quàm alias, & quòd quædam individua ſpecierum ſint nobiliora, quàm alia; ſed natura non habet appetitum, quòd faciat unam creaturam nobiliorem, quàm omnes alias, & quòd conſervet unam creaturam in majori nobilitate, quàm ſit omnis nobilitas aliarum creaturarum: & quia natura & minoritas conveniunt, & Creator & majoritas conveniunt, ideo convenit, quòd, in hoc, quod natura appetit, quando vult unam ſpeciem nobiliorem, quàm aliam, & unum individuum ſpeciei nobilius, quàm aliud, & deficit in hoc, quòd non habeat appetitum, quòd una creatura ſit nobilior, quàm omnes aliæ creaturæ, conveniat, quòd ſupremum Bonum velit, quòd una creatura ſit nobilior, quàm omnes aliæ; ad demonſtrandum, quòd ſuprema Voluntas velit ſuper hoc, ad quod natura non ſufficit: & quia una creatura non poſſet eſſe melior, quàm omnes aliæ, ſinè conjunctione & unione Creatoris, ideo Incarnatio eſt demonſtrabilis.

6. Natura non facit niſi hoc, quod poteſt facere, & non facit minus, quàm ſuum poſſe; & ſi hoc non ita eſſet, ſuum opus non eſſet naturale: unde cùm ſuum opus ſit naturale, ad demonſtrandum, quòd ſupremum Bonum non faciat in ſe ipſo magis nec minùs, quàm hoc, quod poteſt facere, ideo ſupremum Bonum voluit, quòd Filius incarnaretur, & quòd demonſtraretur, quòd, ſicut creatura non poteſt facere majus ſe ipsâ, ſupremum Bonum, quod non poteſt facere majus ſe ipſo, faciat in creatura majus creaturâ: & ſicut creatura poteſt facere minus ſe ipsâ, hoc eſt, peccatum, ad demonſtrandum, quòd ſupremum Bonum non poſſit facere minus ſe ipſo, ita Filius, quia eſt oppoſitus peccato, voluerit, quòd creatura in illo eſſet major ſe ipsâ. Unde cùm hæc demonſtratio ſit multùm conveniens ad demonſtrandam bonitatem, poteſtatem &c., quæ eſt in ſupremo Bono, de neceſſitate convénit, Incarnationem eſſe; *per quam potes intelligere, quòd in Hoſtia conſecrata ſit major quantitas ſuâ formâ; & in Humanitate Chriſti ſit major virtus ipsâ.*

CAPUT XXXIX.

De Prædeſtinatione & Libero Arbitrio.

1. QUamvis Prædeſtinatio & Liberum Arbitrium non eſſent, per totum hoc non ſequitur, quòd ſupremum Bonum non ſit; quia ſi ſupremum Bonum non eſſet ſinè

prædestinatione & libero arbitrio, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset, si inferius bonum non esset; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si supremum Bonum & inferius sunt, de necessitate conveniat, quòd, si liberum arbitrium est, sit prædestinatio; quia si non esset, sequeretur, quòd liberum arbitrium esset nobilius, quàm prædestinatio; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd supremum Bonum conveniret cum minoritate, & inferius bonum cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem & per supradictas impossibilitates significatur & demonstratur, quòd suprema Sapientia & Justitia fortiùs conveniant cum prædestinatione & cum libero arbitrio secundùm respectum suî ipsarum, quàm secundùm respectum creaturarum; quia si non, esset impossibile, quòd suprema perfecta Sapientia & Justitia essent principia, per quæ prædestinatio & liberum arbitrium sunt demonstrabiles; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd, quamvis scires, quòd esses prædestinatus vel præscitus sinè libero arbitrio, per totum hoc non esses excusatus à fugiendo malum, nec à faciendo bonum, tantum fecit Filius DEI pro te, si est verum, quòd JESUS Christus sit verus DEUS & verus Homo, & quòd sit mortuus pro salvando homine: unde cùm hoc, per quod tu meliùs esses proportionatus ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum, conveniat cum esse & cum majoritate, & hoc, per quod minùs esses proportionatus, conveniat cum privatione & cum minoritate, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

2. Ad demonstrandum, quòd concordantia non privetur in Patre & Filio & Sancto Spiritu, convénit, esse inferius bonum, & convénit, quòd esset prædestinatio & liberum arbitrium, & quòd sapientia significaret, quòd liberum arbitrium non sit; quia sicut suprema Sapientia hoc scit, sic debet compleri, & justitia significaret, quòd conveniat, liberum arbitrium esse, ad hoc, ut justè te possit judicare ad gloriam vel ad pœnam: unde sicut sapientia & justitia concordant, licèt in te ipso appareat, quòd sint in contradictione, ita concordant in Incarnatione Filii DEI; quia justitia voluit, quòd Filius incarnaretur, & quòd per dignitatem & per Mortem & Passionem redimeret humanum genus, ad demonstrandum liberum arbitrium, & sapientia hoc voluit; quia si hoc non vellet, esset oppositа justitiæ: & si esset oppositа, non significaretur infinita concordantia, quæ est in Patre & Filio & Sancto Spiritu; & si non, in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis, ad demonstrandam prædestinationem & justitiam, per quam demonstratur concordantia sapientiæ & justitiæ, per quam est demonstrabilis concordantia Patris & Filii & Sancti Spiritûs.

3. Si suprema Sapientia scit, quòd sis præscitus, per totum hoc te non cogit nec te constringit ad faciendum malum, nec prohibuit, ne faceres bonum; quia, absque eo, quòd te cogat, venies ad hoc, ad quod sapientia scit, te venturum; quia si tu illuc non venires, nisi te cogeret, sequeretur, quòd sapientia esset oppositа libero arbitrio; & si esset, esset oppositа justitiæ, quæ est demonstrabilis per liberum arbitrium; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut justitia te non cogit ad faciendum bonum vel malum, dando tibi liberum arbitrium, ita sapientia te non cogat ad faciendum malum vel bonum, quod scit, te facturum: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus, ad hoc, ut per suam Incarnationem sis magis proportionatus ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum, conservando liberum arbitrium, quàm esses, si Filius DEI non assumpsisset Carnem; quia per Incarnationem & Passionem JESU Christi es tam occasionatus faciendi bonum, & fugiendi malum, quòd quasi videatur, liberum arbitrium à te esse ablatum; & quia in te remanet, ideo eò magis in te conservatur, quò magis es inclinatus ad faciendum bonum, & ad fugiendum malum: & quia per hoc, per quod liberum arbitrium meliùs conservatur, meliùs demonstratur justitia, & hoc, per quod magis calumniatur, est prædestinatio, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si tu es prædestinatus ad salvationem, magis es prædestinatus per opera supremi Boni, quàm per tua; quia si hoc non esset, tua opera essent æqualia tuæ salvationi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd tua opera non tantùm

tantùm conveniunt ad tuam salvationem, quantùm opera supremi Boni: unde cùm totum hoc, quod supremum Bonum facit, faciat cum justitia, ideo es magis proportionatus per opera supremi Boni, quàm per tua, si supremus Pater misit Filium, & Christus est mortuus pro te, quàm esses sinè Incarnatione; & quia hoc, per quod suprema Opera meliùs sunt causa tuæ salvationis, est affirmabile & laudabile & eligibile, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

5. Si tu es præscitus, tua opera & tua culpa sunt causa tuæ damnationis, & justitia te damnat; & si justitia esset causa tuæ damnationis, & non tua opera, justitia esset oppositа bonitati, potestati &c., quæ est in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio & Passio JESU Christi, ad demonstrandum, quòd tua culpa tibi sit causa tuæ damnationis; quia si justitia esset causa tuæ damnationis, noster Dominus JESUS Christus ob amorem tui non esset incarnatus nec mortuus: & quia Incarnatio Filii DEI & Passio Naturæ, quam assumpsit, demonstrat, quòd suprema Justitia non sit causa tuæ damnationis, ideo convénit, esse Incarnationem & Passionem & alios Articulos, qui pertinent ad Humanitatem nostri Domini JESU Christi.

CAPUT XL.

De Unitate & Pluralitate.

1. SI altior & nobilior Unitas & Pluralitas est in supremo Bono, convenit, quòd minùs nobilis sit in inferiori bono: unde cùm hoc ita sit, convenit, de altiori & nobiliori Unitate & Pluralitate exire influentiam tam magnam in inferius bonum, quòd faciat in illo unam Unitatem & unam Pluralitatem altiorem & nobiliorem, quàm omne aliud inferius bonum, ad demonstrandam excellentiam & nobilitatem supremæ Unitatis & Pluralitatis; & si hoc non ita esset, in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis, in qua est nobilior unitas & pluralitas creata, quàm omnes aliæ unitates & pluralitates creatæ; quæ est Unitas nostri Domini JESU Christi, qui est una Persona, & est in Pluralitate, quantum ad Naturam divinam & Naturam humanam; quæ Natura humana est unus Homo, qui habet Pluralitatem, hoc est, Corpus & Animam: unde cùm Unitas & Pluralitas Humanitatis Christi non possit esse melior, quàm omnis unitas & pluralitas creata, sinè conjunctione & unione Naturæ divinæ, & quia Naturæ divinæ convenit creare unam unitatem & pluralitatem nobiliorem, quàm omnes alias creatas, ad demonstrandam nobilitatem suæ Unitatis & Pluralitatis increatæ, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

2. Si unum Suppositum intelligit se ipsum infinitum in bonitate, potestate &c., majus intelliget se ipsum, quàm suppositum, quod intelligit se ipsum finitum in bonitate, potestate &c.; & si unum suppositum intelligit se ipsum infinitum & finitum in bonitate, potestate &c., intelliget suam unitatem majorem in bonitate, potestate &c., quàm intelligat suppositum, quod se intelligit finitum in bonitate, potestate &c.: unde cùm magis nobilis intellectus conveniat cum esse, & minùs nobilis, qui est oppositum magis nobilis, conveniat cum non esse, ideo demonstratur secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd de necessitate conveniat, quòd sit unum Suppositum, quod se intelligat infinitum & finitum; per quam intelligentiam significatur pluralitas in supradicto supposito; quia sinè pluralitate esset impossibile, quòd posset intelligere infinitum & finitum.

3. Materia & forma conveniunt ad unum finem, hoc est, ad componendum unum compositum; & compositum, quod est unum, convenit cum materia & forma, quæ sunt pluralitas unitatis compositi: unde cùm hæc concordantia naturalis sit ad demonstrandam concordantiam, quæ est in suprema Unitate & Pluralitate, ideo demonstratur, quòd, si natura, quæ est res creata, habeat tantam nobilitatem, quòd cum sua unitate & pluralitate significet & demonstret Unitatem & Pluralitatem supremam, quantò magis conveniat secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd ipsemet Filius DEI cum creatura demonstret concordantiam, quæ est inter illum & Patrem & Sanctum Spiritum; quæ est concordantia Unitatis Essentiæ, & Pluralitatis Personarum: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd natura esset nobilior in significando Unitatem & Pluralitatem supremam, quàm Filius DEI; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarna-

tio est demonstrabilis per concordantiam Unitatis Suppositi cum Pluralitate; quæ Unitas est in JESU Christo, qui est unum Suppositum, in quo est pluralitas, in hoc, quod est unitus de Natura divina & humana, ad demonstrandum, quòd, si Natura divina & humana possunt esse unum Suppositum, quantò magis tria naturalia divina possint esse una Essentia.

4. In supremo Bono Pater, in quantum de se ipso generat Filium, generat de sua Unitate aliam Unitatem, hoc est, Unitatem Filii, & de Unitate Patris & de Unitate Filii exit alia Unitas, hoc est, Unitas Sancti Spiritûs, qui exit de Patre & Filio: unde omnes istæ tres Unitates convertuntur in Unitate Essentiæ sinè privatione Pluralitatis, secundùm quòd probatur in *tertio Libro:* unde, ad demonstrandam hanc supradictam Unitatem & Pluralitatem, Filius de suamet Unitate & de Unitate Naturæ humanæ, in qua Unitate humana habet pluralitatem, hoc est, Animam & Corpus, univit unum Suppositum, hoc est, JESUM Christum, & conservat in illo pluralitatem, hoc est, Naturam divinam & humanam, & ambæ Naturæ convertuntur in esse unum Suppositum sinè privatione Naturarum & Pluralitatis: & quia per hanc operationem Unitatis & Pluralitatis melius significatur humano intellectui suprema Unitas & Pluralitas, ideo convénit secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd Filius DEI esset unus cum Natura humana, & convénit, quòd in illa Unitate haberet diversas Naturas.

CAPUT XLI.

De Secretis.

1. DE necessitate convenit, quòd in supremo Bono sint nobiliora Secreta, quàm in inferiori; quia si non, secreta increata non essent super creata; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd magis nobilia secreta sint magis demonstrabilia, quàm minùs nobilia; quia si non, significaretur, quòd revelatio secretorum esset mala; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd in gloria paradisi non revelarentur Secreta DEI; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd esset impossibile in paradiso habere gloriam; & si hoc esset, sequeretur, quòd in supremo Bono privarenturbonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd revelatio secretorum sit bonum; per quam revelationem demonstratur, quòd supremum Bonum sinè Incarnatione non revelaret creaturæ tanta suorum secretorum, quanta revelat ideo, quia Incarnatio est; & quia revelatio secretorum convenit cum bonitate, potestate &c., ideo est significata & demonstrata Incarnatio; per quam Incarnationem supremum Bonum revelat creaturæ plura suorum Secretorum, quàm per ullam aliam rem.

2. Scisnè, quare secreta tuæ voluntatis sint magis revelata tuo intellectui, quàm ulli alteri intellectui creato? ideo, quia tuus intellectus & tua voluntas habent unum subjectum: & scisnè, quare secreta tui corporis sint magis revelata tuæ Animæ, quàm meæ? ideo, quia tua Anima est unum suppositum cum tuo corpore: unde cùm supremo Bono conveniat, quòd sua secreta nobiliùs & expressiùs revelet, quàm ulli alii creaturæ, ideo convenit secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd Filius DEI sit unum Suppositum cum creatura, ad hoc, ut per Unionem Filii DEI & Naturæ humanæ humana Natura meliùs possit recipere revelationem Secretorum divinorum.

3. Natura demonstrat omnia sua secreta; sed quia homo non habet possibilitatem intelligendi principia, per quæ natura demonstrat omnia sua secreta, ideo ego & tu & ille non possumus recipere omnia secreta naturæ: unde si natura, quæ est creatura finita & terminata, habet tantam benignitatem, quòd omnia sua secreta demonstret, quantò magis convenit, quòd Creator, qui est infinitus in bonitate, potestate &c., demonstret omnia sua secreta: unde si supremum Bonum non creavisset creaturam, quæ posset plus recipere de suis secretis, quàm natura demonstrare, sua bonitas, potestas &c. non esset super demonstrationem, quam natura facit de suis secretis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Tu scis, quòd forma artificialis non tam fortiter revelet secreta materiæ, sicut forma naturalis; quia si revelaret, forma naturalis non esset magis appetibilis à materia, quàm artificialis; & hoc est impossibile: per quàm impossibilitatem demonstratur, quòd majora & nobiliora secreta, quæ

quæ possint revelari creaturæ, sint Secreta Trinitatis: unde sicut forma naturalis meliùs demonstrat secreta primæ materiæ, quàm forma artificialis secreta secundæ materiæ, & sicut tu meliùs intelligis secreta secundæ materiæ per formam artificialem, quàm Secreta primæ materiæ, & hoc ideo, quia prima materia difficiliùs intelligitur, quàm secunda, ita Sancta Trinitas magis clarè demonstrat sua secreta, quàm creatura demonstret sua: unde si in Secretis divinis non esset perfectio, quæ deficit duabus supradictis formis, Secreta Sanctæ Trinitatis non essent supra secreta primæ materiæ & secundæ, secundùm quòd convenit; & si non essent, sequeretur, quòd in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis; per quam Incarnationem suprema Trinitas creaturæ magis demonstrat sua secreta, quàm creatura; & creatura inde recipit magis de Trinitate, quàm de omnibus creaturis, ad hoc, ut sit testimonium, quòd supremum Bonum magis demonstret sua Secreta, quàm omnes creaturæ.

5. Pater demonstrando totum se ipsum Filio generat Filium, & Patre & Filio demonstrante quolibet totum se ipsum Sancto Spiritui exit Sanctus Spiritus à Patre & Filio: unde melior & excellentior & perfectior demonstratio vel revelatio Secretorum increatorum infinitorum æternorum est, quòd infinitus increatus æternus sit unum Suppositum cum creato terminato: unde cùm iste sit nobilior modus, si iste modus non esset, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. essent oppositæ nobiliori demonstrationi secretorum; & si essent, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

6. Universalia revelant plura secreta intellectui, quàm particularia imaginativæ; & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd imaginativa esset nobilior potentia, quàm intellectus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, sicut universalia demonstrant plura secreta, quàm particularia, & demonstrant nobiliori potentiæ, quàm sit potentia, cui demonstrant particularia, ita conveniat, quòd supremum Bonum, quod est nobilius, quàm universalia & particularia, demonstret plura & nobiliora secreta & cum magis expressa demonstratione uni particulari tantùm, magis nobili, quàm sint omnes aliæ creaturæ, quàm demonstrent omnia supradicta universalia & particularia; & quia hæc supradicta demonstratio convenit secundùm bonitatem, potestatem &c., ideo Incarnatio est demonstrabilis.

7. In cœlesti gloria quilibet beatus revelat alteri suam gloriam, & quilibet habet gloriam de gloria alterius: unde si in gloria est una Creatura, quæ sit unum Suppositum cum Natura divina, & revelat suam gloriam aliis beatis, revelat majorem gloriam creatam, quæ possit revelari; & si major est, convenit, quòd det majorem gloriam: unde cùm revelare & dare majorem gloriam conveniat cum gloria, & gloria conveniat cum bonitate, potestate &c., ideo Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLII.

De Gratum esse.

1. SI gratum esse & majoritas conveniunt, convenit, quòd ingratum esse & minoritas conveniant; & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd gratum esse conveniret cum minoritate, & ingratum esse cum majoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tu deberes habere majorem gratitudinem, si DEUS te fecisset infirmum, stultum & pauperem, quàm cùm te fecit sanum, sapientem & divitem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, quantò plus DEUS tibi dedit, & quantò magis te honoravit, tantò majorem gratitudinem erga illum debeas habere: unde cùm hoc ita sit, per hoc Incarnatio est demonstrabilis; quia si Filius DEI est incarnatus, & dedit gravi Passioni & dolorosæ Morti Carnem, quam assumpsit, & hoc fecit ad te salvandum, debes habere erga illum majorem gratitudinem, quàm si non esset incarnatus, & suam Humanitatem, quam assumpsit, non tradidisset morti: & quia major gratitudo meliùs convenit cum bonitate, potestate &c., quàm minor, ad demonstrandum, quòd bonitas, potestas &c. conveniant cum majoritate, ideo de necessitate convenit, quòd sit Incarnatio & Passio, quam inquirimus; quia si non esset, sequeretur, quòd gratitudo & majoritas con-

convenirent in privatione, & non in esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd bonitas & potestas convenirent cum minoritate, & quòd gratitudo & majoritas convenirent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio & Passio est demonstrabilis.

2. Gratitudo & quantitas conveniunt; quia si disconvenirent, sequeretur, quòd tantam gratitudinem deberes habere erga hominem, qui tibi dat unum denarium, sicut erga hominem, qui tibi dat unum castellum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd debeas habere majorem gratitudinem erga DEUM, si tibi dedit se ipsum, quàm habeas, cùm illi es gratus, quia tibi dedit te ipsum; & majorem gratitudinem debes habere erga DEUM, quia tibi dedit te ipsum, quàm quia tibi dedit divitias; & si hoc non ita esset, demonstraretur, quòd DEUS non esset nobilior, quàm tu, & quòd tu non esses nobilior, quàm tuæ divitiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis, ad demonstrandam majorem gratitudinem, quam tu potes habere erga supremum Bonum, quod tibi dedit semetipsum, in quantum est incarnatum pro te, & dedit tibi ipsi te ipsum, in hoc, quia te recreavit: & quia donum & gratitudo conveniunt cum majoritate, si Incarnatio non esset, bonitas, potestas &c. disconvenirent cum dicto dono & gratitudine; & si disconvenirent, essent oppositæ majoritati, & concordarent cum minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Si tu me castigares & me instrueres de meis defectibus verbo & verberibus, & ego tibi essem gratus, haberem majorem gratitudinem erga te, quàm si me castigares verbo, & non me ferires; & tu me debes habere magis acceptum, si ego tibi sim gratus, quando me feris, quàm si tibi sim gratus, quando me castigas verbo, & non me feris: unde cùm Incarnatio & Passio nostri Domini JESU Christi tibi sit causa & occasio, quòd tu debeas esse gratus erga illum, quando te affligit in hoc mundo propter tuam culpam, & ut te castiget; & quia tu es acceptus supremo Bono, si illi es gratus, & hoc recipis in patientia, igitur per majorem gratitudinem demonstratur, Incarnationem esse; quia hoc, per quod tu es melius proportionatus ad esse gratus & esse acceptabilis supremo Bono, melius convenit cum bonitate, potestate &c., quàm hoc, quod non convenit cum tanta proportione habendi gratitudinem & esse acceptabilem: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd in supremo bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si tu, qui es dives & honoratus, ires in aliquam terram extraneam ad extrahendum me de carcere, qui sum vilis & pauper, & aliquis homo te affligeret & occideret, & ego tibi non essem gratus, & tu mihi hoc condonares, plus gratitudinis ergate deberem habere propter veniam, quàm si mihi condonares aliquem defectum, quem ego facerem contra te, absque eo, quòd tu pro me habuisses aliquam passionem: unde cùm supremum Bonum velit, quòd tu erga illud habeas majorem gratitudinem, quam tu erga illud potes habere, ad hoc, ut illi sis multùm acceptabilis, & quia major gratitudo, quam tu erga illud potes habere, est, quòd illud ob amorem tui sit incarnatum, & quòd Naturam, quàm assumpsit, tradiderit Morti ad salvandum te, ideo Incarnatio & Passio est demonstrabilis.

5. Si tu infidelis debes habere gratitudinem erga DEUM, quia te creavit, & te fecit hominem, ego, qui sum fidelis Christianus, debeo habere erga illud eandem gratitudinem, quam tu erga illud potes habere, absque eo, quòd tu me possis superare, postquam ego sum tam sanus & tam dives & tam pulcher & tam sapiens, sicut tu; & quia ego secundùm meam credentiam erga illud possum habere plus gratitudinis, quàm tu secundùm tuam, ideo Incarnatio est demonstrabilis; quia si Incarnatio non esset, esset impossibile, quòd ego essem proportionatus ad habendam majorem gratitudinem erga supremum Bonum, quàm tu; & si hoc esset, sequeretur, quòd de falsitate & errore magis essem proportionatus ad habendam majorem gratitudinem, quàm tu de veritate & directione; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, gratitudo & falsitas convenirent cum majoritate, & gratitudo & veritas cum minoritate; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, bonitas, potestas &c. essent oppositæ gratitudini & majoritati, & concordarent cum gratitudine & minoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLIII.

De Rogare & Honorare.

1. HOnoratio & Honor fortiùs conveniunt supremo Bono, quàm inferiori; & ideo tu, qui es in inferiori bono, diligentiùs & ferventiùs & sæpiùs debes rogare supremum Bonum, ut tibi faciat gratiam, quomodo illud possis honorare & rogare per tuum honorem & per tuam honorationem: unde si hoc non ita esset, sequeretur, quòd tu non esses magis honoratus in honorando supremum Bonum, quàm te ipsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit aliquid, per quod tu es melius ordinatus & proportionatus ad rogandũ supremum Bonum, quomodo illud possis honorare, quàm esses, si id non esset; quia si id non esset, bonitas, potestas &c. non essent perfectè in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio & Passio nostri Domini JESU Christi, per quam es melius proportionatus ad rogandum DEUM, quomodo illum possis honorare, quàm si Incarnatio non esset.

2. Quantùm supremum Bonum fecit ad honorandum te, qui non credis Incarnationem, tantùm fecit ad honorandum me, qui credo Incarnationem; & si supremum Bonum misit Filium assumere Carnem ad honorandum te & me, & ego credo Incarnationem, & tu illam discredis, ego honoro supremum Bonum, & tu illud inhonoras; & si supremum Bonum non misit Filium, & tu hoc discredis, & ego hoc credo, ego illud non inhonoro; quia si illud inhonorarem, esset impossibile, quòd ego essem melius dispositus ad honorandum supremum Bonum per credere falsitatem, quàm tu, qui crederes veritatem; & si hoc non esset impossibile, secundùm quòd suprà diximus, esset impossibile, quòd in supremo Bono esset bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Si Filius DEI est incarnatus, & te recreavit cum gravi Morte & Passione, multò melius te rogat, ut sustineas labores & tribulationes ad honorandum supremum Patrem, quàm si Christus non esset incarnatus & mortuus ad redimendum te: & quia hoc, per quod supremum Bonum melius te rogat, ut illud honores, convenit cum bonitate, potestate &c., ideo sequitur, quòd sit Incarnatio & Passio nostri Domini JESU Christi; quia si non esset, sequeretur, quòd causa finalis, per quam supremum Bonum te melius obligat & constringit & rogat, ut illud honores, conveniat cum privatione, & suum oppositum, quod convenit cum minoritate, conveniret cum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd esse & minoritas concordarent, & privatio & majoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si tuum corpus esset unum suppositum per se ipsum, & tua Anima esset alterum suppositum, & insimul essent tu ipse, tuum corpus posset melius rogare tuam Animam, quàm meam, cum qua non es unum suppositum; & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd unio unius suppositi cum altero in esse una essentia conveniret cum contrarietate & privatione, & quòd disjunctio unius suppositi cum altero conveniret cum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd tria Suppositа, quæ sunt unum supremum Bonum, disconvenirent in Unitate Essentiæ; & hoc est impossibile, secundùm quòd probavimus *in Libro de Trinitate:* per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio & conjunctio Naturæ divinæ & humanæ, ad hoc, ut humana melius possit rogare divinam pro humano genere.

5. Si est verum, quòd Filius DEI assumpserit Naturam humanam in gloriosa Virgine nostra Domina sancta Maria, multò nobiliùs & honorabiliùs sinè omni comparatione rogatur supremum Bonum per inferius, quàm sinè Incarnatione Filii DEI; & si hoc non ita esset, esset impossibile, quòd unus Rex nobiliùs rogaretur & honoraretur per alium Regem, quàm per unum Comitem, & per unum Comitem, quàm per rusticum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio, quam convenit esse, ad hoc, ut Humanitas JESU Christi & nostra Domina sancta Maria sint duæ creaturæ meliores & magis honoratæ, quàm omnes aliæ, ut supremum Bonum honoratiùs rogaretur ab illis, quàm ab omnibus aliis creaturis: & quia sinè Incarnatione Filii DEI supremum Bo-

num non tam sapienter nec tam amabiliter nec tam potenter nec tam virtuosè rogaretur, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

6. Si Filius DEI est incarnatus & crucifixus, & Sacramentum Missæ est veritas, quandocunque cum oculis corporalibus & spiritualibus vides Crucem & Passionem JESU Christi & Sacramentum Altaris, rogaris, ut honores supremum Bonum; & si non est verum, quòd Filius DEI sit incarnatus, nec sit sacrificatus, convenit, esse aliquod aliud signum oppositum supradicti, per quod sæpiùs & affectuosiùs rogeris, ut honores supremum Bonum, quàm per signum Crucis & Hostiæ consecratæ: & quia nullum signum sentimus nec intelligimus, per quod simus tam occasionati ad serviendum & honorandum supremum Bonum, sicut per signum Crucis & Hostiæ consecratæ, per hoc demonstratur sancta Incarnatio, quam inquirimus.

CAPUT XLIV.

De Specie.

1. QUia tuum corpus est unum suppositum cum tua Anima, & tua Anima est unum suppositum cum tuo corpore, Anima & corpus sunt unum individuum speciei humanæ; unde si Filius DEI assumpsit Naturam humanam, convenit, quòd ratione Naturæ humanæ & ratione Naturæ divinæ, quæ sunt unum Suppositum, illud Suppositum sit individuum speciei humanæ, & quòd sit Suppositum supra humanam speciem; & si hoc non ita esset, sequeretur alteratio Deitatis vel Humanitatis in Supposito, & esset contradictio, quòd Natura divina & humana insimul essent unum Suppositum: unde cùm in nulla creatura sequatur, quòd individuum speciei sit infra suam speciem, & quòd sit supra illam, convénit, ad demonstrandam bonitatem, potestatem &c., quæ est in supremo Bono, quòd esset in esse unum Suppositum unitum de Natura divina & humana, & quòd per Naturam divinam esset super omnem speciem & super omne genus, ad demonstrandum, quòd in supremo Bono non sit genus nec species, & convénit, quòd Humanitas, quam assumpsit, conservaretur in Natura creata, per quam esset sub genere & specie, ad demonstrandum, quòd, si Filius DEI, in quantum est DEUS, non est sub genere & specie, quamvis sit unum Suppositum cum Natura humana, quæ est sub genere & specie, quantò magis igitur disconveniat, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus & Essentia sint sub genere & specie.

2. In quantum consideras Angelum in abstracto, illum consideras in specie angelica, sed quando consideras illum in concreto, tunc consideras, quemlibet Angelum esse suammet speciem; quia tot sunt species angelicæ, quot sunt Angeli; & hoc est ideo, quia forma unius Angeli non diversificat semet ipsam per materiam à forma alterius Angeli; & hoc est ideo, quia Angeli non sunt de communi materia, sicut sum ego & tu & ille, qui sumus diversa individua propter differentiam, quam forma facit de materia, de qua sumus ego & tu & ille: unde ad demonstrandum, quòd bonitas, potestas &c. sub minùs nobili specie, quàm specie angelicâ, potuerit facere nobilius individuum, quàm omnes species angelicas, ideo Filius DEI voluit assumere Carnem; per quam assumptionem Carnis illa Caro est facta magis nobilis, quàm omnes species angelicæ, & Anima unita illi Carni fuit nobilior, quàm omnes formæ angelicæ: unde si hoc non ita esset, non tam fortiter demonstraretur bonitas, potestas &c.; & si non tam fortiter demonstraretur, bonitas, potestas &c. essent contra majorem nobilitatem suæ demonstrationis; & si essent, privarentur esse & perfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis; sinè qua Incarnatione Filii DEI de humana specie non posset esse nobilior homo omnibus angelicis speciebus.

3. Scisnè, quare sit nobilior species hominis, quàm species asini? ideo, quia in illa sunt nobiliora individua; & scisnè, quare sit nobilior species angelica, quàm humana? ideo, quia in illa sunt nobiliora individua, quia in specie angelica sunt individua incorruptibilia, & in humana sunt corruptibilia; & humana species non habet esse reale, quia tu non es species; & species angelica habet esse reale, quia sanctus Michaël est suamet species: unde si species, quæ habet individua corruptibilia, & non habet esse reale, est nobilior per habere in se unum hominem, quàm species, quæ non habet individua corruptibilia, & habet esse reale, & hanc nobilitatem habet, si Filius DEI est unitus cum Homine, quantò magis igitur Filius DEI est nobilior omnibus Angelis: unde,

unde, cùm sinè Incarnatione hæc demonstratio non fieret tam convenienter, demonstratur Incarnatio; quia si Incarnatio non esset amabilis bonitati, potestati &c., bonitati, potestati esset odibilis demonstratio, secundùm quam Filius DEI se demonstrat nobiliorem Angelis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si de Sorte privaretur potentia vegetativa vel sensitiva vel rationalis, privaretur humanâ specie; quia nullum individuum humanæ speciei est sinè supradictis potentiis; & si Sorti adderes speciem equi vel lapidis vel alterius rei, privaretur humanâ specie; quia est impossibile, quòd individuum humanæ speciei sit compositum cum supradictis speciebus: unde cùm supremum Bonum creaverit omnes species & omnia individua & genera illorum ad demonstrandam suam bonitatem, potestatem &c., ideo Filius DEI voluit assumere Naturam humanam, & privavit ab illa natura potentiam peccandi, & univit illam Naturam cum Natura divina, & conservavit humanam Naturam in suo statu, ad demonstrandum, quòd per Unitatem Filii DEI bonitas, potestas &c. in natura humana possent facere majus bonum, quàm possent facere cum alia re, quæ non esset Natura divina: & si hoc non ita esset, demonstraretur, quòd supremum Bonum posset facere tantum boni in inferiore cum bono creato, quantum cum increato; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLV.

De Relatione & Consequentia.

1. SI magis nobilis Relatio, quæ sit, est in supremo Bono, tunc minùs nobilis est in inferiori bono; unde cùm hoc ita sit, convenit, inter ambas istas relationes esse unam relationem, quæ sit unita de suprema & de inferiore, ad fortiùs demonstrandam nobilitatem supremæ per medium, quàm inferioris sinè medio; & si hoc non ita esset, suprema non haberet demonstrabilitatem, quæ illi convenit, & de supremo Bono privaretur bonitas, potestas, sapientia &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio Filii DEI est demonstrabilis: quia si est unus Creator, qui est nobilior, quàm omnis alia unitas, de necessitate convenit, quòd sit una creatura, quæ sit nobilior omni aliâ unitate creatâ, ad significandam nobilitatem Unitatis increatæ: & si una pluralitas est increata Creatrix omnis alterius pluralitatis, de necessitate convenit, quòd sit una pluralitas creata nobilior, quàm omnis alia pluralitas creata, ad demonstrandam nobilitatem pluralitatis increatæ: & quia supradicta unitas & pluralitas creata non posset esse nobilior, quàm omnis alia unitas & pluralitas creata, sinè conjunctione Unitatis increatæ, ideo convenit, quòd de Natura increata & creata sit unitum unum Suppositum, quod habeat Naturam increatam & creatam.

2. Si in inferiori bono est pater, convenit, quòd sit filius; quia sinè filio non posset esse pater: unde cùm suprema Relatio sit supra inferiorem, de necessitate convenit, quòd, si in supremo Bono est Potestas, quæ es Pater, in illo sit Sapientia, quæ est Filius; quia si in supremo Bono esset Potestas, quæ est Pater, & in illo non esset Sapientia, quæ esset Filius, esset impossibile, quòd Potestas & Sapientia essent una eadem Essentia in supremo Bono; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si in inferiori bono filius non potest esse sinè patre, quamvis pater & filius non sint unum & idem, quantò magis igitur conveniat, quòd in supremo Bono sit Sapientia, quæ est Filius, si in illo est Potestas, quæ est Pater; cùm Potestas & Sapientia sint una Essentia, unum & idem in supremo Bono. Unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd, sicut in supremo Bono Potestas, quæ est Pater, est Potestas, quæ est Filius, ita in inferiori bono creatura est creatura, & est melior se ipsâ, in quantum est unita cum Creatore; ad demonstrandum, quòd Potestas, quæ est Pater, & Potestas, quæ est Filius (& hoc idem de Potestate, quæ est Sanctus Spiritus) sit una eadem Potestas in Essentia; & hoc idem sequitur de bonitate, sapientia &c.: quia si creatura, quæ est inferius bonum, potest esse melior se ipsâ per conjunctionem, quam habet cum majori se ipsâ, quantò magis Potestas, quæ est Pater, & Potestas, quæ est Filius, & Potestas, quæ est Sanctus Spiritus, potest esse æqualis in bonitate, sapientia amore &c., qui sunt Pater, Filius & Sanctus Spiritus: unde si Incarnatio non esset, non tam convenienter significaretur supradicta

æqualitas; & si non, in supremo Bono esset privatio bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Si creatura est melior se ipsâ, tunc est melior per meliorem se ipsâ; & si est impossibile, quòd creatura sit melior se ipsâ, esset impossibile, quòd, si Creator se uniret cum creatura, creatura inde esset melior se ipsâ; & hoc est impossibile: unde, ad demonstrandam hanc impossibilitatem, Filius DEI voluit esse Homo, qui est creatura; quia sinè Incarnatione non tam convenienter demonstraretur supradicta impossibilitas; & si non demonstraretur, in supremo Bono esset defectus bonitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Id, quod in supremo Bono est commune, non potest esse proprium; & id, quod est proprium, non potest esse commune: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, quòd, si in supremo Bono est Pater, ille Pater ita necessariò sit DEUS, sicut est Pater; & si Pater est DEUS, de necessitate convenit, quòd Filius sit DEUS tam necessariò, quàm Pater est DEUS; & convenit, bonitatem, potestatem &c., quæ est DEUS, esse communem Patri & Filio, qui sunt DEUS, & convenit, quòd Paternitas, quæ est Pater, in quantum est Pater, sit distincta à Filiatione, quæ est Filius; & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd in supremo Bono esset majoritas & minoritas, & quòd Pater & Filius essent una eadem Persona; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio, ad demonstrandum, quòd non sequatur, quòd, si supremus Filius est Homo, homo sit DEUS; quia si sequeretur, necessariò esset tanta relatio inter Naturam divinam & humanam in uno Supposito, quanta inter Patrem & Filium in Natura divina; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Pater non sit Filius, quamvis omnes tres Personæ sint unus DEUS, una potestas, una sapientia, unus amor &c.; & sicut Filius DEI non habuit passionem in Passione & Morte Christi, quamvis cum Humanitate fuerit una Persona, ita Pater non est generatus, nec processit, quamvis cum Filio & cum Sancto Spiritu sit unus DEUS, una bonitas, una potestas &c.: unde cùm hoc ita sit, & quia sinè Incarnatione non tam declaratè esset demonstrabilis, ideo convenit, Incarnationem esse.

5. Ad demonstrandum, quòd in supremo Bono unus sit Pater, alius sit Filius, alius sit Sanctus Spiritus, & omnes tres Personæ sint unus DEUS, Filius voluit esse una Persona cum Corpore & Anima JESU Christi, quamvis aliud sit Corpus, & aliud sit Anima; quia si Anima est unum, & corpus est aliud, & Filius DEI est aliud, & insimul sunt una Persona, & ista Unitas est de Natura infinita & naturis finitis, quantò magis Unitas trium Personarum potest esse una Natura & una Essentia: & si hoc non ita esset, demonstraretur, quòd major & simplicior & magis expressa unitas esset de naturis, in quibus esset infinitas & finis, quàm de Natura infinita habente proprietates infinitas; & hoc est impossibile: per cujus demonstrationem Incarnatio est demonstrabilis.

6. In supremo Bono Patri, in quantum est Pater, convenit una Natura, & Filio, in quantum est Filius, convenit alia Natura, & Sancto Spiritui, in quantum est Sanctus Spiritus, convenit alia Natura; & si hoc non ita esset, esset impossibile, quòd esset relatio in Patre & in Filio & in Sancto Spiritu; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandam hanc impossibilitatem Filius est incarnatus, & assumpsit duas naturas, corporalem & intellectualem, & tres Naturæ fuerunt una Persona, ad demonstrandum, quòd supremum Bonum sit una Natura in tribus Personis: unde cùm hoc meliùs demonstretur per Incarnationem, quàm per aliquid aliud, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLVI.

De Possibilitate & Impossibilitate.

1. MAjor Possibilitas, quæ possit esse in inferiori bono, est, quòd sit unum cum supremo Bono; & si hæc non esset major possibilitas, esset impossibile, quòd supremum Bonum esset supra inferius: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum sit supra inferius, Pater voluit mittere Filium ad assumendam humanam Naturam, ad demonstrandum supradictam majorem possibilitatem; per quam possibilitatem demonstratur bonitas, potestas &c.; sinè

sinè qua possibilitate bonitas, potestas &c. non tam convenienter demonstrarentur, sicut demonstrantur: & quia nobilior demonstratio bonitatis, potestatis &c. convenit cum esse, & illa nobilior demonstratio est facta per Incarnationem Filii DEI, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

2. Major impossibilitas, quæ possit esse in inferiori bono, est, quòd inferius bonum possit esse æquale supremo Bono in bonitate, potestate &c.; & si hæc non esset major impossibilitas, supremum Bonum non esset supra inferius: unde ad demonstrandam hanc impossibilitatem Filius DEI assumpsit Naturam humanam, & ille & Natura, quam assumpsit, non fuerunt nec sunt nisi una Persona tantùm; ad demonstrandum, quòd, sicut Natura humana non est æqualis divinæ in ulla virtute, quamvis ambæ Naturæ sint una Persona, ita inferius bonum non possit esse æquale supremo Bono; quia si Natura humana JESU Christi non potest esse æqualis divinæ, quamvis sint una Persona, quantò minùs aliæ creaturæ, quæ non sunt unitæ cum Natura divina, possunt esse æquales Naturæ divinæ: unde cùm Incarnatio det majorem demonstrationem supradictæ possibilitatis, ideo Incarnatio est demonstrabilis; quia si Incarnatio non esset, non esset demonstrabilis impossibilitas, quam convenit esse demonstrabilem secundùm bonitatem, potestatem &c.; & si non esset, bonitas, potestas &c. essent oppositæ supradictæ majori demonstrationi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Major possibilitas, quæ sit in inferiori bono, habendi virtutes, & non habendi vitia, est, si Natura humana est una cum Natura divina; & si hoc non ita esset, non demonstraretur, quòd major impossibilitas, quæ sit, sit, quòd in supremo Bono sint vitia; & hoc est impossibile: unde, ad demonstrandam hanc impossibilitatem & supradictam possibilitatem, convenit secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd Filius DEI sit incarnatus; quia si non esset incarnatus ad demonstrandam supradictam majorem possibilitatem & impossibilitatem, bonitas, potestas &c. essent oppositæ majori demonstrationi; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

4. Manifestum est, quòd de Natura divina & de Natura creata possit fieri major concordantia, quàm de ulla alia natura creata; & si hoc non ita esset, Natura increata non esset supra naturam creatam: unde, ad demonstrandam majorem concordantiam, convenit, quòd Natura divina assumpserit Naturam creatam, ad demonstrandam majorem possibilitatem concordantiæ, & majorem impossibilitatem contrarietatis; & quia per demonstrare majorem possibilitatem concordantiæ, & majorem impossibilitatem contrarietatis demonstratur major bonitas, potestas &c., ideo de necessitate convenit secundùm respectum bonitatis, potestatis &c., quòd Natura divina uniret sibi ipsi Naturam humanam, ad demonstrandam possibilitatem & impossibilitatem supradictæ concordantiæ & contrarietatis.

5. Supremum Bonum habet majorem possibilitatem, si sibi univit Creaturam, quæ cum illo sit una Persona, quàm habeat in creando creaturam; & scisnè, quare hæc sit major possibilitas? ideo, quia Creator facit melius & majus opus in uniendo sibi creaturam, quàm in creando creaturam: unde cùm majus & melius opus conveniat cum majori possibilitate, & major possibilitas conveniat cum bonitate, potestate &c., ideo Incarnatio est demonstrabilis.

6. Major impossibilitas, quæ sit in creatura, est, quòd creatura per suam propriam virtutem se conjungat & uniat cum suo Creatore; igitur major possibilitas, quam supremum Bonum habet in creatura, est, conjungere sibi ipsi per suam propriam virtutem creaturam: unde cùm hoc ita sit, per hoc Incarnatio est demonstrabilis secundùm bonitatem, potestatem &c.

7. Si non esset possibile, quòd inferius bonum haberet principium, medium & finem, esset impossibile, quòd supremum Bonum esset Creator: unde, cùm supremum Bonum sit Creator, est possibile, quòd in inferiori bono sit principium, medium & finis: unde sicut per possibilitatem, quam supremum Bonum habet in esse Creator, inferiori bono est possibile habere principium & medium & finem, ita est possibile, quòd supremum Bonum det majus vel minus principium & medium & finem inferiori bono: & quia majus principium & medium & finis convenit cum esse & cum bonitate, potestate &c., ideo Incarnatio est demonstrabilis; quia si Incarnatio est, majus

& melius principium & medium & finis, quæ possint esse in inferiori bono, est principium & medium & causa finalis Naturæ humanæ, quam Filius DEI assumpsit: unde cùm hoc ita sit, per hoc Incarnatio est demonstrabilis.

8. Cùm omne id, quod est in supremo Bono, sit infinitum, & omne id, quod est in inferiore bonum, sit finitum, ideo demonstratur, quòd possibilitas & impossibilitas, quæ est in supremo Bono, conveniat cum majoritate, & possibilitas & impossibilitas, quæ est in inferiore bono, conveniat cum minoritate: unde cùm hoc ita sit, per hoc demonstratur, quòd supremum Bonum habeat possibilitatem faciendi infinitam bonitatem, potestatem &c. in inferiore bono, si inferius bonum hoc posset recipere; sed quia possibilitas inferioris boni est finita, ideo per impossibilitatem, quæ est in inferiori bono, est impossibile, quòd supremum Bonum possit facere infinitam bonitatem, potestatem &c. in inferiori bono: & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd possibilitas & impossibilitas, quæ est in supremo Bono, & possibilitas & impossibilitas, quæ est in inferiori bono, essent æquales; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremum Bonum habeat possibilitatem faciendi in inferiori bono plus, quàm finitum: unde ad demonstrandam hanc infinitatem voluit assumere Naturam humanam, ad hoc, ut illam faceret meliorem, quàm omne aliùd bonum creatum, ad demonstrandum, quòd illam posset facere infinitam, si hoc posset recipere; quia multò meliùs demonstratur, quòd illam posset facere infinitam, si illam fecit meliorem omnibus aliis creaturis, quàm si illam non fecisset meliorem omnibus aliis creaturis; & quia bonitas, potestas &c. conveniunt cum majori demonstratione supremæ Possibilitatis, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLVII.

De Prædicatione.

1. SCisnè, quare in inferiori bono unum bonum faciat alterum bonum simile sibi ipsi? ad demonstrandum, quòd in supremo Bono Pater, qui est Bonum, generet Filium, qui est Bonum, & de Patre & Filio exeat Sanctus Spiritus, qui est Bonum. Et scisnè, quare tu velles facere bonum infinitum, si illud posses facere? ad demonstrandum, quòd in supremo Bono sit factum Bonum infinitum per Generationem & Processionem: unde cùm hoc ita sit, ea, quæ creaturæ faciunt, faciunt similia sibi ipsis; & quia tu, qui es bonum finitum, faceres bonum infinitum, si illud posses facere, ideo creaturæ tibi prædicant & demonstrant sanctam gloriosam Trinitatem, in qua prædicatur & demonstratur sancta Incarnatio JESU Christi; quia sicut in supremo Bono fit simile Bonum sibi ipsi, ita supremum Bonum faceret Bonum simile sibi in inferiori bono, si inferius bonum hoc posset recipere; quia si tu, qui es bonum finitum, facis simile bonum tibi ipsi, & faceres bonum infinitum, si haberes potestatem, igitur quantò magis supremum Bonum faceret bonum infinitum in inferiori bono, si hoc posset recipere; & quia hoc non potest recipere, & quia supremum Bonum hoc posset facere, si hoc posset recipere, ideo voluit facere unum Bonum, hoc est, Humanitatem nostri Domini JESU Christi Filii nostræ Dominæ sanctæ Mariæ gloriosæ Virginis, quæ est majus bonum, quàm omne aliud bonum creatum: & si hoc bonum non fecisset, creaturæ essent perfectiores in significando & prædicando sanctam Trinitatem, quàm bonitas, potestas &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis; quia multò propriùs est bonitati, potestati &c. demonstrare & significare S. Trinitatem, quàm creaturis.

2. Differentia & concordantia, quæ sunt in creaturis, prædicant Unitatem & Trinitatem, quæ est in supremo Bono; quia differentia, quæ est inter unam speciem & aliam, & concordantia, in qua conveniunt in genere (& hoc idem de individuis specierum) prædicant Unitatem & Trinitatem in supremo Bono; & quò majores sunt differentiæ in creaturis, eò majores possunt esse concordantiæ; & quò majores possunt esse differentiæ & concordantiæ, eò magis possunt prædicare Unitatem, quæ in supremo Bono prædicatur per concordantiam creaturarum, & Trinitatem, quæ prædicatur per differentiam creaturarum: unde cùm hoc ita sit, si creaturæ, quæ sunt res finitæ, prædicant significando Unitatem & Trinitatem, quæ est in supremo Bono, quantò magis convenit, quòd illa Unitas & Trinitas significetur per bonitatem, potestatem &c., quæ sibi univerit Naturam creatam ad significandam supremam Unitatem & Trinitatem: & si hoc non ita esset, demonstraretur, quòd per bonitatem, potestatem &c. & per creaturam nobiliorem omnibus aliis creaturis non daretur tam nobilis demonstratio, sicut per creaturas tantùm; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd esset defectus in bonitate, potestate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Nobilissimum officium, quod sit in inferiore bono, est prædicatio; quia si non esset, supremum Bonum non esset supra inferius: unde cùm corpora cœlestia & elementata & operatio illorum per opus naturale prædicent rationalibus, convenit, quòd supremum Bonum prædicet per opera rationalibus; quia si non prædicaret illis, sequeretur, quòd creaturæ irrationales haberent nobiliorem usum in rationalibus, quàm supremum Bonum; & hoc est impossibile: unde cùm Naturæ divinæ non conveniat orare, nec jejunare, nec passio, nec mors, nec alia similia istis, & quia prædicatio illius, qui facit hoc, quod prædicat, convenit cum majoritate, & prædicatio illius, qui non facit hoc, quod prædicat, convenit cum minoritate, ideo secundùm respectum bonitatis, potestatis &c. convenit, quòd Filius DEI assumpserit Naturam humanam, quæ prædicaret, & faceret hoc, quod prædicabat: & quia Filius DEI & Natura, quam assumpsit, erant & sunt una Persona tantùm, ideo supremum Bonum, hoc est, Filius DEI, habet nobiliorem usum prædicandi rationalibus, quàm irrationalia: unde, cùm hoc ita conveniat, secundùm quòd suprà significatur, Incarnatio est demonstrabilis.

4. De hac præsenti vita nullus homo potest nobiliùs transire in alteram, quàm ille, qui hinc transit prædicando, & habendo Virginitatem, & sustinendo Martyrium; quia majus meritum, quod homo possit consequi, est per prædicare & per Virginitatem & per Martyrium: unde si tu es Virgo, & prædicas mihi, & moreris ad laudandum supremum Bonum, nobiliùs mihi prædicas, ut sim prædicator & Virgo vel castus, & ut moriar pro supremo Bono, quàm si nullum trium supradictorum haberes: & si tu habes tria supradicta, & es melior & nobilior, quàm omnes creaturæ, tua prædicatio est nobilior, quàm si aliqua creatura haberet nobilitatem æqualem tuæ: & si tu es una Natura cum Natura divina, & es Prædicator & Virgo & Martyr, & habes meliores conditiones, quàm omnes conditiones, quæ sunt in aliis creaturis, nobiliùs prædicas, quàm omnes aliæ creaturæ: unde cùm nobilior prædicatio conveniat cum esse, & esse & majoritas conveniant, & bonitas & potestas &c. conveniant cum esse & cum majoritate, ideo sancta Incarnatio & Virginitas & Passio & Mors nostri Domini JESU Christi est demonstrabilis.

5. Si tu prædicas laudem & veritatem supremi Boni, ubi nullus propter timorem mortis illam audet prædicare, nobilior est tua prædicatio, quàm si illam prædices, ubi non times mori; & si tu prædicas virtutes, & increpas vitia, & es virtuosus, facis nobiliorem sermonem, quàm faceres, si esses vitiosus, & prædicares virtutes, & increpares vitia: unde cùm hoc ita sit, de necessitate sequitur, quòd, si supremum Bonum assumpsit Naturam humanam virtuosam sinè ullo vitio, & illam dedit morti & passioni ob amorem tui & mei, ferventiùs mihi poteris prædicare, & ego devotiùs te potero audire & obedire, quàm si supremum Bonum non assumpsisset Naturam humanam, nec esset mortuum pro me, in quantum Homo: unde cùm majoritas, quæ possit esse in me & in te, conveniat cum esse, & minoritas oppositæ majoritati conveniat cum privatione, ideo Incarnatio & Passio est demonstrabilis per majorem prædicationem suprà significatam: & si hoc non esset ita, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. essent oppositæ majoritati & virtutibus, & quòd concordarent cum minoritate & cum vitiis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

6. O tu prædicator, si es Christianus, vel Saracenus, vel Judæus, & es ordinatus, ut sis prædicator virtutum, & ut reprehendas vitia, & convertas homines, qui sunt in errore, vide, utrùm sis meliùs occasionatus & dispositus, ut sis prædicator, secundùm quòd suprà dictum est, si Filius DEI assumpsit Naturam humanam, & illa est mortua ad prædicandum tibi, quàm si non assumpsit Naturam humanam: & hoc, per quod tu es meliùs dispositus, & es magis occasionatus ad esse prædicator, & habes meliorem materiam ad dicendum nobiliora & pulchriora & devotiora verba, & es magis pro-

proportionatus ad convertendum infideles, ama & affirma; quia si hoc negas & odis, tunc affirmas, quòd prædicatio & errantes inducere ad veritatem, sit malum; & si hoc est malum, convenit, quòd bonitas, potestas &c. sit privatio boni; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio & Passio est demonstrabilis.

CAPUT XLVIII.

De Sancta Ecclesia.

1. VEritas est, quòd olim Imperium Romæ habuerit dominium totius mundi; unde cùm Ecclesia Romana in principio fuerit in paucis personis, & illæ fuerint pauperes, & tales, quæ per vim armorum non acquisierint terras, sed per Prædicationem & per Martyrium multiplicârint populum Christianorum, & cùm Imperium Romæ & multi alii Principatus illis sint dati, ideo demonstratur, quòd credentia Christianorum sit acceptabilis nostro Domino DEO; quia de necessitate convenit, quòd miracula & opus divinum dederint Imperium ipsi Ecclesiæ Romanæ: unde cùm hoc ita sit, per hoc significatur, quòd Filius DEI assumpserit Naturam humanam.

2. Sensualiter sentimus, & intellectualiter intelligimus, quòd in mundo sint diversæ & contrariæ sectæ gentium: unde cùm supremum Bonum sit unum tantùm, & cùm una secta sit contraria alteri in credentia, ideo convenit, quòd una fides & una credentia tantùm sit in veritate, & quòd omnes aliæ illi contrariæ sint in errore: unde cùm *tria* maximè sint necessaria ad dirigendum & ad convertendum mundum, & ad inducendum illum ad bonum statum, quæ tria sunt *Potestas*, *Sapientia*, *Voluntas*, & quia Ecclesia Romana habet majorem potestatem & sapientiam ad convertendum & dirigendum mundum, quàm ulla alia credentia, ideo significatur, quòd Filius DEI sit incarnatus, & quòd, in quantum est Homo, sustinuerit Passionem & Mortem, ad onerandam & obligandam voluntatem Ecclesiæ Romanæ, quæ per Incarnationem & Passionem illius est tam honorabilis, & quòd voluntas moveat magnam potestatem & sapientiam, quam Ecclesia Romana habet, ad convertendum & ad dirigendum mundum per adjutorium supremi Boni: unde si Filius DEI non esset incarnatus, Ecclesia Romana & omnis populus Christianorum esset in errore, & secundùm respectum bonitatis, potestatis, sapientiæ &c. conveniret, quòd secta, quæ esset in veritate, & esset oppositа Fidei Catholicæ, fortiùs & magìs proportionatè haberet tria supradicta; quia si illa non haberet, esset imperfectio in bonitate, potestate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio & Passio & Mors & Resurrectio &c. JESU Christi est demonstrabilis.

3. In nulla credentia tantùm honorantur Sancti, quantùm in credentia Christianorum; unde si credentia Christianorum esset in errore, & Saraceni & Judæi & aliquis alius populus esset in veritate, secundùm respectum bonitatis, potestatis, sapientiæ &c. de necessitate conveniret, quòd Sancti illius credentiæ essent plures & magìs honorati, quàm Sancti Christianorum; & conveniret, quòd in credentia Christianorum nec JESUS Christus, nec nostra Domina, nec sanctus Petrus, nec alii Sancti haberent honorem, quem habent; & quia in Fide Catholica sunt plures Sancti & magis honorati, quàm in ulla alia (ita loquendo) ideo est demonstrabilis Incarnatio, quam inquirimus.

4. Inter Judæos non sunt tot religiosi, quot sunt inter Saracenos, nec tantùm amant philosophiam, quantùm Saraceni; veruntamen clerici Saracenorum prohibuerunt, ne quis publicè legat philosophiam in illorum terra; & hoc prohibuerunt ideo, quia per philosophiam discredunt illorum legem (ita loquendo) & quia inter Christianos sunt plures Religiosi, quàm inter Saracenos, & quia Christiani publicè habent studium philosophiæ, & quia in Fide Catholica Religiosi & alii homines sunt eò ferventiores & devotiores in illorum credentia, quò meliùs sciunt philosophiam, ideo est demonstrabile, Fidem Catholicam esse in veritate: & si hoc non ita esset, & alia fides esset in veritate, quæ esset oppositа Fidei Christianorum, & non valeret tantum per philosophiam, nec per religiosos, nec per bonos mores, sequeretur, quòd in bonitate, potestate &c. esset imperfectio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

5. Secundùm bonitatem, potestatem &c. nobiliori credentiæ conveniunt nobiliores & honoratiores officiales: unde cùm Clerici, qui gubernant Fidem Catholicam, sint nobiliores & honoratiores, quàm clerici Judæorum & Saracenorum, ideo bonitas, potestas &c. significant & demonstrant in supradictis principiis Incarnationem & Passionem nostri Domini JESU Christi.

6. Quantò nobiliores sunt consuetudines, tantò sunt veriores; & si non, sequeretur, quòd minor veritas tam fortiter conveniret cum esse, sicut major; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, tu tam fortiter convenires cum esse, sicut DEUS; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in hoc, quòd Clerici Christianorum magis ament virginitatem & castitatem & jejunia & afflictiones & satisfactionem & confessionem & orationem & alias consuetudines similes istis, quàm clerici, qui sunt in aliis sectis, ideo demonstratur, quòd, si Incarnatio nihil esset, sequeretur, quòd bonitas, potestas &c. concordarent cum minùs nobilibus consuetudinibus, quàm cum magìs nobilibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

CAPUT XLIX.

De Dare.

1. PErfectum Bonum potest dare de se ipso perfectum bonum sinè imperfectione sui ipsius & boni, quod dat; & hoc idem sequitur de perfecta potestate, & de perfecta sapientia, & de perfecto amore &c.: unde cùm in supremo Bono sit perfectio bonitatis, potestatis, sapientiæ, amoris &c., ideo demonstratur, quòd supremum Donum, quod Pater dat Filio, in quantum illum generat, & Donum, quod Pater & Filius dant Sancto Spiritui, in quantum exit à Patre & Filio, conveniat demonstrari; quod nobiliùs demonstratur inferiori bono, si Incarnatio est, quàm si Incarnatio non esset; quia si Incarnatio est, supremum Bonum plus dedit creaturæ, quàm dedisset, si Incarnatio non est: & quia majus donum, quod DEUS dedit creaturæ, meliùs potest significare donum, quod est in tribus divinis Personis, quàm minus donum, ideo secundùm respectum bonitatis, potestatis, sapientiæ &c. est demonstrabilis Incarnatio & Passio, quam inquirimus: quia sicut Filius DEI sibi ipsi assumpsit Naturam humanam, & dedit illi majus donum, quàm omnibus aliis creaturis, & illud donum fuit ad perfectionem Naturæ, quam assumpsit, & ad perfectionem Recreationis, absque eo, quòd Filius sit contrarius suæ perfectioni, ita Incarnatio demonstrat, quòd Pater det Filio, & Pater & Filius dent Sancto Spiritui sinè imperfectione bonitatis, potestatis &c.; & illud donum est perfectio bonitatis, potestatis &c., quæ est in Essentia & in Personis.

2. DEUS tibi dedit majus donum, quàm lapidi, & Angelo dedit majus donum, quàm tibi; & scis quare? ideo, quia tu es nobilior, quàm lapis, & Angelus est nobilior, quàm tu: unde cùm hoc ita sit, per donum, quod tibi est datum, est donator magìs demonstrabilis, quàm per donum, quod est datum lapidi; & donum, quod est datum Angelo, meliùs demonstrat donatorem, quàm donum, quod tibi est datum: unde cùm hoc ita fit, si supremus Donator uni creaturæ dedit nobilius donum, quàm omnibus aliis creaturis, convenit, quòd per illam demonstretur nobilior donator, quàm per omnes alias creaturas: unde si bonitas, potestas &c. non ordinavissent, quòd una creatura meliùs posset significare & demonstrare largitatem donatoris, essent oppositæ donatori & dono & largitati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Si majoritas convenit Creatori, & minoritas creaturæ, sequitur, quòd sit majus donum dare naturam increatam, quàm creatam: unde si Natura increata assumpsit Naturam creatam, cum qua sit una Persona, sequitur, quòd Natura increata sit data creatæ; & si hoc ita est, sequitur, quòd majus donum, quod creatura à Creatore possit recipere, sit, quòd cum illo sit una Persona: unde, cùm esse & majus donum conveniant cum bonitate, potestate &c., Incarnatio & Passio & donum, quod fuit factum Josepho ab Arimathæa, est demonstrabile.

4. In supremo Bono Natura increata dat in se ipsa Naturam increatam; & hoc est ideo, quia supremum Bonum habet perfectam bonitatem, potestatem &c.: unde si in supremo Bono bonitas, potestas &c. conveniunt, quòd Natura increata in se ipsa det Naturam increatam, de necessitate convenit secundùm bonitatem, potestatem &c., quòd Natura increata det de se ipsa Naturam increatam inferiori bono, ad demonstrandum, quòd, si Natura

increata habet tantam largitatem & benignitatem, quòd de se ipsa det Naturam increatam Naturæ humanæ, quæ est creata, in quantum illam univit sibi, quantò magis sinè omni comparatione conveniat, quòd Natura increata det de se ipsa in se ipsa Naturæ increatæ: & quia istud tam mirabile donum meliùs demonstratur inferiori bono per Incarnationem & Passionem, quàm sinè Incarnatione & Passione, ideo Incarnatio & Passio est demonstrabilis; quia si Incarnatio & Passio non esset, bonitas, potestas &c. essent contrariæ demonstrationi doni, quòd Natura increata dat in se ipsa Naturæ increatæ.

5. Si supremum Bonum creavisset millies mille mundos tam nobiles aut nobiliores, quàm hunc mundum, posset uni creaturæ plus dare, quàm omnibus millies mille mundis; & si supremum Bonum infinitè crearet infinitos mundos in numero, non posset uni creaturæ dare nobilius esse, quàm infinitis mundis; & hoc est ideo, quia res finita non potest recipere nobiliorem virtutem, quàm infinitam: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum possit plus dare uni creaturæ finitæ, quàm esset omnis virtus, quam illi infiniti mundi haberent, voluit Naturæ humanæ dare tantam virtutem, quòd esset una cum Natura divina; quæ humana Natura habet majorem virtutem per influentiam Naturæ divinæ, cum qua est una Persona, quàm haberent omnes infiniti mundi: unde cùm sinè Incarnatione istud donum tam mirabile non esset demonstrabile, ideo Incarnatio est probabilis.

6. Si supremum Bonum mihi dedit esse, qui sum Christianus, & tibi, qui es infidelis, sequitur, quòd ego & tu demus nostrum esse ad serviendum supremo Bono: unde, quicunque est meliùs proportionatus ad dandum suum esse supremo Bono, convenit, quòd sit in statu veritatis; quia si non esset in statu veritatis, sequeretur, quòd supremum Bonum non amaret tuum nec meum esse; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, non mihi nec tibi dedisset esse: unde cùm mea credentia & tua sint oppositæ, & quia convenit, quòd veritas vel error sit in me vel in te, ideo demonstratur, quòd conveniat, veritatem esse in illo, qui est magis proportionatus & magis obligatus ad dandum suum esse reale supremo Bono: unde si supremum Bonum misit Filium ad recreandum me, igitur Filius mihi dedit salvationem; & si dedit, ego sum magis proportionatus ad dandum me ipsum supremo Bono, quàm tu; & si sum, convenit, quòd Incarnatio & Passio, quam nos inquirimus, sit demonstrabilis; & si est demonstrabilis, convenit, illam esse; quia est impossibile, quòd esset demonstrabilis, & quòd esset in privatione; quia si esset possibile, esset possibile, quòd esset in bonitate, potestate &c. per imperfectionem; & hoc est impossibile.

CAPUT L.

De Quatuor Quæstionibus Generalibus.

1. QUæstiones generales sunt *Utrùm, Quid, Quale, Quare*; unde cùm nos simus inquisitores inveniendi per necessarias Rationes sanctam Incarnationem JESU Christi, ideo volumus illam inquirere per significationes quatuor supradictarum quæstionum.

2. Si tu quæris, utrùm supremum Bonum sit, vel non? facis nobiliorem quæstionem, quàm si quæris, utrùm inferius Bonum habeat principium, vel non? & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset supra inferius: unde cùm sit supra inferius, si quæris, utrùm Filius DEI assumpserit Naturam humanam, vel non? nobiliorem quæstionem facis, quàm, si quæris, utrùm mundus sit æternus, vel non? quia nobilius est Naturæ humanæ, si est unita Naturæ divinæ, quàm esset mundo, si sua duratio esset æterna: & quia majoritas & esse conveniunt, & minoritas & privatio, *igitur secundùm bonitatem, potestatem &c. demonstratur, quòd nobilior quæstio conveniat cum esse, & suum oppositum conveniat cum privatione*; & si hoc non ita esset, bonitas, potestas &c. essent oppositæ nobiliori quæstioni, & concordarent cum minùs nobili, quæ est oppositæ magis nobili; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem Incarnatio est demonstrabilis.

3. Si quæris, quid sit supremum Bonum? nobiliorem quæstionem facis, quàm si quæris, quid sit inferius bonum? & si quæris, quid sit JESUS Christus? & JESUS Christus est DEUS & Homo, nobiliorem quæstionem facis, quàm si quæris, quid sit inferius bonum? & si hoc non ita esset, sequeretur, quòd supremum Bonum non esset supra inferius; & hoc est impossibile: unde ad demonstrandum, quòd supremum Bonum sit multò excellentiùs supra inferius, voluit, quòd nobilior quæstio de Creatore & Creatura fiat in una Persona tantùm, quàm in omni inferiori bono; quia si in una persona, in qua est inferius bonum, fit nobilior quæstio, quàm in omnibus aliis creaturis, & hoc per influentiam supremi Boni, quantò magis fit nobilior quæstio, quando quæris, quid sit supremum Bonum: unde cùm bonitas, potestas &c. conveniant cum nobiliori quæstione, convenit, quòd conveniant cum nobiliori responsione, quæ nobilior responsio, quæ possit fieri de supremo Bono & inferiori, est, quòd JESUS Christus sit DEUS & Homo; quia est nobilior responsio respondere, quòd Christus sit DEUS & Homo, quàm esset respondere ullam veritatem, quæ sit de inferiori bono: unde, cùm bonitas, potestas &c. conveniant cum nobiliori responsione, sicut conveniunt cum nobiliori quæstione, Incarnatio est demonstrabilis.

4. Si quæris, quale est supremum Bonum? nobiliorem quæstionem facis, quàm quando quæris, quale est inferius bonum? & si illa quæstio non esset nobilior, esset impossibile, quòd bonitas, potestas &c. convenirent cum nobiliori responsione, cum qua conveniunt, quando respondes, quòd supremum Bonum sit infinitum, æternum &c., & inferius bonum sit finitum, principiatum &c.: unde si quæris, qualis est JESUS Christus? & JESUS Christus est DEUS & Homo, nobiliorem quæstionem facis de creatura, quàm faceres, si creatura non esset unita cum Creatore; quia si Christus est DEUS & Homo, potes respondere, quòd Natura humana Christi si nobilor & potentior, sapientior, amantior &c. omnibus aliis creaturis: & quia bonitas, potestas &c. conveniunt cum nobiliori responsione, quæ possit fieri de creatura, ad demonstrandam nobilem responsionem, quam homo potest facere de Creatore, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

5. Si quæris, quare est supremum Bonum? & tibi respondetur, per se ipsum, nobiliorem quæstionem facis, & nobilior responsio tibi datur, quàm si quæris, quare est inferius bonum, per supremum Bonum, vel per se ipsum? & si quis tibi respondet, quòd supremum Bonum sit per alterum, & non per se ipsum, tua quæstio convenit cum

esse & cum majoritate, & responsio cum privatione & minoritate: unde cùm hoc ita sit, per supradicta principia demonstratur, quòd, si quæris, quare supremum Bonum voluerit sibi unire inferius bonum incarnando Filium in Natura humana? nobilior responsio tibi potest dari, si supremum Bonum est incarnatum, & quis tibi respondet, supremum Bonum est incarnatum ad meliùs utendum bonitate, potestate, sapientiâ, amore &c. in inferiori bono, quàm per ullam aliam responsionem, quam homo tibi possit facere de inferiori bono: & quia bonitas, potestas &c. meliùs conveniunt cum majori & nobiliori usu, quàm cum minori, ideo Incarnatio est demonstrabilis.

6. Si quæris, quare DEUS creaverit hominem? & tibi respondetur, ad demonstrandam suam bonitatem, potestatem &c., nobilior responsio tibi datur, quàm si quis tibi responderet, ad salvandum hominem; & si hoc non ita esset, cognitio DEI concordaret cum minoritate, & salvatio hominis cum majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Incarnatio sit; quia si Incarnatio Filii DEI est, DEUS fortiùs demonstrat homini suam bonitatem, potestatem &c., quàm demonstraret, si Incarnatio non esset. Et si quæris, quare DEUS sit incarnatus? & quis tibi respondet, ad salvandum hominem, tibi datur nobilior responsio, quàm si quis tibi responderet per negationem; cùm in negando Incarnationem non significetur salvatio. Unde cùm hoc ita sit, *per supradicta principia & per multa alia, de quibus homo potest habere cognitionem per principia hujus Artis, demonstratur excellens Incarnatio nostri Domini JESU Christi.*

7. „Si Antichristus venit, & facit miracula ante te, ad hoc, ut in illum credas, „fortiùs poteris mortificare sensibilitatem „miraculorum, quæ videbis, si habes Ra„tiones necessarias, quòd JESUS Christus „sit incarnatus, & quòd in supremo Bono „sit Trinitas, quàm posses mortificare per „Fidem sinè Rationibus necessariis; & si Filius DEI non est incarnatus, & in supremo Bono non est Trinitas, non potes habere Rationes necessarias; & si hoc credis, habes falsam credentiam: unde cùm hoc, per quod tu fortiùs potes mortificare visum sensualem miraculorum, quæ Antichristus falsò faciet, conveniat cum bonitate, potestate &c., & cum majoritate & cum esse,

ideo est demonstrabilis Incarnatio Filii DEI, & Sancta Trinitas, quæ est in supremo Bono.

Perfectus est hic Liber de Incarnatione Filii DEI; quam demonstravimus & significavimus per Rationes & per Principia necessaria; & si tu hoc negas, proba & demonstra & significa, supremum Bonum esse unum, & habere in se bonitatem, potestatem &c., & proba & demonstra, Angelos esse, & aliud sæculum esse, & demonstra, hoc sæculum esse creatum, & quàm fortes & quàm necessarias Rationes poteris dare ad omnia illa supradicta, tam fortes & tam necessarias potes dare per rationes, quæ sunt in isto Libro, ad significandam Incarnationem nostri Domini JESU Christi.

Cùm per divinum lumen & illuminationem simus directi ad perficiendum hunc Librum, ideo rogamus & supplicamus, ut hic Liber & omnes alii sint in commendatione & custodia nostri Domini DEI JESU Christi, & nostræ Dominæ Sanctæ MARIÆ gloriosæ Virginis & omnium Angelorum & Sanctorum gloriæ, & ut per hunc Librum, & per alios, Intentio & finis, propter quem hic Liber & alii sunt incepti & perfecti, veniat ad tale complementum, ut per totum mundum exaltetur & laudetur & cognoscatur noster Dominus JESUS Christus, qui est verus DEUS & Homo.

Amen.

Cùm Doctor Illuminatus Libro tertio Capite 42. §. 4. commendet singularem Attentionem Notabilium per totum Opus ad marginem positorum, hæc Notabilia extraximus, & eorum loca hic in calcem conjecimus, ne quidquam ad Operis intelligentiam deesset.

Libro II. Cap. 4. 8. 9. 10. 12. 15. 17. 31. 32. 34. 35. 36. 37. 41. 43. 44. 45. 49. 50.
§. 4. 7. 14. 5. 10. 3. 3. 2. 3.4.5. 5. 6.8.4. 4. 8. 5.8. 1. 7. 2.6. 2.3.4.

Libro III. Cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.
§. 5.8.11. 3. 1.2. 2.5. 6. 4.5. 2.4.5.7.8. 4.6.8. 2.3.4. 3. 2.3.4.6. 2. 4. 2.3.
Cap. 16. 18. 19. 20. 21. 23. 24. 25. 26. 27 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35.
§. 5. 2. 1.2. 7. 4. 5. 6. 4. 2. 3. 3. 5. 4. 4.6. 1.2.3.4. 2. 4.6.
Cap. 39. 41. 43 44. 45. 46.
§. 6.8. 3. 3. 3. 2. 6.

Libro IV. Cap. 1. 7. 9. 12. 16.
§. 7. 2.5. 4. 3. 1.

BEATI RAYMUNDI LULLI DOCTORIS ILLUMINATI LIBER DE QUATUORDECIM ARTICULIS SACROSANCTÆ ROMANÆ CATHOLICÆ FIDEI.

DEUS, qui es omnipotens & glorioſiſſimus in cunctis tuis nobilitatibus pretioſis, ineffabiliter infinitus; quoniam tu Domine DEUS me creaſti de nihilo ad cognoſcendum & diligendum & honorandum te & tua glorioſa opera, ideo ego indignus confidens in tua gratia, benedictione & auxilio incipio hunc Librum, qui eſt *de Quatuordecim Articulis Sacroſanctæ Romanæ Catholicæ Fidei;* quem eâ intentione facio, ut Infideles, qui ignorant tuum Nomen Domine, diſcant te cognoſcere & amare, qui vivis & regnas benedictus per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.

DE PROLOGO.

QUoniam Fides eſt Illuminatio Intellectûs, idcirco in principio hujus Libri debet ſupponi per Fidem, quatuordecim Articulos Fidei eſſe probabiles, ut conemur ex toto noſtro poſſe inquirere neceſſarias Rationes, cum quibus Articuli poſſunt probari; quas Rationes inquirimus in Opere hujus libri cum his quatuordecim Dignitatibns Divinis, quæ ſunt *Bonitas, Magnitudo, Æternitas, Poteſtas, Sapientia, Amor, Virtus, Veritas, Gloria, Perfectio, Juſtitia, Largitas, Simplicitas* & *Nobilitas.*

Cùm ego Compilator hujus Operis ſim culpabilis & peccator & multùm inops Scientiâ & meritis ac cæteris rebus, quæ conveniunt cum virtutibus, & cùm hoc Opus ſubjaceat Correctioni Sacroſanctæ Romanæ Fidei, ſi ego in aliquibus locis

hujus Operis per ignorantiam ac per improprietates vocabulorum seu per insufficientiam sermonum, quæ non sufficiunt altitudini materiæ hujus Libri, dixerim seu scripserim in hoc præsenti Libro seu in aliis, quos feci, quod indigeat correctione seu contrarium sit Sanctæ Fidei ædificatæ à Domino JESU Christo, & conservatæ à Summo Pontifice Sancto Patre & à cunctis Prælatis Sanctæ Ecclesiæ, qui sunt sub Disciplina Romanæ Fidei, suppliciter & devotè peto, quantum possum, ut placeat illud corrigere, tanquam fidelis Christianus, confidens & protestans, me non errare scienter, sed solùm per ignorantiam, & quia sum indignus tractare de tanta altitudine materiæ.

„ Multùm est necessarium, quòd „ inquiramus appropriata vocabula, per „ quæ possimus declarare & probare O„ pus intrinsecum, quod est in nostro „ Domino DEO; & cùm conveniat, „ nos istis vocabulis uti in hac Arte, id„ circo dicendum est de Bonitate bonifi„ care, de Magnitudine magnificare, de „ Æternitate æternificare, de Potestate „ possificare, de Sapientia intelligere, de „ Amore amare, de Virtute virtuificare, „ de Veritate verificare, & de Gloria glo„ riari seu glorificare, de Perfectione per„ fectionare seu perficere, de Justitia ju„ stificare, de Largitate largiri seu largifi„ care, de Simplicitate simplificare, & „ de Nobilitate nobilitare: *Unde cùm hæc vocabula sint necessaria ad probandum actus divinarum Dignitatum, nullus debet mirari, si in his vocabulis usualem Regulam transcendamus; nam convenit uti illis vocabulis, per quæ ea, quæ inquiruntur, meliùs possunt declarari.*

Quando autem dicimus bonificare, magnificare &c., non intendimus dicere, tot esse distinctos actus, quot sunt divinæ Dignitates in numero; ac etiam protestamur, quòd nec tempus nec mensuratio vel imperfectio cadant in bonificare, magnificare &c.; quia nos dicimus & probamus in quolibet actu infinitatem, æternitatem & perfectionem; & ideo in ipsos actus non potest cadere imperfectio, cùm in quolibet actu sit infinitas, æternitas &c.: & dum nos dicimus justificare, non intendimus dicere, quòd de injusto fiat justum, sed intendimus affirmare, divinam Justitiam frui suomet actu infinitè & æternaliter in bonitate, magnitudine &c.; & hoc idem intendimus dicere de bonificare, magnificare, possificare, verificare &c.

Præterea divinas Dignitates quandoque accipimus in generali, quandoque in speciali; quando eas accipimus in generali, tunc possunt intelligi aut de DEO, aut de creatura, illæ tamen, quæ generaliter possunt sumi; sed quando eas in Speciali accipimus, tunc significatur in eis, utrùm intelligantur de DEO aut de Creatura; & nos per hanc Regulam prosequimur in hac Arte.

„ Multoties accidit, quòd ob timorem, „ ne inducantur errores, aliquis strictis & „ coactis sermonibus loquatur, nec possit „ declarare ea, quæ posset declarare, si ipsi „ daretur licentia largè loquendi; sed quo„ niam nos volumus declarare & demon„ strare maxima de divino Opere intrinseco, „ idcirco convenit, quòd multùm largè lo„ quamur & per multa notabilia, proban„ do dignitates, & alias cum aliis concor„ dando; veruntamen cùm dicimus hoc vocabulum *alias*, jam impropriè loquimur, sed necessitas postulat, nos ita loqui, & nominare quandoque divina Suppositа sub forma Dignitatum; & hoc ideo, quia convenit, nos sic lôqui.

Præterea in hac Arte utimur his vocabulis, videlicet *operari* & *facere*, secundùm quòd in aliquibus locis habent eadem significata, in aliquibus verò non eadem, & quandoque significant *Generationem* & *Processionem*, & quandoque non; & ideo nos ordinamus *hanc Regulam* in hac Arte, videlicet, quòd per operari & facere in fruitione intrinseca Dignitatum intelligamus virtutem productivam producentem Filium DEI & Sanctum Spiritum.

Secundùm quòd Distinctiones & earum Partes in hac Arte sunt distinctæ, probamus in Specialibus locis ea, quæ sunt necessaria ad probandum; etiam in illis locis supponimus aliquos Articulos, quos probavimus aut intendimus probare in aliis locis; & sic conservamus hanc regulam, ut in hac Arte possimus compendiosiùs tractare.

In hac inquisitione, quâ mediante inquirimus *necessarias Rationes*, per quas possimus probare supradictos Articulos, convenit ponere *quatuor Conditiones*, quæ sunt probabiles per se ipsas.

Prima Conditio est, quòd prædictæ quatuordecim Dignitates, quas DEO attribuimus, concordent, ût in hac prima conditione continetur.

Secunda Conditio est, quòd Dignitates nullo modo inter se contrarientur.

Tertia Conditio est, quòd illud sit verum, per quod Dignitates inter se meliùs concordant.

Quarta Conditio est, quòd illud sit falsum, per quod Dignitates haberent minorem concordantiam.

Per has *quatuor Conditiones* & per *quatuordecim Dignitates* procedimus in hoc Libro ad probandum supradictos Articulos, & ex Dignitatibus & illarum Conditionibus facimus principia ad probandum per necessarias Rationes, quibus Articuli manifestè sunt probabiles.

De Divisione hujus Libri.

Iste Liber dividitur in *duodecim Distinctiones*, quarum *Prima* est de Divina Unitate. *Secunda* est de Patre, Filio & Sancto Spiritu. *Tertia* est de Creatione. *Quarta* est de Recreatione. *Quinta* de Glorificatione. *Sexta* de Incarnatione. *Septima* de Nativitate. *Octava* de Passione. *Nona* de Descensu Christi ad Inferos. *Decima* de Resurrectione. *Undecima* de Ascensu. *Duodecima* de Die Judicii, ad quam securè possimus pervenire.

INCIPIT
PRIMA DISTINCTIO,
QUÆ EST
De Divina Unitate.

PRæsens Distinctio dividitur in *tres Partes*, in quarum *Prima* tractamus, quomodo inquiramus quatuordecim Dignitates, quas probabimus esse Supremas super omnes alias Dignitates; per probationem verò, quam damus de Dignitatibus, probamus manifestè, DEUM esse. In *Secunda* Parte tractamus & probamus, quomodo quælibet Dignitas existat realiter. In *Tertia* Parte probabimus, esse unum DEUM tantùm: unde secundùm ordinem de prima Parte primò dicemus.

PRIMA PARS In qua probatur, DEUM esse.

HÆc prima Pars dividitur in *quatuordecim Partes*, quia quamlibet Dignitatum probamus & inquirimus, ut possimus probare, unum DEUM esse, qui sinè suis Dignitatibus non posset esse: ut verò possimus probare, DEUM esse, primò volumus probare, bonitatem esse, quæ sit suprema super cæteras bonitates; & hoc idem volumus probare de magnitudine, & de reliquis Dignitatibus probabimus hoc idem: probatis autem omnibus quatuordecim Dignitatibus intendimus probasse supremum Ens, videlicet nostrum Dominum DEUM.

Artem verò & Doctrinam, quibus in hac probatione & inquisitione intendimus procedere, habemus *ab Arte Demonstrativa* & *ab Arte Compendiosa inveniendi Veritatem*, habendo tamen gratiam & auxilium à nostro Domino DEO: unde nos in hac inquisitione ordinamus, quòd una dignitas probetur cum alia dignitate aut cum aliis dignitatibus secundùm *quatuor Conditiones*, quæ concordant cum dignitatibus. Unde nos primò inquirimus & probamus supremam Bonitatem DEI.

De Suprema Bonitate.

HÆc prima Pars dividitur in *tredecim sequentes Paragraphos*; & hæc eadem ordinatio servatur in probando cæteras dignitates: unde nos primò incipimus probare supremam Bonitatem per magnitudinem; & hoc principium facimus toto animo confidentes in auxilio & gratia nostri Domini DEI.

1. In magnitudine, in qua Bonitas est magna sinè parvitate perfectæ virtutis, convenit esse supremam Bonitatem; & quoniam nec in firmamento nec in omnibus, quæ in se continet, est magnitudo Bonitatis sinè parvitate perfectæ virtutis, idcirco convenit, esse aliquam aliam supremam Bonitatem sinè parvitate perfectæ virtutis, quæ sit suprema super omnes alias Bonitates, in quibus est parvitas perfectæ virtutis; illam verò bonitatem affirmamus esse supremum

premum Bonum, ſupremum Ens, quod inquirimus;& hoc eſt noſter Dominus DEUS: ſed ſi ſuprema Bonitas magna ſinè parvitate perfectæ virtutis nihil eſt, convenit, eſſe aliquam magnitudinem malitiæ, in qua ſit parvitas imperfectæ virtutis, quæ malitia contradicat ipſi eſſe ſupremæ Bonitatis; & convenit, quòd in malitia imperfectionis, virtutis, juſtitiæ & poteſtatis ſit major magnitudo, quàm magnitudo, quæ convenit cum bonitate, perfectione, virtute, juſtitia & poteſtate; & hoc eſt inconveniens & impoſſibile; cùm eſſe & magnitudo bonitatis & perfectionis, &c. ſimul conveniant; privatio verò & magnitudo malitiæ &c. ſimul concordent.

2. Intra Æternitatem eſt major magnitudo bonitatis, quàm extra, ut æternitas ſit in majori ſimplicitate & nobilitate in ſuamet bonitate, quàm in bonitate, quæ non eſt de ſua eſſentia nec entitate; ſi verò hujus eſt contrarium, ſequitur, quòd malitia, quæ eſt privatio boni, habeat majorem concordantiam cum ſimplicitate & nobilitate, quæ conveniunt cum æternitate, quàm bonitas, quæ eſt privatio mali, quæ convenit cum juſtitia, cum ſimplicitate, nobilitate & æternitate; & hoc eſt impoſſibile & implicita contradictio: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Bonitatem eſſe, in cujus abſentia ſequerentur omnia ſupradicta inconvenientia contraria quatuor neceſſariis Conditionibus hujus Artis.

3. Bonitas haberet majorem Poteſtatem in poteſtate humanæ conſiderationis, quæ poteſt conſiderare, ſupremam Bonitatem eſſe ſinè imperfectione poteſtatis, quàm in eſſentia ſimplicitatis, bonitatis & poteſtatis, ſi bonitas, in qua non eſſet imperfectio poteſtatis, disconveniret cum eſſe reali, & conveniret tantùm cum humano intellectu & voluntate contra juſtitiam intelligendi & volendi, cum qua conveniret injuria, ſi eſſet impoſſibile, quòd poteſtas poſſet eſſe in bonitate ſinè imperfectione; ſed quoniam poteſtas & juſtitia, amor & perfectio fortiùs conveniunt cum eſſe in magnitudine bonitatis; quàm in parvitate bonitatis (cui parvitati eſt propinqua privatio poteſtatis, juſtitiæ, amoris & perfectionis) ergò manifeſtè demonſtratur, quòd ſuprema Bonitas & eſſe fortiùs conveniant ſinè imperfectione poteſtatis in eſſe reali extra humanam conſiderationem, quàm in humana conſideratione; quæ concordantia bonitatis & perfectæ poteſtatis in eſſe reali manifeſtè demonſtrat, eſſe unum Ens, quod eſt ſuprema Bonitas.

4. Si Sapientia ſcit æternaliter in infinita & æterna magnitudine unam bonitatem, in qua non ſit parvitas ſapientiæ, convenit, illam bonitatem, quam ſapientia ſcit, magnam eſſe ſuper omnem aliam bonitatem; ſi verò illa tam magna bonitas nihil eſt, eſt impoſſibile, quòd ſapientia eam poſſit, ſcire; & ſi illam non ſcit, omnis ſapientia ignorat ſuam bonitatem infinitam in magnitudine infinitatis & æternitatis, in quibus ſapientia ſcit ignorantiam, quæ convenit cum privatione bonitatis, & ſcit, majorem ignorantiam eſſe in majori magnitudine, quàm ſit ſua magnitudo, & ſcit malitiam, quæ concordat cum ignorantia, eſſe majorem, quàm ſit bonitas, quæ concordat cum ſapientia: & quoniam eſſe, magnitudo & bonitas conveniunt, & privatio & parvitas bonitatis inſimul concordant, per hoc probatur, ſupremam Bonitatem eſſe, ſecundùm quatuor Conditiones hujus Artis.

5. Si non eſt ſpecialis Amor, qui diligit bonitatem, per quam æternitas eſt æternaliter ſinè principio & ſinè fine, convenit, quòd amor, qui eſt in æternitate, ſpecialiter in ſimplicitate numeri non ſit idem cum æterna bonitate; & ſi non eſt idem, bonitas eſt æterna absque ſpeciali amore; & ſi eſt, bonitas convenit cum majori vilitate, quàm cum nobilitate; & cum majori imperfectione, quàm cum perfectione; & magis concordat cum injuria, quàm cum juſtitia; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd propter magnam magnitudinem bonitatis, quæ eſt in amore & æternitate, de neceſſitate conveniat, aliquod ens eſſe in tanta perfectione amoris, juſtitiæ & æternitatis, quòd ſit ſuprema bonitas; quæ ſuprema Bonitas eſt illud glorioſum Ens, quod nos inquirimus.

6. In Virtute, in qua bonitas eſt magis remota à malitia, eſt major magnitudo æternitatis, bonitatis & virtutis, quàm in virtute, in qua bonitas non eſt tam remota à malitia: unde ſi DEUS nihil eſt, in nulla virtute privatur malitia, nec eſt aliqua virtus, per quam bonitas eſt magis remota à malitia in magnitudine virtutis,

tutis, quàm in parvitate, & eſt in eſſe major magnitudo malitiæ, quàm bonitatis: per quam majorem malitiam bonitas eſſet magis remota à malitia in minoritate virtutis, quàm in majoritate; ſed cùm per experientiam nobis appareat contrarium hujus, per hoc demonſtratur, ſupremam Bonitatem eſſe, in qua nulla eſt malitia; quæ ſuprema Bonitas eſt principium & cauſa, quòd per ejus virtutem omnis alia bonitas ſit magis remota à malitia in magnitudine virtutis, quàm in parvitate.

7. Convenit, quòd in Veritate principietur omnis bonitas, quæ habet principium; & convenit, quòd in veritate ſit medium, per quod bonitas tendit ad finalem intentionem; & ideo convenit, quòd finis ſit in veritate: unde ſi DEUS nihil eſt, convenit, quòd finalis intentio, in qua bonitas habet majorem magnitudinem perfectionis, ad quam finalem intentionem bonitas tendit per majorem magnitudinem principii & medii, ſit in majori falſitate & in majori inutilitate, quàm finalis intentio, ad quam bonitas tendit cum minoritate principii & medii; & hoc eſt impoſſibile, ne nobilior finis & falſitas, bonitas & malitia ſint in ſimplicitate, & ne bonitas & veritas & nobilior finis ſint in compoſitione: & quoniam in privatione DEI ſequerentur omnia ſupradicta inconvenientia, per hoc demonſtratur, DEUM eſſe, qui eſt ſuprema Bonitas & ſupremum Bonum.

8. Gloria & bonitas non contradicunt ipſi eſſe, pœna verò & malitia contradicunt illi, in quantum per corruptionem & injuriam ipſum inclinant ad privationem; ſed ſi DEUS nihil eſt, eſt impoſſibile, quòd ſit alia gloria præter gloriam hujus mundi; in qua gloria nemo poteſt vivere ſinè pœna & ſinè malo; & major pœna & majus malum eſt, hominem conſiderare, ſe poſt mortem nihil eſſe, quàm ſit gloria & proſperitas, quas ipſe poſſidet in hoc mundo: & ſic juſtitia convenit cum minoritate & privatione, & injuria cum majoritate & eſſe; & ita æternitas & gloria ſucceſſivè conveniunt contra ſimplicitatem, unâ gloriâ exiſtente poſt alteram totaliter procedendo in infinitum absque æterno glorioſo, cum quo conveniat magnitudo bonitatis, poteſtatis, æternitatis, juſtitiæ & perfectionis; ſed quoniam omnia prædicta inconvenientia ſequerentur, ſi DEUS nihil eſſet, per hoc demonſtratur, ſupremum Bonum eſſe, propter cujus eſſe gloria & bonitas, juſtitia, perfectio, eſſe & ſimplicitas conveniunt in æternum.

9. Perfectio & eſſe conveniunt, & imperfectio & privatio concordant; & ideo bonitas, quæ convenit cum perfectione, convenit cum eſſe; & malitia, quæ convenit cum imperfectione, convenit cum privatione: & ideo eſſe contradicit privationi cum bonitate & perfectione; privatio verò è converſo contradicit ipſi eſſe cum malitia & imperfectione: unde, ſi ſuprema Bonitas, in qua nulla eſt imperfectio, nihil eſt, ſupremum Eſſe eſt in privatione, & ſuprema imperfectio mali eſt in eſſe: & ſic ſequitur, quòd privatio fortiùs contradiceret ipſi eſſe bonitatis & perfectionis cum imperfectione & malo, quàm ipſum eſſe contradiceret privationi cum perfectione & bono; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Bonitatem eſſe ſinè imperfectione ipſius eſſe.

10. In Juſtitia, in qua eſt major poſſibilitas bonitatis, & major impoſſibilitas malitiæ, eſt major magnitudo actûs juſtitiæ, poſſibilitatis & impoſſibilitatis, quàm in juſtitia, in qua non eſt tanta magnitudo poſſibilitatis bonitatis, & impoſſibilitatis malitiæ: unde ſi ſuprema Bonitas, in qua non eſt poſſibile, eſſe malitiam & privationem bonitatis, nihil eſt, ſequitur, quòd major impoſſibilitas, quæ poſſit eſſe, ſit, quòd ſit major poſſibilitas bonitatis, & quòd major poſſibilitas juſtitiæ ſit in privatione, & major poſſibilitas injuriæ in eſſe: & ſic ſequeretur, quòd malum & eſſe haberent majorem concordantiam, quàm bonum & eſſe; & quòd bonum & privatio haberent majorem concordantiam, quàm bonum & eſſe; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Bonitatem eſſe, in qua eſt impoſſibile, eſſe injuriam, quæ convenit cum malitia.

11. In Largitate non eſt largitor largiens donum ſinè imperfectione bonitatis, ſi ſuprema Bonitas, in qua non eſt imperfectio boni, nihil eſt; & per hoc ſequitur, quòd avaritia habeat majorem magnitudinem in malitia, quàm largitas in bonitate; & hoc eſt impoſſibile & contra conditiones magnitudinis in bonitate; quæ magnitu-

do magìs convenit cum majoritate largitatis, quàm avaritia cum magnitudine malitiæ: unde cùm hoc ita sit, secundùm conditiones magnitudinis significatur & probatur, esse supremam Bonitatem sinè minoritate largitatis.

12. Nullum ens est in Simplicitate bonitatis, si DEUS nihil est, sed omne ens est malitia participans cum bonitate, & in illo est major magnitudo compositionis, quàm simplicitatis, & omnia principia æterna se habent magìs ad compositionem boni & mali, quàm ad simplicitatem, in comparatione simplicis & compositi, boni & mali; & hoc est impossibile & contra conditiones & nobilitatem justitiæ & perfectionis, virtutis & bonitatis, veritatis & simplicitatis, magnitudinis & æternitatis: unde per hanc impossibilitatem probatur, DEUM esse, qui est suprema Bonitas simplex sinè aliqua compositione; quoniam nisi sic esset, sequerentur omnia supradicta inconvenientia.

13. Nullam Nobilitatem bonitatis convenit esse supremam super omnem aliam nobilitatem, si in se contineat aliquam vilitatem, quæ conveniat cum malitia: unde si ens, quod est suprema Nobilitas, in se habet ullam vilitatem per privationem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., hæc vilitas est major in ejus entitate, quàm nobilitas; per quam majorem vilitatem est injuria, si illud ens est supremum in nobilitate: unde cùm de necessitate conveniat, quòd quoddam ens seu quædam essentia sit cum majori nobilitate bonitatis in magnitudine, æternitate, potestate &c., convenit, quòd illud vel illa per justitiam habeant tantam magnitudinem bonitatis in omnibus suis dignitatibus, quòd sit impossibile, vilitatem & malitiam magnitudinis, æternitatis, potestatis &c. esse contra bonitatem, quæ convenit cum nobilitate contra malitiam & vilitatem.

Probavimus & demonstravimus certis Rationibus, DEUM esse; quam probationem fecimus, probando, esse supremam Bonitatem, quæ tantùm convenit Essentiæ divinæ aut Esse divino: unde illum eundem modum & artem, quam tenuimus, probando, esse supremam Bonitatem, volumus tenere in probando, esse supremam Magnitudinem.

De suprema Magnitudine.

1. IN suprema Bonitate convenit esse supremam Magnitudinem; & quia probavimus, supremam Bonitatem esse, convenit, esse supremam Magnitudinem, quæ non posset esse sinè suprema Bonitate; si verò suprema Magnitudo est, & ejus Essentia non est infinita in firmamento nec extra firmamentum extensivè & infinitè, ejus bonitas est terminata in ipsa per essentiam & quantitatem: per quam terminationem bonitas non est digna esse suprema secundùm magnitudinem justitiæ, nobilitatis & perfectionis: & quoniam convenit, supremam Bonitatem continere in se illud, per quod super omnia magìs est remota à malitia, ergò convenit, illam esse in infinita magnitudine & in essentia & virtute; & convenit, in illa infinitate esse duos actus infinitos, unum formalem, & alium operativum, ambobus existentibus simplicibus, & quolibet existente per intentionem alterius, ut ambo sint æquales in magnitudine bonitatis; quorum æqualitas non potest esse, nisi tantùm in bonitate, in qua sit suprema Magnitudo.

2. Æternitas est durabilis sinè principio & sinè fine; ergò magnitudo durationis in æternitate est tantum remota à parvitate durationis, quòd in æternitate magnitudo sit infinitè remota à parvitate: & quoniam æternitas habet infinitam magnitudinem in duratione, convenit secundùm magnitudinem bonitatis, justitiæ, virtutis & perfectionis, æternitatem esse magnam per infinitam & æternam magnitudinem extensivè; quia nisi sic esset, ipsa esset per durationem suprema Magnitudo, & per terminationem extensionis, quæ habet quantitatem finitam, conveniret cum parvitate essentiæ, ultra quam essentiam æternitas æternaliter & infinitè esset in privatione: per quam privationem æternam & infinitam ipsum esse esset in minori magnitudine & in majori privatione; & hoc est impossibile: & si esset possibile, privatio esset naturaliter magìs amabilis, quàm esse, & non ens esset magìs amabile, quàm ens, & in non ente esset major magnitudo, quàm in ente; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Magnitudo est demonstrabilis.

3. Potestas magnitudinis infinita & æterna,

na, quæ habet omnem perfectionem in nobilitate, non contradicit sibi ipsi; si autem Essentia, quam inquirimus, non est, contradicit per minorem potestatem majori magnitudini potestatis, existente minori potestate in parvitate essentiæ limitatæ & finitæ: & sic sequitur, quòd major magnitudo potestatis sit in privatione per parvitatem potestatis; & si est, sequitur, perfectionem esse in privatione per imperfectionem, & bonitatem per malitiam, & justitiam per injuriam, & nobilitatem per vilitatem; & hoc idem sequitur de omnibus supradictis dignitatibus: sed si hoc ita est, sequitur, quòd esse contradicat dignitatibus, & quòd privatio conveniat cum ipsis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis suprema Magnitudo infinita & æterna in Essentia per magnitudinem potestatis in bonitate, æternitate &c.

4. Sapientia & magnitudo potestatis, veritatis, virtutis, justitiæ & simplicitatis contrariantur ignorantiæ, quæ concordat cum parvitate potestatis, veritatis, virtutis, justitiæ & simplicitatis: unde si sapientia non habet essentiam, quæ sit magna, æterna & infinita, in qua essentia sit sapientia, & si in sapientia non sit illa eadem essentia, sequitur, quòd omnis sapientia sit in majori parvitate, quàm magnitudine, & quòd ignorantia, quæ convenit cum privatione, quæ privatio convenit cum parvitate, sit in majori magnitudine, quàm parvitate; & hoc est impossibile: igitur de necessitate convenit, esse totum oppositum, per quod demonstratur, supremam Magnitudinem esse, per cujus virtutem omnis sapientia habet majorem concordantiam cum virtute, veritate & justitia in magnitudine, quàm in parvitate.

5. Amor habet majorem naturam in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo, qui de omnibus amoribus, qui sunt nobiles, faceret unum amorem tantùm, ille amor esset in majori magnitudine, quàm cæteri amores distincti, quolibet per se existente: unde si essentia magna æterna & infinita, in qua amor esset æternaliter & infinitè (quæ essentia esset actus formalis & operativus, in quo esset immensuratio æternitatis, infinitatis & magnitudinis) nihil esset, amor esset in majori privatione magnitudinis, quàm parvitatis; ex quo sequeretur, quòd amor haberet majorem concordantiam in natura cum parvitate, quæ convenit cum privatione, quàm cum magnitudine, quæ convenit cum esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur & probatur, esse supremam Magnitudinem per amorem.

6. Convenit, quòd in Virtute, in qua magnitudo infinitæ & æternæ Essentiæ potest habere actum formalem & operativum cum existentia infinitatis & æternitatis formaliter & operativè intrinsecè, sit suprema Magnitudo; si autem illa magnitudo nihil est, per privationem magnitudinis virtutis sequitur, quòd magnitudo virtutis sit major in potentia, quàm in actu, & quòd ejus majoritas sit propinqua minoritati, dum forma se movet de potentia ad actum; & virtus haberet successivè majorem magnitudinem per successionem, quàm per specialitatem, proprietatem, singularitatem & existentiam; & privatio & virtus haberent concordantiam in magnitudine per corruptionem, & esse & virtus in parvitate per generationem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem est demonstrabilis suprema Magnitudo, quam inquirimus.

7. Veritas & magnitudo conveniunt; quia una veritas est major, quàm altera; in qua majoritate falsitas est magìs remota à veritate, quàm in minori concordantia magnitudinis & veritatis: unde quia major contrarietas falsitatis & veritatis convenit cum esse, conveniente falsitate cum privatione, & veritate cum esse, idcirco de necessitate convenit, quòd illud sit in esse, per quod veritas & falsitas fortiùs inter se contrariantur: quæ contrarietas nullo modo esset, si Essentia vera, magna, infinita & æternâ esset in privatione; quia non haberet, in quo esset infinita in Essentia, sinè infinita magnitudine Essentiæ veræ & æternæ; sed veritas concordaret cum minoritate, & falsitas cum majoritate: nam omnia, quæ credimus de cœlesti gloria, convenirent cum falsitate, si DEUS nihil esset; quæ falsitas esset major, quàm omnis veritas eorum, quæ videmus, quæ non sunt DEUS: & quoniam veritas & esse conveniunt, & falsitas & privatio, idcirco manifestum est, esse supremam Magnitudinem magnam infinitam & æternam.

Gloria

8. Gloria & pœna sunt magìs distinctæ & magìs contrariæ in magnitudine, quàm in parvitate; & quia gloria & esse conveniunt, & pœna & privatio concordant, idcirco convenit, esse magnitudinem, in qua gloria & pœna magìs inter se contrarientur, concordante gloriâ cum majoritate, & pœnâ cum minoritate; quæ pœna haberet concordantiam in majori magnitudine, quàm gloria, si propter creatam terminationem gloria esset infinitè & æternaliter in privatione, & nisi gloria æterna & infinita esset ejusdem naturæ cum ente glorioso, cum quo esset una entitas, una eadem simplicitas: sed quia gloria non contradicit ipsi esse nec magnitudini, sed perficit parvum esse & magnitudinem, & oppositum gloriæ contradicit illis, idcirco demonstratur, quòd suprema Magnitudo infinita & simplex sit in gloria & in essentia; in qua magnitudine omnes dignitates conveniunt cum perfectione: quæ perfectio non esset, si pœna esset æqualis gloriæ in magnitudine essentiæ infinitæ & æternæ.

9. Convenit, quòd in Perfectione, in qua actus operativus intrinsecè in entitate perfectionis & simplici natura perficit actum formalè existentè infinitè & æternaliter, sit id, quod convenit perfectæ justitiæ, ut sit suprema Magnitudo: unde si suprema Magnitudo non est in perfectione, quæ illi convenit, sequitur, quòd injuria & imperfectio contradicant supremæ Magnitudini cum majori magnitudine suæ entitatis & naturæ, quàm sit entitas & natura supremæ Magnitudinis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in Ente, in quo est suprema Magnitudo, sit omnis perfectio, quam convenit in illo esse; quam perfectionem non haberet sinè duobus supradictis actibus: per quos actus demonstratur, quòd sit in esse benedicta Magnitudo, quam inquirimus.

10. In Justitia est nobilitas justi, & in injuria est vilitas injusti: unde si DEUS nihil est, sequitur, quòd in æternitate sit justitia, & non justus, qui habeat sapientiam & amorem; & justitia est in æternitate, adhoc, ut sit justus, & omnis justus amans & sciens est in corruptione extra æternitatem, & in justitia est vilitas justi, & in vilitate justi est vilitas justitiæ, si DEUS nihil est, & oppositum vilitatis est in injuria & in injusto: sed quoniam hæc omnia disconveniunt cum esse, & habent concordantiam cum privatione, per hoc demonstratur, quòd de necessitate conveniat, in æternitate simplici esse infinitam justitiam, quæ justitia sit justus habens omnem nobilitatem, quæ convenit supremæ Magnitudini, adhoc, ut in illa non sit vilitas justitiæ nec justi; quoniam si in ea esset talis vilitas, esse supremæ Magnitudinis contrariaretur justitiæ.

11. In Largitate est major magnitudo nobilitatis in eo, qui largitur, quàm in eo, qui recipit; cujus contrarium secundùm cursum naturæ sequitur, si DEUS nihil est; nam ille, qui dat per generationem, dat corrumpendo semet ipsum; ille verò, qui recipit naturam, sumit augmentando semet ipsum: unde si DEUS nihil est, est impossibile, aliquid esse dignum, quòd sit suprema Bonitas in largitate; sinè qua suprema Largitate nulla magnitudo est digna, esse suprema: & quoniam quædam largitas est major in uno largo, quàm in altero, idcirco de necessitate convenit, in aliquo largo esse supremam Magnitudinem largitatis; & convenit, supremam Largitatem per justitiam, perfectionem, simplicitatem & nobilitatem largiri supremam Entitatem, adhoc, ut in largitione sit æqualis magnitudo largi largientis & recipientis, & ut ambo sint una simplex largitas in magnitudine infinita & æterna; quæ magnitudo non haberet, in quo esset, si DEUS nihil esset.

12. In simplicitate est major magnitudo nobilitatis, quàm in compositione, maximè, cum simplicitas sit magìs remota à corruptione, tempore, loco, motu & à passione, quàm compositio: unde si DEUS nihil est, sequitur, totam simplicitatem esse per secundam intentionem, quæ convenit cum minori nobilitate; & sic sequitur, compositionem esse per primam intentionem, quæ convenit cum majori nobilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, DEUM esse, adhoc, ut suprema Simplicitas sit in magnitudine, quæ convenit supremæ Simplicitati, ne suprema compositio sit in majori magnitudine nobilitatis, quàm suprema Simplicitas.

13. Est magìs possibile, quòd in Nobilitate sit magnitudo virtutis, quàm parvitas virtutis; & ideo est magìs impossibile, quòd

quòd infinita & æterna magnitudo sit extra nobilitatem, quàm sit possibile, quòd magnitudo finita & terminata in essentia & virtute sit in nobilitate: sed quoniam magnitudo essentiæ & virtutis habet nobilitatem, ût per experientiam percipimus, idcirco convenit, quòd sit illa magnitudo, in qua convenit esse aliquam Nobilitatem supremam super omnes nobilitates; quia si non esset, esset naturaliter magìs possibile, quòd vilitas esset in magnitudine, quàm in parvitate; & hoc est impossibile: per quàm impossibilitatem demonstratur, esse unam magnitudinem in tanta nobilitate, quòd cum nobilitate sit æterna & infinita in essentia & virtute bonitatis, æternitatis &c.

Probavimus, esse supremam Magnitudinem infinitam & æternam super omnem magnitudinem, in qua non sint Dignitates, quæ cum tam magna Essentia concordant; & illam magnitudinem dicimus, esse supremum Ens, quod vocamus nostrum Dominum DEUM.

De suprema Æternitate.

1. SI tota Bonitas esset extra æternitatem, sequeretur, quòd bonitas esset principium sui ipsius, per quod principium virtus esset sinè fine sustentans se ipsa; contra quod principium & contra quam sustentationē, quæ essent sinè fine, nec corruptio nec malitia nec privatio possent contradicere principio, & bonitas esset & non esset in æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, quòd æternitas sit sinè principio; per cujus principii privationem convenit, æternitatem esse sinè fine; quia est impossibile, privari ens, quod est sinè principio: & quia æternitas est, in qua non est principium nec finis, idcirco convenit, in illa æternitate esse supremam Bonitatem; quia nisi esset, æternitas contradignitates esset conversa in malitiam: per quam malitiam privatio esset amabilis, & esse esset odibile; & hoc secundùm cursum naturæ est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, esse supremam Æternitatem.

2. Magnitudo nobilitatis, gloriæ, amoris & sapientiæ est major in virtute & in perfectione, si æternitas est, quàm si nihil esset; nam si æternitas nihil est, sequitur, quòd major magnitudo potestatis, simplicitatis, bonitatis, justitiæ & nobilitatis habeat principium per se principiatum sinè æternitate, quàm si æternitas est principium principiato: & quoniam in æternitate potest capi major magnitudo bonitatis &c., quàm in principiato, quod est principium sibi ipsi, ideo convenit, æternitatem esse; quia si non esset, major magnitudo contrarietatis in bonitate, æternitate, potestate &c. esset supremum Ens supra Ens, in quo est magnitudo potestatis, bonitatis &c.: & sic illud supremum esset æternitas æterna, in qua privarentur bonitas, potestas &c.; in qua æternitate ipsum ens æternaliter produceret majorem magnitudinem malitiæ, quàm bonitatis, & fragilitatis, quàm potestatis, & majorem magnitudinem privationis omnium dignitatum, quàm ipsius esse; & hoc est impossibile: unde convenit, æternitatem esse in perfectione bonitatis, magnitudinis &c. supremum Ens, in quo sit suprema Æternitas.

3. Potestas actûs existentis formaliter, & potestas actûs operativi sunt majores in magnitudine bonitatis, sapientiæ &c., si æternitas est, quàm si æternitas nihil est: unde si æternitas nihil est, firmamentum & corpora cœlestia & species, eò quòd sunt incorruptibilia, habent potestatem durandi sinè fine, & individua elementata, quæ sunt per primam intentionem, in magnitudine virtutis, justitiæ & perfectionis tendunt in privationem, quæ est sinè fine, contra justitiam & magnitudinem virtutis, quæ convenit cum magnitudine potestatis: sed si hoc ita est, sequitur, quòd fragilitas, quæ est contraria potestati, sit suprema Potestas, & quòd actus formalis & operativus habeant majorem concordantiam in privatione potestatis, quàm in esse potestatis, sinè quo ipsi non possent esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Æternitas.

4. Sapientia æterna non contradicit magnitudini bonitatis, potestatis &c.; si verò æternitas nihil est, sapientia æterna nihil est, & æternum est id, quod æternaliter contradicit magnitudini sapientiæ in bonitate, potestate &c.: unde si hoc ita est, sequitur, quòd omnis intellectus sit unius sapientiæ, & omnis homo unius humanitatis, & omne ens unius essentiæ, & quòd omne principium sit unius principii, quod sit causa sibi ipsi principiato extra æterni-

tatem : & adhuc ſequeretur, ſupremam Æternitatem eſſe imperfectionem & contrariam ſapientiæ & æternitati in perfectione & concordantia ſapientiæ, æternitatis, bonitatis, amoris &c.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur ſuprema Æternitas, quæ convenit cum magnitudine bonitatis, poteſtatis &c.

5. Amor & æternitas habent concordantiam in bonitate, magnitudine &c., ſi æternitas eſt; ſed ſi æternitas nihil eſt, ſequitur, quòd omne, quod eſt, ſit principium, quod de nihilo ſe ipſum principiavit; quod nihilum ſit omni, quod eſt, eſſentia & natura in privatione bonitatis, magnitudinis: ex quo ſequeretur, quòd amor naturaliter non diligeret eſſe, & odiret eſſe; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur æternitas, ſinè qua omne id, quod eſt, haberet naturalem appetitum deſiderandi privationem ſui ipſius, & omnis homo, qui diligeret ſuum proximum, diligeret in eo privationem bonitatis, magnitudinis &c.; & hoc eſt impoſſibile.

6. In Virtute actûs, qui eſt exiſtens & operativus, haberet magnitudo majoritatem in diviſione & compoſitione, ſi æternitas non eſt, quàm ſi æternitas eſt; & quoniam magnitudo virtutis poteſt eſſe major per indiviſibilitatem & ſimplicitatem, quæ eſt in actu formali & operativo, quàm per diviſionem & compoſitionem, idcirco convenit, eſſe id, per quod eſt major poſſibilitas magnitudinis virtutis; & illud Ens eſt ſuprema Æternitas, ſinè qua id, quod eſt æternitas, eſſet in infinitate contra ſupremam Æternitatem; & hoc eſt impoſſibile.

7. Falſitas eſt magis remota à veritate, ſi æternitas eſt, quàm ſi æternitas nihil eſſet; maximè cùm veritas & eſſe conveniant, & falſitas & privatio concordent; ſi autem æternitas nihil eſſet, veritas & privatio, falſitas & eſſe haberent concordantiam in majori magnitudine; & hoc eſt impoſſibile: ex quo ſequeretur, quòd potentia, cui privatio propinquior eſt, quàm actui, eſſet æternaliter, & quòd omnis actus haberet principium & naturam ſimplicis potentiæ habentis privationem materiæ & formæ; & hoc eſt impoſſibile: ne infinita falſitas ſit ſuprema veritati, & ne actus ſit minoris nobilitatis, quàm potentia.

8. In Gloria non convenit perfectio ſinè ſapientia ſciente veritatem ſuæ gloriæ, & amore diligente ſuammet gloriam; nam ſi æternitas nihil eſt, corpora cœleſtia & genera & ſpecies ſunt æterna principia, in quantum ſunt durabilia ſinè fine per incorruptionem, quam habent; nec ſunt æterna, eò quòd habent principium; & æternitas eſt id, quod eſt durabile ſinè fine, & quod habuit principium: & illa æternitas, quæ eſt ſinè principio & ſinè fine, nihil eſt, & ſequitur, quòd id, quod non eſt dignum eſſe, ſit in juſtitia, perfectione, ſapientia & amore, & quòd id, quod eſt dignum eſſe, ſit contra perfectionem, juſtitiam & amorem: unde ſi hoc ita eſt, ſequitur, quòd gloria & privatio conveniant, & pœna & eſſe inſimul concordent; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, æternitatem eſſe ſinè principio & ſinè fine.

9. Perfectio & imperfectio ſunt æqualiter durabiles in duratione ſinè principio & ſinè fine, ſi æternitas non eſt ſinè principio; ſi verò æternitas habet principium, tunc in illa imperfectio ita eſt principium eidem, ſicut perfectio; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd, ſi æternitas eſt ſinè principio & ſinè fine, & patitur aliquem defectum perfectionis, per quem ſecundùm juſtitiam ſit indigna eſſe DEUS, qui habeat omnem abſolutam perfectionem, conveniat, eſſe duos Deos, quorum unus habeat compoſitionem perfectionis & imperfectionis, & alter habeat ſimpliciter imperfectionem, quæ ipſi DEO eſſet ſuprema compoſitio, & quòd compoſitio & minoritas conveniant, & ſimplicitas & majoritas: & quoniam eſt inconveniens, duos ſupradictos Deos eſſe, convenit, ſupremam Æternitatem eſſe, quæ ſit DEUS, qui non habeat imperfectionem, ſed habeat in æternitate omnem perfectionem bonitatis, magnitudinis &c.; quia ſi hoc non ita eſt, ſequitur, eum eſſe ſupremum DEUM per imperfectionem concordantem cum infima ignobilitate, privatione & minoritate; & hoc eſt impoſſibile.

10. In Juſtitia non poteſt eſſe injuria, & è converſo; unde ſi æternitas, quæ eſt juſtitia, eſt in privatione, convenit, quòd injuria ſit in majori magnitudine, quàm juſtitia; nam in omni eo, quod eſt, eſt injuria per privationem æternitatis: & ſic ſequitur, quòd omne principium ſit ex injuria

juria; quod ſi eſt, ergò injuria eſt principium juſtitiæ, & ſic eſt juſtitia, adhoc, ut naturaliter ſit injuria; & ideo injuria eſſet amabilis, & juſtitia odibilis, & propter privationem magnitudinis bonitatis, poteſtatis &c. injuria eſt ſuprema, & juſtitia infima; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſit æternitas, cujus entitati nullæ indignitates conveniunt, quæ cum injuria concordant.

11. In Largitate æternitas non contradicit magnitudini æterni Largitoris, nec æterni doni; quam contradictionem facit privatio æternitatis, ſi privatio ſit æterna; ſed cùm magnitudo virtutis in nobilitate habeat concordantiam cum juſtitia in æterna largitate & dono, & avaritia habeat concordantiam cum parvitate & privatione virtutis & juſtitiæ contra nobilitatem bonitatis, poteſtatis, ſapientiæ, amoris &c., idcirco demonſtratur æternitas, ſinè qua æternitate avaritia haberet majorem concordantiam cum eſſe, quàm cum privatione.

12. In Simplicitate æternitatis & æterni, in quibus eſt magnitudo bonitatis, poteſtatis &c., nullum eſt inconveniens; ſi verò eſt compoſitio æternorum principiorum de æternis principiis, quæ ſunt corpora cœleſtia, elementa & ſpecies, æternitas eſt in abſtracto ſinè magnitudine bonitatis, poteſtatis &c., & æterna principia ſunt conjuncta, & habent imperfectionem bonitatis, poteſtatis, ſapientiæ, amoris &c.; quam imperfectionem ſequuntur multa inconvenientia contra bonitatem, magnitudinem &c.: ſed quoniam conveniens, juſtitia & eſſe habent concordantiam, & inconveniens convenit cum injuria & privatione, idcirco in ſimplicitate æternitatis & æterni demonſtratur, quòd ſit ſuprema Æternitas.

13. Nobilitas & vilitas fortiùs inter ſe contrariantur per magnitudinem, quàm per parvitatem: unde ſi æternitas eſt, adhoc, ut ſint æterna principia producentia corruptibilia individua ſpecierum ad conſervandum eas æternas exiſtentes cum imperfectione bonitatis, magnitudinis, poteſtatis &c., ſequitur magna vilitas in æternitate, & in ſuis principiis; quæ vilitas eſſet ſuperior nobilitate per privationem bonitatis, magnitudinis in poteſtate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſit æternitas, ſinè qua vilitas tranſcenderet nobilitatem.

Probavimus, ſupremam Æternitatem eſſe, quæ eſt ſupremum Ens æternum, quod inquiſivimus cum æternitate, quæ ſinè ullo inconveniente convenit cum bonitate, magnitudine &c.; quod Ens eſt noſter Dominus DEUS.

De ſuprema Poteſtate.

1. SI in Bonitate eſt Poteſtas, ut poteſtas ſit bonitas, & è converſo, ſic poteſtas eſt bonitas, quæ eſt poteſtas in poteſtate, quæ eſt bonitas; convenit autem, talem poteſtatem per juſtitiam eſſe ſupremam Poteſtatem, quæ poteſtas nihil eſt, ſi DEUS nihil eſt: unde ſi hæc poteſtas nihil eſt, ſequitur, poteſtatem eſſe, ut ſit bonitas, & illa bonitas, quæ non eſt poteſtas, eſt ſuperior, & poteſtas eſt inferior; ſi verò bonitas eſt, ut ſit poteſtas, tunc eſt poteſtas ſuperior, & bonitas inferior: & ſic ſequitur, quòd id, quod eſt ſupremum Ens per bonitatem, ſit infimum per poteſtatem, & è converſo; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſit ſuprema Poteſtas, quæ eſt ſuprema per ſe & per bonitatem, cum qua eſt eadem natura, eadem ſuprema Eſſentia per naturam & eſſentiam bonitatis & poteſtatis.

2. In Magnitudine eſt poteſtas, quæ eſt magnitudo magis remota à parvitate, quàm poteſtas, quæ eſt in magnitudine alicujus entis, quod non eſt poteſtas; & ideo eſt impoſſibile, parvitatem poteſtatis eſſe in natura propinquam poteſtati, quæ eſt eadem entitas & natura cum magnitudine, exiſtentibus magnitudine & poteſtate eâdem Eſſentiâ, in qua poteſtas poteſt in magnitudine ſui ipſius, & in qua magnitudo poteſt in poteſtate cum bonitate, æternitate &c., & in qua bonitas poteſt cum magnitudine & poteſtate in ſe ipſa & in magnitudine bonitatis, poteſtatis, ſapientiæ &c.; & hoc idem ſequitur de aliis dignitatibus: quoniam ſi eſt talis magnitudo poteſtatis, ſequitur, eam eſſe ſupremam ſuper omnes alias poteſtates; ſed ſi talis poteſtas nihil eſt, ſequitur, quòd id, quod eſt ſuprema Poteſtas, conveniat cum magnitudine contraria ſibi ipſi: per quam contrarietatem convenit cum parvitate, quæ ſecundùm juſtitiam eſt indigna eſſe ſuprema Poteſtas; ſed quia convenit, aliquam

potestatem esse supremam super omnes alias potestates, idcirco convenit, aliquam potestatem esse supremam omni potestati, quæ est eadem cum magnitudine, bonitate, sapientia &c.

3. Si in æternitate est Potestas æternaliter producens specificatam potestatem æternam, quæ productio sit ex una æterna Essentia & Natura, & ex Essentia æternæ bonitatis, magnitudinis &c., sequitur, illam potestatem esse supremam secundùm actum justitiæ in nobilitate perfectionis; si verò in æternitate prædicta potestas nihil est, æternitas est suprema per durationem, & infima per privationem perfectæ potestatis, quæ privatur in bonitate, magnitudine &c.; & in æternitate una potestas producit alteram potestatem cum generatione & corruptione, quæ convenit cum principio, medio, fine, tempore, motu, loco & quantitate, ad conservandum æternitatem, quæ destrueretur sinè his prædictis principiis, sicut destruerentur species in privatione omnium suorum individuorum; sed quoniam æternitas est indestructibilis propter suam entitatem & naturam, & jam probatum est, ipsam esse supremum Ens, idcirco per æternitatem probatur, ipsam esse supremam Potestatem.

4. Sapientia, quæ scit existentem potestatem operativam in se ipsa cum magnitudine bonitatis &c., scit in se ipsa supremam Potestatem; si autem nulla sapientia scit in se ipsa nec in altera sapientia talem potestatem, ergò nulla potestas est digna esse suprema super omnem potestatem; sed una potestas est superior per aliquam dignitatem, & inferior per aliquam imperfectionem potestatis, & in omni re est compositio superioritatis & inferioritatis, & nulla sapientia habet simplicitátem in suamet potestate sciendo semet ipsam, sed scit se ita extra se ipsam; sicut ignis simplex, qui extra suam simplicitatem habet suam potestatem compositam in corporibus elementatis: unde si hoc ita est, sequitur, quòd omnis sapientia descendat ab una suprema Sapientia, quæ habet in suis individuis potestatem extra suam simplicitatem; quam potestatem habet ab aliqua potestate, quæ non est sapientia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, esse simplicem & supremam Potestatem, quæ est ejusdem entitatis & naturæ cum sapientia.

5. Per Amorem potest quis desiderare id, quod non habet, & per perfectam potestatem potest illud habere; sed si non potest habere id, quod potest desiderare, ejus potestas & amor non sunt in eadem natura & essentia; quia illud posset habere, si potestas & majoritas essent eadem essentia & natura: unde si DEUS nihil est, potestas, quæ habetur in considerando, erit suprema, & illa potestas, per quam potest haberi omne desideratum, erit in privatione; & quia hoc est inconveniens, videlicet, privari talem Potestatem, & quia inconveniens convenit cum fragilitate & privatione, & non est amabile, sed odibile, demonstratur, supremam Potestatem esse æqualem in natura & virtute amori, qui desiderat, se esse supremum super omnem amorem, cum quo supremo Amore suprema Potestas est eadem Essentia, diligente amore in se ipso supremam Potestatem bonitatis, magnitudinis &c.

6. In Virtute, in qua non est potestas distincta per naturam nec per essentiam, sed est cum ipsa virtute eadem natura & essentia, est impossibile, esse defectum virtutis & potestatis; quoniam si in ea posset esse imperfectio potestatis & virtutis, esset impossibile, potestatem & virtutem esse eandem essentiam & naturam simplicem sinè compositione distinctarum naturarum: sed cùm conveniat, supremam Potestatem esse id, in quo est impossibile, esse virtutem defectivam in potestate, igitur si suprema Potestas nihil esset sinè defectiva virtute, tunc esset per se ipsam simplex in supremitate, & per participationem & compositionem defectivæ virtutis esset in infimitate; & sic esset & non esset, & in æternitate virtus & potestas essent defectivæ, eò quòd non producerent perfectùm & æternum ens, sed habens imperfectionem in virtute & potestate: per quam imperfectionem secundùm justitiam non esset dignum esse supremum Ens.

7. Si Veritas & potestas sunt qualitates alicujus supremi Entis super omne ens, & veritas & potestas non sunt ejusdem naturæ & entitatis, sequeretur, quòd ipsum ens esset superius in magnitudine super suasmet dignitates, quæ haberent convenientiam cum minoritate & imperfectione bonitatis, magnitudinis &c.; per quam imperfectionem ipsum ens posset mentiri & pati pœnam contra suam gloriam, & posset habere

habere fragilitatem virtutis & justitiæ: & quoniam hæc omnia sunt contraria supremæ Simplicitati & Nobilitati, idcirco necessariò convenit, quòd in illo Ente, quod est supremum, veritas & potestas sint idem, eadem natura & eadem magnitudo æqualis substantiæ supremi Entis, & quòd veritas sit ita potestas sui ipsius & potestas veritatis sui ipsius per supremam Simplicitatem, ne falsitas possit participare cum supremo Ente, verificante potestate, & possificante veritate æternaliter & infinitè in bonitate, magnitudine &c.; quia talis proprietas & natura, & tales conditiones de necessitate conveniunt supremo Enti, quod est supremum Ens; nec in eo est mundus; quia si in illo esset, sequeretur, quòd mundus in sua totalitate esset supremum Ens compositum ex veritate & falsitate, ex potestate & impotentia, ex bono & malo, & sic de aliis dignitatibus; & hoc est impossibile & contra conditiones hujus Artis.

8. Gloria, quæ est potestas, in qua potestas æternaliter & in infinita magnitudine possificat gloriam, est magìs remota à pœna, quàm gloria, quæ est distincta à potestate; quia in gloria, cum qua potestas est idem, non potest privari potestas, ipsâ existente in suamet natura: unde si talis potestas & talis gloria nihil est, tunc est gloria in privatione propter defectum potestatis, & potestas est in privatione propter defectum gloriæ, cum quo defectu conveniunt bonitas, magnitudo, æternitas &c.; & id, quod est contrarium dignitati, est supremum Ens; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd necessariò conveniat, quòd contrarium hujus, quod non potest esse supremum Ens, sit supremum Ens; quia si non esset, sequeretur, quòd essent duo suprema Entia unum contrarium alteri, quorum unum haberet magnitudinem bonitatis, & alterum haberet magnitudinem malitiæ, parvitatis, privationis, fragilitatis, ignorantiæ &c.; & hoc est impossibile.

9. In Perfectione inferiori est potestas producens perfectionem, sicut potestas ignis dat suo operi perfectionem; quod opus devenit in imperfectionem per corruptionem, eò quòd habet defectum potestatis; quem defectum non haberet, si potestas, cum qua opus devénit ad perfectionem, esset idem & eadem natura cum perfectione in supradicto opere: sed cùm nulla potestas sit digna esse suprema, si cum perfectione habeat distinctionem in natura, idcirco convenit, esse aliquam Potestatem supremam per simplicitatem suæ naturæ cum natura perfectionis; & talis potestas est illa, quam inquirimus cum perfectione: unde si hæc potestas nihil est, igitur ipsa est in privatione per imperfectionem potestatis & per privationem perfectionis, & imperfectio est eadem natura cum potestate, quæ contradicit simplicitati naturæ inter potestatem & perfectionem: & si hoc ita est, sequitur, quòd potestas habeat majorem concordantiam cum imperfectione, quàm cum perfectione; & hoc est impossibile: ergò DEUS est illa Potestas, quæ est idem cum perfectione.

10. In Justitia non potest justus sinè potestate, nec injustus potest contra justitiam sinè potestate; nam si potestas esset ejusdem naturæ, sequeretur, quòd justitia & injuria haberent eandem naturam, & potestas haberet contrarium in suamet simplicitate & natura; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit suprema Potestas, in quam nulla contrarietas cadit; & talis benigna Potestas est noster Dominus DEUS; sinè cujus esse omnes potestates absolutè derivarentur ab una potestate absoluta cum natura unius potestatis contraria alteri: per quam contrarietatem absoluta potestas haberet in sua virtute & natura majorem magnitudinem fragilitatis, quàm potestatis, & imperfectionis, quàm perfectionis, & privationis, quàm esse, & mali, quàm boni, & esset suprema super suas partes per majoritatem imperfectionis: unde cùm talis potestas & injuria esset suprema super potestatem, quæ convenit cum justitia, idcirco est conveniens, esse unam indivisibilem potestatem tam altam & tam magnam, quòd justitia sit contra injuriam super cæteras potestates.

11. In Largitate potestas, quæ eam potest largiri, habet majorem virtutem, quàm potestas, quæ eam non potest largiri: unde si potestas se potest dare largitati, ita, quòd cum illa sit eadem essentia & natura, potestas est magìs remota ab avaritia, & largitas à fragilitate: per quam remotionem demonstratur, quòd suprema Potestas sit in suprema Largitate, adhoc, ut illa potestas per supremam Justitiam, quæ est in largitate, sit magìs remota ab avaritia,

quàm alia poteſtas; ſi verò talis ſuprema Poteſtas nihil eſt, & id, quod eſt ſuprema Poteſtas, diſtinguitur à largitate, cui largitati ſe non dat, nec largitas ſe ei largitur in bonitate, magnitudine &c., poteſtas convenit cum injuria contra ſuam naturam & contra naturam largitatis: per quam contrarietatem non eſt digna, quòd ſit ſuprema Poteſtas.

12. In Simplicitate, in qua eſt eadem poteſtas illa poteſtas, quæ eſt bonitatis, magnitudinis &c., eſt major magnitudo poteſtatis, quàm in compoſitione unius poteſtatis cum altera per diviſionem bonitatis, magnitudinis &c.; & ideo ſecundùm juſtitiam perfectionis & magnitudinis convenit, illam poteſtatem eſſe ſupremam, in qua eſt major magnitudo ſimplicitatis in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.: unde, ſi talis poteſtas nihil eſt, eſt aliqua ſuprema Poteſtas, in qua eſt imperfectio ſimplicitatis per fragilitatem poteſtatis, & eſt ſuprema per ſuammet fragilitatem & per compoſitionem bonitatis & malitiæ, magnitudinis & parvitatis, æternitatis & finitatis; & ſic de aliis dignitatibus & de earum contrariis: ſed quoniam hoc eſt inconveniens, ergò ſuprema Poteſtas eſt demonſtrabilis; quæ demonſtratio eſſet impoſſibilis, ſi ſuprema Poteſtas nihil eſſet.

13. Magnitudo habet tantò majorem poteſtatem in Nobilitate, quantò major eſt nobilitas in bonitate, magnitudine &c., quàm alia nobilitas; & ideo convenit ſecundùm ordinem juſtitiæ, quòd illa poteſtas, quæ habet majorem nobilitatem, ſit ſuprema ſuper omnes alias poteſtates, quæ habent minorem nobilitatem: & quoniam nobilitas poteſtatis habet ſuum actum in ſimplicitate ſuæmet naturæ ſinè auxilio alicujus poteſtatis, quæ conveniat cum minoritate, & ſinè compoſitione illius cum ſe ipſa, idcirco convenit, quòd illa poteſtas, quæ eſt ſuprema propter ſuam nobilitatem, habeat eſſe ſuper cæteras nobilitates; quoniam ſi ipſa nihil eſſet, id, quod eſt ſuprema Poteſtas, eſſet ſuprema vilitas contra magnitudinem nobilitatis, & eſſet ſicut elementa ſimplicia, quæ in ſua ſimplicitate nullam habent poteſtatem habendi virtutem operativam ſpecificativam & ſimplicem in actu, ſed neceſſe eſt, ea ingredi compoſitionem in aliis, videlicet in corporibus elementatis, in quibus habent ſuas actiones & paſſiones per generationem & corruptionem: ſed quia juſtitia non conſentit, quòd tale ens ſit ſuprema Poteſtas, quod in ſe ipſo non poteſt informare ſupremam Nobilitatem, ſed convenit, illud informare eam in alia re, per hoc demonſtratur, eſſe unum glorioſum ſupremum Ens, quod habet in ſe ſuammet Nobilitatem & opus; quod Ens eſt illa ſuprema Poteſtas, quæ eſt noſter Dominus DEUS.

De ſuprema Sapientia.

1. IN Bonitate non eſſet tantum Sapientiæ, quantum ignorantiæ eſt in malitia, ſi dignitates, quæ conveniunt ſupremæ Sapientiæ, non haberent, in quo eſſent; & malitia eſſet major per ignorantiam, quàm bonitas per ſapientiam; nam ignorantia, quæ eſt privatio boni, æternaliter deveniret in durationem, & omnis ſapientia haberet in numero principium & finem: unde ſi hoc ita eſſet, ſequeretur, ſapientiam eſſe, adhoc, ut eſſet ignorantia, ſicut arbor eſt, adhoc, ut ſit fructus, & ſicut intellectus eſt, adhoc, ut ſit ejus actus, videlicet ejus intelligere; & bonitas eſſet, adhoc, ut eſſet malitia; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem bonitas, quæ convenit cum eſſe, & malitia, quæ convenit cum privatione, ſignificant & demonſtrant, eſſe ſupremam Sapientiam, cui convenit omnis nobilitas bonitatis.

2. Magnitudo ſapientiæ non poteſt eſſe major illâ, quæ eſt eadem entitas & natura ſimpliciter, & eſt ſapientia ſinè participatione omnis parvitatis & ignorantiæ, & omnîs naturæ & entitatis, quæ ſunt ex ignorantia & parvitate: unde ſi nulla ſapientia habet dignitatem eſſendi in tanta magnitudine, ſequitur, quòd magnitudo parvitatis & ignorantiæ reſiſtat ſuæ dignitati; quæ magnitudo ſit major in entitate & natura parvitatis & ignorantiæ, quàm in ſapientia; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem eſt probabilis ſuprema Sapientia; per quam probabilitatem virtus affirmationis & negationis habet majorem convenientiam in magnitudine, quàm in parvitate; quam majorem convenientiam potiùs haberet in parvitate, quàm in magnitudine, ſi ſuprema Sapientia, quam inquirimus cum magnitudine bonitatis, æternitatis, poteſtatis &c., nihil eſſet.

3. In Æternitate eſt producta & ſpecificata ignorantia in numero infinitarum Perſonarum, ſi ſuprema Sapientia, quam inquirimus, nihil eſt; & omni ſapientiæ ſpecificatæ contrariatur æternitas in magnitudine durationis, nobilitatis, juſtitiæ & perfectionis; & ſic ſequeretur, quòd æternitas haberet peregrinas dignitates in ſua natura, quæ contrariarentur bonitati, magnitudini, poteſtati &c., quæ conveniunt cum æternitate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur una ſimplex ſapientia, quæ eſt ſinè principio & ſinè fine; quæ nihil eſſet ſinè perfectione bonitatis, magnitudinis, æternitatis.

4. In poteſtate, in qua ſapientia habet ſuam exiſtentiam in tanta magnitudine ſciendi, quòd ignorantia non poſſit contra poteſtatem ſapientiæ, eſt ſimplicitas poſſificandi, ſciendi, magnificandi; per quam ſimplicitatem tale ſcire eſt in juſtitia ſuprema Sapientia, per quam ratiocinari in homine elevat ſuam ſapientiam ad gloriam & perfectionem, & ſuum velle ad charitatem & devotionem: unde ſi ſuprema Sapientia nihil eſt in ſimplicitate poteſtatis, (ût dictum eſt) ignorantia eſt in majori magnitudine poteſtatis contra ſapientiam, quàm ſapientia contra ignorantiam; & ſic virtus rationis elevat ſapientiam & voluntatem hominis ad ſuperiora in magnitudine perfectionis per falſitatem contra veritatem, & ratiocinari declinat ſapientiam & devotionem ad inferiora cum parvitate in veritate contra magnitudinem & falſitatem; & hoc eſt impoſſibile & contrarium magnæ convenientiæ virtutis, veritatis, magnitudinis, perfectionis: per quam convenientiam demonſtratur ſuprema Sapientia.

5. Amor ſequitur ſuam naturam, ſi diligit, quòd ſapientia ſciat bonum & malum, ipſo amore diligente bonum, & odiente malum; ſed ſi ſapientia ſcit in ſe ullum malum, amor non poteſt diligere illam ſapientiam in magnitudine bonitatis & perfectionis, quæ concordant cum ſuprema Sapientia: unde ſi ſuprema Sapientia non habet nobilitatem, quæ illi convenit, ſcit in ſe ipſa malum, quod eſt privatio nobilitatis; & amor diligit in ſapientia nobilitatem, quæ illi non convenit; per quam ipſe deficit in magnitudine nobilitatis, & amor eſt inferiùs diligendo in ſapientia magnitudinem nobilitatis, & eſt ſuperiùs diligendo in ſapientia parvitatem nobilitatis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur ſuprema Sapientia.

6. Virtus ſapientiæ in concreto non poteſt eſſe ſuprema Sapientia, ſi DEUS nihil eſt; cùm in concreto, in quo ſapientia nihil eſt, ſit corruptio, ſi DEUS nihil eſt; ſi autem virtus ſapientiæ eſt ſumma in abſtracto, ſapientia eſt major virtus in actu, qui eſt formalis, ſinè actu operativo, quàm cum actu operativo: & ſequitur, quòd intelligere ſit malum, & ignorare ſit bonum: etiam ſequitur, quòd virtus ſapientiæ ſit major extra ſe, quàm intra ſe; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſuprema Sapientia concretè ſciat in ſe ipſa omnem perfectionem nobilitatis ex bonitate, magnitudine &c.

7. Veritas eſt objectum ſapientiæ, quia veritas eſt amabilis; & falſitas eſt objectum ſapientiæ, ut ſit odibilis, ita, quòd ſapientia & amor habeant concordantiam in objectis, quæ ſapientia accipit ſciendo, & in objectis, quæ amor accipit diligendo ſeu odiendo: unde ſi ſapientia & veritas ſunt idem, amor eſt magis propinquus ad diligendum veritatem, & eſt magis remotus ad diligendum falſitatem; ſed ſi ſuprema Sapientia eſt, & non eſt cum dignitatibus, quæ ſibi conveniunt, tunc ipſa eſt cum ſuprema falſitate contra juſtitiam & veritatem, ut intra ſe ſciat falſitatem, & extrà veritatem, & ut amor diligat falſitatem, & odiat veritatem: & ſi hoc ita eſt, ſequitur, quòd ſuprema Nobilitas ſit per falſitatem, & infima vilitas per veritatem; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur DEUS.

8. Si Gloria eſt ſapientia, & è converſo, ſapientia ſcit gloriam, ſciendo ſe ipſam, & gloria glorificans in ſe glorificat ſapientiam; & in hac gloria eſt ſuprema Sapientia; quia talis ſapientia eſt magis remota ab ignorantia, quæ eſt pœna, quàm à ſapientia, quæ non eſt eadem eſſentia cum ſua gloria: unde ſi ſuprema Sapientia nihil eſt, ipſa eſſet, ſi magnitudo eſſet ſinè parvitate in gloria; ſed quia magnitudo ſapientiæ & gloriæ convenit cum eſſe & perfectione, & magnitudo pœnæ & ignorantiæ convenit cum privatione & defectu, per hoc demonſtratur, ſupremam Sapientiam eſſe in magnitudine gloriæ & perfectionis; quia ſi non eſſet, magnitudo pœnæ, ignorantiæ, privationis & defectûs eſſet ſuperiùs, & magnitudo gloriæ, ſapien-

pientiæ, perfectionis & esse esset inferiùs; & hoc est impossibile.

9. In Perfectione, quæ est producta de potentia in actum, & de actu in privationem, scit sapientia imperfectionem; & aliqua sapientia, quæ est tantùm in abstracto sinè concreto, non scit in se ipsa perfectionem, nec sapientia, quæ est tantùm in concreto, potest scire perfectionem in sapientia, quæ est tantùm in abstracto: unde si suprema Sapientia nihil est, inferior sapientia scit in se ipsa tota majorem magnitudinem imperfectionis, quæ convenit cum ignorantia, quàm sit magnitudo sapientiæ, quæ convenit cum esse; & sic omnis finalis beatitudo sapientiæ est, eam scire perfectionem, ut sciat imperfectionem: & si scit perfectionem, ut sciat imperfectionem, scientia est tantò magìs suprà in perfectione, quantò majorem scit imperfectionem; & amor, qui convenit cum sapientia, habet majorem nobilitatem & virtutem diligendo imperfectionem, & odiendo perfectionem, quàm è converso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

10. Justitia & sapientia habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo sapientia fortiùs convenit cum majori magnitudine justitiæ & sapientiæ, quàm cum minori, adhoc, ut justitia fortiùs contrarietur injuriæ cum majori sapientia, quàm cum minori: unde si suprema Sapientia nihil est, est impossibile, supremam Justitiam esse; & sic est possibile, supremam injuriam esse; nam si esset impossibile, supremam injuriam esse, esset possibile, supremam Justitiam esse: & si sic possibile esset esse, & non esset, ipsum esse esset magìs propinquum per impossibile, & privatio esset magìs remota per impossibile, & esse haberet majorem convenientiam cum minoritate justitiæ & sapientiæ in parvitate suæ naturæ & entitatis, quàm cum magnitudine justitiæ & sapientiæ & suæmet entitatis & naturæ; & sic ipsum esse esset in majori magnitudine injuriæ & ignorantiæ, quàm justitiæ & sapientiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Justitia, in qua necessariò est suprema Sapientia.

11. Si suprema Largitas nihìl est, suprema Sapientia non habet, in quo sit; & in magnitudine est plus avaritiæ, quàm largitatis; & sic in parvitate est plus largitatis, quàm avaritiæ: unde si hoc ita est, sequitur, ignorantiam esse in magnitudine, quæ ignorantia convenit cum avaritia; & sequitur, sapientiam esse in parvitate, quæ sapientia convenit cum largitate: & sic ignorantia est superior, sapientia verò inferior, & avaritia largitur per naturam, & largitas est contra naturam; & sapientia est sicut ignis, qui accipit majorem qualitatem à terra, quàm det aëri; eò quòd ipse habet majorem appetitum ad suam entitatem, quàm ad aërem & ad terram: & sic largitas causatur ab avaritia; & hoc est impossibile: unde necessariò convenit, quòd sit suprema Sapientia cum suprema Largitate largiente se supremæ Sapientiæ in omni sua entitate & natura, adhoc, ut largitas inde sit magìs remota ab avaritia, & adhoc, ut ignorantia sit magìs remota à sapientia.

12. Simplicitas, quæ habet suum actum in se, est magìs remota à compositione, quàm simplicitas, quæ habet suum actum extra se in compositione; sed si suprema Sapientia est sinè simplicitate, suprema Simplicitas est cum imperfectione, & sapientia est inferior in inferiori compositione; & sapientia & compositio habent concordantiam in inferioritate, & sapientia & simplicitas inter se contrariantur in supremitate & inferioritate; & sic ignorantia, quæ est superiùs, convenit cum simplicitate, & sapientia, quæ est superiùs, est contraria simplicitati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit suprema Simplicitas; per quam demonstrationem suprema Sapientia est probabilis.

13. Nulla sapientia sciret tantam magnitudinem in Nobilitate, quantam in vilitate, si suprema Sapientia nihil esset; nam in omni eo, quod est, sinè suprema Sapientia esset major vilitas, quàm nobilitas; sed quoniam magnitudo bonitatis, æternitatis &c. convenit cum nobilitate, & parvitas & vilitas convenit cum ignorantia, ergò in convenientia, quam majorem nobilitas habet cum magnitudine, quàm cum parvitate, & quam majorem vilitas habet cum parvitate, quàm cum magnitudine, demonstratur suprema Sapientia; sinè cujus esse nobilitas esset inferior per magnitudinem bonitatis &c., & vilitas superior per privationem bonitatis &c.; & hoc est impossibile.

De supremo Amore.

1. AMor habet majorem naturam in Bonitate diligendo, quàm timendo; & ideo omne bonum est magìs amabile, quàm timibile: unde si DEUS nihil esset, omne bonum esset magìs timibile, quàm amabile; nam opinari, nihil esse post hanc præsentem vitam, quæ est bonum, & considerare, neminem habere meritum nec gloriam propter opus justitiæ in bonitate, virtute, perfectione & veritate, sunt opinio & consideratio generantes majorem magnitudinem timoris, quàm sit magnitudo amoris, qui in hac præsenti vita habetur diligendo temporales prosperitates; sed cùm amor per & propter justitiam & virtutem habeat majorem magnitudinem bonitatis, quàm timor, idcirco demonstratur, esse supremum Amorem, qui si non esset supremus, timor esset superior amore, & amor inferior; & hoc est impossibile & contra naturam amoris.

2. Magnitudo Amoris non haberet complementum, si esset distincta ab amore; quia si esset distincta ab illo, amor posset plùs diligere magnitudinem, quàm habere eam, volendo, se esse magnitudinem & substantiam essentialiter sinè omni differentia: unde si omnis amor haberet majorem magnitudinem in diligendo, quàm in essendo, ejus essentia esset minor in virtute, & ejus actus esset major; nec indigentia sui actûs optativi posset capi in essentia amoris, & diligeret sinè sua utilitate, diligendo per impossibilitatem potestatis habere suo actui optativo complementum; quæ impossibilitas produceret in amore majorem magnitudinem imperfectionis, quàm possibilitas amoris perfectionem: sed quoniam in omni amore esset major magnitudo imperfectionis, quàm perfectionis, si DEUS nihil esset, idcirco convenit, esse aliquem amorem, qui in natura & in essentia & in substantia sit eadem magnitudo, in qua sit omnis perfectio; & convenit, totam utilitatem sui diligere esse in eadem essentiâ, naturâ & substantiâ, adhoc, ut sua magnitudo habeat omnem perfectionem; & convenit, hunc amorem per justitiam esse supremum super omnem amorem; & convenit, eum esse DEUM, quem inquirimus in magnitudine amoris cum amore; in quo amore imperfectio esset superiùs, & perfectio inferiùs, si DEUS nihil esset: & sic amor haberet majorem magnitudinem in imperfectione, quàm in perfectione, & majorem naturam in plùs diligendo malum, quàm bonum, & in plùs diligendo vitium, quàm virtutem; & hoc est impossibile.

3. Si æternus amor specificatus æternaliter diligit Æternitatem tam fortiter, quòd ipse sit æternitas, convenit, illum amorem esse in suprema Æternitate supra omnem alium amorem non æternum; si verò ille æternus amor, quem dicimus esse supremum, nihil est, est impossibile, in æternitate esse supremum Amorem, per quem æternum specificatum est; aut si in æternitate est æternus amor secundùm speciem, illâ specie existente supremo amore, ille amor æternaliter producit amores specificatos in privatione sinè utilitate sui ipsius, & sinè utilitate amorum, qui sunt in privatione, & ejus productio est magìs odibilis, quàm amabilis, & habet in se ipso majorem imperfectionem, eò quòd non habet actum operativum in se intrinsecè, diligendo se cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c., quàm sit perfectio, quam habet extra suam entitatem in particularibus amoribus, quos producit, & qui tendunt in privationem per defectum virtutis & perfectionis: sed quoniâ talis amor secundùm justitiam non est dignus esse supremus, de necessitate convenit, aliquem amorem esse supremum: idcirco convenit, illum amorem esse supremum, qui in se habet actû formalem existentem & actum operativum intrinsecè & æternaliter; & ille gloriosus Amor est noster benedictus Dominus DEUS.

4. Potestas amoris potest esse major in uno amore, quàm in altero; & ideo unus amor potest esse major altero amore: & quoniam potestas & amor conveniunt, ideo ipsum esse actûs operativi se communicat potestati & amori, & ipsum esse est ens, in quo amor & potestas habent majorem magnitudinem, quàm alia potestas & alius amor habeant in aliis entibus; & de his sumus certi per experientiam; veluti in homine, qui habet majorem notitiam, per quam potest plùs diligere, quàm alius homo, qui non habet tantam notitiam; sed quia amor deficit in cognitione per defectum potestatis, justitiæ, bonitatis, virtutis, & è converso, idcirco est impossibile, ullum amorem esse supremum, in quo convenientia potestatis

& amoris non potest producere esse formale & substantiale per se stans essentialiter cum actu specificativo operativo in potestate & amore æternaliter & infinitè cum magnitudine bonitatis &c. ; quam productionem amoris & potestatis necessariò convenit esse DEUM; quia si non esset DEUS, sequeretur, quòd potestas & amor convenirent in majori magnitudine imperfectionis, quàm perfectionis, & privationis, quàm esse, & mali, quàm boni; & hoc est impossibile.

5. Sapientia non potest esse suprema in amore, qui diligit malum, & odit bonum, sed potest esse suprema in amore, qui diligit bonum, & odit malum; nec amor potest esse supremus in sapientia, quæ ignorat omne bonum & omne malum, sed potest esse supremus in sapientia, quæ scit omne bonum & omne malum, bonum in se, & malum extra se; diligente ipso amore omne scire, quod habet sapientia, ut diligat magnitudinem, quam sapientia habet in ipso scire cum magnitudine bonitatis, æternitatis: unde si talis supremus Amor, qui est super omnem amorem, non est in hac tanta supradicta magnitudine sapientiæ, sapientia habet in se potentiam, in qua amor potest esse superior super actualem amorem; & sic amor est major in potentia, quæ convenit cum privatione & minoritate, quàm in actu, qui convenit cum esse & majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremum Amorem esse in suprema Sapientia, & è converso.

6. Virtus amoris habet majorem propinquitatem amoris intra se & intra amorem, quàm extra se & extra amorem; & si DEUS nihil est, sequitur totum contrarium hujus; quoniam nullum ens esset productum ex amore in virtutem, & ex virtute in amorem substantialiter, essentialiter, naturaliter & simpliciter in substantia & in essentia & in natura simplici insimul ex virtute & amore, & amori deficit virtus in magnitudine nobilitatis, justitiæ & perfectionis: per quem defectum amor est in virtute potentialiter superior, & in actu est inferior & in privatione; & virtus habet majorem perfectionem, magnitudinem & propinquitatem cum amore potentialiter, quàm actualiter; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem necessariò demonstratur, supremum Amorem esse in suprema Virtute.

7. Veritas, quæ in sua essentia, substantia & natura verificat substantiam, essentiam & naturam veritatis, est magis remota à falsitate in substantia, essentia & natura, quàm veritas, quæ non verificat in se substantiam, essentiam & naturam per subjectum, quod est subjectum falsitati: unde si DEUS nihil est, sequitur, quòd suprema Veritas sit in privatione, & quòd amor non habeat veritatem, in qua sit supremus, & quòd magis possit diligere veritatem, quàm eam habere: sed quoniam in natura amoris veritas est amabilis, falsitas verò odibilis, necessariò convenit, supremam Veritatem esse, ut amor inde sit magis remotus à diligendo falsitatem, & ut veritas sit magis propinqua amori; & per hanc remotionem & propinquitatem amor sit supremus super omnem amorem, qui non est in tanta remotione & propinquitate: quia si prædicta major remotio & propinquitas nihil esset, esse magis conveniret cum ente per propinquitatem falsi & veri, quàm per remotionem; & sic in natura amoris esset falsitas amabilis, & veritas odibilis; & hoc est impossibile.

8. Gloria est magis desiderabilis in magnitudine, quàm in parvitate: unde si DEUS nihil est, tunc desiderium amoris potest esse majus in falsitate, quàm gloria & desiderium amoris in veritate; & sic sequitur, quòd amor & gloria habeant majorem concordantiam in minoritate, quàm in majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd supremus Amor sit in suprema Gloria, quæ suprema Gloria nihil est, si DEUS nihil est: nam omnis gloria haberet principium & finem; & illa gloria, quæ per justitiam esset magis desiderabilis, per injuriam esset in privatione, & justitia haberet concordantiam cum privatione, & injuria cum esse: per quam concordantiam injuria esset suprema in magnitudine potestatis, virtutis, veritatis & nobilitatis, & justitia esset inferior; & hoc est impossibile.

9. Perfectio est major in amore, qui est suamet perfectio, quàm sit perfectio in amore, qui habet perfectionem per aliam naturam, quæ non est amor nec perfectio; si verò supremus Amor est in perfectione, qui ex se non dat æqualem perfectionem amori, supremus Amor est cum imperfectione perfectionis; & hoc est impossibile & contra perfectionem justitiæ & amoris: & si hoc non esset impossibile, esset possibile, perfectionem esse majorem in potentia, quàm in actu, ac amor haberet majorem magnitudinem per potentiam, quàm per actum: per quam majorem magnitudinem ipse diligeret cum majori actu privationem, quàm esse; & potentia & magnitudo virtutis, perfectionis & justitiæ convenirent; & actus virtutis, perfectionis & justitiæ conveniret cum parvitate; & hoc est impossibile.

10. In Justitia non est amor, qui amet habere nobilitatem, per quam sit supremus super omnem amorem, cui sit æqualis aut minor in aliqua nobilitate; si autem supremus Amor est, & ille amor non est in justitia, convenit, eum esse in injuria desiderando, aliquem amorem esse supremum contra nobilitatem, quæ illi non convenit per justitiam; & ideo libera voluntas concordat cum injuria, desiderando esse suprema in diligendo: sed si supremus Amor est per desiderium, & non per existentiam, injuria est suprema super justitiam per potestatem virtutis & per liberum arbitrium, quod convenit cum justitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremum Amorem esse in justitia per existentiam & virtutem specificatam actûs non contrarii magnitudini liberi arbitrii; per quam magnitudinem amor habeat infinitam & æternam remotionem ab injuria & ab imperfectione virtutis & nobilitatis, adhoc, ut justitia sit esse illius supremi Amoris; qui supremus Amor nihil esset, si DEUS nihil esset.

11. Largitas & lætitia conveniunt in majori magnitudine, quàm avaritia & lætitia; & ideo homo cupidus & avarus naturaliter habet majorem concordantiam cum tristitia, quàm cum lætitia: unde si supremus Amor nihil est, major est magnitudo tristitiæ, quàm lætitiæ; & avaritiæ, quàm largitatis; & esse habet majorem concordantiam cum tristitia & avaritia, quàm cum lætitia & largitate; & esse naturaliter fortiùs se communicaret per odium, quod convenit cum tristitia & cupiditate, quàm per charitatem, lætitiam & largitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem supremus Amor est demonstrabilis in suprema Largitate; sinè quo supremo Amore non haberet, in quo ipsa esset, postquam id, quod est suprema Largitas, non largiretur totam nobilitatem sui ipsius; eò quòd per justitiam convenit supremo Amori.

12. Major Simplicitas est magis amabilis in majori nobilitate, quàm in minori; & ideo simplicitas, quæ est major propter minoritatem (sicut punctus, qui propter suam simplicitatem est indivisibilis) non est secundùm justitiam tam amabilis, quàm simplicitas, quæ est tanti amoris, quòd realiter sit indivisibilis propter magnitudinem infinitæ & æternæ Essentiæ, substantiæ & naturæ, quæ est simplex & eadem cum amore, super quem simplicitas & indivisibilitas non possunt esse majores: unde si DEUS nihil est, sequitur, quòd simplicitas possit esse major in puncto, per majorem minoritatem, quàm in amore per majorem majoritatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur supremus Amor, qui est DEUS.

13. Nobilitas & vilitas sunt oppositæ; & si supremus Amor, quem nos inquirimus, nihil est, est major magnitudo vilitatis, quàm nobilitatis; per quam majorem magnitudinem Amor naturaliter diligeret esse major per vilitatem, quàm per nobilitatem: sed quia est contrarium hujus, idcirco demonstratur, quòd sit supremus Amor, per cujus naturam omnis amor, qui participat cum parvitate, habet naturam secundùm justitiam, quòd sit in majori magnitudine virtutis & perfectionis cum majori nobilitate, quàm cum minori; & quia amor, nobilitas & magnitudo habent supradictam naturam & regulam, quam non haberent, sed esset destructa, si DEUS nihil esset, idcirco de necessitate demonstratur, DEUM esse.

De suprema Virtute.

1. NEc in Bonitate, in qua ens contradicit supremæ Virtuti, nec in virtute, in qua ens contradicit supremæ Bonitati, est supremitas; & si suprema Virtus nihil est, est aliquid, quod contradicit magnitudini virtutis cum majori magnitudine mali & vitii, quàm sit magnitudo potestatis, bonitatis & virtutis (ita, sicut simplicitas elementorum, cui tam fortiter contradicitur in corporibus elementatis à compositione, quòd quodlibet eorum sit subjectum compositioni) & magnitudo mali & vitii est veritas bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. in aliquo ente inferiori sub alio ente, quod est supremum per malitiam & parvitatem & æternam fragilitatem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Virtutem esse, sinè

sinè cujus esse sequerentur omnia supradicta inconvenientia, & suprema Veritas esset distincta à bonitate, magnitudine &c., & è converso; & hoc est impossibile.

2. Magnitudo Virtutis est, quòd virtus sinè distinctione sit magnitudo, & magnitudo virtus; quoniam si magnitudo & virtus sunt eadem essentia & natura, est impossibile, quòd virtus essentialiter & naturaliter conveniat cum parvitate, & est impossibile, quòd magnitudo conveniat cum vitiis; & secundùm justitiam convenit, hanc virtutem esse supremam super omnem virtutem, quæ à magnitudine sit distincta per essentiam & naturam: veruntamen si magnitudo non esset in virtute, nec virtus in magnitudine per essentiam & naturam, sicut intellectus est in intelligere, & intelligere in intellectu, ipsis existentibus eâdem essentiâ & naturâ, illa magnitudo, quæ est virtus, non sufficeret esse suprema Virtus, nec similiter virtus, quæ est magnitudo: unde si suprema Virtus est in privatione per privationem unitatis, magnitudinis, virtutis, & per privationem interioritatis, ne magnitudo sit in virtute, nec virtus in magnitudine, sequitur de necessitate, quòd suprema Potestas sit contra magnitudinem & virtutem, & quòd potestas virtutis & magnitudinis sit inferior, & in potentia bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur suprema Virtus.

3. Si in Æternitate non esset suprema Virtus, quam quærimus, tunc id, quod in æternitate est suprema Virtus, esset ita communicabile per corruptionem, sicut per generationem in corporibus elementatis, & in anima intellectiva ipsum esset magis communicabile privationi ipsius animæ, producendo eam ad privationem, quàm ipsi esse, in quo nulla anima duraret, & cujus privatio esset sinè fine; sed cùm corruptio & privatio habeant concordantiam cum vitio contra virtutem bonitatis, magnitudinis &c., sequitur, si DEUS nihil est, vitium esse supremam Virtutem in æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Virtus.

4. Potestas & virtus conveniunt per potentiam, habitum & actum in principio, medio & fine, potestate producente virtutem de potentia in actum, & conservante eam in habitu; & hæc virtus secundùm justitiam non est digna, esse suprema Virtus, quæ virtus à potestate producta in actu est suprema, si DEUS nihil est; in quo actu infimitas per corruptionem & per annihilationem virtutis est magis propinqua virtuti, quàm in potentia & quàm in habitu: & ideo in hac defectiva potestate ipsa justitia, nobilitas, perfectio, veritas, largitas, bonitas & magnitudo dissentiunt, scilicet eam esse supremam Virtutem; nam convenit, supremam Virtutem necessariò esse in magis alta potestate producente virtutem in infinita magnitudine ex bonitate, æternitate &c.

5. Sapientia contrariatur virtuti, & è converso, & ignorantia perficit vitium, & è converso, si DEUS nihil est; nam si DEUS nihil est, non est aliquod ens, quod habeat tantum Sapientiæ, quantum ignorantiæ, nec tantum virtutis, quantum vitii, & in omni ente imperfectio est superior propter magnitudinem contrariam sapientiæ & virtuti, & perfectio est inferior propter parvitatem sapientiæ & virtutis; & hoc est inconveniens & contradicit ipsi esse; & convenit cum privatione; cui esse non contradicitur, si DEUS est: ergò DEUS est, qui est suprema Virtus.

6. Virtus habet in amore majorem existentiam & operationem per affirmationem, quàm per negationem; cùm affirmatio & amabilitas conveniant, negatio verò & odibilitas; & ideo magnitudo amoris est in majori virtute, affirmando, DEUM esse bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., quàm negando, DEUM esse elementa, firmamentum & alia, quæ conveniunt cum imperfectione: unde cùm affirmatio naturaliter transcendat negationem in esse, necessariò convenit, id esse, per quod ipsum esse conveniat in amore cum majori virtute; quia si non esset ita, sequeretur, quòd virtus & non esse convenirent, & privatio & esse; & sequeretur, quòd privatio & vitia inter se contrariarentur; & hoc est impossibile: quia sequeretur, quòd homines, qui habent majorem opportunitatem peccandi, non possent ascendere ad majorem magnitudinem virtutis, quàm homines, qui non habent tantam opportunitatem; & hoc est impossibile, ne virtus & parvitas naturaliter conveniant, & vitia & magnitudo: quoniam si magnitudo conveniret cum vitiis, & parvitas cũ virtutibus, dependentia privationis esset virtus, & dependentia ipsius esse esset vitium; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Virtutem esse supra virtutem creatam.

Si

7. Si Veritas est id, quod est suprema Virtus, habens qualitatem & naturam alicujus Entis supremi & distincti in essentia à sua qualitate & natura, tunc virtus & veritas per hoc in illo ente sunt magis remotæ à magnitudine perfectionis, justitiæ, simplicitatis, nobilitatis, virtutis & veritatis, & essentia per hoc est magis remota à sua virtute & natura; & in illa suprema Virtute remotio habet majorem magnitudinem virtutis, veritatis, essentiæ & qualitatum, quàm in inferiori virtute; maximè, cùm vitium & falsitas habeant majorem magnitudinem contra bonitatem, æternitatem &c. convenientes cum ente, quod habet superiores qualitates habentes imperfectionem, quàm cum ente, quod habet inferiores qualitates: & ad demonstrandum, hoc esse verum, imperfectio bonitatis, magnitudinis &c. est majus vitium in personis magis nobilibus, quàm in minùs nobilibus, ad demonstrandum, de necessitate esse unum ens, quod est una simplex essentia & natura cum virtute bonitatis &c.: & si hoc non esset ita, sequerentur omnia supradicta inconvenientia; nec vitia & falsitas essent in tanta vilitate in viris magis nobilibus, sicut in minùs nobilibus.

8. Justitia facit, hominem virtuosum appropinquare Gloriæ, & hominem vitiosum pœnæ, si DEUS est; sed si DEUS nihil est, gloria, virtus & justitia non habent, in quo conveniant, pœna verò, vitia & injuria habent, in quo conveniant contra sua contraria, in quibus privant concordantiam: unde si hoc ita est, sequitur, quòd esse conveniat per pœnam cum vitio & injuria, & quòd sit remotum & elonget se ipsum à gloria, justitia & virtute, concordando cum privatione, quæ convenit cum pœna, injuria & vitio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur DEUS.

9. In illa Perfectione est virtus, quæ est perfectio sinè differentia essentiæ & naturæ, habente virtute in sua perfectione actum existentem & operativum intrinsecè in sua perfectione, à quo actu existente & operativo non multiplicetur essentia & natura distincta ipsi perfectioni & virtuti extrinsecè nec intrinsecè in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; quoniam si ipsa multiplicaretur, omnis virtus esset extra perfectionem in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & suprema Virtus non haberet perfectionem, in qua esset suprema, & omnis virtus esset inferior, quæ naturaliter per magnitudinem perfectionis se inclinaret inferiùs, & per parvitatem perfectionis ascenderet superiùs; & hoc est impossibile: ergò DEUS est.

10. Justitia, quæ contradicit suæ magnitudini, contradicit naturæ sui ipsius, & è converso: unde si DEUS nihil est, privatio magnitudinis contradicit supremæ Virtuti in justitia, & è converso, & magnitudo injuriæ contradicit magnitudini justitiæ, & magnitudo vitiorum magnitudini virtutum, & esse est subjectum, quod est subjectum magnitudini injuriæ & vitiorum, & privatio est subjecta magnitudini justitiæ & virtutum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

11. Largitas supremæ Virtutis est, si largitas & virtus per existentiam sunt eadem natura & essentia in bonitate, magnitudine, æternitate &c., ita, quòd per actum operativum tota largitas sit in virtute, & è converso; & hoc per totam magnitudinem bonitatis, æternitatis &c.: unde si suprema Virtus nihil est, ipsa esset, si esset eadem natura & essentia cum largitate existente & operativa in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quæ largitas nihil est, si suprema Virtus est in privatione; quæ largitas esset, nisi avaritia contradiceret potestati justitiæ in magnitudine virtutis contra magnitudinem bonitatis, æternitatis: sed quia avaritia est opposita largitati, quæ convenit cum bonitate, magnitudine &c., sequitur, si suprema Virtus nihil est, quæ esset, si esset suprema Largitas, quòd avaritia habeat majorem magnitudinem contra virtutem extra magnitudinem bonitatis, æternitatis &c., quàm magnitudo bonitatis, æternitatis &c. habeat contra avaritiam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Largitas, in qua est suprema Virtus.

12. Virtus operatur in inferiori Simplicitate componendo simplicia, sicut in Sorte, qui Sortes est suamet species simplex cum compositione animæ & corporis, formæ & materiæ & quatuor elementorum; & ideo in hac simplicitate non potest esse suprema Virtus; idcirco convenit, eam esse in simplicitate, in qua sit opus simplicium absque compositione, ne compositio sit superior in virtute, & simplicitas inferior, quæ superior

perior ſimplicitas & inferior compoſitio non poſſent eſſe, ſi ſuprema Virtus nihil eſſet; ſed quia eſt, ergò DEUS eſt ipſa ſuprema Virtus.

13. Nobilitas conjuncta ex omni virtute omnium plantarum, metallorum, animalium, elementorum & corporum cœleſtium non ſufficeret eſſe participans cum ſuprema Virtute, ſi DEUS nihil eſſet; eò quia illa virtus eſſet in majori magnitudine compoſitionis, quàm ſimplicitatis, & contrarietatis naturæ, quàm concordantiæ; & ſic eſſet major magnitudo imperfectionis, quàm perfectionis, & privationis, quàm eſſe, & vitiorum, quàm virtutum: ſed ſi in omnibus plantis, metallis &c. eſt diſtincta nobilitas virtutis, in qua eſt ſuprema Virtus in ſua unitate naturæ (ſicut ignis, qui eſt ſimplex in ſua natura, licèt ſit compoſitus per omnes plantas, metalla & animalia) tunc illa virtus eſt nobilior extra ſuam ſimplicitatem per actum operativum, quàm in ſe ipſa per actum exiſtentem, & continet in ſe plus vilitatis, quàm nobilitatis, & eſt inferiùs per ſuam contrariam naturam, & ſuperiùs per ſuam ſimplicem naturam: ſed quoniam hæc virtus & nobilitas de neceſſitate eſſet ſuprema, ſi DEUS nihil eſſet, & tamen manifeſtum eſt, quòd ſit impoſſibile, ipſam eſſe ſupremam, ût ſuperiùs ſignificavimus, idcirco de neceſſitate demonſtratur, DEUM eſſe.

De ſuprema Veritate.

1. BOnitas in ſuprema Magnitudine non reſiſtit, ſupremam Veritatem eſſe; ſi autem ſuprema Veritas nihil eſt, tunc eſt aliquod ens, quod reſiſtit ſupremæ Veritati in magnitudine bonitatis, quod ens convenit eſſe in ſuprema falſitate & malitia: unde cùm veritas ſit magis remota à privatione in magnitudine bonitatis, quàm in parvitate, & falſitas ſit magis remota ab eſſe in magnitudine malitiæ, quàm in parvitate, idcirco de neceſſitate ſequitur, ſupremam Veritatem eſſe.

2. Magnitudo veritatis eſt in hoc, quòd ſinè diſtinctione eſſentiæ & naturæ veritas ſit magnitudo, & magnitudo veritas; nam falſitas non poteſt concordare cum ente, in quo veritas ſit magnitudo; maximè cùm falſitas concordet cum ente propter diſtinctionem veritatis & magnitudinis, corrumpente falſitate magnitudinem veritatis, adhoc, ut falſitas poſſit convenire cum magnitudine: unde ſi ſuprema Veritas nihil eſt, magnitudo per naturam magis convenit cum falſitate, quàm cum veritate; per quam naturam falſitas & magnitudo ſunt de una entitate & natura, & veritas & magnitudo habent diſtinctionem & diviſionem, & falſitas eſt amabilis & indeſtructibilis, veritas verò eſt odibilis & corruptibilis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſit una ſuprema Veritas, quæ eſt eadem eſſentia & natura cum magnitudine.

3. Manifeſtum eſt, quòd ſit Æternitas; quia ſi non eſſet, omne ens haberet principium à non ente; & hoc eſt impoſſibile: unde ſi DEUS nihil eſt, id, quod eſt ſuprema Veritas, eſt æternitas compoſita ex ſuis principiis; quæ principia ſunt corpora cœleſtia, ſpecies incorruptibiles & elementa ſimplicia: & ſi hæc æternitas cum ſuis incorruptibilibus individuis eſt ſuprema Veritas, ipſa eſt inferior falſitate, producens plus falſitatis, quàm veritatis, ſi DEUS nihil eſt, & ſuprema Veritas eſt principium falſitatis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, DEUM eſſe, qui eſt ſuprema Veritas.

4. Si Poteſtas habet virtutem, perfectionem & naturam, quòd poſſit eſſe veritas, eſt impoſſibile, quòd falſitas poſſit convenire cum opere entitatis & naturæ ipſius poteſtatis; quæ falſitas potentialiter vel actualiter convenit cum omni poteſtate, ſi in illa poteſtate magnitudo eſt accidentaliter per naturam: & quia veritas cũ poteſtate deſtruit falſitatem, & falſitas non habet poteſtatem, cum qua poſſit deſtruere veritatem, idcirco convenit, eſſe aliquam veritatem, quæ eſſentialiter & naturaliter ſit poteſtas ſui ipſius: & hæc veritas eſt ſuprema, per cujus virtutem inferior veritas diſtincta à poteſtate cum ipſa poteſtate ſuperat falſitatem: unde ſi ſuprema Veritas nihil eſſet, falſitas haberet poteſtatem deſtruendi veritatem, & falſum converteretur in verum, & falſitas ſuprema deſtrueret ſuammet naturam.

Sapientia habet majorem nobilitatem
5. ſciendo veritatem, quàm ſciendo falſitatem; & ideo ſapientia, quæ eſt veritas, plus poteſt ſcire, quàm ſapientia diſtincta à veritate: unde ſi ſuprema Veritas eſt, convenit, eam eſſe in ſapientia ſciente, ſe ipſam eſſe ſimplicem veritatem, quæ veritas ſciat ſemet ipſam, & ſciatur à ſapientia: ſi autem hæc Sapientia nihil eſſet, ſequeretur, quòd ita

ita nobile eſſet omni ſapientiæ ſcire falſitatem, ſicut ſcire veritatem, poſtquam eum veritate non eſt unita ex exiſtentia & natura; & ſequeretur, quòd nulla veritas ſciret ſe ipſam: ſed cùm ſecundùm ordinem perfectionis, virtutis, juſtitiæ, magnitudinis, ſimplicitatis & bonitatis conveniat, quòd veritas fortiùs ſciatur per ſuam entitatem & naturam, quàm per ſapientiam, cum qua non eſt ex eadem entitate & natura, idcirco de neceſſitate convenit, eſſe ſupremam Veritatem, ad hoc, ut eſſe fortiùs conveniat cum conveniente, quàm cum inconveniente, & privatio cum inconveniente, quàm cum conveniente.

6. Amor & veritas conveniunt; quia omnis magnitudo bonitatis &c., quæ eſt in veritate, eſt magis amabilis, quàm parvitas bonitatis &c., quæ eſt in veritate; & ideo veritas eſt amabilis, & falſitas odibilis: unde ſi nulla veritas eſſet eſſentialiter & naturaliter amor, omnis veritas conveniret cum injuria contra juſtitiam amoris, eò quòd veritas non diligeret amorem, & diligeretur ab amore; & ſic amor eſſet in majori magnitudine bonitatis &c., quàm veritas, & eſſet per ſe tantùm ſupremus Amor, & eſſet inferior, in quantum privaretur veritate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur ſuprema Veritas, quæ eſt ipſemet amor, ſciendo ſe ipſam, & amando amorem, à quo ipſa amatur.

7. Virtus & veritas habent magnitudinem in ſimplicitate, juſtitia, perfectione, nobilitate, bonitate & poteſtate, ſi veritas verificat in virtute, & virtus virtuificat (ſive operatur virtutem) in veritate æternaliter & infinitè; & ſinè tali ſpecifica operatione parvitas eſt in veritate & virtute ſimplicitatis, juſtitiæ, nobilitatis, bonitatis & poteſtatis; & ſequitur, quòd nulla ſapientia ſciat ſuam veritatem in magnitudine bonitatis &c., in qua magnitudine amor ſecundùm juſtitiam deſiderat ſupremam Veritatem contra ſe ipſum, & contra juſtitiam & ſapientiam; & hoc eſt inconveniens & contradictio: per quam inconvenientiam demonſtratur, DEUM eſſe.

8. Gloriæ contradicitur à magnitudine, ſi ſuprema Veritas, quam inquirimus, nihil eſt; per quam contradictionem gloria convenit cum minoritate: ſed quia gloria eſt magis remota à pœna, ab injuria, à culpa & à privatione in magnitudine, quàm in parvitate, ideo ſequitur de neceſſitate, eſſe ſupremam Veritatem, ad hoc, ut gloria habeat magnitudinem, quæ illi convenit; ſinè qua magnitudine ipſa conveniret cum pœna, quæ habet ea, quæ illi conveniunt contra gloriam; & pœna & magnitudo haberet concordantiam cum veritate, & gloria, parvitas & privatio inſimul convenirent; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur ſuprema Veritas.

9. Perfectio veritatis eſt, ſi eſt aliqua veritas, quæ ſimpliciter eſt perfectio; & ideo convenit, illam veritatem eſſe ſupremam & ſuper omnem veritatem, quæ in natura habet diſtinctionem à perfectione: unde ſi veritas, quæ eſt perfectio ſinè diſtinctione ſui ipſius, nihil eſt, ipſa eſſet, ſi haberet tantam perfectionem, quantam imperfectionem habet illa veritas, quæ eſt inferior, eò quòd non eſt perfectio ſinè diſtinctione naturæ cum perfectione: ſed cùm veritas per imperfectionem ſit remota à perfectione, & perfectio & veritas conveniant, & falſitas & privatio, & cùm eſſe habeat majorem concordantiam cum majoritate veritatis & perfectionis, quàm cum minoritate illarum, idcirco de neceſſitate convenit, quòd ſit aliquod ens, per quod veritas poſſit eſſe in majori perfectione, quod ens contradicat illi eſſe, per quod veritas eſſet in majori imperfectione, ipſo eſſe conveniente cum ſuprema falſitate in ſuprema imperfectione: & tale glorioſum Ens eſt ſuprema Veritas, quæ ſinè diſtinctione eſſentiæ eſt idem cum perfectione.

10. Juſtitia eſt injuria, & è converſo, ſi corporalia ſunt majora in virtute, poteſtate & nobilitate, quàm ſpiritualia; & veritas eſt in majori parvitate per juſtitiam, quàm falſitas per injuriam; & magnitudo eſt natura & proprietas falſitatis, & parvitas eſt natura & proprietas veritatis: unde ſi hoc ita eſt, injuria eſt cum magnitudine in veritate & juſtitia; ſed cùm corporalia non ſint in tanta magnitudine veritatis & juſtitiæ, in quanta ſunt ſpiritualia, & ſpiritualia ſint, ut ſint corporalia, ſi DEUS nihil eſſet, idcirco per ſupradictam convenientiam & inconvenientiam demonſtratur, DEUM eſſe.

11. Veritas eſt neceſſaria Largitati, ut juſtitia per actum operativum in ſapientia ſciente veritatem poſſit largiri ſecundùm informationem actûs largitatis: unde, ſi ſuprema

prema Veritas nihil est, actus magnitudinis justitiæ est in potentia, & actus largitatis non habet perfectionem in magnitudine justitiæ, & justitia frustra est in magnitudine, & ipsa cum perfectione stat in parvitate: & quia hoc est impossibile, idcirco est demonstrabilis suprema Veritas, ne sequantur supradicta inconvenientia.

12. Suprema Simplicitas bonitatis, magnitudinis &c. nihil est, si suprema Veritas est in privatione, & omnis veritas naturaliter intrat mixtionem, digestionem & compositionem æternaliter cum falsitate, sicut elementa in corporibus elementatis naturaliter intrant mixtionem, digestionem & compositionem; & sicut in quolibet supposito sunt ingradata quædam elementa super alia in magnitudine potestatis & naturæ, ita in quolibet supposito essent ingradatæ veritas & falsitas spiritualiter per mixtionem, digestionem & compositionem; & ita conveniret, quòd substantiæ spirituales essent corporales, corruptibiles & divisibiles; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit suprema Veritas, quæ conservat simplicitatem in inferiori veritate cum virtute suæ magnitudinis, bonitatis &c.

13. Nobilitas non contradicit veritati, quæ habet supremam Magnitudinem in bonitate, æternitate &c.; si autem nulla veritas est suprema, absentia supremæ Veritatis ita contradicit supremæ Nobilitati in bonitate, magnitudine, æternitate &c., sicut absentia solis contradicit actui virtutis visivæ in oculis, in quibus visus est habituatus: sed si supremæ Veritati contradicitur à falsitate, & privatur à falsitate (sicut calor ignis contradicit frigiditati aquæ, privando ab ea frigiditatem) tunc nobilitas in bonitate &c. est subjecta vilitati bonitatis &c., & nobilitas bonitatis &c. est inferior, & vilitas malitiæ, falsitatis &c. est superior; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

De suprema Gloria.

1. BOnitas & pœna inter se contrariantur, quia bonitas & gloria concordant, & malum & pœna insimul conveniunt: unde si suprema Gloria, quam inquirimus, nihil est, tunc suprema Gloria est distincta in duas partes bonitatis, quarum una est in abstracto, & altera in concreto: illa, quæ est in abstracto, est æternaliter gloria, sicut æternitas in abstracto; altera est in individuis corruptibilibus gloriantibus gloriâ hujus mundi: & quoniam gloria, quæ est in abstracto, est sinè sapientia & amore, idcirco si DEUS nihil est, talis gloria convenit in æternitate cum imperfectione bonitatis in sapientia & amore; & ideo gloria contrariatur justitiæ, quæ est suprema Gloria, existente æternitate sinè gloria in perfectione: unde si gloria, quam nos inquirimus, nihil est, secundùm justitiam & injuriam suprema Gloria est in hominibus, eò quòd humana species transcendit alias species animalium nobiliori naturâ; sed quia homines sunt subjecti corruptioni, & quia sunt subjecti peccatis & vitiis propter privationem virtutum, ideo est injuriosum, homines esse subjecta ad habendam supremam Gloriam: & quia convenit, unam gloriam esse in majori nobilitate & magnitudine bonitatis, quàm alteram gloriam, idcirco de necessitate convenit, bonitatem esse tantum remotam à pœna & malitia, quòd gloria in ea sit remota ab omni parvitate bonitatis, magnitudinis &c.; & hæc est illa suprema Gloria, quam inquirimus.

2. Magnitudo est in gloria, si suprema Gloria est; quæ si nihil est, magnitudo est in pœna, & parvitas in gloria; nam si DEUS nihil est, gloria & minoritas conveniunt, & pœna & majoritas concordant: unde cùm gloria & esse, esse & majoritas, pœna & privatio, privatio & minoritas conveniant, idcirco demonstratur per supradicta principia, supremam Gloriam esse.

3. Æternitas habet naturam durandi in æternum, & pœna habet naturam privandi concreta; & ideo gloria & æternitas conveniunt in æternum, & pœna & principium & non æternum: unde cùm hoc ita sit, si suprema Gloria non est in æternitate, æternitas contradicit suæmet naturæ, & habet convenientiam cum principio & privatione; & hoc est impossibile: si verò in æternitate est suprema pœna, per quam pœnam simplicitas æternitatis est destructa, æternitate existente compositâ ex suprema Gloria & ex suprema pœna, tunc est compositio abstracti sinè concreto; & hoc est impossibile & contra supremam Justitiam & Perfectionem, & convenit cum imperfectione, injuria & parvitate: per quam contrarietatem & convenientiam demonstratur, supremam Gloriam de necessitate esse in æternitate.

Potestas

4. Potestas & gloria conveniunt, & pœna convenit cum parvitate, imperfectione & vilitate potestatis; quia si suprema Gloria nihil est, convenit, esse aliquod ens & aliquam naturam, in quibus entitas suæ naturæ cum pœna & imperfectione repugnet naturæ suæ magnitudinis, potestatis, nobilitatis & perfectionis comprehensæ & annihilatæ in sua natura & entitate per parvitatem potestatis, vilitatis & imperfectionis, conveniente cum illo ente privatione supremæ Gloriæ & supremæ Potestatis, & conveniente cum illo ente ipso esse supremæ pœnæ, potestatis, nobilitatis & perfectionis; & hoc est impossibile, ne supradicta principia destruantur, sed ut justitia & potestas conveniant in perfectione, & injuria & imperfectio potestatis concordent in privatione.

5. Sapientia potest scire plus pœnæ, quàm gloriæ, si suprema Gloria, quam inquirimus, nihil est: unde, cùm sapientia & amor conveniant cum gloria, & contrarientur pœnæ, quæ convenit cum injuria, sequitur, quòd, si suprema Gloria nihil est, amor habeat majorem concordantiam cum sapientia in odiendo pœnam, quàm in diligendo gloriam, & sapientia scit majorem pœnam, quàm gloriam, ut amor habeat majorem magnitudinem in nobilitate, justitia & perfectione odiendo pœnam, quàm diligendo gloriam; & hoc est impossibile: eò quòd amor diligendo gloriam habet majorem concordantiam cum sapientia, sciente sapientiâ majorem gloriam, quàm pœnam, & ut amor melius conveniat cum sua natura diligendo, quàm odiendo; cùm amor diligendo gloriam nullam habeat passionem, & odiendo pœnam non tantùm removeatur à passione, quàm à gloria.

6. Amor habet majorem naturam diligendo, quàm odiendo; & ideo tendit ad gloriam, ut fugiat pœnam; nam diligendo gloriam elongatur à pœna: unde si suprema Gloria nihil esset, sequeretur, quòd amor haberet majorem magnitudinem odiendo pœnam, quàm diligendo gloriam; eò quòd esse esset magis subjectum magnitudini pœnæ, quàm magnitudini gloriæ, & quòd amor haberet majorem occasionem tristitiæ, quæ convenit cum pœna, quàm gloriæ, quæ convenit cum esse in lætitia amoris: sed quoniam omnia hæc inconvenientia sequerentur, si DEUS nihil esset, idcirco manifestum est, DEUM esse in natura, quæ convenit gloriæ & amori.

7. Virtus habet majorem concordantiam cum fide, spe &c., & magis contrariatur gulæ &c., si suprema Gloria est, & haberet majorem concordantiam cum gula, si suprema Gloria nihil esset; nam sicut ignis habet majorem simplicitatem intra suam sphæram, quàm extra, ita virtutes sunt magis remotæ à majori compositione & concordantia vitiorum, si DEUS est, quàm si DEUS nihil esset: unde quia id, per quod una virtus magis convenit cum altera in simplicitate, & est magis remota à concordantia vitiorum, convenit cum esse, & ejus oppositum cum privatione, convenit, DEUM esse, qui est suprema Gloria; sinè cujus esse virtus naturaliter contrariaretur magnitudini suæ simplicitatis & perfectionis, per quod concordaret cum vitio, cum quo in natura conveniret; & hoc est impossibile.

8. Veritas convenit cum falsitate, si suprema Gloria nihil est; maximè cùm pœna habeat majorem magnitudinem in vilitate, quàm gloria in nobilitate, si DEUS nihil est; per quam majorem magnitudinem pœnæ, quàm gloriæ, conveniret, esse aliquam majorem magnitudinem veritatis, quàm falsitatis, cum qua conveniat minor veritas contra majorem falsitatem, & minor gloria contra majorem pœnam, ut majoritas falsitatis & pœnæ non consumat & privet totam naturam gloriæ & pœnæ: unde, si hoc ita esset, sequeretur, quòd esset unum supremum Ens per existentiam in entitate & natura veritatis, virtutis & gloriæ super ens sibi contrarium; quod ens inferius per existentiam esset supremum per actum operandi in suprema falsitate & pœna; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

9. Perfectio & gloria habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo magis diligenda est magnitudo perfectionis; quàm parvitas, & magnitudo gloriæ, quàm parvitas; maximè, cùm gloria sit amabilis & pœna odibilis in perfectione; & cùm pœna sit odibilis in perfectione & in justitia, & sit odibilis in injuria & imperfectione: unde si suprema Gloria nihil est, supradicta principia sunt destructa, & magnitudo est natura & proprietas imperfectionis & pœnæ; & parvitas perfectionis & gloriæ convenit cum magnitudine imperfectionis & pœnæ, & magnitudo est contraria suæmet naturæ; per cujus contrarietatem perfectio & gloria haberent

naturam fortiùs concordandi in virtute & veritate in minoritate, quàm in majoritate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Gloriam eſſe.

10. Juſtitia non habet, cum quo ſit in magnitudine, ſi ſuprema Gloria nihil eſt; in qua magnitudine eſt injuria per privationem ſupremæ Gloriæ; & quia ſuprema injuria eſt privare magnitudinem juſtitiæ, & ponere parvitatem in juſtitia, & magnitudinem in injuria, idcirco in imperfectione, falſitate, fragilitate, vitio & vilitate injuriæ, & in magnitudine bonitatis, æternitatis, poteſtatis, perfectionis, veritatis, virtutis & nobilitatis, quæ conveniunt cum juſtitia, ſignificatur, DEUM eſſe, qui eſt ſuprema Gloria; per cujus gloriæ privationem juſtitia eſſet inferior, & injuria ſuperior.

11. Largitas gloriæ, quæ ſe totam largitur entitati & naturæ in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., eſt ſuprema Gloria, ſi aliqua res poteſt eſſe ſuprema Gloria; nam ſi id, quod eſt ſuprema Gloria, non habet hanc largitatem, convenit, quòd concordet cum avaritia & parvitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; per quam concordantiam ſuprema Gloria contrariatur juſtitiæ cum injuria & vilitate: unde ſi ſuprema Gloria nihil eſt, ſequitur, eſſe concordantiam inter magnitudinem & avaritiam, largitatem & parvitatem, & magnitudo bonitatis, æternitatis &c., quæ convenit cum magnitudine avaritiæ, eſt contraria magnitudini largitatis; per quam concordantiam magnitudo bonitatis, æternitatis &c., deſtruit & corrumpit ſuammet naturam, à cujus deſtructione & corruptione dependet generatio & exiſtentia magnitudinis avaritiæ; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd ſuprema Gloria ſit in ſuprema Largitate.

12. In inferiori Simplicitate eſt differentia inter gloriam & glorioſum; nam ſi gloria & glorioſum in inferioribus rebus eſſent ſinè compoſitione, eſſet impoſſibile, quòd hìc inter nos eſſet ulla pœna in glorioſo: unde ſi ſuprema Gloria nihil eſt in ſimplicitate magnitudinis in bonitate, æternitate &c., ſuprema Gloria eſt in compoſitione bonitatis & malitiæ, magnitudinis & parvitatis, æternitatis & non æternitatis, poteſtatis & fragilitatis, & ſic de aliis; & hoc eſt impoſſibile, ne ſit poſſibile, compoſitionem, injuriam & pœnam habere majoritatem ſuper ſimplicitatem, juſtitiam & gloriam, & ne injuria & pœna ſint ſuperiùs, & ſimplicitas, juſtitia & gloria inferiùs.

13. Nobilitas non eſſet ſinè vilitate, ſi ſuprema Gloria nihil eſſet, & omnis actus operativus nobilitatis produceret ſuam naturam in ſuum oppoſitum, quod eſt vilitas, quia ſua eſſentia non eſſet ſinè vilitate: & ſic ſequeretur, quòd gloria & pœna convenirent in actu exiſtentiæ & operis; & ſic eſſet concordantia inter duo contraria, & contrarietas inter duo concordantia; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, DEUM eſſe, qui eſt ſuprema Gloria.

De ſuprema Perfectione.

1. BOnitas non convenit cum imperfectione, nec imperfectio cum perfectione, & malum convenit cum imperfectione; & ideo bonitas & perfectio habent concordantiam in magnitudine æternitatis, poteſtatis &c.: per quam concordantiam demonſtratur, quòd ſit ſuprema Perfectio, ſinè qua bonitas haberet concordantiam cum malitia, & malitia cum bonitate, & perfectio cum imperfectione: & ſic omne, quod eſt, eſſet in eadem natura, in qua naturaliter eſſet contraria concordantia bonitatis & malitiæ, perfectionis & imperfectionis, bonitatis & imperfectionis, malitiæ & perfectionis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Perfectionem eſſe in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; per quam magnitudinem ſuprema Perfectio eſt ſinè imperfectione, & bonitas ſinè malitia, magnitudo ſinè parvitate, & æternitas ſinè principio; & ſic de aliis ſimilibus iſtis.

2. Magnitudo perfectionis eſt, quòd perfectio ſit in infinita magnitudine bonitatis, æternitatis &c. ſinè otioſitate & indigentia perfectionis in infinita magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quia ſi hæc magnitudo eſt, convenit ſecundùm juſtitiam, ipſam eſſe ſupremam Perfectionem ſuper omnem aliam perfectionem: unde ſi illa nihil eſt, ſequitur, quòd id, quod eſt ſuprema Perfectio, indigeat perfectione, ad quam movetur cum imperfecto medio, quod eſt in imperfectione: & ſi hoc ita eſt, ſequitur, quòd eſſe conveniat cum majori magnitudine imperfectionis ipſius bonitatis, æternitatis &c., quàm perfectionis, quæ eſt in bonitate, æternitate &c.; & hoc eſt impoſſibile, ne ſit poſſibile, naturam perfectionis eſſe magis propinquam parvitati bonitatis &c., quàm magnitudini bonitatis &c.: unde per hoc, quod ſuprà dictum eſt, probatur, ſupremam Perfectionem eſſe; ſinè cujus eſſe eſſent deſtructa ſupradicta principia.

3. Manifeſtum eſt, Æternitatem eſſe; & ideo eſt perfectio ſinè imperfectione in æternitate per eſſentiam; nam ſi eſſentia æternitatis eſſet cum imperfectione, ſequeretur, quòd principium & finis eſſent perfectio æternitatis; & ſic in æternitate eſſet naturalis imperfectio, eſſe ſinè principio & fine: per quam imperfectionem æternitas eſſet corruptibilis, & conveniret cum privatione; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd in æternitate ſuprema Perfectio ſit Eſſentia ſinè imperfectione; in qua eſſentia demonſtratur æterna operatio ex perfectione in perfectionem, ne perfecta æterna Eſſentia ſit otioſa in perfectione magis æterna, & hoc in bonitate, magnitudine, poteſtate &c.; quæ Eſſentia æternaliter eſſet otioſa ſinè æterna operatione; & ſic ſecundùm juſtitiam eſſet indigna, eſſe ſuprema in æterna natura: unde id, quod eſt extra æternitatem & extra opus æternum, eſſèt dignum, eſſe ſuprema Perfectio; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Perfectionem eſſe in eſſentia & operatione, quæ convenit æternitati in magnitudine bonitatis, poteſtatis & æternitatis &c.

4. Poteſtas eſt, quæ poteſt contra perfectionem; unde neceſſe eſt, eſſe poteſtatem, quæ poſſit contra poteſtatem, quæ convenit cum imperfectione; quia ſi non ita eſſet, ſequeretur, quòd omnis virtus poteſtatis, quæcunque eſt in perfectione, deveniret in privationem, & quòd foret tempus, in quo omne id, quod eſt, eſſet in imperfectione ſinè perfectione; & hoc eſt impoſſibile: & quoniam eſt demonſtratum, eſſe poteſtatem, quæ eſt contra imperfectionem, idcirco convenit, eſſe poteſtatem perfectionis operantis in perfectione perfectæ poteſtatis in infinita magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; in qua poteſtate demonſtratur eſſe ſupremam Perfectionem; nam ſi hæc ſuprema Perfectio eſſet indigna, eſſe ſuprema in ſupradicta poteſtate, perfectio poteſtatis in majori magnitudine bonitatis, æternitatis &c. magis contrariatur poteſtati imperfectionis, quàm concordaret cum poteſtate perfectionis per eſſentiam, per opus, per naturam & per ſimplicem entitatem poteſtatis & perfectionis in bonitate, magnitudine &c.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, ſupremam Perfectionem eſſe.

5. Sapientia contradicit exiſtentiæ & operationi ignorantiæ & imperfectionis per exiſtentiam & operationem; & ideo ſapientia & perfectio habent concordantiam in exiſtentia & operatione: unde ſi hæc concordantia ſapientiæ & perfectionis faceret per juſtitiam ſupremam Sapientiam & ſupremam Perfectionem, cò quòd ſunt contra ignorantiam & imperfectionem, ſequeretur, quòd ignorantia eſſet cauſa ſupremæ Sapientiæ, & imperfectio ſupremæ Perfectioni, & malitia bonitati, & ſic de aliis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd aliqua ſapientia & aliqua perfectio ſit ſuprema per exiſtentiam & operationem naturæ & entitatis earum intrinſecè per infinitam magnitudinem bonitatis, æternitatis &c.: unde ſi talis ſuprema Perfectio & ſuprema Sapientia nihil ſunt, id, quod eſt ſuprema Sapientia, eſſet in perfectione, & è converſo, per concordantiam contra ignorantiam & imperfectionem; & hoc eſt impoſſibile, & contra magnitudinem bonitatis &c.: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, DEUM eſſe.

6. Amor movetur ad perfectionem, ſicut forma movetur de potentia in actum; & ideo amor eſt in imperfectione in medio, priusquàm veniat ad complementum perfectionis; & talis amor ſecundùm juſtitiam eſt indignus, eſſe ſuprema Perfectio: unde ſi ſuprema Perfectio eſt, convenit, eam eſſe de perfectione in perfectionem ſinè imperfectione; ſi verò ſuprema Perfectio nihil eſt, tunc id, quod eſt ſuprema Perfectio, priùs fuit in imperfectione, quàm in perfectione, & venit ad perfectionem cum natura imperfectionis; per quam imperfectionem devenit in corruptionem & privationem: ſed quia eſt impoſſibile, quòd talis perfectio, in qua privatur tanta nobilitas bonitatis &c., quæ convenit cum perfectione, ſit ſuprema Perfectio, idcirco convenit, eſſe aliam perfectionem, per quam amor venit ad perfectionem, exiſtendo in perfectione æternaliter & infinitè:

quod si non ita esset, esset impossibile, quòd ullus amor, qui est in imperfectione, de imperfectione veniret ad perfectionem.

7. Virtus conservat suam essentiam in perfectione suorum actuum; & ideo movet formam à sua essentia in suos actus, per habitum de potentia ad actum; & hæc virtus est indigna, esse suprema Perfectio, eò quòd habet imperfectionem æternitatis, magnitudinis, potestatis, bonitatis &c.: unde si ex supradicta perfectione & virtute removerentur potentia & habitus, & si essent in æternitate & in infinita magnitudine bonitatis, potestatis &c. in essentia, & in actibus existentibus intrinsecè & in ipsa essentia, esset dignum secundùm justitiam, quòd illa virtus esset suprema Perfectio; quia si non est suprema, est in privatione supremitatis per repugnantiam imperfectionis contra perfectionem, & vitiorum contra virtutes, & contrarietas perfectionis & imperfectionis est superior, & concordantia virtutis & perfectionis est inferior; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

8. Veritas contradicit imperfectioni contradicendo falsitati, quæ contradicit perfectioni convenienti cum veritate; & si suprema Perfectio nihil est, falsitas cum imperfectione contradicit, supremam perfectionem esse in veritate; quæ contradictio habet majorē magnitudinem potestatis in concordantia falsitatis & imperfectionis, quàm in concordantia veritatis & perfectionis; & falsitas & imperfectio est superior in infinita magnitudine potestatis; & veritas & perfectio est inferior in parvitate potestatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, supremam Perfectionem necessariò esse in suprema Veritate.

9. Gloria non contradicit perfectioni in glorioso, nec è converso; & si suprema Gloria nihil est, est impossibile, quòd sit supremus Glorioſus, & è converso; & hoc idem sequitur de suprema perfectione & de supremo Perfecto: unde si suprema Perfectio & supremus Perfectus nihil sunt, de necessitate convenit, esse aliquod Ens supremum in magnitudine potestatis & simplicitatis, quod cum suprema pœna contradicat supremæ Gloriæ contra supremam Perfectionem & Perfectum in gloria & in glorioso; quæ gloria & glorioſus & perfectio & perfectus essent superiores in materia passiva, & inferiores in forma; per quam superioritatem & inferioritatem sequeretur, quòd forma naturaliter haberet concordantiam cum majori vilitate per perfectionem, & materia cum majori nobilitate per imperfectionem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, DEUM esse.

10. Justitia fortiùs contradicit imperfectioni in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., quàm in parvitate bonitatis, æternitatis &c.: unde si suprema Perfectio est, suprema Justitia contradicit imperfectioni in tanta magnitudine, quòd eam sinè cessatione removeat ab entitate & natura æternaliter & infinitè in bonitate, magnitudine &c. cum actu essendi & operandi de se ipsa & de justo, & hoc in perfectione & perfecto, quamvis imperfectio non habeat, nec habuerit, nec habitura sit entitatem & naturam nec principium in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; nec imperfectio habet subjectum infinitum & æternum, in quo sit & operetur; quod subjectum imperfectio haberet, si suprema Justitia & suprema Perfectio essent in privatione; & quia est impossibile, imperfectionem habere tale subjectum, ideo convenit, quòd sit possibile, supremam Perfectionem esse in justitia; in qua justitia perfectio non esset possibilis, si esset in privatione.

11. In Largitate non esset magnitudo justitiæ sinè incessante perfectione largitatis in largo & perfecto cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quia si suprema Perfectio est, & largitas eam non largitur ex suamet essentia & natura æternaliter & infinitè in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., suprema Largitas est in comparativo gradu, quæ esset in superlativo gradu, si perfectioni largiretur perfectionem ex suamet natura æternaliter & infinitè in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.: unde per privationē hujus superlativi gradûs avaritia est in superlativo gradu imperfectionis in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., quæ conveniunt cum magnitudine largitatis in perfectione contra avaritiam & imperfectionem: unde cùm sit contra justitiam & possibilitatem, avaritiam esse in superlativo gradu imperfectionis, per hoc demonstratur, perfectionem esse in superlativo gradu, quæ est suprema super omnem aliam perfectionem.

12. Perfectio est magis remota ab imperfectione in simplicitate, quàm in compositione; & ideo quantò magis est remota ab imperfectione, tantò magis est remota à privatione, quæ convenit cum imperfectione; & quantò magis perfectio est remota à privatione, tantò magis convenit cum esse & simplicitate suæ naturæ: unde si suprema Simplicitas, quam inquirimus, nihil est, sequitur de necessitate, quòd simplicitas conveniat cum minoritate perfectionis, & compositio cum majoritate: quoniam si DEUS nihil est, omnes res simplices tendunt ad compositum, & ex uno composito tendunt in alterum per corruptionem & generationem, & compositio per modum objecti est in suprema Perfectione, & simplicitas in suprema imperfectione; & hoc est impossibile, quia simplicitas & amor & magnitudo nobilitatis, virtutis, justitiæ, sapientiæ & amoris habent concordantiam, & quia compositio convenit cum minoritate in perfectione & in imperfectione.

13. Nobilitas perfectionis non contrariatur nobilitati bonitatis, magnitudinis &c., quæ nobilitas bonitatis, magnitudinis &c. contrariatur vilitati, quæ convenit cum imperfectione; & ideo suprema Perfectio non potest esse, si magnitudo perfectionis concordat cum parvitate nobilitatis; nam est vilitas perfectionis, quæ non potest esse in nobilitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. sinè parvitate, quæ convenit cum vilitate: unde si suprema Perfectio nihil est, sequitur, parvitatem nobilitatis esse in tota magnitudine bonitatis, æternitatis &c. contra magnitudinem perfectionis in bonitate &c.; per quod esse sequeretur major magnitudo vilitatis & imperfectionis in bonitate, æternitate &c., quàm sit magnitudo bonitatis, æternitatis &c., quæ convenit cum perfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Perfectionem esse in suprema Nobilitate sinè aliqua vilitate, parvitate & imperfectione; & hæc suprema Nobilitas est Æternitas & Natura nostri Domini DEI.

De suprema Justitia.

1. BOnitas Justitiæ est, quòd justitia separet malum à bono, & faciat concordantiam boni cum bono; & magnitudo bonitatis in justitia est, si justitia separet magnitudinem à parvitate, & simul uniat magnum & magnum; & bonitas & æternitas est, si justitia æternaliter removeat æternum à principio, & faciat, unum æternum esse cum alio eandem Essentiam & Naturam; & hoc idem sequitur de omnibus divinis Dignitatibus: unde si talis justitia est, convenit, eam esse supremam super omnem aliam justitiam, ita tamen, quòd nec malitia, nec parvitas, nec principium concordaverint & concordent cum bonitate, potestate, æternitate &c.: unde si hæc justitia nihil est, sequitur, quòd bonitas sit cum parvitate in justitia, & justitia cum parvitate in bonitate; per quam parvitatem bonitas & justitia habent parvitatem in magnitudine æternitatis, potestatis: per quam parvitatem magnitudo malitiæ & injuriæ est in bonitate & in justitia per totam æternitatem, potestatem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Justitiam esse.

2. Magnitudo justitiæ est major in magnis rebus, quàm in parvis rebus; & justitia potest esse major in suamet interioritate, quàm exterioritate; & ideo convenit, quòd justitia, quæ est in majori possibilitate & impossibilitate (dummodò tamen non sequatur contrarium possibilitatis & impossibilitatis) in interioritate ipsius justitiæ sinè injuria parvitatis ipsius bonitatis, magnitudinis &c., sit suprema in magnitudine super omnem aliam magnitudinem justitiæ: unde si hæc suprema Justitia, quam nos inquirimus in suprema Magnitudine, nihil est, convenit, magnitudinem esse in suprema impossibilitate justitiæ, & in suprema possibilitate injuriæ, & suprema possibilitas & impossibilitas habet concordantiam contra justitiam cum bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Justitia in suprema Magnitudine.

3. Inferior justitia & injuria æternaliter produceretur in natura, si suprema Justitia nihil esset, & natura æternitatis æqualiter se haberet ad injuriam & justitiam; per quam æqualitatem suprema injuria esset concordantia, quam æternitas haberet cum magnitudine bonitatis, potestatis &c.; quæ suprema injuria est impossibilis, ad hoc, ut suprema Justitia sit in suprema Æternitate, in qua sit æterna concordantia Dignitatum sinè aliqua contrarietate; quam æternam concordantiam bonitatis, magnitudinis &c., in qua nulla contrarietas est, necessariò convenit esse supremam Justitiam.

4. Justitia habet majorem magnitudinem in potestate, si ipsa potest esse eadem essentia & natura cum infinita & æterna potestate

bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., quàm habeat utendo suâ potestate extra suam naturam & entitatem in aliis rebus à se distinctis in essentia, natura & potestate: unde si suprema Justitia non est idem cum suprema Potestate, in se continet supremam injuriam: & cùm justitia sit contra injuriam cum perfectione sui ipsius & suæ potestatis, & injuria sit contra justitiam cum imperfectione sui ipsius & suæ potestatis, & quia est impossibile, supremam Justitiam in se habere supremam injuriam, ideo de necessitate convenit, esse aliquam supremam Unitatem justitiæ & potestatis, in cujus absentia suprema injuria, imperfectio & potestas essent in suprema Justitia & Potestate.

5. Si Sapientia scit ignorantiam in potentia in illo ente, in quo sapientia est, & scit in se justitiam, & non culpam, igitur in ente, in quo est, scit injuriam sinè culpa, & pœnam sinè justitia & sinè injuria; quæ pœna est, scire ignorantiam in potentia: unde si suprema Justitia nihil est, sequitur, secundùm quòd suprà dictum est, justitiam esse sinè merito, & injuriam sinè culpa; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Justitiam de necessitate esse in aliqua suprema Sapientia sciente in se justitiam sinè injuria, sinè ignorantia & sinè pœna; quam supremam Justitiam convenit esse in suprema Sapientia æternaliter & infinitè in bonitate &c.; sinè qua sapientia est impossibile, esse supremam Justitiam.

6. In Amore, in quo natura justitiæ est terminata in potentia injuriæ, non potest esse suprema Justitia: unde si suprema Justitia, quam nos inquirimus, nihil est, id, quod est suprema Justitia, convenit & terminatur cum injuria in amore, in quo injuria est in potentia; per quam potentiam amor est contra justitiam in natura, & injuria in natura habet concordantiam cum amore: per quam concordantiam amoris & injuriæ in natura producitur concordantia justitiæ, quæ per amorem convenit cum injuria; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem necessariò demonstratur, esse aliquam supremam Naturam justitiæ & amoris, in qua injuria non sit in potentia, neque concordantia injuriæ & amoris; sinè qua suprema Justitia sequeretur, quòd amor haberet naturam diligendi injuriam contra justitiam, & quòd in amore natura justitiæ contradiceret sibi ipsi, & fortificaret injuriam.

7. Virtus, quam ignis habet in potentia, posset multiplicare infinitam magnitudinem sinè parvitate, si sua natura haberet virtutem non multiplicandi suam magnitudinem cum parvitate: unde si suprema Justitia, quam inquirimus, nihil est, sequitur, quòd omnis justitia multiplicet suam virtutem cum parvitate: per quam parvitatem injuria æternaliter consumit magnitudinem, quam justitia habet in virtute, & justitia æternaliter multiplicat cum parvitate virtutis magnitudinem injuriæ; quæ suprema injuria esset in magnitudine vitii, quod concordaret cum virtute justitiæ, si DEUS nihil esset; & hoc est impossibile, esse talem magnitudinem & convenientiam: per quam impossibilitatem demonstratur de necessitate, esse supremam Justitiam, quam inquirimus.

8. In magnitudine Veritatis potest esse major justitia virtutis, quàm in parvitate veritatis; & ideo convenit, quòd justitia virtutis faciat, esse in veritate omne id, per quod major possibilitas & impossibilitas habeant concordantiam sinè contrarietate in veritate & virtute, & quòd in illa majori concordantia sinè contrarietate sit suprema Justitia; quæ non esset suprema sinè magnitudine, in qua non est parvitas possibilitatis & impossibilitatis in veritate & virtute: & si hæc possibilitas & impossibilitas non est in magnitudine, in qua non est parvitas bonitatis, æternitatis, sequitur, quòd possibilitas & impossibilitas sint in majori magnitudine per contrarietatem, quàm per concordantiam, & virtus & veritas habeant majorem impossibilitatem, quòd inter se concordent, quàm contrarientur; & hoc est impossibile, ne sit possibile, quòd injuria habeat majorem possibilitatem contra veritatem, quàm justitia contra injuriam & falsitatem: ergò suprema Justitia de necessitate est, ne sequantur supradicta inconvenientia; maximè cùm esse & conveniens concordent, & privatio & inconveniens.

9. Si in Gloria non est potestas justitiæ, quòd infinitum justum & glorioſum sit in gloria infinita in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., injuria potest cogere infinitum, quòd non sit infinitum; nam justitia tantùm potest in finito, in quo finito est parvitas gloriæ & glorioſi extra magnitudinem boni-

bonitatis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile, ne sit possibile, omnem justitiam esse finitam in infinita injuria, & ne omnis gloria sit in infinita pœna, & ne omnis bonitas sit finita in infinita malitia; & sic de cæteris Dignitatibus, quæ essent finitæ in infinitis contrarietatibus, si suprema Justitia nihil esset in infinita Gloria supremâ in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.: ergò DEUS est.

10. Perfectio habet naturam, quòd in sua majori magnitudine sit major justitia, quàm in sua parvitate; & ideo in majori imperfectione est major injuria, quàm in minori: unde si suprema Justitia nihil esset, imperfectio esset major, quàm perfectio, & injuria esset major, quàm justitia, & imperfectio & injuria multiplicarent numerum in æternum, removendo eum à justitia & perfectione: & sic numerus imperfectionis & injuriæ esset supremum objectum amori, sapientiæ, virtuti, veritati, magnitudini & nobilitati; & hoc est impossibile, ad hoc, ut justitia sit major in magnitudine perfectionis, quàm in parvitate, & ut perfectio habeat majorem magnitudinem in majori justitia, quàm in minori, & ne suprema Magnitudo multiplicetur cum parvitate; quæ multiplicatio esset injuriosè æterna in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., si DEUS nihil esset: ergò DEUS est.

11. Largitas non contradicit magnitudini justitiæ, & ideo non contradicitur supremæ Justitiæ in magnitudine largitatis: & si suprema Justitia nihil est, injuria fortiùs convenit cum magnitudine avaritiæ, & avaritia cum magnitudine injuriæ, quàm justitia conveniat cum magnitudine largitatis, & largitas cum magnitudine justitiæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd largitas fortiùs conveniat cum justitia, & justitia cum largitate, in interioritate suæmet essentiæ & naturæ, quàm in exterioritate extra suam essentiam & naturam: ergò de necessitate DEUS est.

12. Justitia potest fortiùs justificare justum in suamet simplicitate naturæ cum magnitudine, æternitate &c. bonitatis, quàm extra suam simplicitatem: unde si hujus esset contrarium, sequeretur, quòd justum esset majus in justitia per aliquam aliam virtutem, quàm per justitiam, quemadmodum justitia esset in majori magnitudine extra suam entitatem & naturam, quàm intra; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatē demonstratur, quòd justitia non habeat tantam magnitudinem in compositione, quantam in simplicitate, & quòd bonitas & bonum, magnitudo & magnum, æternitas & æternum, & sic de aliis, sint cum justitia & justo eadem simplicitas, natura, essentia & entitas sinè compositione, exterioritate & contrarietate; quod non posset esse sinè suprema Justitia.

13. Magnitudo justitiæ non sufficeret Nobilitati sinè supremo Justo in suprema Nobilitate, magnitudine, æternitate &c.: unde si suprema Justitia nihil esset, magnitudo injuriæ sufficeret vilitati, quæ esset major, quàm nobilitas; & hoc est impossibile, ne sit possibile, quòd privatio conveniat cum nobilitate, & esse cum vilitate, & nobilitas cum parvitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & ne vilitas conveniat cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c.: igitur omnis talis concordantia sequeretur, si DEUS nihil esset; per cujus privationem sequeretur, quòd supremum Ens esset per naturas contrarias nobilitati magnitudinis, bonitatis, æternitatis; & hoc est impossibile, ne sit possibile, justitiam & nobilitatem esse inferiùs, & justitiam & vilitatem superiùs: unde de necessitate demonstratur, DEUM esse.

De suprema Largitate.

1. BOnitas est largitas, & avaritia est malitia, & malitia est avaritia, & largitas est bonitas; nam si largitas semet largitur, ipsa est illud donum, quod bonitas largitur, quam bonitatem largitas largitur: unde si hoc donum est in magnitudine bonitatis, æternitatis &c. sinè parvitate bonitatis, necessariò convenit, esse supremam Largitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: unde si suprema Largitas nihil est, sequitur, quòd aliquod Ens supremum sit super largitatem, quod nec sit largitas, nec bonitas, in quo habeatur per nobilitatem natura largitatis & bonitatis distinctæ à sua essentia & entitate; quæ distinctio est privatio bonitatis, quæ est malitia & parvitas bonitatis magnitudinis, æternitatis &c.: per quam distinctionem diversificantur bonitas & largitas, malitia & avaritia; & omne donum est datum per indigentiam, quæ convenit cum avaritia & parvitate bonitatis & largitatis; & malitia, quæ est privatio bo-

bonitatis, magnitudinis & largitatis est superior cum avaritia super omnem bonitatem & largitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Largitatem esse.

2. Si Magnitudo, quam ignis habet in virtute, posset multiplicari sinè parvitate, multiplicaretur in infinitam magnitudinem ignis in se ipso; & quoniam magnitudo largitatis, quæ se ipsam multiplicat cum parvitate, est indigna secundùm justitiam, esse suprema, idcirco convenit, omnem magnitudinem largitatis esse inferiorem, quæ largitas multiplicatur in magnitudine cum parvitate æternitatis, bonitatis &c.; & convenit, super illam inferiorem largitatem esse supremam Largitatem; cùm sit impossibile, inferiorem esse sinè suprema: ergò in magnitudine est suprema Largitas non multiplicata cum magnitudine, nec cum parvitate; quoniam si magnitudo multiplicaret magnitudinem, magnitudo in æternitate & infinitate esset potiùs parvitas, quàm magnitudo; & hoc est impossibile: & ideo convenit, quòd sit suprema Largitas & Magnitudo sinè multiplicatione & quantitate.

3. Largitas & avaritia sunt naturales qualitates æternitatis, si DEUS nihil est; nam in privatione DEI largitas & avaritia essent æternæ naturæ, & æternitas secundùm justitiam esset superior per largitatem, & inferior per avaritiam, & justitia, quæ convenit cum æternitate, esset superior & inferior, & injuria, quæ convenit cum privatione & avaritia, esset superior & inferior: unde si hoc ita esset, sequeretur, quòd principium avaritiæ conveniret cum nobilitate & perfectione, quæ conveniunt cum æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Largitas.

4. Si in Potestate est largitas per operativum actum sui ipsius & potestatis, dante potestate semet largitati, & largificante largitate semet & ipsam potestatem intrinsecè & in infinita magnitudine bonitatis, æternitatis &c., necessariò convenit, esse supremam Potestatem, in qua sit suprema Largitas: unde si hæc suprema Largitas nihil est, convenit, omnem magnitudinem potestatis esse contrariam omni magnitudini largitatis, & è converso; ex qua contrarietate sequitur concordantia potestatis & avaritiæ, & concordantia largitatis & fragilitatis potestatis; ex qua concordantia sequitur contrarietas potestatis & largitatis, dante largitate avaritiam contra suam potestatem, & ejus potestas resistit sibi ipsi, concordando cum avaritia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Potestas & Largitas, à qua veniat inferior natura potestatis & largitatis contra fragilitatem & avaritiam: ergò DEUS est.

5. Si Sapientia scit, se ipsam esse essentiam & naturam largitatis, convenit, sapientiam scire, in se esse essentiam & naturam boni, quod largitas largitur; quæ largitas haberet parvitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., si deficeret dare donum ex suamet essentia & natura suæmet essentiæ & naturæ; per quem defectum haberet imperfectionem essendi suprema Largitas, quæ esset superior in perfectione, si haberet magnitudinem in bonitate, æternitate &c. sinè parvitate; quæ parvitas impedit sapientiam, quòd nesciat supremam Largitatem, si DEUS nihil est; & hoc impedimentum sapientiæ cum avaritia, ignorantia & imperfectione, quæ conveniunt cum privatione, est supra potestatem, sapientiam, largitatem & perfectionem, quæ conveniunt cum esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem suprema Largitas est probabilis.

6. Amor non haberet, in quo esset suprema Perfectio, si suprema Largitas esset in privatione; & sequeretur, quòd amor æternaliter amaret perfectionem, conveniens cum imperfectione, postquam non haberet supremam Perfectionem in æternitate: unde cùm probaverimus supremum Amorem, de necessitate convenit, supremam Largitatem esse, in qua supremus Amor habeat suam perfectionem: & quoniam hoc ita est, convenit, quòd amor diligat, & largitas largiatur magnitudinem amoris & largitatis in bonitate, æternitate &c.

7. Omnis Virtus largitatis conveniret cum avaritia, si DEUS nihil esset; nam sinè suprema Virtute bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. largitas non haberet potestatem, quòd extensivè esset in virtute extra & ultra avaritiam infinitè in magnitudine sui ipsius & cæterarum dignitatum, & mundus esset supremum Ens habens distinctas & contrarias naturas, quibus virtutes & vitia, largitas & avaritia essent æquales in magnitudine æternitatis & potestatis, imperfectionis & perfectionis, simplicitatis & compositionis, & sic de aliis; & hoc est im-

impossibile: per quam impossibilitatem suprema Largitas virtutis est demonstrabilis.

8. Si Largitas se largitur in Veritate, & è converso, sequitur, quòd largitas habeat concordantiam cum magnitudine sinè parvitate: unde si suprema Largitas, quam nos inquirimus, nihil est, sequitur, quòd in omni veritate sit parvitas largitatis; per quam parvitatem omnis largitas conveniret cum avaritia, & omnis veritas cum falsitate, dante largitate propter indigentiam & imperfectionem doni & imperfectionem sui ipsius & veritatis, & essent superiores in falsitate & avaritia, & perfectio largitatis & veritatis esset inferior; & quoniam hoc est impossibile & contra supremam Magnitudinem omnium Dignitatum, idcirco convenit, supremam Largitatem esse in suprema Magnitudine, ad hoc, ut largitas largiatur se ipsam & suum donum & veritatem sinè parvitate bonitatis &c.

9. Si Gloria datur cum parvitate infinitæ magnitudinis & largitatis, infinita largitas est idem cum parvitate; & hoc est impossibile: si verò gloria datur infinitè in magnitudine largitatis, est possibile, magnitudinem largitatis esse distinctam à parvitate; sed si infinita magnitudo gloriæ nihil esset, privaretur infinita magnitudo gloriæ in privatione infinitæ largitatis; cujus absentia est præsentia infinitæ avaritiæ, quæ contradicit supremæ infinitæ Gloriæ & infinitæ Largitati: unde cùm avaritia, indigentia & pœna habeant concordantiam cum parvitate, privatione & imperfectione, & gloria, esse, largitas & perfectio conveniant, de necessitate demonstratur per hoc, infinitam Gloriam esse in infinita Largitate.

10. Perfectio & esse conveniunt, imperfectio & privatio insimul concordant; & ideo principium ipsius esse difficiliùs convenit cum imperfectione largitatis, cui contradicitur ab avaritia, quæ convenit cum imperfectione, quàm principium ipsius esse cum perfectione largitatis, cui avaritia & perfectio non possunt contradicere: unde si suprema Largitas nihil esset, naturaliter sequeretur, quòd principium ipsius esse & avaritia & imperfectio facilè convenirent, & quòd principium ipsius esse, largitas & perfectio difficulter convenirent; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in suprema Perfectione sit suprema Largitas.

11. Justitia fortiùs contradicit avaritiæ in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo justitia & largitas habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate: sed quoniam suprema Justitia est, ùt jam probavimus, sequitur, quòd, si suprema Largitas nihil est, ipsa sit in contraria natura magnitudinis, justitiæ, largitatis; per quam contrarietatem injuria & largitas, avaritia & justitia in natura convenirent: & sic sequeretur, quòd justitia & largitas haberent majorem concordantiam in parvitate, quàm in magnitudine; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur suprema Largitas in suprema Justitia, in qua eam inquirimus.

12. Si est Simplicitas, quæ se totam dat infinitè & æternaliter sinè compositione, convenit, supremam Largitatem esse in illa simplicitate: unde si suprema Largitas infinitæ & æternæ simplicitatis nihil est, sequitur, quòd omnis simplicitas se det compositioni, & quòd omnis compositio sit per separationem rerum simplicium; & hoc est contradictio in concordantia perfectionis & imperfectionis, nobilitatis & vilitatis, magnitudinis & parvitatis; quæ contradictio est impossibilis: per cujus impossibilitatem demonstratur, supremam Largitatem esse in suprema Simplicitate.

13. Nobilitas & largitas inter se conveniunt, & vilitas & avaritia inter se concordant; & si infinita & æterna largitas nobilitatis in bonitate, potestate &c. nihil est, sequitur, quòd omnis nobilitas largitatis habeat principium & finem; quod principium, & qui finis contrariantur perfectioni nobilitatis in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quæ contradictio habet concordantiam cum imperfectione, vilitate & parvitate, quæ conveniunt cum privatione: per quas concordantias demonstratur id, quod convenit cum nobilitate, perfectione & magnitudine, quod est noster Dominus DEUS.

De suprema Simplicitate.

1. BOnitas, quæ est suamet Simplicitas in magnitudine essentiæ & naturæ, in qua est infinita & æterna simplicitas in potestate, sapientia &c., nihil est, si DEUS nihil est, & omnis simplicitas est in compositione boni-

tatis aut malitiæ, aut bonitatis & malitiæ insimul, & omnis magnitudo est parvitas simplicitatis & bonitatis; quæ magnitudo est major in compositione & malitia, quàm in simplicitate & bonitate, & suprema compositio est in suprema malitia; & si est, omnis simplicitas & omnis bonitas sunt inferiùs, & corruptio habet concordantiam cum perfectione & esse, generatio verò cum imperfectione & privatione, & ita natura destruit se ipsam; & quia hoc est impossibile, ideo de necessitate convenit, esse supremam Simplicitatem, ne sequantur supradicta inconvenientia, quæ conveniunt cum privatione.

2. Si Magnitudo Essentiæ & Naturæ, in qua est infinita & æterna bonitas, potestas, sapientia &c., deficit Essentiæ infinitæ & æternæ simplicitatis, bonitatis &c., sequitur de necessitate, quòd sit aliqua magnitudo contradicens supremæ Simplicitati subjecta essentiæ tantæ compositionis, quòd malitia & parvitas bonitatis & principium essentiæ & fragilitas potestatis &c. multiplicent compositionem in tanta magnitudine, quòd omnis simplicitas sit sub illa in parvitate bonitatis &c.; & hoc est impossibile, ne sit possibile, simplicitatem habere majorem nobilitatem & actum essendi & operandi in compositione & extra se, quàm intra se & in suamet essentia: ergò DEUS est, qui nihil esset, si prædicta magnitudo simplicitatis nihil esset.

3. Æternitas est composita ex multis simplicibus æternis, si DEUS nihil est, & ex illis simplicibus principiis æternis est mundus compositus, cujus qualitas est æternitas, *quæ qualitas est ita composita, sicut calor naturalis in corpore elementato, quæ est qualitas composita ex igne & aëre:* & si hoc ita est, sequitur, quòd compositio in concreto & in abstracto sit in majori magnitudine virtutis, perfectionis & nobilitatis, quàm simplicitas; & sequeretur, quòd simplicitas ignis esset major in parvitate virtutis & propinquior compositioni, si haberet in se calorem, quem dat aëri, aquæ & terræ; & hoc simili modo sequitur de potestate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., quæ potestas cujuslibet dignitatis esset in majori magnitudine, si esset distincta & composita in qualibet earum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, in æternitate esse supremam Simplicitatem.

4. Potestas & magnitudo habent contrariam naturam, si suprema Simplicitas esset in privatione; quia potestas bonitatis contradiceret potestati æternitatis, sapientiæ, & è converso &c.: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd magnitudo potestatis esset odibilis, & parvitas potestatis esset amabilis, & naturaliter esset odibilis simplex magnitudo potestatis, quæ est major, quàm magnitudo potestatis in compositione, & minor potestas composita esset amabilis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, potestatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c. habere concordantiam in Unitate supremæ Simplicitatis sinè compositione; quæ suprema Simplicitas de necessitate est: ergò DEUS est, qui est suprema Simplicitas potestatis; quæ potestas non esset in suprema Magnitudine simplicitatis, si quælibet dignitas haberet suam potestatem distinctam ab altera dignitate, ad evitandum compositionem in sua natura; quæ compositio esset propinqua cuilibet dignitati in minoritate suæ simplicitatis, & quælibet dignitas haberet concordantiam cum non esse propter separationem & alienationem, quas haberet cum altera dignitate in simplicitate, & tenderet ad esse cum compositione; & hoc est impossibile.

5. Sapientia, quæ scit supremam Simplicitatem infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., habet majorem simplicitatem in scire, quàm posset habere, si suprema Simplicitas nihil esset; per cujus simplicitatis privationem omnis sapientia esset naturaliter magìs remota à simplicitate & sua natura, & magìs propinqua compositioni & privationi suæ naturæ, & omnis sapientia naturaliter conveniret cum amore diligente compositionem sapientiæ & privationis; & hoc est impossibile, ut per hanc impossibilitatem simplicitas meliùs possit simplificare suam essentiam in magnitudine bonitatis, æternitatis, & ut sapientia sit magìs remota à compositione & ab ignorantia in sua essentia & natura, & ut sit magìs simplex cum magnitudine in essentia & natura.

6. Amori est magìs naturale diligere simplicitatem, quàm compositionem; & ideo amor est major diligendo simplicia, quàm composita: & si hoc non esset ita, amor esset major per minorem actum perfectionis in virtute, quàm per majorem; & hoc est impossibile: unde si amor odiret veritatem in

essentia & natura rerum simplicium, ipse haberet virtutem, justitiam & perfectionem contra majorem magnitudinem simplicitatis, nobilitatis, bonitatis, potestatis, gloriæ & æternitatis; & hoc est impossibile: ut sit possibile, quòd affirmatio & esse habeant majorem virtutem & perfectionem, quàm negatio & esse, & quòd compositio habeat majorem concordantiam cum negatione, quàm cum affirmatione, & quòd affirmatio meliùs conveniat cum simplicitate, quàm negatio: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, illud esse, in quo amor habeat majorem naturam per amabilitatem & affirmationem, quàm per odibilitatem & negationem; & ideo necessariò convenit, supremam Simplicitatem esse; quia si nihil esset, sequerentur omnia supradicta inconvenientia, quæ conveniunt cum privatione, eorum autem opposita haberent concordantiam cum esse & affirmatione.

7. Virtus, quæ est in Anima intellectiva, est in majori simplicitate, si DEUS nihil est, quàm aliqua alia virtus, & virtus animæ diversificatur per potentias & per actus distinctos, in quibus componitur virtus; in qua compositione ipsa ita est extra suam simplicitatem, sicut elementa simplicia sunt extra suam simplicitatem in compositione corporum elementatorum, quæ componuntur ex materia composita & ex particulari forma: unde cùm hoc ita sit, simplicitas animæ & simplicitas elementorum non habent magnitudinem nec nobilitatem ad essendum suprema Simplicitas, eò quia suprema Simplicitas conveniret cum compositione: sed quia convenit, aliquam simplicitatem esse in majori magnitudine virtutis & nobilitatis, quàm illam simplicitatem, ad hoc, ut major simplicitas sit magìs remota à compositione, quàm minor, ideo de necessitate convenit, illam gloriosam Simplicitatem, quam nos inquirimus, esse supremam super omnem aliam simplicitatem.

8. Si Veritas & simplicitas inter se contrariarentur, veritas & falsitas concordarent in compositione, & veritas esset magìs propinqua falsitati in magnitudine, quàm in parvitate; per quam propinquitatem veritas esset contra suammet simplicitatem, & haberet concordantiam & naturam cum compositione sui ipsius & falsitatis; & hoc est impossibile, ne sit possibile, finalem intentionem & simplicitatem veritatis esse compositionem veritatis & falsitatis; quæ compositio esset suprema super omnem simplicitatem veritatis, si DEUS nihil esset; per cujus esse ejus suprema Simplicitas est super omnem simplicitatem; sinè qua suprema & infinita Simplicitate in bonitate, magnitudine &c., si DEUS nihil esset, nec simplicitas veritatis hìc inter nos haberet, à quo reciperet influentiam, per quam ipsa esset in potestate, virtute & perfectione contra compositionem & falsitatem.

9. Gloria & simplicitas bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ &c. non contradicunt magnitudini infinitæ bonitatis, potestatis &c.; quia si eis contradicerent, convenirent & concordarent cum parvitate bonitatis, potestatis, sapientiæ &c.; per quam concordantiam gloria esset major in parvitate, quàm in magnitudine, & simplicitas esset in tantò majori magnitudine, quantò propinquior esset compositioni; & hoc est impossibile, ut sit possibile, gloriam esse in majori simplicitate intrinsecè intra suam naturam, quàm extra, & simplicitatem esse majorem habendo in se gloriam, quàm in compositione extra se ipsam: unde istorum oppositum sequeretur, si DEUS nihil esset: ergò demonstratum est, gloriam esse supremam Simplicitatem; sinè qua gloria DEUS nihil esset.

10. Omnis Perfectio simplicitatis se habet ad compositionem, si DEUS nihil est, & perfectius objectum simplicitatis est compositio, & è converso, & supremum Objectum esset in perfectione & imperfectione, & esset confusio causæ & effectûs, & simplicitas & perfectio essent inferiùs, & imperfectio & compositio essent superiùs; & hoc est impossibile, ut sit possibile, supremam Simplicitatem esse intrinsecè in perfectione, & non esse extrinsecè extra perfectionem & extra se ipsam; in qua extrinsecitate esset, si DEUS nihil esset, ergò DEUS est, qui nihil esset, si intrinsecè privaretur simplicitate perfectionis: ergò suprema Simplicitas est, à qua inferiùs ad nos descendit influentia, per quam perfectio & simplicitas, quæ sunt hìc inferiùs, habent majorem magnitudinem intrinsecè, quàm extrinsecè; in qua extrinsecitate non sunt tam remotæ à compositione & ab imperfectione, quàm in intrinsecitate; in qua intrinsecitate perfectio esset magìs remota à simplicitate, & è converso, quàm in extrinsecitate, si DEUS nihil esset.

11. Suprema Simplicitas non potest esse sinè Justitia, si suprema Simplicitas realiter aliquid est; quia si esset sinè justitia, sequeretur, quòd injuria haberet concordantiam cum magnitudine bonitatis, virtutis, perfectionis & nobilitatis, & quòd justitia conveniret cum malitia, vitio, imperfectione & vilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd mundus non possit esse suprema Simplicitas; cùm mundus in se contineat majorem compositionem suarum diversarum & contrariarum partium, quàm aliqua ipsarum partium; per quam majorem compositionem mundus est magis remotus à magnitudine simplicitatis, quàm quælibet suarum partium per se: unde cùm hoc ita sit, secundùm magnitudinem justitiæ est impossibile, quòd mundus sit suprema Simplicitas, & quòd aliqua suarum partium possit esse suprema in simplicitate; cùm conveniat cum majori compositione, quæ est magis remota à suprema Simplicitate: sed quia justitia non consentit, quòd mundus & suæ partes sint suprema Simplicitas, eò quòd conveniant cum compositione, ideo convenit, aliquod ens esse supremam Simplicitatem, quod nec sit mundus nec partes illius; quia si non esset supradictum ens, injuria, quæ est in magnitudine compositionis, esset superior, quàm justitia, quæ est in magnitudine simplicitatis, & esse haberet concordantiam cum injuria & compositione contra justitiam & simplicitatem; & hoc est impossibile.

12. Si Largitas se largitur sinè compositione in infinita magnitudine simplicitatis, bonitatis, æternitatis &c., est impossibile, quòd avaritia & compositio possint contradicere, Largitatem & Simplicitatem esse supremam; & si omnis largitas largitur compositionem, convenit, quòd omnis largitas habeat concordantiam cum essentia & natura compositionis; per quam compositionem largitas ascendit sursum, & compositio & simplicitas per eandem descendunt deorsum: & sic largitas & simplicitas inter se contrariantur in magnitudine, & avaritia & compositio in parvitate, & largitas est major in nobilitate per minus donum, quàm per majus; & hoc est impossibile, ut sit possibile, quòd largitas se det simplicitati in infinita magnitudine bonitatis &c.; quod donum largitas non posset largiri, si suprema Simplicitas nihil esset: ergò DEUS est.

13. Nulla Nobilitas sufficit simplicitati, & è converso, si DEUS nihil est, & omne ens est magis subjectum vilitati, quàm nobilitati, & magis compositioni, quàm simplicitati; & hoc per se patet: & omne ens magis convenit cum privatione, quàm cum esse, propter vilitatem & compositionem, quæ conveniunt cum privatione, & omne ens magis convenit cum esse, quàm cum privatione per æternitatem, quæ convenit cum esse; extra naturam cujus æternitatis est omne ens, si DEUS nihil est; sed quia ex privatione DEI sequeretur hæc dicta contradictio, quæ convenit cum privatione & cum impossibilitate, ergò DEUS est, in cujus Essentia est omnis nobilitas & omnis perfectio in simplicitate, & omnis simplicitas & perfectio in nobilitate.

De suprema Nobilitate.

1. BOnitas per causam & effectum est distincta in superiorem & inferiorem, concordante causâ cum magnitudine nobilitatis, & conveniente effectu cum parvitate: unde si suprema Nobilitas, quam inquirimus, nihil est, sequitur, quòd omnis causa sit propter effectum, & quòd omnis effectus sit in numero extra æternitatem & nobilitatem, & æternitas & ejus individua sint in magnitudine & in parvitate: unde sequitur, quòd sint in suprema Nobilitate & vilitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit aliquod Ens supremum in nobilitate, in qua non sit contradictio nec vilitas bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & hæc est suprema Nobilitas, quam inquirimus.

2. Nisi infinita Magnitudo esset in nobilitate, sola suprema Nobilitas esset in æternitate; in qua æternitate esset nobilitas cum parvitate magnitudinis terminatæ & finitæ, & nobilitas haberet quantitatem in magnitudine extensivè, & infinitatem æternaliter in duratione; in qua infinitate esset nobilitas in majori vilitate propter quantitatem limitatam, quàm nobilitas, quæ est extra æternitatem; cùm secundùm justitiam & virtutem, quantò fortiùs vilitas multiplicatur in majori magnitudine nobilitatis, tantò magis conveniat nobilitas cum parvitate & imperfectione bonitatis, potestatis; sed quia est impossibile, nobilitatem esse inferiorem in uno ente tantùm, in quo esset suprema vilitas, si infinita magnitudo deficeret infinitæ nobilitati, ideo demonstratur,

tur, esse infinitam magnitudinem; quæ non posset esse, si esset extra infinitam nobilitatem: ergò suprema Nobilitas est.

3. In Æternitate est major nobilitas bonitatis, magnitudinis, potestatis &c., quàm extra æternitatem; unde demonstratur de necessitate, esse supremam Nobilitatem; quia si non esset, sequeretur, quòd æternitas haberet contrarietatem cum magnitudine potestatis, bonitatis &c., & concordantiam cum parvitate earundem: per quam contrarietatem & per quam concordantiam sequeretur, quòd æternitas haberet concordantiam cum vilitate, & quòd contrariaretur nobilitati; & hoc est impossibile, 6. ne æternitas destruat se ipsam, & ne contrarietur suæmet essentiæ & naturæ, quæ secundùm justitiam convenit cum nobilitate: ergò suprema Nobilitas est, sinè qua æternitas haberet concordantiam cum suprema vilitate.

4. Potestas habet majorem magnitudinem nobilitatis intra essentiam & naturam sui & nobilitatis, quàm extra se ipsam & extra nobilitatem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & potestas est nobilior, si potest dare & dat in se ipsa nobilitatem sui ipsius simili sibi ipsi in nobilitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: unde si hæc nobilitas potestatis est, etiam convenit, eam esse supremam super omnem nobilitatem; si verò nihil est, sequitur, in omni potestate esse majorem vilitatem, quàm nobilitatem: quia si DEUS nihil est, est impossibile, in aliqua potestate esse omnem nobilitatem potestatis, bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., nec ulla potestas per se simpliciter est in tanta magnitudine, in quanta est privatio nobilitatis, quæ privatur in se ipsa, eò quia habet imperfectionem & parvitatem nobilitatis & suæ essentiæ & naturæ: & si hoc ita est, sequitur, esse majorem magnitudinem fragilitatis & vilitatis, quàm potestatis & nobilitatis; & hoc est impossibile: cùm fragilitas & vilitas conveniant cum privatione & cum imperfectione, ne sint desiderabiles, & ut potestas, nobilitas & perfectio sint amabiles, & habeant majorem concordantiam cum esse in magnitudine, quàm in parvitate.

5. Convenit, quòd Sapientia, quæ scit, in se esse nobilitatem sui ipsius & infinitæ bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., sciat, supremam Nobilitatem esse in se ipsa & in infinita sapientia, & è converso: unde si hæc suprema Nobilitas nihil esset, quæ aliquid esset, si sapientia haberet supremam & infinitam Nobilitatem in se ipsa & bonitate &c., privaretur suprema Nobilitas in imperfectione sapientiæ; quæ sapientia haberet majorem concordantiam cum vilitate, quæ convenit cum privatione, si DEUS nihil est, quàm cũ nobilitate, quæ convenit cum esse, & ignorantia & esse haberent majorem concordantiam, quàm sapientia & esse; & hoc est impossibile: cùm sapientia conveniat cum esse, & ignorantia cum privatione, quæ suprema Sapientia scit, se esse supremam Nobilitatem.

Amor habet majorem nobilitatem diligendo nobilitatem, quàm odiendo vilitatem: unde si DEUS nihil est, est plus vilitatis, quàm nobilitatis, & justitia per naturam & virtutem facit injuriam, & amor habet minorem nobilitatem diligendo, quàm odiendo: quia si universale ens magis subjectum est vilitati, quàm nobilitati, sequitur, quòd amor debeat habere majorem nobilitatem fortiùs odiendo vilitatem, quàm diligendo nobilitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd amor habeat majorem nobilitatem diligendo, quàm odiendo, & quòd amet esse idem cum nobilitate, ipso existente in nobilitate bonitatis, magnitudinis &c., & è converso: quia si amor non diligeret, sed odiret supradicta, ipse haberet majorem nobilitatem odiendo, quàm diligendo, & parvitas nobilitatis naturaliter esset magis amabilis, quàm magnitudo vilitatis odibilis; & hoc est impossibile, ad hoc, ut magnitudo sit magis objecta amabilitati, quàm parvitas, & ut magnitudo vilitatis sit magis odibilis, quàm parvitas vilitatis.

7. Cum Virtute bonitatis & infinitæ magnitudinis conveniret suprema vilitas, si suprema Nobilitas nihil esset, nec vilitas naturaliter esset major in magis nobilibus personis, in quibus esset injuria, falsitas, avaritia & imperfectio bonitatis, justitiæ, sapientiæ & amoris, quàm in minùs nobilibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, supremam Nobilitatem esse, sinè qua vitia haberent majorem magnitudinem in minùs nobilibus personis, quàm in magis nobilibus, quæ sunt in vitiis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd nobilitas possit esse in majori magnitudine, quàm vilitas; in qua magnitudine ipsa non

posset esse sinè essentia & natura, in quibus sit infinitas bonitatis, magnitudinis &c.; in qua infinitate necessariò convenit esse supremam Nobilitatem.

8. Vera nobilitas est illa, quæ est in se ipsa & de se ipsa in Veritate infinitè; & si hæc nobilitas nihil est, tunc est in privatione per imperfectionem veritatis & nobilitatis; quæ imperfectio est in essentia, in qua est vilitas & falsitas per ipsarum imperfectionem: & sicut in corpore elementato nullum elementum potest esse sinè altero elemento, ita nulla veritas posset esse sinè falsitate, nec ulla nobilitas sinè vilitate in magnitudine & æternitate; & hoc est veritas nobilitatis, & est falsitas veritatis, & est vilitas potestatis, æternitatis, magnitudinis, virtutis, simplicitatis, justitiæ, sapientiæ & amoris, si DEUS nihil est; quæ veritas multiplicaretur in tanta magnitudine bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., quòd esset suprema super nobilitatem bonitatis &c., si DEUS nihil esset: per quam supremitatem vilitas & falsitas essent appetibiles in bonitate & magnitudine &c., & nobilitas & veritas &c. essent odibiles; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit suprema Nobilitas in virtute bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.

9. Gloria æterna non haberet nobilitatem, quæ illi conveniret secundùm justitiam, virtutem, bonitatem, magnitudinem, potestatem, amorem & sapientiam, si DEUS nihil esset, & omne motum esset naturaliter ex motu firmamenti, quod firmamentum per se esset movens; si verò non esset ex firmamento, & esset ex immobili, magnitudo virtutis esset major in rebus dissimilibus, quàm similibus, & perfectio posset esse ex imperfectione, & gloria ex pœna; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd nobilitas sit in majori magnitudine, quàm vilitas; in qua magnitudine vilitas & pœna essent majores, quàm nobilitas & gloria, si æterna gloria non haberet nobilitatem, quæ illi convenit in se ipsa & in bonitate, magnitudine, potestate &c.; & firmamentum haberet motum ex se ipso, ut daret motum; & sic haberet in se majorem vilitatem & nobilitatem, quàm aliud movens & quàm aliud motum: & quia hoc est inconveniens, ideo demonstratur, quòd sit suprema Nobilitas.

10. Perfectio, quæ est ex perfectione, est magìs remota in natura & essentia ab imperfectione, quàm perfectio, quæ non est producta ex ente, quod simpliciter est perfectio in essentia & natura: unde, si illud ens, quod potest esse magìs remotum ab imperfectione, est aliquid, convenit, in illo esse supremam Nobilitatem; si verò nihil est, de necessitate convenit, supremam Nobilitatem esse in privatione per concordantiam perfectionis & imperfectionis, in qua concordantia esset suprema vilitas, si DEUS nihil esset; & imperfectio, quæ convenit cum vilitate, esset super perfectionem; & amor haberet majorem virtutem in veritate, odiendo, perfectionem esse super imperfectionem, & diligendo, majorem magnitudinem & nobilitatem esse in imperfectione, quàm in perfectione; & quia hoc est impossibile & contradictio, ergò est suprema Perfectio, in qua est suprema Nobilitas.

11. Justitia secundùm essentiam & naturam justificat, in homine esse majorem nobilitatem, quàm in aliqua alia specie corporali; & ideo corpora cœlestia & quatuor elementa, plantæ, metalla & animalia irrationalia sunt homini subjecta, & illi serviunt, & habent naturalem proportionem ad serviendum illi; sed cùm homo devenerit in servitutem, & sit subjectus injuriæ propter peccatum, ideo justitia judicat eum, ut sit vilior, quàm aliæ supradictæ species: unde cùm hoc ita sit, si DEUS nihil est, convenit, hominem esse subjectum, in quo possit esse suprema nobilitas & vilitas, & eadem natura est id, per quod nobilitas & vilitas inter se possunt esse magìs propinquæ in natura; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, hominem esse sub aliquo ente in nobilitate, in qua ipsum ens sit suprema Nobilitas, cum qua nec vilitas nec injuria possunt participare.

12. Largitas & nobilitas conveniunt, & avaritia & vilitas: unde si suprema Nobilitas nihil est, convenit, quòd illa natura, ex qua dependet largitas, participet cum natura, ex qua dependet avaritia; etiam convenit, esse aliud ens, ex quo dependeret avaritia contradicens, supremam Nobilitatem dari à largitate; & tamen quodlibet illorum entium est impossibile: nam si essent possibilia, sequeretur, quòd avaritia non haberet inclinationem ad privationem, & omne vitium haberet esse, & essent essentia & natura, ex quibus dependeret vitium; justitia verò & avaritia non haberent, in quo sibi mutuò contradicerent, nec largitas nec justitia haberent, in quo convenirent, & supremum & inferius essent in confusione per privationem distinctionis concordantiæ & contrarietatis; & quia hoc est impossibile, igitur de necessitate est suprema Nobilitas.

13. Simplicitas habet majorem magnitudinem in re secundùm rem, quàm in significatione verborum, & majorem, quàm sit in humano intellectu capiente illam pro objecto: unde si suprema Nobilitas nihil est, est possibile, in sermone esse majorem significationem nobilitatis, quàm in intellectu, & in intellectu, quàm in re, & simplicitas & nobilitas se habent in majori magnitudine in exterioritate naturæ & essentiæ, quàm in interioritate; & hoc est impossibile & contradictio, & est contrarium magnitudini bonitatis, æternitatis &c., ad hoc, ut simplicitas & nobilitas meliùs conveniant in essentia & natura intrinsecè, quàm extrinsecè, & meliùs in re, quàm in sermone, & quàm in intellectu; quæ convenientia nihil esset, si suprema Simplicitas nihil esset, in qua esset suprema Nobilitas, quæ est noster Dominus DEUS.

Explicit prima Pars primæ Distinctionis, in qua probavimus supradictas quatuordecim Dignitates; per quarum quamlibet probationem DEUS est demonstrabilis.

SECUNDA PARS

De Realitate & supremis Dignitatibus.

HÆc Pars dividitur in *quatuordecim Partes*, videlicet in supradictas quatuordecim Dignitates, per quas hanc præsentem Partem intendimus probare, quæ est probabilis per ipsas Dignitates, ût in sequentibus apparebit: hanc Partem necesse est probare, eò quòd humanus intellectus imbecillis & vacillans accipit aliqua objecta in abstracto, quæ realiter non sunt: unde de Bonitate primò dicemus.

De Bonitate & Realitate.

1. SI Bonitas in DEO non est realiter, sed nos illam ipsi attribuimus propter bona, quæ operatur extra suam essentiam & naturam, sequuntur multa inconvenientia; videlicet, si in Essentia divina bonitas non est realiter, sequitur, DEUM esse bonum, eò quòd nullum malum est in ejus Essentia, & nullum malum operatur; si autem DEUS per hunc modum tantùm est bonus, sequitur, eum esse bonum per privationem mali tantùm, & non est bonus, ut in se habeat bonitatem, per quam sequatur bonum in suamet Essentia & Natura æternaliter & infinitè; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd magnitudo amoris, sapientiæ, virtutis, gloriæ & nobilitatis habeat perfectionem, quæ illi convenit; sinè qua perfectione justitia non sufficeret simplicitati & largitati, nec potestas haberet magnitudinem, quæ illi convenit, nisi DEUS realiter haberet bonitatem; sinè qua non posset esse bonum illud intelligere, quod DEUS habet in intelligendo & diligendo semet ipsum &c.; quod bonum, si in illo non esset, esset in illo privatio boni per totam magnitudinem æternitatis, potestatis &c., quæ idem sunt cum sapientia & amore: per quam privationem in DEO realiter esset malitia per omnes suas dignitates; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, in DEO realiter esse Bonitatem.

De Magnitudine & Realitate.

2. NUlla res potest esse major, quàm infinita Essentia & Natura, nec infinita Essentia & infinita Natura possunt esse majores sinè magnitudine, quàm finita essentia & natura; sed quia DEUS est infinitus per Essentiam & Naturam, ideo convenit, in ipso realiter esse magnitudinem, per quam superet omnem finitam magnitudinem; & convenit, illam infinitam magnitudinem esse ita magnam, quòd sit intra & extra firmamentum æternaliter & infinitè in se omnia comprehendens, ne sit comprehensa ab aliquibus rebus: unde si hoc non ita esset, ipsa esset extra Essentiam & Naturam divinam, & ipsa injuriosè cum imperfectione, limitatione, vilitate, vitio & falsitate esset DEUS; & hoc est impossibile, ne sit possibile, hæc jam dicta vitia in DEO realiter esse: ergò in DEO realiter est magnitudo. Sicut firmamento convenit magnus motus, & soli magna illuminatio, & igni magna calefactio, & homini magna ratiocinatio, ita & multò meliùs sinè omni comparatione convenit DEO per bonita-

nitatem bonificare, per magnitudinem magnificare, per æternitatem æternificare; & sic de cæteris: unde si supradictæ Dignitates non essent in DEO realiter, disconvenirent in illo bonificare, magnificare, æternificare &c., nec haberent aliquam dignitatem, per quam ipsæ essent DEUS, ita, sicut homo, qui sinè ratione & sinè corpore & anima non haberet ea, per quæ posset esse homo; & quia DEUS justè est supremus DEUS in nobilitate, virtute &c. super omne ens, ideo sua magnitudo de necessitate realiter est in illo. Tanta virtus est bonificare, magnificare, æternificare &c., quòd homo, qui est ens creatum & finitum, eò quia agit bonum propter discretionem & propter amare & intelligere, sit in majori magnitudine nobilitatis, virtutis, perfectionis, potestatis & justitiæ, quàm sit omnis magnitudo virtutis & omnis nobilitas, quæ est in sole, in stellis, & in omnibus corporibus cœlestibus, & quæ est in omnibus elementis, metallis & plantis; nec in omnibus animalibus irrationalibus est tanta realitas magnitudinis in nobilitate, quanta est in solo homine: unde cùm homo propter realitatem magnitudinis sit in tam alto gradu, quantò magis ergò propter infinitam realitatem magnitudinis extensivè, & propter magnitudinem bonitatis &c., convenit, DEUM esse supremum super omnes creaturas, quas creavit.

De Æternitate & Realitate.

3. SI in DEO Æternitas non est ens reale, sequitur, DEUM non esse æternum, seu sequitur, æternitatem nihil esse; & hoc est impossibile: quia jam in multis locis probavimus, æternitatem esse: unde quia DEUS non posset habere divinam Essentiam & Naturam sinè æternitate, ideo convenit, æternitatem in illo esse realiter; nam multùm injustum esset, æternitatem DEO convenire per attributionem nostri intellectûs tantùm, & illam non convenire ipsi per semet ipsam, nec per Naturam divinam, in qua est omnis perfectio; in quo intellectu creato deficit perfectio, nobilitas & infinitas veritatis & virtutis. Humanus intellectus assignat differentiam secundùm rationem inter infinitatem & æternitatem bonitatis, potestatis, sapientiæ & amoris cum misericordia, humilitate, dominio, sapientia & pietate; & hæc differentia est secundùm veritatem, eò quòd creaturæ habent principia, sinè quibus creaturis usus misericordiæ, humilitatis &c. non posset esse: sed cùm hæc differentia sit realiter in istis Dignitatibus, ideo necessariò convenit, in DEO realiter esse bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c.; sinè quarum realitate non posset esse differentia in Dignitatibus per intellectum hominum tantùm.

De Potestate & Realitate.

4. SI divina Potestas non esset realiter ens, quod est DEUS, ipsa esset in DEO accidentaliter per Creatorem seu per alterum DEUM, qui esset supremus; & hoc est impossibile & contra magnitudinem, æternitatem, virtutem, veritatem, gloriam, perfectionem & justitiam: quia per magnitudinem potestatis magnitudo potest esse magna & infinita, & æternitas potest esse æterna sinè principio & sinè fine, & virtus potest virtuificare, & veritas verificare, & gloria glorificare, & perfectio perficere seu perfectionare, & justitia justificare &c.: & si in DEO non esset realiter potestas, potestas esset causa, & DEUS esset effectus illius causæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO realiter sit potestas. Nisi suprema Potestas esset in DEO realiter, ipse posset creare aliquid de nihilo sinè potestate; & si posset aliquid creare de nihilo, posset creare sinè intelligere & amare; & hoc est impossibile, ad hoc, ut omnia creata sint creaturæ, & ne devenerint per se casu fortuito in suum esse sinè causa: in quod esse sic devenissent, nisi in DEO realiter esset potestas, aut si DEUS crearet per alteram potestatem, aut in nihilo esset potens sinè potestate; & hoc est impossibile: ergò in DEO est potestas realiter.

De Sapientia & Realitate.

5. HOmo est creatus ad cognoscendum & diligendum DEUM; unde si Sapientia non est in DEO realiter, bonitas, magnitudo &c. in illo non essent realiter; & si in illo non sunt realiter, est impossibile, hominem posse cognoscere & diligere DEUM, & homo est creatus contra divinam potestatem, & non sequitur finis, quare est creatus, & injuria, ignorantia, imperfectio, vitium &c. realiter sunt in DEO; & hoc est impossibile: ergò de necessitate convenit, sapientiam &c. realiter esse in DEO. Manifestè certi sumus per experientiam,

tiam, in hoc mundo esse naturalem ordinationem secundùm potestates animæ & elementorum & corporum cœlestium, & omne, quod est, tendit ad finem secundùm cursum naturalem: unde si in DEO sapientia realiter nihil est, sequitur, quòd omnis prædicta ordinatio sit per naturam, aut per aliud ens, quod non sit DEUS; quia DEUS non posset esse causa hujus ordinationis, si ipse realiter privaretur sapientiâ: ergò &c. De necessitate sequitur, DEUM esse magis intelligibilem per suam Essentiam & realitatem, quàm per suum effectum; & hoc idem sequitur de sua amabilitate: sed si sapientia in DEO nihil esset realiter, ipse esset magis intelligibilis & magis amabilis per suum effectum, quàm per se ipsum; & hoc est impossibile & contra justitiam, nobilitatem &c.: ergò necessariò convenit, in DEO realiter esse Sapientiam.

De Amore & Realitate.

6. DEUS non diligeret se ipsum sinè reali Amore, qui sit DEUS, nec in se diligeret bonitatem, nec infinitam magnitudinem, nec æternitatem, nec sinè amore dilexisset creasse mundum, nec diligeret in homine bonitatem nec magnitudinem fidei, spei, charitatis &c., nec sinè amore odiret vitia & peccata, nec remuneraret justos, nec puniret injustos; & sic DEUS esset supremus per improprietates & inconvenientia cum Essentia & Natura divina; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, in DEO realiter esse amorem. Si in DEO realiter non est amor, convenit, quòd DEUS accidentaliter diligat; & si illius amor est accidentalis, convenit, quòd divina Essentia concordet cum magnitudine, æternitate & infinitate, & quòd divinus Amor conveniat cum minoritate, quantitate & principio: ergò in DEO realiter est magnitudo Essentiæ &c., & in ejus Essentia est minoritas nobilitatis, virtutis & perfectionis, si diligeret accidentaliter; & hoc est impossibile & contradictio: per quam impossibilitatem demonstratur, in DEO realiter esse Amorem.

De Virtute & Realitate.

7. SI DEUS non est Virtus, in qua potest esse imperfectio, est DEO nobilitas, non esse illam virtutem; si autem hæc nobilitas non est DEUS, nobilitas cum imperfectione est realiter in DEO: & si DEUS habet virtutem, eò quòd non sit corpus nec aliquid habens concordantiam cum minoritate virtutis, convenit, quòd habeat virtutem, quæ conveniat cum magnitudine; sinè qua virtute ipse esset corpus, aut esset aliquid habens dependentiam ad minoritatem virtutis: & per hoc demonstratur, illam magnitudinem virtutis realiter esse in DEO: sed si DEUS non est virtus, nec habet ullo modo virtutem, ergò nullam habebit similitudinem nec dissimilitudinem creaturæ; & sic nihil est: sed cùm omne, quod non habet similitudinem nec dissimilitudinem, sit privatio & nihil, & cùm nos probaverimus, esse bonitatem, magnitudinem &c., ideo de necessitate convenit, virtutem realiter esse in DEO; quamvis virtus sit major & excellentior, quàm possimus considerare, nihilominùs sequitur, quòd ipsa habeat majorem realitatem, & sit in tanta realitate, quòd humanus intellectus non habeat potestatem illam comprehendendi.

De Veritate & Realitate.

8. VEritas & falsitas inter se contrariantur; & nisi DEUS realiter esset, veritas non tantùm contrariaretur falsitati, quantùm contrariaretur, si veritas realiter esset in illo: sed quia justitia & magnitudo conveniunt cum veritate, injuria verò & parvitas cum falsitate, ideo convenit, in DEO esse realiter omne id, per quod fortiùs contradicitur falsitati: ergò justitia & magnitudo realiter sunt in DEO; quæ justitia & magnitudo non possent esse in illo sinè veritate, quæ realiter sit in DEO; quia sinè realitate justitia & magnitudo essent in DEO cum minoritate; & hoc est impossibile: ergò veritas est realiter in DEO. Si veritas non esset realiter in DEO, esset impossibile, quòd nos possemus habere cognitionem prædestinationis & liberi arbitrii, de quibus non habemus tantam cognitionem, sicut sunt in realitate: quia dum affirmamus, prædestinationem esse (quam affirmationem facimus secundùm sapientiam & perfectionem DEI) tunc veritas est in affirmatione, & falsitas in nostro intellectu, si per prædestinationem negamus liberum arbitrium salvationis aut damnationis: si verò affirmamus, liberum arbitrium esse (quam affirmationem facimus secundùm justitiam & perfectionem DEI) tunc est veritas in nostro intellectu; & si per hanc affirmationem negamus, prædestinatio-

nem esse, tunc est abscondita falsitas in hac negatione: & hoc est necessarium, eò quòd sapientia & perfectio & justitia DEI habent majorem realitatem, quàm sit affirmatio & negatio, quæ in nostro intellectu sunt in contrarietate per falsitatem & veritatem: unde nisi veritas realiter esset in DEO, esset impossibile, quòd veritas & falsitas possent esse in nostro intellectu affirmando & negando, prædestinationem & liberum arbitrium esse; & hoc est impossibile: ergò realiter est Veritas in DEO.

De Gloria & Realitate.

9. SI DEUS habet Gloriam, & non est gloria, ejus gloria est pars naturæ illius, aut est actus illius; & licèt hæc gloria sit pars aut actus, tamen convenit cum minoritate, quæ minoritas realiter est in DEO contra magnitudinem gloriæ, & DEUS habet realiter pœnam & parvitatem gloriæ; & hoc est contradictio: ergò de necessitate convenit, gloriam realiter esse in DEO, sic, ut ipsemet sit suamet gloria; quia nisi sic esset, sequerentur supradicta inconvenientia: unde si in DEO non esset realitas bonitatis, magnitudinis &c., ipse in se careret essentiâ & naturâ, de quibus habeat gloriam; quia si dat gloriam, est major bonitas & magnitudo in dono, quod dat, & in illo, qui recipit illud, quàm in sua essentia & natura: & si DEUS non est gloria, nec potest ipsam dare, DEUS non est sua Essentia & Natura per perfectionē gloriæ; & hoc est impossibile.

De Perfectione & Realitate.

10. MAnifestum est, quòd in omni eo, quod est, sit imperfectio, si DEUS non est Perfectio; quia in omni eo, quod DEUS non est, est, vel potest esse imperfectio; quæ potentia est imperfectio: & ita, si in omni eo, quod est, est imperfectio, esse convenit cum imperfectione, & perfectio habet concordantiam cum privatione; & hoc est impossibile: ergò DEUS realiter est suprema Perfectio. Si DEUS non est perfectio, nemo est in via salvationis, aut salvatio est imperfectio; quod est impossibile: si verò DEUS habet perfectionem, & ipse non est perfectio, sua perfectio est major, quàm sua Essentia; & sic est DEUS per perfectionem, & non DEUS per Essentiam; & hoc est impossibile: & si DEUS non est perfectio, nec habet perfectionem, non ens est DEUS; in quo non ente non habetur perfectio nec imperfectio, & omne id, quod est, est in perfectione; & hoc est impossibile: unde de necessitate convenit, in DEO realiter esse Perfectionem.

De Justitia & Realitate.

11. SI in DEO non esset Justitia, in illo non essent bonitas, magnitudo &c.; quia si in illo essent, ipse bonificaret & magnificaret &c. sinè justitia contra bonitatem, magnitudinem &c., & non esset bonitas, magnitudo &c.: unde cùm in supradictis probaverimus, DEUM esse bonitatem, magnitudinem &c., ideo convenit, DEUM realiter esse justitiam: sed si DEUS non est justitia, & ipse habet justitiam, est injuria, DEUM esse, aut justitia convertitur in vitium, & injuria in virtutem; & hoc est impossibile: ergò in DEO realiter est justitia. In DEO non est justitia ad justificandum in se injustum; quia illud injustum in æternitate præcederet justitiam; quod est impossibile: si verò justitia non est realiter in DEO, quia in se non justificat injustum, tunc injuria est causa justitiæ; & hoc est impossibile: & si justitia non est in DEO, est impossibile, esse Resurrectionem, gloriam, pœnam & aliam vitam, sed solùm hanc præsentem vitam, in qua sumus: & si hoc ita est, tunc omne id, quod est, est frustra & injuriosè; & sic justitia, minoritas & privatio conveniunt, & injuria, majoritas & esse insimul concordant; & hoc est impossibile: ergò de necessitate convenit, Justitiam realiter esse in DEO.

De Largitate & Realitate.

12. SI Largitas in DEO non est realiter per Essentiam & Naturam, est impossibile, quòd illud Ens, quod creavit omne, quod est, & conservat illud in esse, ût probabimus inferiùs in hoc Libro, sit gratis Largitor, sed potiùs per indigentiam, & non tantùm per puram largitatem; & hoc est impossibile, ad hoc, ut non ens nullam habeat virtutem, quæ sit non ens; quod non ens haberet aliquam entitatem & virtutem, quæ esset nihil, si DEUS per indigentiam creasset creaturas; & hoc est impossibile: ergò de necessitate convenit, in DEO realiter esse puram largitatem. Si DEUS non est ipsa largitas, ipse nullum donum potest dare æquale sibi ipsi, & largitas in ipso est aliqua naturalis pars nobilitatis, sicut in homine nobilitas est aliqua pars vitæ; sed quia DEUS

DEUS est indivisibilis, & non est ex partibus, ideo de necessitate convenit, quòd sua largitas sit sua realitas, & è converso: ergò Largitas realiter est in DEO.

De Simplicitate & Realitate.

13. SI DEUS non esset pura realis Simplicitas, esset impossibile, quòd Dignitates essent unus DEUS, quas probavimus, esse unum DEUM tantùm; & si in DEO non esset simplicitas, esset possibile, quòd in ipso bonitas &c. esset relativè per causam & effectum; & sic bonitas, magnitudo &c. DEI essent compositæ ex ejus Essentia & effectu; & hoc est falsum & impossibile: & si DEUS non est realiter simplex, nec habet simplicitatem, convenit, simplicitatem in ipso esse privatam per aliquam imperfectionem, quæ esset in ipso aut in suprema Simplicitate; & hoc est impossibile, ne sit possibile, in DEO esse imperfectionem, & ne compositio habeat excellentiam super divinam simplicitatem: unde de necessitate convenit, quòd in DEO realiter sit simplicitas, ne sequantur supradicta inconvenientia, quæ realiter in DEO essent contra ipsius Dignitates; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, in DEO realiter esse Simplicitatem.

De Nobilitate & Realitate.

14. DEUS est, & illi convenit omnis Nobilitas, & ipsi disconvenit omnis vilitas; & ideo sequitur, in DEO esse omnem nobilitatem, quæ nullam habeat concordantiam cum aliqua vilitate: & nisi in DEO realiter sit omnis nobilitas, habet in se vilitatem & imperfectionem bonitatis &c., in quantum ipsi deficit nobilitas, quæ ipsi convenit: & quoniam vilitas nullam habet dignitatem nec bonitatem, ideo est impossibile, quòd ipsa possit esse in DEO: unde de necessitate convenit, quòd nobilitas realiter sit in DEO; quæ nobilitas convenit cum bonitate, magnitudine &c. Manifestum est, quòd, dum humanus intellectus DEO attribuit omnem nobilitatem, intellectus sit multùm nobilis in tali consideratione; si autem nobilitas realiter non esset in DEO, sequeretur, quòd intellectus esset nobilis considerando falsitatem, & sequeretur, quòd falsitas & nobilitas convenirent, & veritas & vilitas; & hoc est impossibile. Humanus intellectus diversimodè accipit DEUM pro objecto, quem non posset accipere pro objecto, nisi realiter esset nobilis in bonitate & bonificare, in magnitudine & magnificare &c., & quia in DEO esset maxima vilitas, si ipse esset, & non cognosceretur, idcirco convenit, quòd ipsi sit nobilitas, ipsum esse cognitum; cujus cognitio esset vilitas, si DEO disconveniret nobilitas, & sequeretur, quòd omnis homo haberet naturam & voluntatem diligendi ignorantiam, & odiendi cognitionem sui ipsius; & hoc est impossibile: quia per influentiam DEI creaturæ sunt ordinatæ ad dandam cognitionem DEI & sui.

Explicit secunda Pars, in qua probavimus, Dignitates realiter esse in DEO; & hoc idem est intelligendum de earum actibus, sinè quibus Dignitates non possunt esse in DEO, nec DEUS posset esse.

TERTIA PARS.

In qua probamus, esse unum DEUM tantùm.

HÆc tertia Pars dividitur in *quatuordecim Partes*, quæ sunt quatuordecim Dignitates, per quas probabimus, esse unum DEUM; quia si essent multi Dii, sequeretur imperfectio in Dignitatibus; quæ imperfectio est impossibilis: per quam impossibilitatem probamus Unitatem DEI, in qua convenit, omnes Dignitates esse eandem Essentiam & Naturam: unde nos secundùm ordinem primò volumus tractare de Bonitate, & sic de cæteris Dignitatibus.

De Bonitate & Unitate.

1. SUprema Bonitas est, ût probavimus in præcedentibus; & hæc suprema Bonitas non esset infinita in magnitudine, si deficeret esse una eadem Essentia cum magnitudine, æternitate, potestate &c., & è converso: ergò sic convenit, dignitates insimul esse unam Essentiam, unam Naturam, unum DEUM tantùm in Unitate, ut quælibet dignitas habeat bonitatem, quæ illi convenit, & ut bonitas habeat magnitudinem, æternitatem &c., secundùm quòd illi conveniunt; quia si multarum essentiarum una esset bonitas, altera magnitudo, & sic de aliis, sequeretur, quòd bonitas supremæ Magnitudinis non esset suprema, aut quòd bonitas non esset in suprema Magnitudine: unde sequeretur, quòd suprema Bonitas in se non haberet magnitudinem,

aut quòd Magnitudo non esset suprema; & hoc idem sequeretur de aliis dignitatibus: & ideo de necessitate convenit, ipsas dignitates esse insimul unum DEUM tantùm, ut nulla harum dignitatum sit suprema & inferior, sicut de bonitate exemplificavimus, quæ per semet ipsam esset suprema, sed privatâ suprêmâ Magnitudine, Æternitate &c. esset inferior, si aliqua dignitatum esset per se Essentia distincta ab aliis dignitatibus: & sic essent multi Dii. Si suprema Bonitas esset unus DEUS, & suprema Magnitudo esset alius, & suprema Æternitas esset alius DEUS, & sic de omnibus aliis dignitatibus, sequeretur, quòd essent multi Dii distincti in Essentia & in Entitate, qui haberent unam supremam Naturam distinctam & compositam per diversas essentias & naturas; & sic suprema Bonitas esset suprema per naturam sui ipsius: sed quia in sua Essentia & Entitate privaretur essentiâ, naturâ & entitate cæterarum dignitatum, haberet in se majorem magnitudinem imperfectionis, quàm perfectionis, & esset superior per imperfectionem, & inferior per perfectionem; & hoc est impossibile, ad hoc, ut malitia, quæ habet concordantiam cum imperfectione, non concordet cum perfectione, sed ut in una Deitate & Natura omnes dignitates sint unus DEUS, quæ conveniunt cum bonitate & perfectione: unde si multæ bonitates distinctæ essent in essentia & natura, quæ est sub una specie, vel si quælibet bonitas esset suamet species, sub qua specie nulla alia bonitas esset, & quælibet bonitas esset DEUS per se tantùm, de necessitate conveniret, esse multos Deos, in quibus privaretur suprema Bonitas; sinè qua suprema Bonitate est impossibile, DEUM esse, qui convenit cum suprema Bonitate; sinè qua suprema Bonitate omnis homo haberet perfectionem bonitatis amando suum DEUM cum parvitate virtutis, & haberet imperfectionem amando eundem cum magnitudine virtutis, si conveniret, quòd in DEO esset magnitudo bonitatis contra justitiam & veritatem, potestatem & nobilitatem; & hoc est impossibile.

De Magnitudine & Unitate.

2. SI sunt multi Dii, sequitur, quòd, sicut in homine non capitur tota virtus nec tota nobilitas humanæ speciei, ita nec in quolibet Deo posset capi tota infinitas magnitudinis, quæ caperetur & esset distincte in omnibus Diis eo modo, sicut species est in suis individuis: & sic species Deorum esset Deitas in suprema Magnitudine, & quodlibet individuum hujus speciei esset inferior Deus; & hoc est impossibile: quia omnem nobilitatem & perfectionem, quam possent habere Dii finiti & infiniti in numero, potest habere unus DEUS, in quo sit infinita magnitudo; & unus DEUS tantùm potest in se continere majorem nobilitatem & perfectionem, quàm si essent multi Dii; quia si est unus DEUS tantùm, sua magnitudo potest esse infinita magnitudo in omnibus sex rectitudinibus, quæ omni corpori conveniunt, videlicet deorsùm, sursùm, dextrorsùm, sinistrorsùm, antrorsùm & retrorsùm; si verò essent multi Dii, conveniret, illos in his sex rectitudinibus esse finitos: unde, cùm DEO & supremæ Magnitudini conveniat magnitudo perfectionis & nobilitatis, de necessitate convenit, esse unum DEUM tantùm; quia si essent multi Dii, illis conveniret limitatio & finitas, quæ conveniunt cum vilitate & parvitate. Infinitas magnitudinis est, bonitatem, potestatem, æternitatem &c. esse cum omni simplicitate, ita, ut una dignitas sit altera, & quælibet in altera, habente quâlibet per se suam existentiam & suum Opus, ipsis existentibus eâdem existentiâ, eâdem naturâ, eâdem essentiâ sinè aliqua distinctione bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c., si est unus DEUS tantùm, qui sit omnes dignitates, & omnes sint DEUS infinitè in ejus existentia, essentia, opere & natura sinè ulla differentia suarum dignitatum, suæ existentiæ & naturæ: sed si hæc infinitas magnitudinis est impossibilis, convenit, eam esse impossibilem propter limitationem magnitudinis in bonitate, æternitate, & propter limitationem & terminationem suæmet essentiæ & naturæ; per quam limitationem ejus natura esset contraria supremæ Magnitudini, quam de necessitate probavimus esse.

De Æternitate & Unitate.

3. SI suprema Unitas, quam nos inquirimus, nihil est, sed sunt multi Dii, Æternitas sufficit multis Diis in duratione & magnitudine durationis, & infinitas extensivæ magnitudinis (ita loquendo) & magnitudo potestatis, bonitatis &c. non sufficiunt omnibus his Diis; & sic æternitas est suprema & infinita per durationem, & aliæ dignitates sunt inferiores in parvitate & in imperfectione; & hoc est impossibile, secundùm ea, quæ jam probavimus, probando, illas esse supremas. Æternitas convenit cum magnitudine, principium verò & finis durationis conveniunt cum parvitate; sed quia justitia convenit cum majori perfectione in magnitudine, quàm in parvitate, idcirco æternitas & justitia habent concordantiam & similitudinem in magnitudine, in qua disconvenirent, nisi justitia æternaliter justificaret, quòd omnes dignitates essent unus DEUS tantùm; & sic æternitas esset nobilior in parvitate, quàm in magnitudine justitiæ, & justitia haberet majorem virtutem in principio & in fine, quàm in æternitate; & hoc est contradictio & impossibile. Æternitas est æterna per se & per alias dignitates, si ipsæ omnes insimul sunt unus DEUS tantùm: & si quælibet earum unà cum altera insimul sunt unus DEUS, ita, quòd non plures, convenit, eas esse ipsum DEUM per existentiam & convenientiam actûs operantis concordantiam & æqualitatem æternitatis & aliarum dignitatum in essentia & natura, quæ sint unus DEUS, in quo quælibet dignitas sit alia dignitas æterna & infinita; sed si sunt multi Dii extra dignitates, convenit, eos habere principium, finem, vilitatem & imperfectionem bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile.

De Potestate & Unitate.

4. SI Potestas per se ipsam est DEUS distincta ab altero DEO, qui est bonitas, & ab altero DEO, qui est magnitudo, & sic de aliis, convenit, quòd DEUS, qui est bonitas, sit DEUS cum potestate, quæ est DEUS, & DEUS, qui est potestas, sit DEUS per bonitatem, quæ est DEUS; & hoc idem sequeretur de aliis dignitatibus: & sic perfectio & imperfectio essent idem in DEO; & hoc est impossibile, ad hoc, ut DEUS, qui est potestas, sit DEUS per suam potestatem & per suam bonitatem, magnitudinem &c., & ut DEUS, qui est DEUS per suam bonitatem, sit DEUS per potestatem, quæ est DEUS, sic, ut insimul omnes dignitates sint unus DEUS sinè distinctione Essentiæ, Naturæ & Entitatis. Si omnis potestas esset unus DEUS, & omnis bonitas esset alius DEUS, & sic de aliis, bonitas posset esse DEUS per essentiam potestatis, & potestas posset esse DEUS per essentiam bonitatis, nec omnis potestas esset unus DEUS, nec omnis bonitas; & hoc est contradictio, secundùm quòd suprà probavimus, omnem potestatem esse unum DEUM &c.: si autem omnis potestas est unus DEUS, est impossibile, quòd sit aliqua potestas, quæ sit inferior, & est impossibile, quòd sit aliqua potestas, quæ sit suprema, & hoc idem sequitur de bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile, secundùm quòd probavimus, esse supremam Potestatem &c.: si verò potestas est DEUS singulariter, & bonitas est alius DEUS singulariter, & sic de singulis dignitatibus, sic sunt multi Dii per essentiam, & non esset nisi unus DEUS, si potestas haberet actum operativum in bonitate, magnitudine &c., & è converso, ipso actu existente, ad hoc, ut omnes dignitates essent unus DEUS: & nisi hic actus esset, illius privatio esset perfectio in quolibet Deorum, & illius præsentia esset imperfectio in quolibet eorum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd omnes dignitates insimul sint unus DEUS. Si per infinitam magnitudinem extensivè sunt multi Dii unus in alio, ita, quòd omnes sint una potestas distincta in bonitate, æternitate, sapientia &c., illa natura & essentia, quæ est potestas, est DEUS, nec tamen aliæ dignitates sunt DEUS; etiam magnitudo est DEUS in potestate, & potestas est DEUS in magnitudine, & in illa magnitudine est parvitas bonitatis & potestatis &c., quæ non potest esse bonitas &c.; & esset major magnitudo potestatis in DEO, si omnes Dii essent eadem essentia & natura in omnibus dignitatibus; quæ major magnitudo potestatis esset impossibilis propter privationem infinitæ magnitudinis, potestatis; & hoc est impossibile.

De Sapientia & Unitate.

5. PErfectio & magnitudo habent majorem concordantiam in Sapientia, quæ scit, se ipsam esse DEUM, quàm in sapientia, quæ non scit, se esse DEUM: unde si sapientiæ esset major magnitudo perfectionis scire, se non esse bonitatem, nec magnitudinem, nec æternitatem, virtus esset major in sapientia, quòd sapientia in se sciret imperfectionem & parvitatem, quàm si sciret in se infinitam magnitudinem perfectionis, bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile, ne sequantur supradicta in-

convenientia, & ut sit unus DEUS tantùm, ita, quòd non plures. Si unus DEUS non sufficeret in se habere omnes dignitates, quæ conveniunt Naturæ divinæ, convenit, quòd sapientia, per quam scit DEUM, sciat, se ipsam non esse DEUM per imperfectionem, quam continet in se ipsa; per quam imperfectionem justitia privatur in Natura DEI: sed si uni DEO esset imperfectio scire, se esse DEUM sufficientem ad habendum omnes dignitates, quæ conveniunt DEO, & essent multi Dii distincti in essentia & in natura, sequeretur, quòd cuilibet DEO esset imperfectio, scire se ipsum & alterum DEUM, & quòd illi esset perfectio ignorare se ipsum & alterum DEUM; & hoc est impossibile, ne ignorantia & imperfectio sint DEUS. Si sapientia scit DEUM, cujus natura diversificatur à natura illius, quem scit æqualem sibi ipsi, & per hoc opus æqualitatis bonitas, magnitudo &c. multiplicant multos Deos, sequitur, quòd æqualitas bonitatis, magnitudinis &c. sit imperfectio in sapientia, & quòd majoritas & minoritas sint perfectio in sapientia, & quòd magnitudo possit multiplicari cum parvitate; & ideo multiplicatio perfectionis est per parvitatem bonitatis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd suprema Sapientia sciat unum DEUM tantùm, non multos, in quo sit æqualitas bonitatis &c.

De Amore & Unitate.

6. IN Essentia, quæ est DEUS, Amor diligit magnitudinem sui actûs in se ipso & in bonitate, magnitudine, æternitate &c.; & ideo de necessitate convenit, quòd amor se diligat in tanta magnitudine, quòd ipse sit eadem Natura, eadem Essentia, idem DEUS cum aliis divinis dignitatibus: unde si amor in tanta magnitudine se diligit, quantæ sunt aliæ dignitates DEI, necessariò convenit, ipsum esse unum DEUM cum aliis suis dignitatibus, extra cujus Essentiam & Naturam non sit alius DEUS; nam si præter illum est alius DEUS, de necessitate convenit, quòd supremus Amor diligat cum parvitate sui ipsius & bonitatis, æternitatis &c.; per quam parvitatem amor est supremum Ens, quod non est DEUS, in quo privatur magnitudo bonitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd divinus Amor omne id, quod diligit, habeat, & quòd diligat in infinita magnitudine, in qua sit omnis nobilitas & perfectio. Si essent multi Dii, & amor cujuslibet eorum vellet in eadem essentia cum omnibus Diis, ipse diligeret perfectionem in magnitudine sui ipsius & omnium Deorum; si verò diligeret imperfectionem justitiæ & nobilitatis, diligendo magnitudinem bonitatis, infinitatis, æternitatis, potestatis & simplicitatis, sequeretur, quòd justitia & perfectio in magnitudine virtutis essent in injuria & imperfectione, quæ concordant cum parvitate & malitia &c.; & hoc est impossibile, ad hoc, ut justitia & perfectio in amore habeant majorem concordantiam cum bonitate, magnitudine &c., & ne supremus Amor possit nimiùm diligere, nec ab inferiori amore possit nimiùm diligi. Si supremus Amor cum suprema Potestate est unus DEUS sinè distinctione Essentiæ & Naturæ bonitatis &c., sequitur, quòd omne id, quod amor diligit, diligat cum justitia sui ipsius & bonitatis, magnitudinis &c., & quòd omne id, quod diligit, habeat cum potestate sui ipsius & bonitatis & magnitudinis &c.; & possibile est, illum Amorem esse unum DEUM cum aliis dignitatibus divinis: si verò amor est distinctus à potestate & ab aliis dignitatibus, est impossibile, esse ullum DEUM, & diligere convenit cum contraria natura DEI, odire verò & DEUS conveniunt in natura, & ita DEUS est & non est; & hoc est impossibile & contradictio, ne esse conveniat cum contradictione, & privatio cum possibili, sed ut magnitudo & amor amando conveniant in majori virtute, quàm parvitas & amor odiendo.

De Virtute & Unitate.

7. VIrtus est, ut sit perfectio, & non imperfectio; & perfectio est, ut sit Virtus, & imperfectio convenit cum esse, ut virtus sit in perfectione; & ideo virtus & perfectio habent concordantiam in justitia cum magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ & amoris: unde si sunt multi Dii, eorum multitudo est imperfectio; per quam privatur perfectio virtutis in magnitudine bonitatis, potestatis, sapientiæ & amoris; & sic justitia est inferior, & injuria superior: sed si est unus DEUS tantùm, tunc justitia est superior in virtute bonitatis, magnitudinis &c., & injuria est inferior, & est in privatione magnitudinis imperfectionis & malitiæ &c.: unde necessariò convenit, esse unum DEUM. Ita est impossibile, quòd

quòd sint multi Dii, sicut est possibile, quòd sit unus DEUS tantùm, si sinè ullo inconveniente omnes dignitates sunt ipse DEUS; maximè, quia, si essent multi Dii, virtus haberet imperfectionem magnitudinis in bonitate, potestate, amore, gloria & nobilitate, eò quia omnis virtus multorum Deorum potest esse major in uno DEO tantùm, quàm si esset distincta in multis Diis, & bonitas potestatis potest habere majorem concordantiam cum bonitate amoris, & amor cum potestate, & sic de aliis, in uno DEO tantùm, quàm in multis Diis: & ideo convenit, esse id, per quod major possibilitas & impossibilitas sint in magnitudine virtutis; in quibus scilicet possibilitate & impossibilitate omnes dignitates conveniant cum magnitudine virtutis sinè aliquo inconveniente; in quo inconveniente contrariarentur omnes dignitates nobilitati majoris possibilitatis & impossibilitatis, si essent plures Dii, quàm unus: ergò manifestum est, esse unum DEUM. Sinè supradicta concordantia bonitatis, magnitudinis &c. virtus bonitatis, magnitudinis &c. non posset habere simplicitatem, quòd esset unus DEUS tantùm, sed suprema Virtus esset unus DEUS in suprema Bonitate, & alius DEUS in suprema Magnitudine; & sic essent multi Dii per privationem supradictæ concordantiæ virtutis in omnibus dignitatibus divinis; quæ privatio esset vilitas, fragilitas, parvitas & contrarietas virtutis in quolibet Deorum; & hoc est impossibile, ut sit concordantia, per quam omnes dignitates se conjungant & uniant in esse unius DEI, & ut cum multis dignitatibus sit una suprema finalis Causa multis dignitatibus ad unum finem; quia si essent multi Dii, conveniret, nos tendere non ad unum finem, sed ad multos contrarios & diversos.

De Veritate & Unitate.

8. SUprema Veritas est, secundùm ea, quæ jam probavimus; & quia suprema Bonitas & suprema Magnitudo &c. sunt, secundùm ea, quæ jam probavimus, ideo convenit, quòd veritas sit in qualibet dignitate; quoniam si veritas ab illis privaretur, conveniret, quòd falsitas esset suprema in qualibet dignitate: sed si suprema Veritas haberet imperfectionem, aut esset occasio imperfectionis, quæ esset ejusdem essentiæ & naturæ cum omnibus dignitatibus, esset contraria suæmet naturæ & naturæ cæterarũ dignitatũ, & quælibet dignitas contrariaretur suæ propriæ naturæ concordando cum falsitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, concordantiam unitatis esse in uno DEO tantùm, ne sequantur supradicta inconvenientia. Veritas & verificare habent majorem concordantiam in magnitudine virtutis, quàm in parvitate virtutis; si autem verificare veritatem omnium dignitatum esset imperfectio & vilitas, veritas & virtus essent in majori magnitudine perfectionis separabiliter unâ dignitate distinctâ ab altera, quàm communiter; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit unus DEUS tantùm, & quòd verificare veritatem sit virtus in unitate omnium dignitatum. Si sunt multi Dii, necesse est, quòd quilibet eorum habeat naturaliter & essentialiter omnes dignitates; si autem veritas verificaret unum DEUM supremum super omnes alios Deos, uniendo eos in una unitate & essentia, ipsa quoque multiplicaret suam magnitudinem in illa verificatione; quæ multiplicatio haberet principium falsitatis: etiam hæc falsitas esset, unum DEUM tantùm esse aggregatum & unitum ex multis Diis; quia nisi in hoc esset falsitas, quilibet DEUS esset in minoritate separabiliter, & in majoritate compositè unus DEUS cum altero; & hoc est impossibile: ad hoc, ut veritas verificet se ipsam, & ne verificet falsitatem, nec falsitas falsificet veritatem, sed ut sit unus DEUS verificatus ex omnibus dignitatibus.

De Gloria & Unitate.

9. SI est multitudo Deorum, convenit, quòd sint multæ Gloriæ; quia est impossibile, sinè gloria DEUM esse: si autem unus DEUS habet gloriam ab altero DEO, ipse haberet gloriam à sua limitatione & finitate, quas habet in sua bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile, ne ipse sit contra nobilitatem suæ magnitudinis, quam habet in bonitate, magnitudine, æternitate &c.: & si unus DEUS habet pœnam propter gloriam alterius DEI, ipse habet pœnam sinè culpa; quia in DEO non convenit culpa, ut in illo sit perfectio justitiæ, per quam illius amor amet DEUM, quem convenit esse amabilem, & non odibilem: sed si unus DEUS non habet gloriam nec pœnam ab altero DEO, convenit, quòd in quolibet DEO sit ignorantia & imperfectio amoris & justi-

justitiæ; maximè, cùm omne ens, quod habet perfectionem bonitatis, magnitudinis &c., sit intelligibile & amabile: ergò est unus DEUS tantùm. Omnis gloria esset terminata & finita in virtute & loco, si essent multi Dii; sed si est unus DEUS tantùm, est possibile, aliquam gloriam infinitam esse in virtute & extra omnem locum: si verò sunt multi Dii, gloria est major per potentiam, quàm per actum, & per impossibilitatem, quàm per possibilitatem; quia si sunt multi Dii, est impossibile, esse unum DEUM, ne sit possibile, esse privationem suæ singularitatis: unde, cùm omnia ista inconvenientia & multa alia sequerentur, si essent multi Dii, & cùm nullum inconveniens sequatur, si est unus DEUS tantùm, per hoc demonstratur, esse unum DEUM tantùm, & non multos. Si sunt duo vel tres aut plures Dii distincti unus ab altero in essentia & natura, convenit, gloriam cujusque eorum esse distinctam per formam sinè materia; cùm sit impossibile, materiam esse in DEO: si verò gloria non est distincta per formam, convenit, pluralitatem multorum Deorum esse superfluam; quæ superfluitas haberet concordantiam cum imperfectione bonitatis, magnitudinis &c., si sunt multi Dii; sed si est unus DEUS tantùm, nullum sequitur inconveniens in forma gloriæ illius: ergò est unus DEUS tantùm, ad hoc, ut perfectio gloriæ possit esse in forma bonitatis, magnitudinis &c.; quæ perfectio esset in privatione, si essent multi Dii.

De Perfectione & Unitate.

10. NUlla dignitas potest esse suprema sinè Perfectione; quia si esset suprema, in supremitate esset imperfectio; quod est impossibile, ad hoc, ut cuilibet dignitati divinæ conveniat suprema Perfectio, & ut supremæ Perfectioni conveniant omnes dignitates, sinè quibus perfectio non conveniret cum justitia, virtute & veritate, nobilitate & simplicitate, ut esset suprema; in qua supremitate est perfectio, secundùm quòd jam probavimus in præcedentibus: unde cùm hoc ita sit (quod non esset, si essent multi Dii) demonstratur, quòd sit unus DEUS tantùm, & non plures. Si est unus DEUS tantùm, ita, quòd non sint plures, est possibile, quòd in ipso sit perfectio perfectionis, & quòd perfectio sit perfectio bonitati, magnitudini &c., & è converso, & quòd omnes dignitates sint eadem perfectio, præter quam nulla alia sit perfectio; quia si præter illam esset alia perfectio, privarentur infinita magnitudo, & magnitudo bonitatis, potestatis &c.; sinè quibus magnitudinibus esset impossibile, supremam Perfectionem esse possibilem: & ita sequeretur, quòd perfectio & impossibile haberent concordantiam, & imperfectio & possibile; & hoc est impossibile: ergò id, quod est possibile, habet perfectionem in bonitate, magnitudine &c. Si essent multi Dii, sequeretur, quòd perfectio esset species, ita, quòd perfectio uniuscujusque DEI esset individuum perfectionis; & hoc est impossibile, ne minoritas perfectionis privet à quolibet eorum magnitudinem perfectionis & bonitatis, æternitatis &c., & ut per hanc impossibilitatem humana consideratio sit nobilior & major in justitia, virtute, gloria, sapientia & amore considerando unum DEUM tantùm, quàm si consideraret multos Deos.

De Justitia & Unitate.

11. QUemadmodum omnes divinæ Dignitates sunt aptæ, esse unus DEUS tantùm, contradicentes secundùm essentiam & naturam, esse multos Deos, ita de necessitate convenit, quòd Justitia justificet cum omnibus dignitatibus, esse unum DEUM, ita, quòd non plures; si autem justitia ita non justificaret suam essentiam & naturam in semet ipsa & in bonitate, magnitudine &c., contrariaretur suæmet naturæ & omnibus divinis dignitatibus; & hoc est impossibile, ut omnes dignitates cum justitia, & justitia cum dignitatibus concordet, esse unum DEUM tantùm, & non plures, justificante justitiâ, & bonificante bonitate, & magnificante magnitudine, & sic de aliis; sinè quorum justificatione, bonificatione, magnificatione, & sic de aliis, ipsæ non possent concordare, se esse unum DEUM, ita, quòd non plures. Si essent multi Dii, essent multi mundi vel multa sæcula; quia conveniret, quemlibet DEUM creare, ut cognosceretur & amaretur; sed quia in quolibet eorum esset terminatio & parvitas bonitatis, magnitudinis &c., conveniret, quòd justitia demonstraret populo imperfectionem cujuslibet eorum habitam in limitatione & parvitate bonitatis &c.: per quam demonstrationem conveniret, quemlibet eorum secundùm justitiam & veritatem creare

creare suum populum ad cognoscendum & odiendum DEUM in sua imperfectione; & hoc est impossibile, scilicet DEUM creare aliquam creaturam contra suam gloriam: ergò est unus DEUS, & non plures. Quantò fortiùs homo contradicit contrarietatibus bonitatis, magnitudinis &c., tantò meliùs convenit cum esse, & est magis remotus à privatione; & hoc sequitur secundùm qualitates & complexiones hominis; quia quantò plùs homo est dispositus ad faciendum peccatum, quod convenit cum non esse, & adhæret virtutibus, quæ conveniunt cum esse, tantò magis est remotus à privatione & ab hoc, ad quod illius natura habet dependentiam; quæ dependentia est ad non esse: unde cùm hoc ita sit, si essent multi Dii, conveniret secundùm justitiam, eos esse remotos à privatione, si diligerent, se esse unum DEUM tantùm, in quo esset major justitia, quàm in omnibus, existente uno separato ab altero, & quilibet eorum 13. haberet dependentiam ad non esse, sicut homo; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit unus DEUS tantùm, & non plures.

De Largitate & Unitate.

12. DE necessitate convenit, quòd omne id, in quo Largitas est magis remota ab avaritia, sit DEUS, ut in illo possit esse suprema Largitas: unde si essent multi Dii æquales in bonitate, magnitudine &c., largitas non esset tam remota ab avaritia, invidia, ira, superbia & contrarietate, quàm est, si est unus DEUS tantùm; ergò est unus DEUS: quia si essent multi Dii, largitas esset in quolibet eorum inferior, & haberet aliquam dependentiam ad avaritiam &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd largitas habeat infinitatem in bonitate, magnitudine, æternitate &c. Suprema Largitas sinè supremo largificare sui ipsius & infinitæ bonitatis, magnitudinis &c. non sufficeret esse suprema; sed quia est suprema, convenit, eam largificare in tam excellenti nobilitate & magnitudine sui ipsius & aliarum dignitatum, ut inde sequatur unum Ens largum infinitè & æternaliter in se ipso & in omnibus suis dignitatibus, quod est unus DEUS, qui non esset, nisi largitas largificaret, ût jam dictum est; quæ suprema Largitas non esset, si essent plures Dii, quàm unus: si verò sunt multi Dii, & quilibet eorum largitur alteri de suis creaturis, sic facit majorem largitatem cuilibet eorum, quàm si largiretur unam creaturam alteri creaturæ; si verò unus DEUS se dat alteri, sequitur inde major largitas, eò quòd donum est ex majori magnitudine nobilitatis: unde quia hæc esset major Largitas, si essent multi Dii, & largitas multiplicaret ipsos insimul, quòd essent unus DEUS, de necessitate sequitur, esse id, per quod largitas habeat majorem possibilitatem in magnitudine sui ipsius & bonitate &c.: igitur manifestum est, esse unum DEUM, & non plures; quia si essent plures Dii, major magnitudo largitatis esset in potentia & in injustitia, & parvitas largitatis esset in actu & in injuria; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, esse unum DEUM tantùm, & non multos.

De Simplicitate & Unitate.

13. MAjor remotio compositionis sequitur in Simplicitate, & major magnitudo simplicitatis sequitur in bonitate, magnitudine, æternitate &c., si est unus DEUS, ita, quòd non plures: unde cùm hoc ita sit, si sunt multi Dii, illorum multitudo est minoritas simplicitatis, & ab illis producitur propinquitas simplicitatis & compositionis; & sic quilibet eorum est contrarius suæ simplicitati & nobilitati: per quam contrarietatem quilibet eorum est indignus, esse DEUS: per quam indignitatem quilibet eorum est DEUS sinè justitia & perfectione; & hoc est impossibile. Sicut ignis in fornace fortiùs purificat aurum cum majori calore, quàm cum minori, ita è contrario, si essent multi Dii, simplicitas fortiùs simplificaret in suo actu cum minoritate bonitatis, magnitudinis, quàm cum majoritate, unâ simplicitate bonitatis &c. existente in quolibet DEO separatâ ab altera bonitate &c.; & ideo multitudo Deorum est impossibilis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd simplicitas simplificet in majori magnitudine bonitatis &c., esse unum DEUM tantùm, in quo omnes divinæ dignitates sint eadem simplicitas. Convenit, quòd suprema Simplicitas sit in unitate supremæ Bonitatis, Magnitudinis &c., ut bonitas magnificet, & magnitudo bonificet, & sic de aliis: si verò sunt multi Dii, est impossibile, quòd simplicitas possit esse suprema in unitate infinitæ bonitatis, magnitudinis &c.; & sic sequitur, quòd suprema Simplicitas

citas sit extra supremam Bonitatem &c., & suprema Infinitas est in simplicitate compositionis; & hoc est impossibile & contradictio: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit unus DEUS tantùm, ne sequantur supradicta inconvenientia.

De Nobilitate & Unitate.

14. SI multitudo Deorum conveniret supremæ & excellenti Nobilitati, vilitas & minoritas nobilitatis convenirent in quolibet eorum, nec in uno nec in altero ipsorum nobilitas haberet excellentiam essendi suprema, sed nobilitas esset in quolibet eorum in majori vilitate & minoritate, quàm in alia re, quæ non est DEUS; maximè, cùm in majori nobilitate sit major imperfectio, quàm in minori nobilitate, quando majori nobilitati deficit id, quod illi convenit, & habet in se id, quod illi disconvenit: & per hoc demonstratur, esse unum DEUM tantùm, qui est sufficiens habere omnes nobilitates absolutè. Major nobilitas, quæ possit esse, est, quòd omnes divinæ dignitates sint eadem nobilitas; & major vilitas, quæ possit esse in dignitatibus, est, quòd ipsæ non possint esse eadem nobilitas; nam in quantùm contradiceretur, eas esse eandem nobilitatem, in tantùm quælibet earum haberet imperfectionem nobilitatis in tota sua entitate; quæ imperfectio esset potiùs in majori vilitate, quàm earum perfectio in nobilitate: & sic essent dignitates per inferiorem perfectionem, & essent indignitates per supremam imperfectionem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd omnes divinæ dignitates sint una eadem suprema Nobilitas excellens & alta super omnes alias nobilitates. Una nobilitas potest habere majorem concordantiam cum justitia, potestate, perfectione & bonitate, quàm altera; & ideo una nobilitas est in majori magnitudine virtutis, quàm altera; & hæc major nobilitas est suprema Deitas, & minor nobilitas est creatura: unde cùm hoc ita sit, sequitur de necessitate, si sunt multi Dii, quòd unus eorum sit Creator omnium illorum; quia si non esset, esset impossibile, quòd nobilitas haberet majorem virtutem in magnitudine justitiæ, potestatis, perfectionis & nobilitatis, quàm in parvitate; quæ parvitas esset in multis Diis distinctè per essentiam & naturam, si essent increati: & sic sequeretur aliqua natura, propter quam omnis nobilitas esset æqualis in parvitate & magnitudine totius justitiæ, potestatis, perfectionis & bonitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur, esse unum DEUM tantùm sinè multitudine aliorum.

Explicit prima Distinctio, in qua probavimus primum Articulum, nunc deinceps de aliis Articulis tractabimus.

INCIPIT SECUNDA DISTINCTIO.

In qua probamus tres Articulos:

Videlicet

Patrem & Filium & Sanctum Spiritum.

AD probandum, in DEO esse Patrem & Filium & Sanctum Spiritum, convenit hanc præsentem Distinctionem dividere in *quinque Partes*, quarum *Prima* est de Pluralitate. *Secunda* de Generatione & Processione. *Tertia* de Modo hujus Generationis & Processionis. *Quarta* de Æqualitate. *Quinta* & ultima de Numero glorioſissimæ Trinitatis: unde secundùm ordinem in prima Parte primò procedemus.

PRIMA PARS

De Pluralitate.

HÆc prima Pars dividitur in *quatuordecim Partes*, scilicet in quatuordecim supradictas Dignitates, per quas intendimus probare, in DEO esse Pluralitatem; in qua probatione procedimus secundùm modum *primæ Partis*, qui est in præcedenti Distinctione. *Unde ad probandum, in DEO esse Pluralitatem, necesse est dare aliqua exempla creaturarum, quæ, secundùm quòd indigemus, non in omni exemplificatione nobis sufficiunt ad probandum; & ideo secundùm ordinem & artem accipimus exempla ex creaturis, prout ipsæ ex se vel in toto vel in parte exemplificant ea, quæ volumus probare & demonstrare: quam probationem & demonstrationem inquirimus cum exemplis & dignitatibus, in qua inquisitione deficiunt nobis appropriata vocabula ad demonstrandum omninò ea, quæ multò meliùs nostra mens concipit, quàm verbo possimus proferre: veruntamen convenit, nos sic loqui, si ea, quæ inquisivimus de Pluralitate, volumus aliis declarare: unde debemus excusari, si dicimus magnitudinem infinitam extensivè; quia non opinandum est, quòd dicamus corpus aut quantitatem in DEO, imò, quòd verba nobis deficiant, quibus ea meliùs possimus demonstrare: & hoc idem sequitur de multis aliis dictionibus impropriè dictis.*

De Bonitate & Pluralitate.

1. MAgnitudo infinita extensivè infinitè & infinita in æternitate, potestate, sapientia, amore &c. est apta, ut habeat in sua essentia & natura productũ Bonum ex suprema Bonitate infinita in magnitudine, æternitate &c., & ut illud Bonum in magnitudine sit æquale magnitudini & bonitati per totã æternitatem &c., existens ex natura & essentia omniũ dignitatum; quia talem aptitudinem habet magnitudo, ut bonitas sit actus operandi, & habeat illum in se ipsa & in magnitudine & in aliis dignitatibus divinis, & non habeat otiositatem operandi bonum; quæ otiositas convenit cum parvitate & malo in magnitudine & bonitate & in aliis dignitatibus, nisi bonitas per omnes dignitates operaretur; & potestas, justitia & virtus haberent majorem magnitudinem, quàm amor & bonitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd bonitas in magnitudine producat illud bonum opus, quod illi convenit secundùm justitiam, nobilitatem, sapientiam, gloriam, amorem, simplicitatem & nobilitatem: sed si bonitas non specificaret suum opus in productione hujus boni, producendo in illa pluralitatem, & conservando in specificatione & pluralitate suam simplicitatem & unitatem essentiæ, entitatis & naturæ, sua potestas esset contra justitiam, & sua virtus esset contra magnitudinem, & sua largitas esset contra amorem; & hoc est impossibile, ne in dignitatibus sit natura contraria, & ne opus bonitatis sit confusum nec contrarium magnitudini, nec elementa in primordiali (prima) materia habeant magis distinctum opus, producendo in materia distincta suppositа sinè distinctione ipsius materiæ, quàm sit opus, quod esset bonitas intrinsecè in sua magnitudine.

2. Bonitas potest generare majus Bonum in Æternitate, quàm extra æternitatem, ad hoc, ut æternitas & bonitas meliùs possint convenire inter se intrinsecè, quàm extrinsecè; sed si justitia & amor facerent, bonitatem fortiùs concordare in æternitate, generante ipsâ bonitate aliquod bonum extra æternitatem, aut illâ generante illud intra æternitatem, quod esset ex extranea natura, non ex sua essentia, nec æternitatis, tunc justitia & amor contrariarentur majori concordantiæ, in qua bonitas, æternitas & potestas meliùs possunt convenire; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia justificet, & amor velit, quòd id, quod est majus bonum in possibilitate bonitatis, potestatis & æternitatis, sit in actu essendi & in actu operandi; quia sicut voluntas est natura hominis, & quantitas est natura substantiæ corporalis, ita & multò meliùs id, quod in æternitate est major possibilitas bonitatis, est natura & actus justitiæ & amoris, æternitatis, bonitatis & potestatis; quæ natura esset pura potentia in omnibus divinis dignitatibus, nisi bonitas infinitè generaret aliquod bonum; sed quia potentia convenit cum parvitate & privatione boni, & actus cum magnitudine & perfectione boni, idcirco manifestum est, quòd bonitas producat æternum bonum in se ipsa & in æternitate distinctè unum bonum ab altero, ad hoc, ut hæc Productio & Generatio sit magis remota à confusione operis & à compositione in magnitudine potestatis, naturæ, simplicitatis, nobilitatis, gloriæ & perfectionis.

3. Potestas bonitatis est ita magna, sicut actus, quem bonitas habet in essentia sui ipsius & magnitudinis, æternitatis &c., quæ sunt eadem essentia cum potestate & bonitate: unde si bonitas non operaretur distincta Suppositа sui ipsius & potestatis & infinitæ magnitudinis, & magnitudinis æternitatis,

sapientiæ & amoris, potestas haberet majorem existentiam per potentiam, quàm per actum, & bonitas cum infinita virtute & infinita injuria se haberet adversùs suam potestatem & suum actum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd actus operandi sit in tanta magnitudine in omnibus Dignitatibus, in quanta est actus existendi: & sicut ignis simplex, qui sinè conjunctione & compositione aliorum elementorum non potest operari in sua simplicitate, dat significationem illius infiniti, nobilis, simplicis & supremi Operis, quod divina Essentia in se habet intrinsecè per omnes suas dignitates, sic ignis in simplicitate esset æqualis divinæ Essentiæ, nisi DEUS in sua simplici Essentia posset producere distincta & infinita Suppositа sinè compositione; quæ æqualitas est impossibilis.

4. Si Sapientia scit, bonitatem posse producere infinitas Personas divinas per totam semet ipsam distinctas & per cæteras dignitates, convenit de necessitate, esse id, quod sapientia scit; quia si sapientia sciret, quòd bonitas haberet in potentia producere distincta suppositа secundùm totam virtutem & justitiam aliarum dignitatum, & sciret, quòd bonitas non produceret illa, sciret, injuriam & imperfectionem esse in bonitate; & hoc est impossibile & falsum: si verò sapientia sciret, esse superfluitatem, generare bonum ex bono, & producere bonum ex bono, & magnitudinem ex magnitudine, & sic de aliis, sciret, illud bonum esse majus & nobilius in virtute per essentiam, quàm per opus; & ita sciret contra se ipsam, sciendo, sibi esse majorem virtutem, non intelligere semet ipsam, nec bonitatem, nec magnitudinem &c., quàm intelligere semet ipsam & bonitatem & magnitudinem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sapientia in DEO possit scire pluralitatem bonorum in proprietatibus personalibus distinctorum sinè distinctione Essentiæ & Naturæ, sic, ut sapientia possit convenire cum majori magnitudine actûs sciendi: quia sicut Philosophus affirmat majorem immobilitatem in primordiali materia, quæ in generali se nunquam movet ex sua simplicitate nec locatione, licèt se moveat in partes compositas, quæ occupant locum, ita & multò meliùs sinè omni comparatione scit divina Sapientia magis infinitam bonitatem in se ipsa & in aliis dignitatibus, si sinè distinctione suæ Essentiæ & Naturæ producat distincta bona in se ipsa & in sapientia & in omnibus aliis divinis dignitatibus: & quia id, per quod sapientia possit convenire cum majori actu sciendi in bonis, convenit cum justitia bonitatis, potestatis, amoris, perfectionis, simplicitatis & nobilitatis, ideo de necessitate convenit, in DEO esse pluralitatem, sinè qua pluralitate sapientia cum bonitate conveniret cum minoritate contra infinitam magnitudinem; & hoc est impossibile.

5. Amor diligit, quòd sua potestas possit majus & nobilius opus bonitatis in se, quàm extra se; & ita per hoc, quod amor diligit, potest potestas majus opus in bonitate distinctorum Suppositorum infinitorum & concordantium absolutè sinè aliqua contrarietate, quàm opus, quod potest in distinctis & concordantibus bonis finitis sinè contrarietate; veluti in Anima rationali potest concordari actus memoriæ, intellectûs & voluntatis in spe & charitate sinè contrarietate virtutum: unde si divinus Amor odit majoritatem operis bonitatis, convenit, quòd habeat majorem virtutem in diligendo opus boni extra se, quàm intra se, & quòd melius opus operetur & faciat in diversificando & contrariando bona infinita in ipso amore, & finita extra ipsum, quàm in diversificando & concordando sinè contrariari; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd bonitas sit magìs disposita ad diligendum, & quòd amor habeat majorem magnitudinem diligendo intra se, quàm extra se, illud opus, quod sibi & bonitati convenit per alias dignitates.

6. Bonitas est in Virtute in majori magnitudine per actum, quàm per potentiam; & ideo, nisi bonitas haberet suum actum operativum intrinsecè & æternaliter in divina Virtute, bonitas esset propinqua parvitati virtutis in potentia, & remota à magnitudine virtutis per actum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd bonitas & suus actus infinitè & æternaliter sint in virtute; in qua virtute actus est magìs remotus à potentia, & virtus à vitio, & bonitas à malitia, & parvitas à magnitudine, & corruptio à bonitate & virtute, si Bonitas ex se ipsa & ex virtute generat Bonum virtuosum per immensam & infinitam æternitatem, potestatem &c., quàm si bonitas in virtute esset otiosa sinè actu operativo æquali sapientiæ & amori in suomet actu cum actibus virtutis, æternitatis, magnitudinis, veritatis &c.: unde cùm magnitudo bonitatis & virtutis conveniat cum esse, & minor remotio bonitatis à malitia, & virtutis à vitio, & sic de aliis, conveniat cum privatione, per hoc demonstratur, quòd bonitas in virtute generet omne id, per quod meliùs conveniat cum virtute, & virtus cum bonitate; sinè qua generatione bonitas & virtus non haberent, in quo convenirent, nec haberent magnitudinem, in qua essent remotæ à malitia, vilitate, vitio &c.: unde de necessitate convenit affirmare, in DEO esse Pluralitatem, sinè qua generatio non posset esse in bonitate nec in virtute.

7. Nisi in Veritate esset verificare, in ipsa non posset esse magnitudo bonitatis, eò quòd verificare est bonum; & quia veritas & infinita bonitas sunt idem in DEO, ideo convenit, quòd in veritate sit verificare, & in bonitate bonificare, ad hoc, ut veritas sit æqualiter cum nobilitate, simplicitate & justitia in se ipsa & in bonitate per verificare, quod est bonum, & ut bonitas sit in se ipsa & in veritate per bonificare, quod est verum, sic, ut hoc opus bonitatis & veritatis sit specificatum per verificare & bonificare, ut opus sit in magnitudine nobilitatis, potestatis & perfectionis; quæ specificatio non posset fieri sinè distinctione plurium proprietatum; per quam distinctionem convenit de necessitate, produci pluralitatem, & per infinitatem potestatis & nobilitatis convenit, in æternitate conservari Unitatem veritatis & bonitatis in Essentia & Natura, nullâ obstante differentiâ.

8. Si Gloria & bonitas haberent distinctionem in Essentia, sequeretur, quòd propter hanc distinctionem pœna conveniret cum bonitate, & malum cum gloria, si magnitudo justitiæ, perfectionis, potestatis & virtutis esset in gloria & bonitate; quod est impossibile; quia gloria & bonitas simpliciter sunt eadem Essentia, nullâ differentiâ contrariante: unde si gloria non est in Essentia bonitatis, nec bonitas est in Essentia gloriæ, est impossibile, quòd gloria & bonitas cum infinita magnitudine gloriæ, essentiæ, æternitatis, potestatis &c. sint eadem Essentia sinè differentia magnitudinis & parvitatis, perfectionis & imperfectionis, & sic de aliis; maximè cùm gloriari ipsius gloriæ conveniat cum bonitate, & magnificare similiter conveniat cum bonitate in gloria, ad hoc, ut gloria cum glorificare sit in bonitate, & bonitas cum bonificare sit in gloria, ita, quòd pluralitas, in qua est distinctio, sit per glorificare & bonificare, & Unitas Essentiæ sit ita per gloriam & bonitatem, sicut radius solis est in calore, purificante igne suum calorem, & sicut ignis est in ipso radio ad calefaciendum suum splendorem, qui apparent insimul unus idem calor & idem splendor sub forma unius actûs.

9. Si Perfectio contradiceret, quòd in divina Bonitate non esset Bonum generatum nec Bonum procedens æternaliter & infinitè, igitur, si infinitas & æternitas Boni generati & Boni procedentis esset in infinitate & æternitate potestatis, sapientiæ &c., perfectio esset contra suammet naturam & contra alias dignitates, quæ sunt eadem essentia & natura cum perfectione, nec perfectio contradiceret majori magnitudini, quam impossibilitas possit habere, ad non esse malitiam in bonitate, nec imperfectionem in se ipsa; cui magnitudini contradicit perfectio, si perfectio in infinitate suæ Essentiæ & Bonitatis generat Suppositum, ex quo procedat aliud Suppositum, ambobus Suppositis habentibus insimul infinitatem perfectionis & bonitatis, æternitatis &c. in Essentia & natura sinè distinctione perfectionis & bonitatis & potestatis: quia sicut nobilius & majus opus, quod sol possit habere, est, illum illuminare & generare suum splendorem in aëre, ita & multò meliùs sinè comparatione generare æternaliter & infinitè aliquod Bonum & dare procedens Bonum æternaliter & infinitè per omnes dignitates est majus & nobilius opus perfectionis & bonitatis, quod possibilitas possit habere, nec majus nec nobilius opus potest fortiùs contradicere impossibilitati bonitatis, perfectionis & potestatis, vel possibilitati malitiæ & imperfectionis: ideo necessariò convenit, in DEO esse Pluralitatem, ut major magnitudo potestatis impossibilitatis possit convenire in divinis dignitatibus.

10. Justitia non contradicit magnitudini sui ipsius nec bonitatis, si principalior finis, ad quem homo est creatus, est cognoscere & amare DEUM super omnia: unde si divina Bonitas specificat suum opus in bonis specificatis in se ipsa, tunc est possibile, quòd ipsa cognoscatur & ametur ab homine; sed si nullum bonum in se specificat, est impos-

sibile, quòd homo possit cognoscere & amare in gloria divinam bonitatem, cujus bonitatis otiositas est contra justitiam, quæ principaliter creavit hominem ad cognoscendum & diligendum suum Dominum DEUM, & bonitas specificaret suum opus extra se ipsam, diversificando in creaturis unum bonum ab altero, & divinus amor vellet injuriosè, quòd homo principaliter crearetur ad cognoscendum & amandum se ipsum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd DEUS specificet in se ipso opus bonitatis; quod opus ipse non posset specificare sinè pluralitate: unde sicut adamas (magnes) propter nobilitatem suæ virtutis habet in se naturam attrahendi ferrum, ita divina Justitia habet naturam in se & in tota Essentia bonitatis &c. specificandi in DEO opus bonitatis, ad hoc, ut justitia infinitè possit esse nobilis in se & in aliis divinis dignitatibus, & ut homo justus cum specificatis operibus in bonitate se dirigat & tendat ad specificatam bonitatem infinitam & æternam, ut sequatur finis, ad quem est creatus.

11. Largitas non haberet, in quo esset magna, nisi divina Largitas se totam communicaret nobilitati, quæ convenit cuilibet dignitati; cujus communicatio non posset esse sinè pluralitate nobilium Personarum in proprietatibus personalibus distinctarum: quia sicut ignis tribuens se aëri, dando illi calorem, non posset se tribuere aëri sinè pluralitate ignis & ignis distinctorum per dantem & datum, ita, si divina Largitas non daret totam suam Essentiam & Naturam bonitati dignitatum, bonitas non haberet, in quo esset infinita in aliis dignitatibus, nec in se ipsa, eò quòd non esset, cui illam daret, sed privaretur propter imperfectionem & parvitatem largitatis; in qua privatione omnes dignitates haberent dependentiam ad imperfectionem bonitatis, & largitas haberet concordantiam cum avaritia & malitia; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO sit pluralitas, per quam sint impossibilia omnia supradicta inconvenientia.

12. Si in Simplicitate bonitatis bonitas bonificaret simplex Suppositum ex se ipsa & ex simplicitate & ex aliis dignitatibus sinè producta pluralitate Suppositorum, quorum productio contradiceret amori, ne pluralitas in DEO esset causa compositioni, sequeretur, quòd amor contradiceret bonitati & magnitudini simplicitatis in potestate, perfectione & virtute; nam potestas, perfectio & virtus habent majorem simplicitatem, si habent pluralitatem, & non habent compositionem, quàm si amor non haberet pluralitatem, ut compositio non esset in DEO: unde cùm majoritas simplicitatis conveniat cum magnitudine bonitatis per omnes dignitates, ideo necessariò convenit, quòd amor in DEO diligat pluralitatem, quæ sit simplicitas sinè compositione.

13. In Nobilitate non contradicitur magnitudini nec perfectioni bonitatis; quia si illis contradiceretur, sequeretur, quòd bonitas contrariaretur suæ nobilitati, sicut princeps contrariatur suæmet nobilitati, dum non utitur bonitate: unde si divina Bonitas non produceret ex se ipsa & ex omnibus dignitatibus bonum productum nobile in omnibus dignitatibus, esset contraria suæmet nobilitati & nobilitati aliarum dignitatũ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd bonitas fruatur suâ nobilitate in se & in aliis dignitatibus; cujus fruitio non posset esse sinè pluralitate: per quam pluralitatem bonitas est magis remota à malitia, & nobilitas à vilitate per fruitionem unius Suppositi in altero per omnes dignitates, quàm bonitas à malitia, & nobilitas à vilitate sinè fruitione & pluralitate.

De Magnitudine & Pluralitate.

1. BOnitas & magnitudo &c. sunt una Essentia, una Natura, unus DEUS sub tali conditione, quòd quælibet dignitas habeat suum proprium actum, ita, quòd in actu cujuslibet dignitatis sint omnes actus aliarum dignitatum, ut nullâ obstante differentiâ omnes dignitates possint esse una Essentia, una Natura: unde, inquirendo hanc conditionem, potest haberi cognitio, quomodo de necessitate conveniat, in DEO esse pluralitatem Suppositorum; & hæc regula per hanc artem nullo modo deficit, ût in multis locis illam significavimus, isto modo: videlicet, quòd bonitati conveniat bonificare, quod bonificare per magnam extensivam & infinitam magnitudinem, & per magnitudinem bonitatis, & per magnitudinẽ æternitatis, potestatis &c. convenit esse magnum; quia si hoc non ita esset, bonitas injuriaretur magnitudini in bonificare; & sic bonitas esset major per existentiam, quàm per opus, & magnitudo esset in minoritate & in

& in imperfectione in minoritate actûs bonitatis; propter quam minoritatem dignitates essent distinctæ & sinè suis perfectis actibus; & hoc est impossibile: unde convenit, in DEO esse aliquod Suppositum, quod sit DEUS, & sit omnes dignitates, producens ex se alterum Suppositum non distinctum per Essentiam nec per Naturam, nec per alium DEUM; sed in hac productione bonitas habeat suum bonificare, & magnitudo suum magnificare &c., ut magnitudo habeat magnificare, quod illi convenit habere in omnibus actibus dignitatum; quod non posset habere, nisi omnes actus omnium dignitatum se appropriarent in uno Supposito, ut Suppositum habeat omnes illas producendo alterum Suppositum, quod sit omnes dignitates per Essentiam & Naturam: igitur in DEO est Pluralitas.

2. Æternitati convenit æternificare ipsum intelligere sapientiæ, & amare amoris, & bonificare bonitatis, & possificare potestatis, & sic de aliis; & magnitudini convenit magnificare omne id, quod æternitas æternificat; & quia æternitas æternificat in se ipsa, ut sua æternificatio sit sinè principio & sinè fine, ideo convenit, quòd magnitudo, quæ est idem cum æternitate, magnificet in se ipsa, ut sua magnificatio sit sinè principio & sinè fine per infinitatem & magnitudinem; & quia magnitudo nec infinitè nec æternaliter posset magnificare in se ipsa sinè distincto Supposito ab altero Supposito, in quo Supposito sit actus magnitudinis & æternitatis, convenit, in DEO esse aliquod Suppositum cum tanta magnitudine, quòd possit magnificare cũ actibus omnium dignitatum in altero Supposito sibi æquali in tota magnitudine & nobilitate, ut sufficiat magnificari ab ipso Supposito convenienter in omnibus dignitatibus cum proprietate personali, ad hoc, ut habeat omnes actus, qui dignitatibus conveniunt; quia sicut ignis in elementato corpore non posset calefacere, nec aër humefacere, & sic de aliis, si ignis, aër, aqua & terra essent per essentiam & naturam eadem res in corpore elementato, & corpus non esset distinctum in specie cum quatuor elementis, ita magnitudo, quæ per Essentiam & Naturam est id, quod sunt omnes dignitates, & est DEUS, non posset magnificare in se ipsa sinè distinctis Suppositis; per quam distinctionem magnitudo potest magnificare in se ipsa suummet actum & omnes actus aliarum dignitatum æternaliter & infinitè; quod magnificare magnitudo potest habere, si unum Ens æternum & infinitum, continens in se omnes dignitates & totum se ipsum, producat Suppositum aut Supposita æternaliter & infinitè habentia & existentia omnes dignitates; ergò de necessitate convenit, in DEO esse pluralitatem, ut magnitudo in se habeat omnem nobilitatem, quæ illi convenit, & ut aliæ dignitates habeant in magnitudine & in se ipsis æternaliter & infinitè omnem nobilitatem, quæ illis convenit.

3. Potestas divina est magna, si est potens in se & in bonitate, magnitudine & æternitate &c.; quæ est parva, si non est potens in se nec in bonitate: unde si potestas non potest esse magna, eò quòd ipsa est una Essentia, una Natura, unus DEUS cum aliis dignitatibus, est parva per dignitatem & dignitates, per quas deberet esse magna; & hoc est contradictio, videlicet, potestatem esse magnam & parvam; & hæc contradictio est impossibilis: per cujus impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, quòd potestas in DEO possit esse unum Suppositum cum aliis dignitatibus divinis, in quo Supposito omnes dignitates habeant per actum unam proprietatem communem & personalem, & cum qua proprietate Suppositum operetur ex omnibus actibus dignitatum in alio Supposito; sinè quo potestas non potest operari, nec dignitates haberent commune Suppositum proprium, in quo eorum actus possent uniri: ergò de necessitate in DEO est pluralitas, ut potestas possit habere magnitudinem, quam convenit esse in potestate & in aliis dignitatibus, & è converso.

4. Sapientia divina intelligit, quòd magnitudo habeat tantum magnificare, quantum intelligere habet sapientia; & intelligit, quòd bonitas habeat tantum magnificare, quantum est magnificare magnitudinis, & quantum est intelligere bonitatis; & hanc magnitudinem intelligit sapientia in æternificare & possificare, & sic de aliis: sed quia sapientia hoc intelligit, ideo convenit, quòd ipsa intelligat, quanta sit magnitudo per magnificare, existente magnitudine in bonificare per actum bonitatis, qui est in omnibus actibus omnium dignitatum, & è converso, quia bonificare, magnificare &c. sunt magna, eò quòd in bonitate sunt magni actus; & quia sapientia intelligit, ipsum magnificare non esse perfectè

ctè magnum sinè aliquo Supposito, in quo bonificare habeat personalem proprietatem, per quam cum omnibus actibus bonificet propriè & specificativè, (& hoc idem intelligit sapientia de magnificare & de æternificare) ideo convenit, sapientiam esse, quam magnificare intelligit intelligere Suppositũ personale in divina Essentia, & in quo magnificare magnitudinis possit esse magnum, magnificando Suppositũ, in quo omnes dignitates habent proprietates personales, existentibus omnibus aliis proprietatibus unâ proprietate personali, per quam aliqua Suppositа à prædicto Supposito magnificata & producta sint eadem Essentia; quod Suppositum magnificans & quæ Suppositа magnificata sint eadem Essentia, quæ est in omnibus divinis dignitatibus: sed cùm justitia, nobilitas, simplicitas & amor faciant, ipsi sapientiæ convenire suum intelligere, secundùm quòd suprà dictum est, ut magnitudo habeat illud magnificare, quod illi convenit in ipso intelligere sapientiæ, ideo de necessitate convenit, horum duorum Suppo- 6.
sitorum pluralitatem esse in DEO, sinè quibus sapientia non posset magnificare suum intelligere: & ideo per privationem hujus magnificare privaretur infinitas in magnitudine, æternitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd aliquod Suppositum producat alterum Suppositum ex se toto, in quorum productione sapientia intelligat illud magnificare, quod omnibus dignitatibus convenit in actu magnitudinis, & è converso: ergò in DEO est Pluralitas.

5. Amor diligit magnitudinem, & ideo diligit magnum actum magnitudinis, in quo actu non diligit parvitatem, ne diligat parvitatem in suo diligere, sed ut cum justitia diligat magnitudinem in magnificare magnitudinis bonitatis &c.: unde cùm amare sic conveniat in amore diligente magnitudinem ipsius magnificare, sequitur, quòd potestas tantùm possit, quantò magis amor potest diligere & habere ea, quæ diligit: ergò de necessitate convenit, quòd aliquod ens, videlicet aliquod Suppositum sit in DEO ita magnum, quòd omnes actus dignitatum per ipsum operentur, & quòd ipsæ sint illud; sed quia Suppositum non posset operari cum omnibus actibus dignitatum, nisi ex se ipso produceret aliquod Suppositum seu aliqua Suppositа, in quibus bonificaret, magnificaret &c., ideo de necessitate convenit, in DEO esse pluralitatem, ut in suo diligere amor habeat magnificare; quia si divinæ dignitates essent una Essentia & Natura in DEO, ût suprà dictum est, & in DEO essent idem synonimicè, ita, quòd in DEO non esset pluralitas, esset impossibile, quòd insimul possent magnificare in bonificare, nec bonificare in magnificare, & sic de aliis; & ita divinum Opus intrinsecum esset destructum; cujus destructio est impossibilis, ne in dignitatibus sit privatio bonificandi, magnificandi, quæ privatio esset parvitas; quam parvitatem impossibile est esse in divina magnitudine & in aliis dignitatibus DEI: sed quia in DEO est aliquod Suppositum distinctum per proprietatem propriam personalem, habens se ad bonificare & magnificare &c. producendo Suppositum ex se ipso bonificante, magnificante &c., ergò dignitates DEI habent omnes actus, qui ipsis conveniunt; qui actus sunt amabiles & amati ab amore: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Virtuti divinæ convenit magnificare sinè multiplicatione & diminutione sui ipsius; unde si virtuti disconveniret magnificare, disconveniret ipsi, esse una Essentia cum magnitudine; cui secundùm justitiam ita convenit magnificare, sicut virtuti convenit virtuificare: unde, quia virtuti convenit magnificare, de necessitate convenit, in DEO esse illud Ens & illam proprietatem, per quam cuilibet virtuti conveniat magnificare: igitur convenit, in DEO esse Suppositum appropriatum & distinctum ab altero Supposito, quod se habeat ad magnificandum omnes actus divinarum dignitatum; nam sinè tali Supposito bonitas, quæ est infinita & æterna, non posset magnificare suum actum infinitum & æternum, & hoc idem sequeretur de omnibus actibus dignitatum; & ita magnitudo deficeret in quolibet actu ipsarum propter absentiam virtutis, quæ virtus haberet imperfectionem & parvitatem in privatione Suppositi, quod secundùm justitiam, nobilitatem &c. convenit esse stabilitum & ordinatum infinitè & æternaliter, ut in eo sint omnes actus dignitatum, & ut in ipso Supposito quilibet actus sit alius actus, ad hoc, ut in quolibet actu magnificentur alii actus; quia si quilibet actus dignitatum est alius actus dignitatum, magnificatio virtutis est inde major: si verò omnes actus dignitatum non possunt esse una eadem virtus, per hoc minor est magnificatio virtutis; sed quia disconvenit, in DEO esse minoritatem magnificandi, ideo secundùm justitiam convenit, quòd omnes supradicti actus sint in magnitudine, in qua non sit parvitas nec privatio magnitudinis: ergò de necessitate convenit, supradictum Suppositum proprium esse; quod non posset magnificare suam virtutem, si de se ipso illam non magnificaret in alio Supposito producto ex sua virtute & ex aliis suis dignitatibus: ergò in DEO est Pluralitas.

7. Si Veritas verificat, quòd sit bonificare bonitatis & magnificare magnitudinis, & sic de aliis, & si bonificare bonitatis bonificat, quòd sit magnificare veritatis, magnitudinis &c., & si hoc opus est infinitum & æternum &c. per aliquod proprium Suppositum personale specificans ex se ipso totum illud opus distinctè in aliquo Supposito, aut aliqua Suppositа producta ex se ipso, sequitur inde major magnificatio veritatis; & sinè Supposito producente aliud Suppositum productum non posset esse magnificatio per veritatem; & sic in otiositate veritatis (quam otiositatem veritas haberet in magnificare) injuriaretur ipsi magnificare magnitudinis, quod haberet concordantiam cum parvitate; quam parvitatem impossibile est esse in divina Veritate, ad hoc, ut veritas & magnitudo possint esse eadem Essentia: igitur de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem; sinè qua virtus esset sinè verificare, & magnitudo sinè magnificare &c.; sed cùm in Essentia sit aliquod Suppositum, in quo se uniunt (ut ita loquar) omnes actus divinarum Dignitatum, existente illo Supposito DEO & omnibus suis Dignitatibus sinè aliqua distinctione Essentiæ & Naturæ, & 9.
illud ex tota Natura & Essentia suî & ex tota Entitate Dignitatum producat Suppositа, quæ sunt DEUS, Essentia, Natura & Dignitates cum se ipso sinè distinctione Essentiæ, Naturæ & Deitatis, ideo veritas potest verificare, magnificare illud Suppositum in se & in supradictis Suppositis; si verò potest magnificare, in quantum ex se producit Suppositа, potest etiam magnificare in ipsis Suppositis, in quantum informat ipsa ad essendum cum se ipsa una Essentia, una Natura, unus DEUS, omnibus Dignitatibus existentibus in quolibet eorum; sed quia tale opus est majus, altius & nobilius opus, in quo veritas verificando possit magnificare semet ipsam, igitur convenit, magnitudinem verificandi esse in magnitudine magnificandi, ad hoc, ut veritas & magnitudo habeant id, per quod sunt unum & idem.

8. Gloriæ divinæ non posset sufficere magnitudo sinè pluralitate Suppositorum, ita, quòd magnitudo haberet gloriam, quam requirit: sicut, si quidam magnus lapis æternaliter cadens de Saturno descenderet, multiplicando suum motum, in quantum appropinquaret suo centro, conveniret, motum illius generare alium motum, in quo posset recipi multiplicatio æterni motûs, ita convenit, quòd gloria, quæ est incessabilis, infinita & æterna, habeat in se Suppositum, quod sit Pater, qui generet ex se Filium, in quo possit recipi magnitudo gloriæ; cùm gloria non possit multiplicari, eò quòd est infinita & æterna: igitur convenit, ipsam esse magnam & æternam & infinitam in producendo incessanter & æternaliter in Suppositis; quam Generationem & Productionem convenit esse majorem, quàm sit multiplicatio supradicti lapidis, qui æternaliter multiplicaret suum motum, quantò fortiùs appropinquaret suo centro: unde cùm hoc ita sit, Pater est, ut in se & in suo Filio sit gloria in gloria, & Sanctus Spiritus est, ut gloriosus procedat ex gloria existente gloriâ, in qua sit gloria, & ejus gloria sit in gloria, ut nec multiplicatio nec cessatio gloriæ sit in eo, nec minoritas glorificationis, sed omnia, quæ sunt in illo, sint gloria, in qua sit magnitudo cum tota sua forma & perfectione in majori glorificatione, quàm sit motus supradicti lapidis, qui æternaliter multiplicaret suam magnitudinem: ergò in DEO est Pluralitas.

Perfectio magnitudinis non potest esse sinè forma, itaque convenit, divinam magnitudinem esse perfectam per Essentiam & per Opus; quia sinè Opere non haberet formam magnitudinis: unde sicut ignis multiplicat suum calorem in multiplicatione suæ magnitudinis, & sicut magis continuè multiplicat suum calefacere in majori quantitate, quàm in minori, & quia, in quantò majori est ignis, tantò major procedit ejus lux in aërem, ita & etiam multò meliùs convenit, quòd magna perfectio DEI, quæ est magna infinitè & æternaliter, incessabiliter sit tam magna & tam continuè absque omni cessatione, quòd in se ipsa habeat aliquod Suppositum, quod ex sua propria perfectione frequentiùs operetur, quàm aliquis ignis ex suo calore, licèt possit esse valde

valde magnus: unde si hoc non ita esset, perfectio DEI haberet imperfectionem magnitudinis; & sic perfectio & imperfectio essent in magnitudine DEI; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd magnitudò habeat, in quo possit perficere seu perfectionare suum magnificare, aliquo Supposito generante ex se ipso alterum Suppositum, ut perfectio se totam communicet in tota infinitate, æternitate, bonitate &c. magnitudini ita in-
11. cessanter, sicut perfectio & magnitudo sunt in infinitate, æternitate &c.: ergò in DEO est Pluralitas, sinè qua Pluralitate perfectio non posset operari perfectum magnificare in bonificare &c., nec haberet magnificare, in quo esset: quia sicut corpus non haberet, in quo esset, sinè loco, ita magnificare magnitudinis, quod habet in se ipsa & in bonitate, æternitate &c., non haberet, in quo esset, nec in quo posset recipi (ita loquendo) nisi in DEO Suppositum, quod sit DEUS, communicaret totum se ipsum alteri Supposito, in quo possit existere illud magnificare, quod perfectio potest perficere infinitè & æternaliter sinè augmentatione & diminutione generando & producendo.

10. Convenit, quòd Justitia justificet magnitudini suum magnificare in æqualitate magnitudinis & ipsius magnificare per totam infinitatem bonitatis, magnitudinis, potestatis &c.; igitur convenit, quòd justitia producat æqualitatem ipsius magnificare cum bonificare: unde si in DEO non esset Pluralitas, esset impossibile, quòd justitia
12. posset producere æqualitatem ipsius magnificare cum bonificare &c.; & sic ipsa privaretur in privatione suæ potestatis &c.; in cujus justitiæ privatione privarentur omnes actus aliarum dignitatum, & in privatione horum actuum privaretur magnitudo in omnibus dignitatibus, quæ sinè magnitudine nihil essent; sed quia sunt, secundùm ea, quæ jam probavimus, ergò magnitudo est in omnibus actibus earum, & justitia est in ipsis actibus, tribuens cuilibet eorum æqualem magnitudinem; quam æqualitatem justitia non posset tribuere, si in DEO non esset Pluralitas, videlicet si in aliquo Supposito non esset personalis proprietas, per quam ipsum Suppositum in se & in altero Supposito justificaret omnibus dignitatibus suos actus, ad hoc, ut ipsum magnificare magnitudinis habeat magnitudinem, quæ illi convenit; quia sicut homo, qui intelligit objectum amabile, multiplicat suum amorem amando illud, quantò fortiùs illud amat, ita & multò meliùs convenit, in DEO esse aliquod Suppositum tam magnum in magnificare sinè multiplicatione, quòd in ipsius magnificare possit esse tota magnitudo actuum ipsarum dignitatum incessanter sinè multiplicatione & sinè cessatione æternaliter & infinitè: ergò in DEO est Pluralitas.

11. Largitas non contradicit magnitudini, quia non posset cum ipsa esse eadem Essentia; & quia perfectioni & nobilitati magnitudinis convenit, quòd magnificare magnitudinis sit magnum in unitate magnificandi cum bonificare, æternificare &c., ideo convenit, quòd largitas largiatur ipsi magnificare magnitudinis esse id, quod illi convenit, ut sit magnum, ita, sicut sol ex se ipso dat splendorem, suis radiis lucendo sinè cessatione, ut non cesset illuminare; & quia largitas sinè pluralitate non posset largiri ipsi magnificare magnitudinis id, quod illi convenit, nec posset ipsum magnificare removere à minoritate, nisi in DEO esset Suppositum largum, infinitum & æternum, largiens ex sua infinitate & æternitate &c. ipsi magnificare magnitudinis, ideo convenit, esse illud Suppositum, in quo omnes dignitates, quæ sunt Suppositum generatum & Suppositum datum, recipiunt donum à largitate, ad magnificandum suos actus in magnitudine æternaliter & infinitè: ergò in DEO est Pluralitas.

12. Simplicitas, quæ est in bonificare, magnificare, æternificare &c., non contradicit magnitudini suum magnificare; quod magnificare esset parvitas simplicitatis, nisi bonificare, magnificare &c. possent esse una & eadem Essentia & Natura sinè compositione: unde, ad hoc, ut simplificare simplicitatis conveniat in æqualitate infinita & æterna cũ magnificare magnitudinis, convenit, in DEO esse aliquod Suppositum distinctum ab altero Supposito, in quo omnes actus dignitatum sint simplificantes & simplificati, illo Supposito existente ex bonitate, magnitudine &c. infinita & æterna &c., & ex sua simplicitate, quam habet in bonitate, æternitate &c. infinita & æterna, simplificante in eadem Essentia & Natura Filium in se ipso, qui cum ipso est una Essentia, una Natura, una bonitas, una magnitudo &c.; quia per alium modum, in quo non esset Pluralitas Suppositorum nec Paternitas nec filia-

filialis Proprietas, potestas non posset sufficere magnitudini actûs simplicitatis, nec actibus magnitudinis &c.: & sic in DEO conveniret simplicitas cum magnitudine, & actus simplicitatis cum parvitate; & hoc est impossibile, ne in DEO sint majoritas & minoritas: ergò in DEO est Pluralitas. Si autem tu hoc neges, scilicet in DEO esse Pluralitatem, quia affirmando, in DEO esse Pluralitatem, times affirmare in ipso compositionem, te obtenebrat ignorantia, quam pateris ex infinitate magnitudinis & simplicitatis; quæ infinitas est in Paternitate & in Filiatione per infinitatem bonitatis &c., quæ generando simplex infinitum, æternum &c., generant majorem impossibilitatem compositionis, quæ possit esse in magnitudine & simplicitate divina.

13. Nobilitas est bonitati habere suum bonificare, & nobilitas est æternitati habere suum æternificare &c., sic, ut sint eadem Essentia & Natura & unus DEUS: si autem esset vilitas, & non esset nobilitas, esset vilitas bonitati, habere actum, & esset vilitas magnitudini, magnificare, & sic de omnibus aliis Dignitatibus; quod est impossibile: unde magnitudo nobilitatis est, omnes actus dignitatum esse eandem Essentiam & Naturam: & si in DEO non est proprium Suppositum personale, in quo omnes actus possint esse eadem Essentia & Natura, ita, quòd Suppositum bonificet, magnificet &c. nobilitatem bonitatis &c. in altero Supposito, quod producat ex se ipso, ut sit ex suamet Essentia & Natura, per quam Essentiam & Naturam omnes supradicti actus possint in illo producto esse eadem Essentia & Natura, impossibile est, quòd actus possint habere nobilitatem, quæ ipsis convenit: unde si actus deficiunt habere nobilitatem, quæ illis convenit, convenit, ipsos deficere propter imperfectionem, vilitatem, malum, fragilitatem, vitium &c.; & hoc est inconveniens & contra magnitudinem & æternitatem bonitatis &c.; quæ magnitudo de necessitate est in DEO: per quam necessitatem demonstratur, necessariò in DEO esse Pluralitatem, habente magnitudine suam perfectionem in suo magnificare & in omnibus actibus aliarum Dignitatum.

De Æternitate & Pluralitate.

1. BOnitas & Æternitas insimul conveniunt; & ideo propter influentiam æternitatis omnes creaturæ, quibus convenit bonitas, habent communitatem cum duratione; quia si in æternitate generatur æternus ex æterno, & productus procedens ab ambobus, ita, ut ipsi tres sint infinita bonitas æterna, & si hæc Generatio & Processio sit malum bonitatis aut æternitatis aut alicujus divinæ dignitatis, sequitur, quòd bonum in duratione sit malum; & ita major bonitas convenit cum privatione, minor verò cum esse; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd bonitas & æternitas habeant majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, & in infinitate operis, quàm in finitate; quæ major concordantia operis convenit cum infinita justitia, quæ habet concordantiam cum infinita sapientia & amore & potestate; quæ concordantia esset impossibilis, si esset malum, æternum Bonum generare ex se ipso æternum Bonum, & æternum Bonum procedere ex Bono generante & Bono generato; quod malum esset possibile, si in æternitate essent tempus & locus cum finitate & quantitate; in qua æternitate omne accidens est impossibile, ne bonitas in ipsa sit in vilitate, nec propter timorem habendi in se accidens æternitas in sua entitate & natura sit otiosa generandi & producendi bonum ex se ipsa æquale in tota natura & magnitudine potestatis &c.

2. Magnitudini infinitæ & æternæ, quæ habet omnem nobilitatem, fortiùs convenit infinitare, seu infinitum producere æternaliter in se ipso infinitum, magnum & æternum, quàm magnitudini finitæ, quæ habet principium & finem, conveniat finitare, seu finitum producere aliquod ens finitum in tempore & quantitate: quia sicut convenit, in generando finitum ex finito, consumi materiam generantis & generati, ita è contrario convenit, formam infiniti Generantis & Generati durare æternaliter & infinitè; quia si hoc non ita esset, sequeretur, quòd actus essendi & actus operandi non fortiùs convenirent in infinitate & æternitate, quàm in limitatione & tempore; & hoc est impossibile: quod non esset impossibile, si DEUS privaretur Pluralitate æqualium Personarum, ne tempus & limitatio in eis essent; quæ limitatio & tempus sunt impossibilia in omni dignitate, in qua est infinitas magnitudinis, & in qua est æternitas cum magnitudine bonitatis, potestatis &c.

3. Poteſtati æternæ non convenit otioſitas nec ceſſatio bonificandi, æternificandi & magnificandi &c., ad hoc, ut poteſtas habeat ſuum opus æternaliter in bonificare &c.; quæ otioſitas & ceſſatio eſſent intrinſecæ in divina Poteſtate, ſi poteſtas non eſſet in bonificare &c.: ſed quia convenit, poteſtatem æternaliter poſſificare, igitur, ſi DEUS in ſe non haberet pluralitatem, in qua ſua poteſtas poſſet poſſificare æqualiter in omnibus dignitatibus & in ſe ipſa, illa æternaliter poſſificaret in mundo, qui eſſet æternus, ut poteſtas in ipſo æternaliter poſſificaret, bonificaret &c.; & ſic poteſtas eſſet nobilior extra ſuam Eſſentiam & Naturam, quàm intra; & æternitas eſſet, ut poteſtas & ſuum poſſificare eſſent in mundo; in qua æternitate eſſet æterna nobilitas in vilitate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd neceſſariò in DEO ſit Pluralitas.

4. In Sapientia vivere eſt æternificare vitam æternam ſapientiæ, & è converſo; & vivere & intelligere ſunt idem in æternitate; & in ipſis vivere & intelligere convenit pluralitas, ut vita vivat vivificando vivum ex ſe ipſa, & intellectus intelligat intellectum ex ſe ipſo intellectum; & ideo vita intelligens eſt etiam intellecta æternaliter in bonitate &c., & ſapientia vivificans eſt etiam vivificata æternaliter æqualiter cum juſtitia in pluralitate Suppoſitorum æternorum vivorum & viventium intelligentium & intellectorum unius ab altero in bonitate &c.; ſinè qua pluralitate vivere, intelligere & æternificare non haberent, in quo eſſent eadem infinita Natura bonitatis &c.

5. Amor, qui æternaliter diligit ſuum amare in bonificare &c., non eſt contra æternam perfectionem, nec contra ſuammet infinitam perfectionem: unde convenit, quòd infinita juſtitia tribuat ipſi amare amoris æternam operationem bonificandi, magnificandi &c., ad hoc, ut amor cum infinita juſtitia, largitate, ſimplicitate & nobilitate æternaliter poſſit amare; quod amare non poſſet eſſe æternum, nec in magnitudine amoris, æternitatis &c. ſinè PluralitatePerſonarum amantium & amatarum per ſe ipſas diſtinctè in eadem Eſſentia & Natura amoris & æternitatis &c., ſinè aliqua diſtinctione Eſſentiæ & Naturæ, amante amore in bonitate &c. æternaliter generare ex ſe ipſo amatum æternum, qui ſit amans & ſit amor, & ſit æternitas & æternificatus, & ſit bonitas & bonificatus &c.

6. In Virtute, in qua æternitas æternificat intelligere & amare infinitè in extenſiva magnitudine & in ſuamet magnitudine & aliarum dignitatum, æternitas non eſt contra magnitudinem virtutis; ſed virtus ipſius intelligere & amare eſſet contra æternitatem, ſi ſapientia non intelligeret, & amor non amaret æternificationem infinitorum Suppoſitorum ipſius intelligere & amare æternorum & æqualium per æternificationem; & ſapientia eſſet contra ſuammet virtutem, niſi in ſe haberet diſtincta Suppoſita, in quibus eſſet intelligens; & hoc idem ſequitur de amore & de aliis dignitatibus; quæ contrarietas eſt impoſſibilis, eò quòd ſit pluralitas, ſinè qua ſupradicta contrarietas eſſet poſſibilis.

7. Veritas eſt magìs verificabilis cum æternitate, quàm ſinè æternitate; & quia convenit, juſtitiam ita æternaliter verificare, ſicut intelligere & amare, ut ipſa in æternitate æqualiter conveniat per magnitudinem veritatis, ſapientiæ & amoris, ideo convenit, quòd verificare ſit per Generationem æternam; quia ſinè hac Generatione ipſum verificare eſſet ita inverificabile propter privationem verificantis, ſicut divinus Intellectus eſſet intelligibilis & non intelligibilis æternaliter ſinè intelligente æterno: unde, cùm Generatio non poſſit eſſe ſinè pluralitate, & de neceſſitate conveniat, ipſam eſſe, eſt neceſſariò in DEO Pluralitas.

8. Gloria eſt ita nobilis in æternitate, ſicut amor, ut juſtitia & æternitas inſimul concordent; & quia gloria eſt ita infinita in virtute, ſicut amor, ideo æternaliter in juſtitia eſt ita glorificabilis, ſicut amor eſt amabilis: & ſi in DEO non eſſet pluralitas, amor eſſet amabilis & amatus à DEO, & gloria non eſſet glorificata æternaliter; & ſic eſſet glorificabilis per hominem tantùm, aut per Angelum; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd juſtitia æternaliter glorificet glorioſum, generante juſtitiâ, quæ eſt gloria, glorioſum & gloriabilem; quæ juſtificatio non poſſet juſtificari ſinè divina Pluralitate.

9. Perfectio convenit cum majori nobilitate & virtute intra æternitatem, quàm extrà; & ideo perfectio, virtus & nobilitas conveniunt cum eſſe, & imperfectio, vitium & vilitas conveniunt cum privatione; ſed quia divina perfectio extra entitatem tribuit actum operandi creaturis, ſinè quo non poſſent habere perfectionem, nec poſſent

habere actum ſinè pluralitate, ideo de neceſſitate convenit, quòd divina perfectio habeat in ſe actum operationis, in qua non eſt poſſibile eſſe imperfectionem; cùm in ipſa ſtet æternitas, magnitudo, bonitas &c.: ſed ſi hæc operatio haberet majorem 12. perfectionem, ſi eſſet ſinè pluralitate, quàm cum pluralitate, conveniret de neceſſitate, quòd opus in creaturis haberet majorem perfectionem, virtutem & nobilitatem ſinè pluralitate, quàm cum pluralitate, eò quòd opus earum eſſet ſimilius divinæ perfectioni; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd de neceſſitate in DEO ſit Pluralitas.

10. Juſtitia habet majorem magnitudinem & nobilitatem in ente æterno, quàm in ente habente principium, & juſtitia æterna convenit cum infinitate & æternitate ſui ipſius, & cum infinitate, bonitate, magnitudine poteſtatis &c.; & ideo convenit, juſtitiam infinitè & æternaliter generare ex ſe tota infinitum, juſtum & æternum & æqualem ſibi ipſi & cæteris Dignitatibus divinis, ut ipſa æternaliter juſtificet ſemet ipſam, & det omnibus divinis Dignitatibus in ſe ipſa omne id, quod illis convenit, ipsâ exiſten- 13. te cum illis inſimul in eadem entitate & natura ſinè diſtinctione communium & perſonalium proprietatum, ſinè quibus divina Generatio non poſſet eſſe; nec ſinè hac Generatione poſſet eſſe juſtitia æternaliter in omnibus dignitatibus dando ipſis nobilitatem, quæ iis convenit, & juſtitia haberet majorem nobilitatem in dignitatibus extra æternitatem dando eis dominium, quod convenit ipſis ſuper creaturas; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd juſtitia ſit major intra æternitatem, quàm extra.

11. Largitas, quæ eſt æterna, non poteſt eſſe accidentalis; ſi verò non poteſt eſſe æterna, convenit, eam eſſe accidentalem; in cujus accidentalitate largitas habet parvitatem in bonitate, magnitudine &c.: & quia parvitas diſconvenit cum æternitate, quæ convenit cum magnitudine bonitatis &c., ideo de neceſſitate convenit, quòd largitas in DEO ſit æterna cum magnitudine bonitatis &c., & quòd donum, quod largitas largitur, ſit datum æternum cum magnitudine ſui ipſius & bonitatis &c.; per quam magnitudinem id, quod hoc donum recipit, ſit infinita largitas, bonitas &c.: unde cùm hæc largitas ſit ſinè accidente & parvitate, ideo convenit, quòd conveniat cum æternitate, in qua nec accidens nec avaritia nec parvitas conveniunt; cum qua æternitate largitas non poſſet convenire ſinè Pluralitate.

Simplicitas non poſſet eſſe æterna ſinè omnibus dignitatibus, quas convenit eſſe unam ſimplicitatem, in qua æternaliter ſit impoſſibilis omnis compoſitio; quæ compoſitio non eſſet impoſſibilis in ſua ſimplicitate, ſi aliqua dignitatum contradiceret æternitati ſimplicitatem; maximè cùm infinitas ſit in qualibet dignitate: per quam infinitatem æternitas privaretur ſimplicitate, ſi æternitas privaretur ullâ dignitate: ſed quia convenit, omnes dignitates eſſe in æternitate, de neceſſitate convenit, illas eſſe in ipſa cum æquali magnitudine bonitatis &c.: per quam æqualitatem convenit, quòd juſtitia det ſimplicitati donum ita magnum in magnitudine virtutis, per quam ſit ſimplificabilis, ſicut dat ſapientiæ, ut ſit intelligibilis, & amori, ut ſit amabilis; quod donum juſtitia non poſſet dare ſinè æqualitate & communitate, quæ non poſſent eſſe in æternitate ſinè pluralitate.

Nobilitas æternitatis eſt, quòd ipſa à ſe elonget omnem vilitatem, elongando eam infinitè à ſua entitate & natura, ut nobilitas habeat majorem concordantiam cum æternitate; ſi autem æternitas infinitè & æternaliter elongat à ſe omnem vilitatem, eſt impoſſibile, quòd in aliquo tempore vilitas concordet vel poſſit concordare cum æte. nitate: quod impoſſibile implicaret contradictionem, niſi æternitas ex ſe ipſa & ex ſua infinitate, entitate & natura generaret æternum infinitum & nobilem, qui cum omni bonitate &e. ſit eadem Eſſentia cum æternitate; quæ Generatio eſſet impoſſibilis ſinè pluralitate, quæ ſit in æternitate: quæ, ſi eſſet impoſſibilis, eſſet impoſſibilis æternitati propter parvitatem bonitatis, poteſtatis, perfectionis; & ſic conveniret cũ vilitate in æternitate; & hoc eſt impoſſibile.

De Poteſtate & Pluralitate.

1. BOnitas & poſſificare conveniunt cum juſtitia, ut bonitas non contradicat in ſua natura ipſi bonificare; cui contradiceret, ſi eſſet contra poſſificare; ſinè quo eſt impoſſibile bonificare: unde cùm hoc ita ſit, convenit, quòd in bonitate poteſtas & poſſificare habeant concordantiam cum bonificare; quæ concordantia eſſet impoſſibilis

sinè specificatione possificandi & bonificandi in specificatis potestatibus bonis distinctis uno ab altero per infinitam bonificationem & possificationem cum magnificare magnitudinis, æternitatis &c.: quorum specificatio esset impossibilis sinè pluralitate, quæ est necessaria, ut sit possibile bonitati bonificare & potestati possificare & specificare; sinè qua infinita & æterna virtute specificativa supradicta specificatio esset cum vilitate, cum imperfectione & parvitate bonitatis, potestatis &c.: & sic bonitas esset potentia, & non actus; & hoc idem sequeretur de potestate; & hoc est impossibile.

2. In Magnitudine possificare non contradicit potestati; quia si illi contradiceret, possificare esset contra suammet naturam: & in magnitudine bonitatis &c. non contradicitur ipsi possificare ab aliqua dignitate; quia quælibet earum contradiceret suæmet naturæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas & possificare sint idem in magnitudine bonitatis &c., & quòd potestas ex sua magnitudine & natura in magnitudine & natura bonitatis &c. possit generare potestatem infinitam in potestate, bonitate &c., & quòd possificare habeat infinitatem, quæ illi convenit cum justitia, nobilitate &c.; sinè qua infinitate omnis potestas & omnis parvitas haberent concordantiam cum vilitate & imperfectione virtutis, & finitas, fragilitas, vitium & imperfectio contradicerent ipsi esse & privationi; & hoc est contradictio, quæ haberet concordantiam cum esse, si in DEO Pluralitas effet in privatione.

3. Divina potestas erat æqualis Æternitati, priusquam mundus esset; si autem æternitas æternificavit in duratione, priusquam mundum possificavit, convenit, quòd potestas possificaverit, priusquam mundus fuit: unde si possificare potestatis esset æternificare, & æternitas contradiceret ipsi possificare in simplicitate bonitatis, potestatis &c., injuria & vilitas essent in æternitate, & fragilitas, vilitas & parvitas in magnitudine bonitatis, potestatis, æternitatis &c.: si verò æternitas æternificasset mundum, ad hoc, ut potestas in eo æternaliter possificaret, habendo subjectum, in quo non cessaret, actui potestatis esset necessarium, mundum esse, & potestas haberet in se minoritatem, vilitatem & perfectionem per suum effectum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas possit æternificare in suamet æternitate, & quòd potestas possit possificare in suamet natura, & infinitè magnificare bonitatem &c., & quòd possificare potestatis sit major actus intra se ipsam, quàm extra: sed si potestas non potest ex se ipsa possificare æternum in potestate, infinitum in bonitate &c., nec principium contrariatur æternitati in sua possificatione, tunc potestas existit cum minoritate virtutis in æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas æternaliter sinè principio possit generare æternum, ut omne accidens devincat; quod non posset devincere sinè Generatione infinita & æterna; quæ Generatio non posset habere esse sinè pluralitate, nec potestas haberet infinitatem, nec æternitas haberet illam, nec justitia posset dignitatibus dare nobilitatem, quæ illis convenit.

4. Nulla Sapientia potest scire majorem potestatem, quàm illam potestatem, quæ potest generare DEUM æternum & infinitum, qui habeat omne id, quod sibi convenit, quæ potestas generans sit DEUS, qui de se generat DEUM potentem; quam Generationem possit operari ipsa potestas cum aliis dignitatibus, conservando se ipsam & potestatem, quam generat, & existendo in eadem Essentia & in eadem Divinitate: unde si divina Sapientia non sciret hanc potestatem in sua Essentia & Natura, esset potentia, quæ posset scire majorem potestatem, quàm illam, quam scit in DEO; & sic imperfectio esset in potestate & in scire contra amorem, qui diligit, quòd sapientia possit scire in se ipsa cum justitia maximam potestatem, quæ est possibilis scitu; quam potestatem sapientia non posset scire sinè pluralitate, quæ convenit majoritati & infinitati, ut sapientia possit scire magnitudinem, quam convenit sciri in suprema Potestate.

5. Amor diligit, quòd divina Potestas possit perficere omne id, quod convenit omnibus dignitatibus; quam perfectionem potestas non posset dare, nisi generando DEUM habentem in qualibet dignitate omne id, quod omnibus dignitatibus convenit: quia sicut materia prima non posset sufficere actioni universalis formæ sinè generatione unius & corruptione alterius formæ, cui generationi sufficeret materia, si esset infinita in extensiva magnitudine æterna & infinita, ita divina Potestas non posset sufficere omnibus iis, quæ amor diligit in bonitate &c., nisi de se ipsa & de aliis dignitatibus generaret DEUM, cum quo omnes dignitates sint eadem Deitas & Natura: unde, cùm conveniat, potestatem sufficere omnibus iis, quæ amor diligit, quod complementum non posset habere sinè Generatione, quæ non posset esse sinè distinctione & relatione, de necessitate convenit, in hoc complemento esse Pluralitatem.

6. In Virtute divina potestas est æqualis omnibus dignitatibus, eò quòd nobilitas omnium dignitatum est æqualis infinitati justitiæ, virtutis & potestatis; & si divina Voluntas odit virtutem potestatis in pluralitate, ut infinita simplicitas possit esse in infinitate virtutis, timente voluntate compositionem propter pluralitatem, voluntas diligit incarcerationem potestatis in infinitate virtutis, & odit infinitatem sui ipsius & aliarum dignitatum, diligendo majorem potestatem, quæ dignitatibus convenit, & odiendo eandem propter timorem compositionis; & hoc est contradictio, per quam demonstratur Pluralitas; sinè qua Pluralitate potestas non haberet infinitam operationem in aliqua dignitatum, eò quòd privaretur in ipsis infinita virtus; & maxima virtus, quam potestas haberet, esset creata super cursum naturæ, ipsâ naturâ existente subjectâ virtuti potestatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd infinita virtus increata habeat majorem potestatem in se, quàm in natura creata.

7. Veritas & potestas habent majorem magnitudinem in infinita bonitate &c., quàm in limitatione bonitatis & magnitudinis creaturarum; & ideo est impossibile, quòd finita potestas possit in infinita magnitudine; quod impossibile esset possibile, si infinita potestas non posset possificare in infinita bonitate &c.; & sic veritas & potestas inter se contrariarentur in infinita nobilitate &c., & falsitas & fragilitas haberent concordantiam in infinita vilitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas infinitæ veritatis possit verificare verum infinitum per infinitam productionem in veritate & in se ipsa & in aliis dignitatibus, *& quòd hic inter nos omne id sit verificatum à divina Potestate, per quod humana ratio potest plùs cognoscere & diligere veritatem & potestatem contra falsitatem & fragilitatem*; quæ verificatio esset impossibilis, si divina potestas æternaliter & infinitè esset otiosa in sua Essentia & Natura & aliarum Dignitatum; cujus otiositatis contrarium potestas non posset habere sinè Pluralitate.

8. Gloria esset in privatione, nisi haberet potestatem; & potestas esset in superfluitate contradicente justitiæ, perfectioni & nobilitati, nisi haberet opus: ergò opus potestatis non contradicit gloriæ nec justitiæ &c.: unde si potestas, quæ de gloria infinita in bonitate &c. generat gloriosum, qui est in infinita gloria bonitatis &c., esset contra gloriam bonitatis &c., esset contrarietas inter potestatem & gloriam, & gloria posset esse sinè potestate, & gloria esset major in fragilitate & in parvitate, quàm in potestate & magnitudine; & hoc est impossibile, ne gloria & pœna, potestas & fragilitas, infinitas & limitatio concordent; quod impossibile haberet concordantiam cum esse & privatione sinè Pluralitate in DEO; quæ concordantia est contradictio.

9. In majori Perfectione vel justitiâ justitia vult, quòd sit potiùs major potestas, quàm minor; & ideo justitia vult, quòd potestas suæ infinitæ perfectionis det perfectum & infinitum in infinitate perfectionis & potestatis, habendo perfectionem infinitè in omnibus dignitatibus: & si tale donum esset imperfectio potestatis, potestas magis esset perfecta in parvitate, quàm in magnitudine, & in imperfectione, quàm in perfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd perfectio divinæ Potestatis possit dare perfectum perfectioni sinè fragilitate & imperfectione; quod donum non posset dare sinè Generatione in infinita perfectione &c., & sinè perfectione infiniti perfecti &c., quolibet Supposito uno DEO in potestate & perfectione infinito & æterno existente in eadem Essentia & Natura: ergò necessariò in DEO est Pluralitas; sinè qua divina Potestas non posset dare perfectum perfectioni sinè imperfectione & fragilitate potestatis, & divina Potestas esset in perfectione ita otiosa, sicut esset radius solis, qui esset in aëre, & nullum daret calorem neque illuminationem.

10. Justitia vult, quòd ex majori distinctione, in qua non sit contrarietas nec vilitas, potestas possit producere majorem æqualitatem

tatem & concordantiam, quàm minorem; & justitia & virtus volunt, quòd potestas sinè distinctione non possit concordare nec adæquare majorem concordantiam & æqualitatem: unde, nisi in DEO esset Pluralitas, esset impossibile, quòd potestas in eo posset concordare & adæquare ullam dignitatem in infinitate & æternitate &c.; & sic in qualibet dignitate potestas esset incarcerata, quia non posset operari liberè cum suis proprietatibus nisi in creaturis: ergò convenit, quòd in DEO sit distinctio & æqualitas Suppositorum, & quòd potestas possit frui virtute ita infinitè in se ipsa & in bonitate &c., sicut in sapientia per intelligere, & in amore per amare; quæ fruitio esset impossibilis sinè Pluralitate Personarum, & sinè Unitate Essentiæ.

11. In divina Largitate potestas potest cum sua Essentia & aliarum dignitatum, ut omnis totalitas ejus sit infinita in possificare largum infinitum ex se ipsa & ex omnibus dignitatibus; nam potestas extra suam Essentiam & naturam non posset possificare largum infinitum, qui esset DEUS, qui est infinita largitas & infinita potestas &c.; quia si ulla dignitatum contrariaretur potestati in suprema Largitate, quælibet dignitas contrariaretur suæmet naturæ, & largitas posset esse simplicior cum potestate in non dando DEUM, quàm in dando eum, & in privando potestatem cujuslibet dignitatis eo, quod illi convenit, dando ei id, quod illi disconvenit, quàm è contrario; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas & largitas conveniant, & quòd nulla largitas contradicat potestati suam infinitam largitatem, quam contradiceret potestati, si divinæ Dignitates contradicerent Pluralitati, quam convenit esse in DEO; sinè qua potestas non posset cum justitia habere supremam Largitatem, nec satisfacere dignitatibus secundùm nobilitatem, quæ ipsis convenit.

12. Potestas potest esse magìs simplex & magìs remota à compositione in Simplicitate æterna & infinita, quàm in simplicitate finita habente principium: unde si in supradicta simplicitate potestas est otiosa, simplicitas cum justitia est in potestate, & potestas cum injuria in simplicitate, & potestas contradicit suæmet simplicitati cum injuria; quod est impossibile: si verò potestas in sua simplicitate non potest simplificare, ipsa esset simplicior in sapientia per intelligere, & in amore per diligere, quàm in se ipsa per possificare, & in bonitate per bonificare; quod est impossibile: sed si potestas potest infinitè & æternaliter simplificare, & non simplificat, ipsa est composita ex potentia, habitu & actu; & hoc est impossibile: & si potestas non simplificat, ne producat in sua natura compositionem, simplificat extra suam entitatem & simplicitatem cum infinitate & æternitate, ne in illa possit esse compositio, & ne simplicitas in suis actibus sit otiosa; in qua simplicitate potestas esset otiosa sinè pluralitate, & in potestate & in omnibus dignitatibus simplicitas esset otiosa.

13. Nobilitas & potestas conveniunt, & ideo magìs nobili convenit major potestas, quàm nobili; si autem possificare infinitè & æternaliter in divina Potestate est ignobilitas, potestas esset nobilior possificando in limitatione in principio, medio & fine, quàm in se ipsa & in æternitate, infinitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd magìs nobili conveniat major potestas, quàm nobili; quæ convenientia divinæ bonitati &c. esset vilitas & imperfectio, si nobili conveniret major potestas, quàm magìs nobili: unde cùm divinæ potestati conveniat tanta nobilitas, quòd, dando uni dignitati id, quod illi convenit, non auferat ab altera id, quod illi convenit, de necessitate sequitur, quòd nobilitas potestatis sit possificare nobilem in se ipsa & in omnibus dignitatibus; quam possificationem potestas non posset habere sinè Pluralitate divinorum Suppositorum.

De Sapientia & Pluralitate.

1. BOnitas, magnitudo &c. sunt eadem Essentia & Natura in DEO; & hoc idem intelligit sapientia de DEO: unde si ex hoc, quod sapientia intelligit, non producitur bonum, quod convenit cum bonitate, tunc est superflua unitas & entitas omnium dignitatum; si verò dignitates essent distinctæ per essentiam & naturam unientes, se in unitate & natura essentiæ, sequeretur inde bonum, & per sapientiam intelligeretur privatio æterni Boni; ergò falsum esset in veritate omnium dignitatum: sed quia est impossibile, quòd sapientia in DEO possit intelligere imperfectionem, ideo de necessitate convenit, quòd ipsa intelligat perfectionem æternitatis, bonitatis &c., quæ in infinita & æterna bonitate est æqualis omnibus dignitatibus in bono, quod inde sequitur, eò quia omnes dignitates sunt unum & idem; quod bonum non posset esse sinè pluralitate, & in quod non potest cadere accidens, cùm sapientia infinitè intelligat in magnitudine & æternitate & in omnibus Dignitatibus DEI.

2. Si in infinita Magnitudine non est infinita bonitas &c., & sapientia non potest intelligere, quòd possit produci virtuosus per virtutem generativam & spirativam sinè aliquo seu aliquibus accidentibus, convenit, quòd sapientia conveniat cum ignorantia, aut quòd in infinita magnitudine sit parvitas bonitatis &c., vel convenit, quòd virtus generativa, per quam sit genitus DEUS habens omnes dignitates, & quòd eadem virtus spirativa, per quam procedat DEUS cum omnibus dignitatibus, esset contraria omnibus dignitatibus; & quodlibet istorum est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd contrarium supradictorum inconvenientium sit possibile, & quòd intellectus divinæ Sapientiæ producat æquale sibi ipsi, cùm infinitas magnitudinis &c. ita fortiter conveniat cum justitia in opere sapientiæ, sicut cum cæteris dignitatibus, ne in ea sit minoritas, quæ sinè pluralitate esset in intellectu sapientiæ in Divinis.

3. Sapientia æternaliter intelligit cum justitia suum intelligere, & de æternitate intelligit suum æternificare: unde si sapientia æternificat suum intelligere, & æternitas æternificat ipsum intelligere sapientiæ, & æternitas non habet in se naturam æternificandi, sed habet se tantùm ad æternificandum intelligere ipsius sapientiæ, de necessitate convenit, quòd sapientia habeat majorem nobilitatem, quàm æternitas, & quòd ipsa sit finis, & æternitas se habeat ad finem, & quòd æternitas sit essentia sinè proprio actu; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia, perfectio & infinitas se habeant ita nobiliter ad æternitatem per æternificare, sicut se habent ad sapientiam per intelligere: unde convenit, quòd per intelligere & æternificare sit productum Suppositum habens proprietatem personalem distinctam ab altero Supposito; quæ distinctio esset impossibilis sinè Pluralitate.

4. Divina Sapientia habet Potestatem sciendi infinitè & æternaliter se potentem in bonificare &c.; sed quia sapientia est potestas, & potestas est sapientia, ideo sapientia cum possificare potest intelligere, & potestas cum intelligere potest possificare, & possificare & intelligere æqualiter se habent in infinita magnitudine, bonitate &c.; quæ æqualitas in illis non posset esse sinè pluralitate & distinctione æqualium proprietatum personalium, sinè quibus nulla dignitas posset frui se ipsâ in se nec in altera (ita loquendo) ita, quòd omnes dignitates essent unum ens carens dignitatibus, conditionibus & proprietatibus; etiam in illo ente realiter dignitates nihil essent; & sic illud ens esset DEUS, & non esset DEUS, & Creator, & non Creator; & hoc est impossibile & contradictio, quæ est contra eas, quas jam probavimus esse supremas Dignitates & unum DEUM.

5. Amor multiplicaretur in magnitudine, si sapientia multiplicaret suum intelligere sinè pluralitate; cùm sit manifestum, naturam amandi esse majorem per intelligere magnitudinem, quàm per intelligere parvitatem; sed quia amor amat infinitè & æternaliter, idcirco est impossibile, amorem in DEO multiplicari per intelligere: unde si sapientia non magnificat nec æternificat suum intelligere, postquam amor non potest multiplicare suum amare, sapientia terminat amori suum amare per privationem ipsius magnificare, æternificare in intelligere (per quod intelligere, quod disconvenit cum privatione, convenit, amorem magnificare & æternificare suum amare) & sic sapientia concordat cum injuria contra perfectionem, gloriam & nobilitatem amoris, si ipsa privatur ipso magnificare & æternificare in suo intelligere; quæ injuria est impossibilis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd amor & sapientia conveniant cum justitia in magnificare, æternificare &c.; quæ magnificatio & æternificatio non possent esse sinè Generatione & Processione, sapientiâ de se producente Suppositum infinitè & æternaliter, & amore amante ea infinitè & æternaliter; cujus productionis lux progrediens ab ardente cereo habet aliquam similitudinem, quæ oriendo illuminat, & per suum lumen videtur à virtute visiva, quæ non cessat ipsum videre, nec lumen nec calor cessat progredi à cereo, dũ ignis ipsum comburit.

6. Virtuti divinæ non sufficeret esse eadem Essentia & Natura cum sapientia (ita loquen-

quendo) nisi sapientia ex sapientia infinitè & æternaliter continuò procederet in virtute, & è converso, ut in virtute & sapientia sit magnificare & æternificare per virtuificare & intelligere; quia sicut ignis non cessat ingredi aërem, dando ei calorem, ut in ipso possit generare ignem, ita & multò meliùs sinè omni comparatione quantò plùs intelligit sapientia, tantò plùs ingreditur sapiens virtutem sapientiæ, generando DEUM sapientem, ut infinitè & æternaliter sit ingrediens & intelligens, & ut ejus virtus sit virtuificans; & hoc idem secundùm justitiam convenit sequi de aliis dignitatibus DEI: sed quia sinè hoc ingressu sapientia non posset habere infinitatem in suo intelligere, ideo de necessitate convenit, Generationem esse, & per consequens Pluralitatem.

7. In Veritate non capitur falsitas, & magìs impossibile est, falsitatem esse in veritate, si veritas infinitè & æternaliter in bonitate &c. generat ex se ipsa Filium, qui habet & est omnes dignitates, quàm si veritas non generet Filium, ût dictum est; sed quia convenit, sapientiam intelligere majorem impossibilitatem, quæ possit esse, scilicet, quòd falsitas possit esse in veritate sibi opposita, ideo convenit, in veritate esse majorem possibilitatem, quam sapientia veritatis possit intelligere; quæ potestas non posset esse sinè supradicta Pluralitate: unde si sapientia non posset generare Filium sinè accidente & compositione, conveniret de necessitate, quòd haberet imperfe-10. ctionem ad intelligendum, intelligendo in se ipsa & in veritate imperfectionem potestatis &c.; & hoc est impossibile, ad hoc, ut nihil possit contradicere veritati & sapientiæ DEI nobilitatem, quæ eis convenit.

8. Gloria & sua magnitudo non contradicunt magnitudini sapientiæ, imò intellectus sapientiæ habet majorem actum in magnitudine gloriæ, quàm in parvitate; & ideo gloria & suus actus habent majorem concordantiam in magnitudine actûs sapientiæ, quàm in parvitate: unde si sapientia generaret gloriosum sapientem & infinitum in bonitate &c., & contradiceret gloriæ suum actum & suam magnitudinem, contradiceret sibi ipsi suammet naturam & magnitudinem, quæ sunt ipsa gloria; & sequeretur, quòd in magnitudine gloriæ contradiceretur magnitudini ipsius intelligere; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sapientia & gloria sint eadem Essentia & Natura, & quòd per Generationem sapientia sit in gloria, & gloria in sapientia infinitè & æternaliter; & hoc vult justitia, ut sapientia habeat majorem gloriam in suo intelligere, & gloria majorem sapientiam in suo glorificare; quæ majoritas producit æqualitatem Suppositorum infinitorum & æternorum in bonitate &c.; sinè quibus sapientia non posset esse infinitè & æternaliter in gloria, nec gloria in sapientia: ergò in DEO est Pluralitas.

9. Perfectio se habet ita propriè, ita infinitè, ita veraciter, ita virtuosè, ita justè & ita æternaliter ad perficiendum, sicut sapientia ad intelligendum: unde si perfectio non posset dare perfectum, qui sit perfectio æternaliter & infinitè, eò quia est infinita & æterna perfectio, sequeretur, quòd sapientia non posset dare suo intelligere infinitè & æternaliter perfectionem; eò quia suum intelligere est infinita & æterna perfectio: & sic sapientia esset cum actu infinitè & æternaliter imperfectio, vel in nobilitate esset superior perfectione, & perfectio inferior; & sic sapientia esset & non esset perfectio; & hoc est contradictio: per quam demonstratur, quòd sapientia, quæ generat Filium ex se ipsa, quæ est infinita & æterna perfectio, possit dare perfectioni perfectum, quod est intelligere infinitum & æternum genitum; quod donum sapientia non posset dare sinè Pluralitate.

Si Justitia in virtute, magnitudine & perfectione contradicit sapientiæ, ne generet de se justum virtuosum, qui habeat omnem perfectionem sinè aliqua imperfectione, justitia sibi ipsi contrariatur & suomet actui & sapientiæ, magnitudini, virtuti & perfectioni cum bonitate, æternitate, potestate &c., quæ cum justitia sunt eadem Essentia & Natura; & hoc est impossibile: quia nisi esset impossibile, esset possibile, quòd sapientia haberet majorem nobilitatem sinè intelligere, quàm cum intelligere, & quòd justitia injuriosè esset nobilis, & justè vilis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Generatio, & per consequens Pluralitas; per quas demonstratur infinita remotio sapientiæ & ignorantiæ per Generationem & Processionem in sapientia; quæ remotio secundùm justitiam necessaria est infinitæ & æternæ sapientiæ & nobilitati.

11. Largitas & sapientia habent concordantiam cum justitia & magnitudine; & ideo sapientia habet majorem magnitudinem in largitate, largiente largitate majora & nobiliora & magis convenientia dona, quàm minora & minùs nobilia, quæ largitur, ut sapientia habeat majorem & nobiliorem actum intelligendo supradicta dona data à largitate: sed quia major largitas, quæ possit intelligi, est illa, quæ ex DEO largitur DEUM incessanter, infinitè & æternaliter cum bonitate &c., ideo de necessitate convenit, quòd sapientia in veritate & justitia & in suamet essentia & natura intelligat majorem & nobiliorem largitatem, quæ possit intelligi; quia nisi ita intelligeret, ipsa esset potentia, ut posset multiplicare suam virtutem, quæ esset in imperfectione virtutis & actûs; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Pluralitas.

12. Sapientia & intelligere habent majorem concordantiam in simplicitate, quàm in compositione; & ideo in DEO, in quo non est compositio, sed pura simplicitas, sapientia habet majorem simplicitatem & nobilitatem, si est intelligibilis & intellecta, & minorem, si non est intelligibilis nec intellecta, & justitia est cum parvitate virtutis & cum vilitate simplicitatis contra intelligibilitatem sapientiæ, nisi justitia sit intellecta ab æquali simplicitate & sapientia & à sua intelligibilitate; & per confusionem intelligentis, intelligibilis & intellecti est privatio infinitæ perfectionis, amoris & virtutis; quæ privatio est impossibilis, ad hoc, ut simplicitas & sapientia sint sinè confusione intelligentis, intellecti & intelligibilis æternaliter & infinitè eadem Essentia & Natura in intelligere, & ut per Generationem & Processionem, in qua sit infinita & æterna distinctio Personarum, conservetur simplicitati & sapientiæ nobilitas, quæ eis convenit per intelligere & per intelligibilitatem & per intellectum; quæ conservatio non posset esse sinè Generatione.

13. Infinita justitia non posset satisfacere nobilitati, quæ convenit intelligibilitati sapientiæ, sinè distinctis Suppositis, quæ per Essentiam sint nobilitas, intelligentia, sapientia, infinitas, justitia &c., quolibet eorum intelligente intelligibilitatem alterius, ut justitia det intelligibilitati nobilem in nobilitate, quæ illi convenit, & ut in intelligibilitate sit productus nobilis in nobilitate per actum essendi & operandi; sinè quo actu operandi justitia non posset complere omnem nobilitatem, quæ convenit sapientiæ & suis actibus: cui convenientiæ de necessitate convenit Pluralitas.

De Amore & Pluralitate.

1. BOnitas divina non esset amabilis sinè fructu magnitudinis, æternitatis &c.; sed quia est amabilis, convenit, ipsam esse cum fructu in magnitudine, æternitate &c.; qui fructus non esset, nisi bonitas specificet & operetur naturaliter aliquod bonum de sapientia æternaliter & infinitè per totam æternitatem & infinitatem bonitatis, magnitudinis &c.; per cujus fructûs privationem bonitas esset odibilis: sed quia est amabilis, convenit, quòd bonum ab ea productum sit æternum & infinitum per omnes dignitates, & quòd ametur ab amore infinitè & æternaliter in se ipsa, in sapientia & in aliis dignitatibus DEI: unde cùm conveniat, hoc ita esse secundùm magnitudinem justitiæ, de necessitate demonstratur, in DEO esse Pluralitatem.

2. Magnitudo amoris est, amorem diligere suam magnitudinem, ingrediente ipso magnitudinem ad diligendum eam infinitè & æternaliter per virtutem generativam & per bonitatem &c., & procedente ab illa virtute amato per infinitam & æternam bonitatem &c., mediante virtute spirativâ; sed cùm amor non posset ita perfectè se diligere, sicut magnitudinem, sinè Generatione & Processione, per quas in amante esset ingrediens, & ab ipso amante procedens infinitè & æternaliter, & conveniat, amorem se diligere in tanta magnitudine, quanta est infinitas & æternitas bonitatis &c., ideo de necessitate sequitur, in DEO esse omne id, per quod amor perfectè diligat suam magnitudinem, & magnitudinem aliarum dignitatum: ergò in DEO est Pluralitas.

3. Æternitas est tam nobilis, quòd sit digna amari, quam amor non diligeret, nisi diligeret actum illius, quod est æternificare; sinè quo æternitas in nobilitate non esset æqualis amori, cujus actus est amare: unde si æternificare est actus æternitatis, & non producit amatum æternaliter, amor perversus in odium odit æternum amatum productum ex æternificare, quod esset amatum, si diligeretur ab amore, & haberet infinitam magnitudinem bonitatis &c.;

cùm amor, poteſtas & ſapientia habeant infinitam magnitudinem & virtutem, quam haberent ſinè perfectione, juſtitia, ſimplicitate & nobilitate, ſi amor perverſus in odium odiret æternum amatum, qui ſit Filius actus æternitatis; ſed quia eſt impoſſibile, in amore, poteſtate & ſapientia eſſe privationem juſtitiæ &c., per hoc demonſtratur, in DEO eſſe Pluralitatem, per ſupradicta principia.

4. Potèſtas bonitatis &c. eſt magìs contraria malo per opus bonitatis &c., quàm ſinè opere bonitatis &c.; & ideo convenit, quòd amor diligat hoc opus in bonitate &c., per quod poteſtas bonitatis &c. ſit magìs contraria malitiæ &c.; quæ malitia &c. eſt indigna eſſe æterna & infinita &c.; & ideo convenit, quòd amor diligat in DEO infinitum & æternum opus bonitatis &c.; cui operi non reſiſtat malitia &c., & in quo amor fruatur ſuâ poteſtate infinitè & æternaliter in ſe & in aliis dignitatibus; quod opus non poſſet eſſe ſinè pluralitate, nec amor poſſet habere poteſtatem ſinè pluralitate, quòd ex DEO diligeret generare DEUM, nec producere DEUM æternaliter & infinitè, ut amor tantùm diligeret inceſſanter ſe & infinitè DEUM & opus ejus in ſe ac in aliis divinis Dignitatibus.

5. Convenit, Sapientiam ſcire ſecundùm juſtitiam, quòd amor diligat eſſe DEUS, & quòd amor ſit DEUS; & quia amor eſt DEUS, & diligit eſſe DEUS, convenit, quòd amare ejus producat DEUM ex DEO; quia ſi illum non produceret, ſapientia ſciret, quòd ipſum amare amaret, non eſſe DEUM, eò quòd non produceret magnum æqualem DEO in magnitudine bonitatis &c., ſicut patet in homine, qui diligit eſſe homo, & eſt homo, & tantò minus eſt ejus amare, quàm homo, in quantum non producit hominem: ſi verò ejus amare operando eſſet æquale homini, produceret hominem ita perfectum, ſicut homo, qui diligit eſſe homo: unde cùm hoc ita ſit, in hoc puncto (ita loquendo) intelligitur divina productio, & in hac productione intelligitur, pluralitatem eſſe; cujus pluralitatis habetur aliqua major ſimilitudo & diſſimilitudo in ſimplici igne habente naturalem appetitum ad eſſe ſimplex, & eſt ſimplex, qui generat ignem compoſitum ſenſibilem, quem non poteſt generare ſimplicem, eò quòd habet ipſum generare & operari in materia compoſita de omnibus elementis.

6. Virtus creata eſt major per exiſtentiam, quàm per opus, ut in exiſtentia ſit potentia ſe habens ad opus; ſinè qua potentia opus ejus ita deficeret, ſicut deficeret opus ignîs, ſi ipſe totus intraret in ſuum opus, nec in prima materia nec in ſua ſimplicitate remaneret pars in potentia: & quia divinus amor diligit eſſe virtus, & eſt tota virtus, convenit, quòd ſuum amare producat opus virtutis æquale ipſi virtuti in magnitudine bonitatis &c.; per quam æqualitatem convenit, eſſe productum DEUM genitum, ut actus amoris diligentis non conveniat cum parvitate, minoritate, vilitate & imperfectione, & ne amor & virtus ſint in potentia, ſed ut totus amor & tota virtus per exiſtentiam ſit in actu operandi; in quo actu virtus & amor non poſſent eſſe ſinè pluralitate; ex qua ſequitur productio virtutis & amoris.

7. In Veritate divina fortiùs ſequitur opus amoris per amare, quàm opus ignîs in igne per calefacere, & quàm opus in ſole per illuminare, & quàm opus intellectûs creati per intelligere; nam veritas, amor & amare in DEO ſunt eadem Eſſentia; ſed ignis non eſt eadem eſſentia cum ſuo calefacere; & hoc idem ſequitur de ſole & ſupradicto intellectu: unde cùm hoc ita ſit, de neceſſitate convenit, quòd per amorem in veritate ſequatur perfectius opus & magìs diſtinctum, quàm in igne per calefacere, & quàm in ſole per illuminare, & quàm in intellectu creato per intelligere; quia niſi hoc ita eſſet, actus majoris conveniret cum minoritate, & actus ſupradictorum ignîs, ſolis & intellectûs conveniret cum majoritate, & veritas, quæ convenit cum opere ſpecificato, haberet contrarietatem cum amore in verificare per imperfectionem amandi; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, in DEO eſſe Pluralitatem.

8. Gloriam divinam convenit eſſe cum tanta virtute, perfectione & nobilitate in infinita magnitudine & æternitate, quòd ſit amabilis & amata ab amore; maximè cùm conveniat, divinum Amorem diligere infinitè & æternaliter cum tota nobilitate & perfectione bonitatis &c.; & ideo convenit, divinam Gloriam per Eſſentiam & per Naturam eſſe infinitam & æternam gloriam,

riam, in qua ſit infinita & æterna bonitas &c.; nam gloria, ex qua non ſit productus glorioſus in gloria, & in qua non ſit ſpecificativa gloria infinita & æterna cum ſpecificato virtuoſo in bonitate &c., non eſt amabilis ad eſſendum eadem Eſſentia & Natura cum divino Amore, quem convenit amare maximam gloriam, quam divina Sapientia poſſit intelligere, & quam divina Poteſtas poſſit informare in ipſo amare amoris; quod amare ſapientia poteſt intelligere, & poteſtas informare per infinitam & æternam productionem Gloriæ generativè & proceſſivè, ſi in DEO eſt pluralitas Perſonarum, ſinè quibus gloria non eſſet amabilis, nec poteſtas poſſificabilis per infinitum amorem &c.; ergò in DEO eſt pluralitas, cùm neceſſariò conveniat, in DEO eſſe majorem gloriam, quam amor poſſit amare, & quam poteſtas poſſit informare in amore ſecundùm magnitudinem bonitatis &c.

9. Amor informat ſuum amare cum Perfectione, ſicut ignis informat ſuum calefacere cum calore; & ideo convenit, in amore eſſe amare, ut poſſit infinitè & æternaliter perficere, quod eſt actus perfectionis & amoris, in quantum perfectio & amor ſunt eadem eſſentia & natura: unde ſi ex perficere & amare non produceretur virtus per diſtinctionem, per veritatem & per conſervationem communis Eſſentiæ Perſonarum, perficere & amare in DEO eſſent ſuperfluitas, & amor non diligeret cum juſtitia nec cum perfectione; & hoc eſt impoſſibile, ad hoc, ut amor cum perfectione & juſtitia diligat maximam perfectionem, quam poteſt diligere, quæ ſit in perfectione, quæ ſit DEUS, à quo generetur & procedat DEUS, ſic, ut amor amet, ipſos inſimul eſſe unum DEUM cum omni perfectione bonitatis: ergò in DEO eſt Pluralitas.

10. Juſtitia juſtificat ſuo actu, quòd amor diligat majorem juſtitiam, quam poſſit diligere; & hoc fit à juſtitia, eò quia eſt amabilis, & ne actus amoris conveniat cum injuria & minoritate: & quia convenit, amorem diligere, ſe eſſe in infinitate magnitudinis, bonitatis &c., ideo convenit, amorem diligere, quòd ex ſe ipſo generetur amatus & procedat amatus infinitè & æternaliter in bonitate &c., ſic, ut inſimul eſſentialiter & naturaliter Supposita ſint amor: unde ſi ſecundùm magnitudinem juſtitiæ convenit, amorem ita diligere, & non ita diligat, amor eſt inobediens juſtitiæ, & reſiſtit ſuæmet naturæ, quæ eſt juſtitia; ſi verò amor diligeret, ſecundùm quòd requirit juſtitia, & in ſuo amare non haberet perfectionem, poteſtas haberet imperfectionem propter privationem infinitæ virtutis & largitatis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd amor poſſit habere omne id, quod ſecundùm juſtitiam poteſt amare: ergò in DEO eſt Pluralitas.

11. Largitas eſt magìs amabilis in magìs nobili actu, quàm in minùs nobili; & quia major largitas, quæ poteſt eſſe, eſt, quòd DEUS detur DEO, ideo convenit, amorem diligere, quòd largitas largiatur DEUM DEO; qui DEUS datur DEO, dum ex DEO generatur DEUS Filius, & datur ei Eſſentia & Natura, per quam ſit DEUS, & det DEUM per virtutem ſpirativam, procedente Sancto Spiritu à Patre & Filio, qui procedat in Naturam & Eſſentiam, quæ ſit DEUS, ſicut virtus creata progreditur in virtutem tunc temporis, dum Fides vel Spes informant idem ſubjectum per ſpecificatam virtutem: & quia, ſecundùm quòd ſuprà dictum eſt, Largitas eſt amabilis, ideo convenit, eam diligi ab amore, ſecundùm quòd juſtitia æternaliter & infinitè juſtificat amare, ſecundùm quòd amabilitas convenit largitati, & ſecundùm quòd poteſtas poteſt complere ipſi amori omne id, quod illi convenit ad habendum & complendum ſuum velle: ergò in DEO eſt Pluralitas.

12. Simplicitas, quæ eſt in DEO, convenit tantæ infinitati magnitudinis & durationis, quòd ſinè diſtinctis proprietatibus perſonalibus infinitis, æternis & æqualibus, quæ ſint una ſuprema Simplicitas, conveniret, amorem amare omne malum, quod ſcit ſapientia; & quia eſt impoſſibile, quòd amor diligat peccatum, quod eſt malum, quod convenit ſciri & puniri à juſtitia, ideo convenit per virtutem ſpecificatam infinitam & æternam in Suppoſitis ſimplicibus, æqualibus, concordantibus & diſtinctis æternaliter & infinitè, quòd amor poſſit amare omne bonum, quod ſcitur à ſapientia, ne diligat aliquod malum, quod contrariatur juſtitiæ: ergò in DEO eſt Pluralitas.

13. Major Nobilitas amoris eſt diligere magnam virtutem operis, quàm parvam; ſi autem amor non vellet, quòd ſuum amare produceret DEUM in amore infinito & æterno &c.,

no &c., sequeretur, quòd amor haberet majorem nobilitatem in diligendo minus opus virtutis, quàm majus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd amor diligens possit satisfacere suo actui de nobilitate, quæ illi convenit; cui actui amor faceret injuriam & vilitatem, si perversus in odium odiret productum amoris, qui sit DEUS dilectus & productus ab amore in suo amare; quod amare nullam perfectionem haberet in nobilitate, nisi de sua virtute sequeretur nobilitas, quæ esset DEUS; ergò in DEO est Pluralitas: cui pluralitati non potest contradici à compositione, nec à tempore, nec à quantitate, nec à loco, nec ab aliquo accidente; cùm amor infinitè & æternaliter diligat suum amare cum bonitate &c.; quod amare habet amor æquale sibi ipsi in nobilitate cum productione generativa & spirativa in infinita magnitudine &c.; sinè qua æqualitate esset minoritas in divino amore & in suo actu.

De Virtute & Pluralitate.

1. BOnitas est dignitas per se stans in DEO, & ipse est omne bonum, quod est in magnitudine, æternitate &c.; & quia bonitas nec in se nec in aliis dignitatibus aliquid esset sinè virtute, ideo convenit, virtutem esse in tanta magnitudine, quòd possit sufficere bonitati, ut bonitas possit infinitè & æternaliter esse in se ipsa & in aliis dignitatibus divinis; quæ virtus non sufficeret infinitæ & æternæ bonitati sinè infinita & æterna Generatione & Spiratione; ut bonitas incessanter, infinitè & æternaliter fruatur virtute in se & in omnibus divinis Dignitatibus: quia sicut virtus solis per existentiam tantùm non posset sufficere potentiæ vegetativæ sinè incessante & operante influentia, ita divina Virtus sinè Generatione & Processione infinita & æterna non posset per existentiam tantùm sufficere iis omnibus, quæ conveniunt actui & fruitioni bonitatis: ergò in DEO est Pluralitas.

2. Magnitudinem virtutis convenit generare magnum ex bonitate in bono, & ex æternitate in æterno, & sic de aliis, & quòd procedat per virtutem bonitatis in bono, & æternitatis in æterno, & sic de aliis; & hanc Generationem & Processionem convenit esse infinitam sinè omni accidente & motu, ut magnitudo non habeat quantitatem nec terminationem: unde si infinitæ virtuti esset superfluum aut vilitas aut impossibile productiva natura, in qua esset virtus generativa & processiva infinitè & æternaliter cum bonitate &c., virtus esset contraria suæmet entitati, naturæ & proprietati cum infinitate & æternitate, & cum nobilitate sui ipsius destrueret suam infinitatem; & hoc est impossibile: quia sicut radius solis ingrederetur majorem magnitudinem virtutis, si ex sole egrederetur, & in solem ingrederetur, sic, ut esset sol per se, & ejus egressus esset sol, quàm cùm ingreditur ignem & aërem, qui non sunt sol, nec de natura solis, ita divina Virtus est major in simplicitate & infinitate &c. virtuoso procedente ex virtute, qui virtuosus sit virtus & procedat in virtutem, sic, ut amor cum justitia habeat majorem naturam & entitatem virtutis, quam potestas potest dare, & quam sapientia potest intelligere: ergò in DEO est Pluralitas.

3. In Æternitate non esset virtus nobilitatis in perfectione, cessando æternaliter & infinitè; nam cessatio virtutis est ita privatio boni &c., sicut tenebræ sunt privatio lucis; & quia æternitati convenit, quòd virtus sit in ea infinitè & incessanter, convenit, quòd æternitas æternificet virtuosum, & potestas ipsum possificet, & justitia ipsum justificet, & sic de aliis, ut virtus incessanter virtuificet in æternitate &c., ne sit injuriosa & otiosa, & ne, priusquam mundus esset, & nunc, dum mundus est, sit potentia, sed purus actus; qui actus non esset, si virtus productiva faceret cessare influentiam suæ possibilitatis, quam habet virtus per se ipsam & per omnes dignitates: ergò in DEO est Pluralitas.

4. Virtus conveniret tantùm cum potestate existentiæ in duratione, si virtuti disconveniret operatio; sinè qua potestas non haberet virtutem, nisi tantùm in æternitate, in qua esset sinè bonificare, magnificare &c.; si autem virtus sufficeret potestati sinè intelligere, amare & durare, sic, ut illi esset inconveniens possificare, virtuificare, bonificare, magnificare &c., potestas esset composita ex perfectione & imperfectione in virtute; quæ virtus haberet existentiam cum vilitate in suamet potestate contra suam propriam nobilitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd virtus habeat in se

in se ipsa & in omnibus dignitatibus potestatem, quæ ipsi convenit: ergò in DEO est Pluralitas.

5. Sapientia potest plus scire per majorem virtutem, quàm per minorem, & virtus potest plùs dare & communicare semet ipsam majori sapientiæ, quàm minori; & quia sapientia & virtus conveniunt in infinita magnitudine, æternitate &c., idcirco vult amor cum justitia & nobilitate, & potestas, quæ est justa & perfecta, potest id, quod vult amor, scilicet, quòd virtus magnificet in se ipsa sapientem, virtuosum, magnum, æternum &c., in quo sapientia sciat virtutem infinitam & æternam &c., sciendo se ipsam in ipso æqualem virtuti: quia sicut ignis magnificando suum calorem multiplicat suum splendorem, ita & multò meliùs sinè comparatione virtus magnificando suum virtuosum infinitè in se ipsa magnificat sapientiam in sapiente, quem virtus generat de se ipsa; sinè cujus generatione virtus non posset in sapientia magnificare æternaliter & infinitè, nec sapientia intelligeret æternum opus virtutis nec infinitum, nec, cessante bono in bonitate & magno in magnitudine, & sic de aliis: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Amor plùs diligit in majori virtute, quàm in minori; & ideo virtus est magìs amabilis in magnitudine, quàm in parvitate; si autem virtus virtutis est intrante virtuoso in virtutem per Generationem, & procedente virtuoso ex virtute in virtutè per Spirationem, ita, quòd insimul sint una virtus per Essentiã, in qua est infinita virtus &c., virtus magis amabilis esset minùs amabilis sinè productione, Generatione & Spiratione infinita &c.: & quia veritas & justitia complent amori id, per quod virtus est magìs amabilis, ut amor plùs possit diligere, ideo convenit, quòd in divina Virtute sit generare & procedere; & sic in DEO est Pluralitas.

7. Virtus est ita nobilis & perfecta in veritate, sicut in sapientia; & ideo convenit, quòd virtus sit ita fortiter verificabilis, sicut intelligibilis; quæ virtus sinè Generatione & Processione, in quibus sit virtuosus verificatus ex veritate in virtutem, quæ sit virtus & veritas, virtus non esset ita verificabilis realiter, sicut intelligibilis rationaliter, cujus intelligibilitas conveniret cum minoritate, nisi realitas verificabilis & infinita in virtute conveniret cum rationalitate: ergò in DEO est Pluralitas, ad hoc, ut ratiocinari & majoritas conveniant cum esse per influentiam verificabilitatis & realitatis infinitæ & æternæ.

8. Glorioſus, qui est ex Gloria infinita & æterna &c., non contradicit virtuti nec infinitati &c.; quia gloria contradiceret suæmet naturæ, quæ natura est infinita & æterna virtus: unde si illi non contradicit, convenit, quòd gloria conveniat cum virtute generando infinitum & æternum virtuosum glorioſum, in quo gloria sit eadem Essentia & Natura cũ virtute sinè distinctione gloriæ in gloria, & gloriæ & virtutis in virtute, sed sit tantùm distinctio glorioſi virtuosi à glorioſo virtuoso, in quibus nulla est distinctio gloriæ à virtute, ne in illis sit limitatio magnitudinis, æternitatis &c., nec distinctio Entitatis, Essentiæ & Naturæ, sed ut virtus potestatis, magnitudinis &c. per hoc sit magis remota à parvitate & vitio: quia sicut clarificatio, quam ignis habet à radio solis majorem, quàm à se ipso, esset major in sole, si sol clarificaret se ipsum cum se ipso, ita, quòd claritas & sol essent clarificans in clarificato, sic & multò meliùs sinè comparatione sunt in DEO gloria & virtus in infinitate &c., si gloria est ex gloria, & virtus ex virtute, & è converso, productivè in glorioso æterno &c., glorioso & virtuoso existentibus in gloria & virtute: ergò in DEO est Pluralitas, cùm justitia faciat, gloriam, virtutem & largitatem convenire cum amore & magnitudine.

9. Divina Virtus haberet imperfectionem in Perfectione, si perficere perfectionis privaretur in infinita virtute, in qua virtute se perficit perfectio per totam virtutem, quæ convenit cum bonitate & bonificare, & sic de aliis; quia si perfectio non perficeret in virtute æternaliter & infinitè, virtus perfectionis non posset sufficere huic, in quo convenit, ipsas convenire cum omnibus dignitatibus & actibus earum: sed si perfectio perficit in virtute sinè pluralitate divinarum Personarum, ne sit in ipsis distinctio Essentiæ, nec compositio, nec principium, nec indigentia, nec motus, ipsa fortiùs perficeret in virtute, si perficeret in divinis Personis distinctis & conservantibus Unitatem Essentiæ conservando simplicitatem, in qua non sequatur compositio, nec principium, nec indigentia, nec motus, nec aliquod accidens in virtute, nec in aliqua dignitate; & cùm id, per quod convenit, perfectionem habere majorem virtutem,

tem, conveniat esse in virtute & in veritate secundùm potestatem, justitiam &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

10. Justitiæ divinæ convenit justificare virtutem in se & in bonitate, magnitudine &c., secundùm quòd convenit cuilibet dignitati & suo actui existenti & operativo; & ideo convenit, justitiam magnificare ex se ipsa per totam virtutem bonitatis &c. sinè diminutione & multiplicatione sui ipsius & virtutis & omnium dignitatum; sinè quo magnificare justitia non posset sufficere ad infiniendam virtutem in bonificare, æternificare &c.; quia si in justitia non esset magnificare, sed tantùm justificare, æternaliter conveniret esse diminuere & non diminuere in virtute; & hoc est impossibile & contradictio: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO sit Pluralitas; in qua pluralitate justitia conservat æqualitatem concordantiæ virtutis in omni eo, quod convenit omnibus dignitatibus; quæ conservatio esset impossibilis, si justitia non magnificaret nec æternificaret in virtute per Generationem & Processionem in omnibus dignitatibus, conservando unam Essentiam & Naturam in Deitate.

11. Si in Largitate per Generationem est virtus ex virtute, tunc procedit virtus in largitatem, & largitas in virtutem, & natura largitatis & virtutis conservatur in Unitate Essentiæ, & per Essentiam & operationem conservatur perfectio largitatis in virtute & in se ipsa, & è converso: per quam perfectionem largitas potest largificare in virtute per omnes dignitates; in qua virtute largitas non posset largificare sinè generare ex virtute infinitum virtuosum datum per infinitam virtutem, qui virtuosus sit una bonitas &c., ut ipse existens datus sit per totam bonitatem &c.; per quam totalitatem donum datum sit bonum æternum &c.: ergò in DEO est Pluralitas, sinè qua pluralitate largitas non posset largificare de se intrinsecè per totam virtutem, quæ convenit bonitati.

12. Simplicior est virtus, in qua potestas potest possificare in sua entitate, & in qua bonitas potest bonificare in se & in aliis, quàm virtus, in qua potestas &c. non possunt possificare in suamet entitate; & per majorem simplicitatem virtutis potestas potest magis simplificare in majori virtute suî & in se, & potest meliùs simplificare suam virtutem cum omnibus dignitatibus per majorem virtutem, quàm per minorem; quam minorem virtutem haberet potestas, nisi in se intrinsecè posset generare ex se ipsa virtuosum, qui procederet in naturam & essentiam potestatis & virtutis, quæ sunt in una essentia & natura cum omnibus dignitatibus sinè distinctione Essentiæ & Naturæ; sed quia potestas, simplicitas & virtus sunt idem cum magnitudine, potestas esset in simplicitate & virtute contra magnitudinem, si cum fragilitate & parvitate sui ipsius contradiceret magnitudini simplicitatis & virtutis: ergò in DEO est Pluralitas.

13. Nobilitas virtutis est, virtutem esse magnam infinitè & æternaliter per totam bonitatem, potestatem &c.; & quia virtuti convenit nobilitas, eò quia nobilior est in magnitudine, quàm in parvitate, ideo convenit, quòd virtus habeat in se proprietatem & naturam, quæ conveniunt nobilitati; quæ proprietas & natura non haberet virtutem, si fortiùs conveniret, eam creare virtutem in creatura, quàm producere nobilem in se ipsa, à qua oriatur infinitè & æternaliter per totam nobilitatem bonitatis &c.; eodem modo & multò meliùs, sicut ignis simplex, qui generat ignem compositum, à quo egreditur ignis in specie ignis: unde de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem, ne in divinis Dignitatibus sequantur supradicta inconvenientia.

De Veritate & Pluralitate.

1. BOnitas & veritas contradicunt malitiæ & falsitati; & ideo contradicitur malitiæ & falsitati ab æternitate, magnitudine &c., quæ cum bonitate & veritate in Essentia sunt unum & idem; sed si bonitas, magnitudo &c. in veritate producant verum bonum, quod sit æternaliter & infinitè, bonitas æternaliter & infinitè contradicit malo cum veritate, ne sit infinitum & æternum, & veritas æternaliter & infinitè contradicit falsitati cum bonitate, ne sit infinita & æterna &c.; quæ contradictio est in productione geniti boni, veri, infiniti, æterni &c.; sinè qua productione non contradiçeretur malitiæ nec falsitati infinitè & æternaliter &c., & bonitas, veritas &c. essent infinitè & æternaliter &c. in otiositate, & contra suam essentiam & naturam, si non contradicerent malo & falsitati: ergò in DEO est Pluralitas.

2. Veritas potest plùs verificare in magnitudine infinita & æterna, quàm in parvitate terminata habente principium & finem; & quia potestas & veritas in DEO sunt una eadem Essentia cum magnitudine infinita & æterna &c., & parvitas & ejus limitatio sunt principium & finis, non tamen ex essentia & natura veritatis, magnitudinis &c. (quæ superfluitas potest continere falsitatem) ideo convenit, quòd divina veritas verificet verum magnum fortiùs & magis distinctè in se ipsa intrinsecè in magnitudine, æternitate, quàm verum parvum extrinsecè; & hoc convenit ita esse, ut veritas conveniat cum infinita magnitudine &c., generando per magnitudinem infinitam, æternam &c. verũ infinitum æternum &c., ex quo procedat verus in veritate procedendo ex veritate infinita æterna &c.; sed quia sinè pluralitate hæc productio non potest esse, ideo in DEO est Pluralitas.

3. Æternitati convenit æternificare, & veritati verificare; unde si æternitas in veritate non æternificat, & veritas in æternitate non verificat, æternitas est otiosa in veritate, & veritas in æternitate: unde si hoc ita est, sequitur, quòd æternitas ex sua propria natura sinè veritate habeat existentiam & durationem, & è converso, nec sequitur, ipsas esse eandem essentiam, nec sequitur, influentiam, quæ descendit huc ad nos ex æternitate & veritate, esse ex uno principiante tantùm, qui est unus DEUS; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd æternitas æternificet verum æternum in veritate, & quòd veritas ipsum verificet in æternitate, quæ æternificatio & verificatio non possunt esse sinè pluralitate & sinè unitate essentiæ æternitatis & veritatis.

4. Si divina Potestas non potest verificare in se ipsa, eò quòd sit ipsamet veritas, ipsa posset verificare in se ipsa, nisi esset veritas; & hoc est contradictio, per quam demonstratur productiva virtus in distinctis Personis: & si hoc non esset contradictio, potestas posset plùs possificare in veritate, & veritas plùs verificare in potestate, potestate & veritate non existentibus eâdem divinâ Essentiâ nec eâdem Naturâ, & potestas posset plùs possificare, si potestas esset veritas, & è converso; sed quia hæc contradictio est impossibilis, ideo manifestè probatur, divinam Pluralitatem esse, quæ est possificante potestate in suamet veritate, & verificante veritate in suamet potestate Personas existentes distinctas per proprietates personales, non tamen distinctas per Essentiam nec per communes proprietates, per quas potestas & veritas sunt unamet Essentia, Natura & proprietas.

5. In Sapientia veritas se habet tam fortiter ad esse verificabilis per verum, sicut sapientia se habet ad esse intelligibilis per intellectum: unde cùm sapientia & veritas sint una & eadem Essentia, & secundùm justitiam, perfectionem & potestatem, amorem & nobilitatem conveniat, quòd sapientia sit intellecta in intellecto, postquam est intelligibilis in intellecto, & veritas sit verificata in vero, postquam est verificabilis in vero, ideo convenit, quòd intelligibilitas sit intellecta, & verificabilitas verificata in propriis Personis distinctis; sinè quibus sapientia esset intelligibilis, & non intellecta, & veritas esset verificabilis, & non verificata, & sic injuria esset in potestate; hoc autem est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas: si verò sapientia esset intellecta per se ipsam, esset superfluum, ipsam esse intelligibilem: & si non esset intelligibilis, ejus nobilitas esset in parvitate virtutis & perfectionis &c.: si verò esset intelligibilis & intellecta sinè pluralitate Personarum, esset cum majori virtute in nobilitate, quàm veritas, quæ sinè divinis Personis distinctis non posset esse verificabilis nec verificata in Persona; quæ majoritas virtutis & nobilitatis est impossibilis.

6. Amor, magnitudo & justitia insimul concordant; & ideo amor in veritate diligit verificare æternaliter & infinitè, ut inde sit major possibilitas veritatis, & major impossibilitas falsitatis: unde si verificare esset superfluum veritati, quia veritas habet perfectionem, amare esset superfluum amori, quia amor habet perfectionem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO sit Pluralitas, quia amor generans ex se ipso diligit verum, existente amore unâ eâdem essentiâ cum veritate; quæ veritas generando ex se ipsa producit verum dilectum, ut ipsius amor & veritas sint una eadem Essentia cum actibus perfectis, quos habent in distinctis Suppositis informatis per relationem generationis; quæ Supposita cum amore & veritate sunt eadem Essentia & Deitas per magnitudinem bonitatis &c.

7. Virtus divinæ Pluralitatis habet tantam veritatem, quòd supponendo per Fidem,

in DEO esse Pluralitatem, nulla ratio possit destruere rationem, quæ per suppositionem proponitur ad fortificandam veritatem Fidei supponentis, in DEO esse Pluralitatem; quæ veritas Fidei est indestructibilis ab omni ratione ei contradicente; & hoc est ideo, quia Fides habet majorem veritatem in majoritate virtutis, quàm in minoritate: ergò in DEO est Pluralitas.

8. Gloria in DEO est veritas, & è converso; sed sinè pluralitate esset impossibile, quòd gloria in veritate glorificaret, & quòd veritas in gloria verificaret; & si gloria non glorificaret in veritate, & veritas non verificaret in gloria, gloria esset idem cum veritate in vilitate & imperfectione justitiæ & virtutis contra bonitatem, magnitudinem, potestatem, sapientiam & amorem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd gloria in veritate glorificet, & veritas in gloria verificet, generante gloriâ, quæ est veritas, & generante veritate, quæ est gloria, Filium, qui est gloria & veritas; in quo Filio gloria & veritas sunt glorificantes & verificantes isto modo, videlicet, quòd gloria, quæ est Pater, glorificet veritatem, quæ est Filius, & veritas, quæ est Pater, verificet gloriam, quæ est Filius, Patre & Filio existentibus unâ eâdem Essentiâ, quæ sit veritas, gloria &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

9. In Perfectione virtutis DEI convenit hoc opus secundùm infinitam bonitatem &c., scilicet, quòd perfectio in veritate perficiat, & veritas in perfectione verificet, ut perfectio & veritas sint idem in eadem essentia; quæ essentia non posset esse, nisi perfectio, quæ est Pater, generaret de se ipso Filium, qui est eadem perfectio, & nisi Pater, qui est veritas, generaret de se Filium, qui est eadem veritas; in qua Generatione producitur Filius, ut perfectio & veritas sint eadem Essentia in Paternitate & Filiatione, veritate & perfectione habentibus in illa essentia suos actus veros & perfectos: ergò in DEO est Pluralitas; quæ pluralitas demonstratur ad modum ignis, qui, si simplex posset generare ex se ipso ignem sinè compositione aliorum elementorum, ignificaret ignem simplicem in igne simplici, & haberet majorem virtutem, & ejus opus esset verum, perfectum & incorruptibile; cujus opus est corruptibile, eò quòd ignis simplex generet ignem compositum, in quo ignificat per tantum temporis, quantum ignis compositus sufficit & durat in suis suppositis elementatis ex omnibus quatuor elementis.

10. Justitiæ divinæ convenit in veritate verificare, & veritati divinæ convenit in justitia justificare, ut justitia sit justificans in veritate, & ut similiter veritas sit verificans in justitia, justificatione & verificatione existentibus in justitia & veritate: unde si justitia, quæ est veritas, & si veritas, quæ est justitia, non generarent in se ipsis justum & verum, justitia non posset esse in veritate, nec veritas in justitia, nec justificare in verificare, nec verificare in justificare: ergò secundùm justitiam & veritatem cum bonitate &c. de necessitate convenit, generari justum verum; cujus Generatio non posset esse sinè Pluralitate.

11. Largitas contradiceret justitiæ in veritate, si detineret id, per quod veritas plùs potest magnificare se ipsam per magnitudinem, æternitatem &c.; & quia justitia & veritas sunt idem, ideo convenit, quòd justitia justificet ex largitate in veritate tantam magnitudinem, per quam veritas possit justificare, secundùm quòd amor vult illud verificare secundùm justitiam & magnitudinem; qui amor diligit, veritatem esse in magnificare, æternificare &c., ut verificatum sit in tam excellenti & in tam perfecta nobilitate, quòd sit impossibile, verificationem veritatis esse uno puncto seu momento magis remotam à falsitate, quàm est; qui punctus & momentum non essent impossibilia, nisi veritas generaret æternaliter & infinitè infinitum & æternum verum, à quo procederet verus infinitus & æternus in natura veritatis; sinè quibus, scilicet vero genito & vero procedente, falsitas esset uno puncto seu momento magis propinqua divinæ veritati, contradicente largitate suam̃et virtutem veritati; quæ contradictio est impossibilis: ergò in DEO est Pluralitas.

12. In Simplicitate convenit, veritatem verificare, eò quòd veritas non est falsitas, sed quia est simplex veritas: unde si veritas non verificaret, eò quòd non est falsitas, sequeretur, quòd ejus simplicitas non contradiceret falsitati, & veritas contradiceret falsitati in compositione sinè simplicitate; & hoc est impossibile: ergò veritas in sua simplicitate & cum simplicitate contradicit falsitati, quæ falsitas in simplicitate nihil est, generante veritate in sua simplicitate verum simplicem verificatum in simplicitate & veritate: ergò in DEO est Pluralitas, sinè qua Generatio nunquam esset; & sinè Generatione infinitè & æternaliter &c. in simplicitate & cum simplicitate veritas non contradiceret falsitati; existente falsitate infinitè & æternaliter in privatione; in qua infinitate & æternitate magis contradicit falsitati & compositioni per Generationem & Processionem infinitè & æternaliter &c., quamvis falsitas & compositio conveniant cum privatione, quàm in subjecto creato, in quo falsitas & compositio simul sunt.

13. In Nobilitate nulla est negatio contradicens affirmationi, quæ convenit cum nobilitate; & quantò majori nobilitati negatio contradicit in DEO, tantò major est illa negatio in falsitate, ut nobilitas & veritas DEI habeant majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, & ut major veritas, nobilitas & affirmatio eam affirmans non sint in falsitate & vilitate: unde cùm hoc ita sit, affirmare, quòd in nobilitate DEI veritas producat DEUM æternum & infinitum in nobilitate sui ipsius & bonitatis &c., est major nobilitas, quæ possit esse affirmabilis in veritate; & sic in DEO est Pluralitas: quia sicut major falsitas esset magis affirmabilis, quàm minor, si ipsa haberet virtutem, quæ de se generaret falsum æternaliter & infinitè, in quo esset impossibilis essentia & natura veritatis & nobilitatis, ita major veritas in DEO est magis affirmabilis, quàm minor, per Generationem veri infiniti æterni &c.

De Gloria & Pluralitate.

1. CONvenit, divinam Bonitatem esse communicabilem magnitudini, æternitati &c. isto modo, hoc est, quòd infinitè & æternaliter inde resultet gloria in bonitate, magnitudine &c.; quia si bonitas non comunicaret cum omnibus dignitatibus, gloria non haberet id, per quod esset in aliis dignitatibus & in se ipsa; & sic esset sinè bonitate sui ipsius & aliarum dignitatum; & hoc est impossibile: unde convenit, gloriam esse communicabilem bonitati & omnibus aliis dignitatibus, sicut bonitas est communicabilis gloriæ & aliis dignitatibus; quarum communicabilitas sinè pluralitate realiter non posset esse in bonitate &c., generante bonitate, quæ est gloria, & generante gloriâ, quæ est bonitas, Filium bonum & gloriosum, qui est gloria in se ipso & in Patre & in omnibus dignitatibus; in quo Filio Pater, qui est ipsa eadem bonitas, comunicat cum omnibus dignitatibus, & quælibet earum per Patrem & Filium habet gloriam, ut quælibet dignitas per Essentiam sit gloria, & ut quælibet earum per Suppositа habeat in se gloriam, cum qua sit glorificata.

2. In divina Magnitudine gloria non potest esse pars Essentiæ & Naturæ, sed convenit, totam magnitudinem esse gloriam, & in gloria, & habere gloriã, & convenit, aliquod ens esse gloriam æternaliter & infinitè: unde si hoc non ita esset, gloria in DEO esset ita naturaliter, sicut quantitas & qualitas in substantia, & sicut risibilitas & voluntas in homine; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd gloria & magnitudo sint æquales in essentia & natura, entitate & totalitate substantiæ sinè distinctione substantiæ & æternarum & infinitarum dignitatum: sic igitur convenit, quòd gloria per infinitã magnitudinem det se ipsa in magnitudine, bonitate &c., producendo distincta Suppositа, quæ sunt ipsamet gloria; & ad glorificandum hoc pretiosissimũ Opus in suis operibus elementa habent aliquam similitudinem hujus supradicti operis producentia suas species, in quibus ignis generat ignem, & aër aërem, & sic de omnibus aliis elementis resultantibus & conversis in speciem, quæ non est ipsa elementa, videlicet in suppositum ex ipsis genitum productum in speciem, quæ non est aliquod quatuor elementorum: sed quia gloria sinè productione non esset infinita in magnitudine nec in perfectione, ideo in DEO est Pluralitas.

3. In Æternitate est divina gloria, si est durabilis per aliquam naturam æternam; sed si gloria durat sinè æterna natura, æternitas est sinè natura, vel inter æternitatem & gloriam est distinctio; & hoc est impossibile: unde gloria durat in æternitate cum æterna natura, & æternitas est, ut gloria & æternitas sint eadem natura; in qua non essent idem, nisi æternitas cum natura gloriæ glorificaretur; nec essent idem, nisi infinitas gloriæ esset in æternitate, & nisi æternitas & infinitas esset in gloria; quarum infinitas non esset, si gloria non esset in æternitate, & æternitas in gloria, in quibus, scilicet gloria & æternitate infinitas non posset recipi, nisi de ipsa produceretur infinitus de infinito, in quo esset gloria infinitè &

tè & æternaliter, & è converso, gloriâ & æternitate existentibus unâ Naturâ, unâ Essentiâ tantùm; sicut in panno & chlamyde, in quibus non posset esse unum in alio sinè forma chlamydis; nam existente panno in chlamyde, & chlamyde in panno, etiam pannus est chlamys, & chlamys est pannus.

4. Convenit, quòd divina Potestas sit gloria sub hac conditione, ne perdat nobilitatem, quæ illi convenit, hoc est, quòd possit dare & det in gloria æternaliter & infinitè infinito & æterno glorioso; quia si potestas non posset dare in infinita & æterna gloria, eò quòd est una & eadem Essentia cum gloria, unitas, quam haberet cum gloria, esset potestati vilitas, coactio, passio & imperfectio, & potestas ita subjaceret gloriæ, sicut forma panni subjacet formæ chlamydis compositæ ex materia & forma; in qua materia est forma panni, quæ subjacet formæ chlamydis, quæ est in panno, qui non est forma; sed quia est impossibile, quòd potestas sit sub gloria, & è converso, ideo convenit, potestatem esse liberam infinitè, æternaliter &c. in gloria, & gloriam esse cum bonitate &c.; quam libertatem potestas non posset habere in se, si se non posset tribuere in gloria & in se ipsa per omnes dignitates, existente qualibet dignitate potestate & gloriâ; cui potestati esset impossibile se tribuere in gloria sinè pluralitate Suppositorum, quorum quodlibet sit in gloria & potestate; & esset impossibile, quòd quodlibet Suppositum esset gloria & potestas, & quòd ex se ipso toto produceret aliud Suppositum, quod esset potestas & gloria, & quòd omnes insimul per Essentiam essent potestas, gloria, bonitas &c.: unde per hæc impossibilia demonstratur, quòd in DEO sit Pluralitas.

5. Sapientia, quæ intelligit majorem gloriam, potest habere majorem gloriam, quàm sapientia, quæ intelligit minorem gloriam: unde ita sciente divinâ sapientiâ, suammet Essentiam esse gloriam, sciente se in gloria, & per totam gloriam esse gloriosum ex gloria, & intelligente ipsâ hoc idem infinitè & æternaliter in gloria, cum qua sapientia est eadem Essentia, eadem bonitas, & sic de aliis, convenit, sapientiam intelligere majorem gloriam, quæ ab ipsa possit intelligi, ut magnitudo & æternitas in sapientia & potestate habeant infinitam concordantiam, & ut amor & justitia in sapientia habeant concordantiam cum magnitudine & æternitate sapientiæ & gloriæ: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Amor habet naturam, quòd suum amare sit majus amando majorem gloriam, quàm minorem: unde si divinus amor amat esse gloria, & est eadem gloria, in qua ipse non amet actum gloriæ, amor plùs amaret semet ipsum, amando suum actum, qui est amare, quàm gloriam, in qua non amaret glorificare: unde si hoc ita est, est impossibile, amorem & gloriam esse eandem Essentiam; quia si essent eadem Essentia, ipsa esset composita ex majori & minori amore, & ex majori & minori gloria; & hoc est impossibile: unde convenit, quòd amor amet in gloria glorificare; quam glorificationem convenit esse, postquam diligitur ab amore infinito & æterno &c.; & hæc glorificatio non posset esse sinè pluralitate divinarum Personarum, in quibus gloria possit glorificare, & possit existere infinitè & æternaliter &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

7. Virtus divina à se ipsa & in se ipsa producit gloriam beatæ Animæ sinè diminutione sui ipsius, non tamen ex sua entitate dat esse Animæ, sed tantùm creavit Animam de nihilo: unde si divina virtus non in se ipsa nec ex se ipsa produceret glorioſum virtuosum, qui esset ex natura virtutis, amor diligeret actum virtutis extra entitatem illius, nec diligeret eum in entitate virtutis æternæ, infinitæ &c.; & sic Anima esset beata, & non beata; esset beata in eo, quòd haberet gloriam, & non esset beata propter privationem actûs virtutis in gloria infinita, æterna &c.: & sic omnis beata Anima magìs esset non beata, quàm beata, & magìs esset in pœna, quàm in gloria; & hoc est impossibile & contra justitiam, sapientiam, nobilitatem, perfectionem.

8. Veritas non contradicit gloriæ, nec falsitas pœnæ: unde si in DEO non est gloria specificans in glorioso per magnitudinem infinitam, æternam &c., sequitur, quòd veritas contradicat gloriæ, magnitudini, æternitati &c., & quòd falsitas contradicat pœnæ; & cùm per specificationem glorioſi in gloria infinitè, æternaliter &c. veritas possit esse in verificando & producendo verum in se ipsa, & possit esse in majori magnitudine bonitatis &c. per specificationem glorioſi, quàm sinè ejus specificatione, ideo convenit, pluralitatem esse in gloria, ut veritas habeat magnitudinem, quam

quam requirit, ipsâ verificante in gloria glorioſum æternaliter & infinitè, & veritate specificante se ipsam & gloriam in illo vero glorioso æternaliter & infinitè, conservando & adæquando unam eandem Naturam & Essentiam divinam sinè diminutione, multiplicatione, compositione & alteratione; in qua specificatione omne accidens est impossibile propter maximam magnitudinem actuum, quam habent omnes dignitates in ipsa specificatione.

9. Perfectioni convenit, quòd sit perfectio gloriæ, & gloriæ convenit, quòd sit gloria perfectioni, cum quibus sit infinita magnitudo, æternitas &c.: unde si perfectioni non conveniret, quòd esset perfectio gloriæ, & è converso, & hæc convenientia esset inconveniens propter privationem infinitæ magnitudinis &c., sequeretur, quòd imperfectio esset in perfectione, & pœna in gloria; & hoc est impossibile, ne imperfectio sit esse perfectionis in gloria, nec sit esse gloriæ in imperfectione, sed ut gloria & perfectio sint unum & idem in essentia, perfectione gloriæ existente perfectione, intrante in illam perfecto glorioso infinitè & æternaliter &c. per virtutem generativam, & perfecto glorioso infinitè & æternaliter &c. procedente in suppositum per virtutem spirativam, gloriâ perfectionis existente gloriâ per magnificare, æternificare &c. de se ipsa perfectum natum in gloria & perfectione, qui sit infinitus & æternus per virtutem generativam, à quo procedat spiratus infinitus, æternus &c.; quam virtutem generativam & spirativam volumus probare *in secunda Parte hujus Distinctionis*, & quam probavimus in multis locis hujus primæ Partis: ergò in DEO est Pluralitas.

10. Justitia, quæ in infinita & æterna gloria justificat, est major in bonitate, quàm justitia, quæ non potest justificare in infinita & æterna gloria: unde si justitia & gloria sunt in divina Essentia sinè pluralitate propriarum Personarum distinctarum per proprietates personales, est impossibile, quòd justitia possit justificare in gloria infinita & æterna &c., & totus actus justitiæ, quem ipsa habet ad justificandum intrinsecè gloriam, est intelligendo & diligendo, qui deficit injuriosè & imperfectè ad justificandum in gloria in bonificare, magnificare, æternificare, possificare &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia æqualiter justificet gloriâ per omnes dignitates, & quòd æqualiter producat in infinitate bonificatum bonitati, & magnificatum magnitudini, & sic de aliis; quæ productio & æqualitas non possent esse sinè Pluralitate divinorum Suppositorum.

11. Largitas non contradicit gloriæ, quia ipsa esset minor largiendo majorem gloriam, & major largiendo minorem gloriam; & hoc est impossibile: unde si largiri gloriam, quæ est DEUS, esset minoritas largitatis, largiente largitate ipsum DEUM gloriæ, quæ est DEUS, etiam largitas esset major largiendo glorificato, qui non est DEUS, gloriam, quæ non est DEUS, & esset minor largiendo alicui glorificato, qui est DEUS, gloriam, quæ est DEUS; & quia hoc est impossibile, convenit, quòd largitas sit in majoritate, quæ illi convenit, & non sit in minoritate; ergò in DEO est Pluralitas: sed si dicta majoritas disconveniret largitati per aliquod inconveniens alicujus dignitatis, scilicet per fragilitatem potestatis, seu per vilitatem alicujus dignitatis, una dignitas contradiceret alteri in magnitudine virtutis &c.; & hoc est impossibile.

12. In Simplicitate divina non disconvenit produci in gloria glorioſum, ne disconveniat in ea produci simplicem in simplicitate, in qua sit infinitas & æternitas; quia si hæc productio in simplicitate disconveniret, sequeretur, quòd, sicut aqua impedit igni suum actum, ne sit tantus, quanta est potentia ignis, & quantum est id, quod remanet ex actu ignis simplicis, ita similiter veritas gloriæ & simplicitatis per essentiam contradiceret perfectioni actûs, qui ex gloria convenit in simplicitate; & sic gloria esset in parte in actu, & in parte in potentia; & hoc est impossibile, ne gloria sit composita in divina simplicitate: ergò in DEO est Pluralitas.

13. Nobilitas gloriæ est, DEUM glorificare in DEO sinè distinctione divinæ nobilitatis & gloriæ per infinitam nobilitatem bonitatis &c.: unde si DEUS non potest gloriari in DEO sinè distinctione DEI, potestas est in vilitate, & habet minoritatem nobilitatis in se ipsa & in gloria & in omnibus dignitatibus; quod est impossibile: si verò disconveniat DEO gloriari in DEO, gloria habet majorem nobilitatem in DEO & in non DEO, quàm simpliciter & intrinsecè in DEO; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd major nobilitas, quam gloria possit habere, sit

DEUS in DEO per distincta Supposita, in quibus sit gloria in gloriosis, & gloria in nobilitate, & nobilitas in gloria, ita, ut insimul sint una gloria, una nobilitas, una Essentia, unus DEUS per infinitam potestatem &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

De Perfectione & Pluralitate.

1. BOnitas specificativa & specificata in perfectis Suppositis non contradicit perfectioni, sed est ipsa perfectio ita remota ab imperfectione, sicut bonitas, quæ se specificat in distinctis bonis, in quibus est magnitudo, æternitas &c.; si verò bonitas in Suppositis & cum Suppositis se specificat, & est eadem Essentia cum perfectione, magnitudine &c., perfectio per illam specificationem potest specificare in se ipsa & in omnibus dignitatibus & in ipsis Suppositis perficiendo illud bonificare, per quod bonitas bonificat in supradictis Suppositis cum specificativa & specificata virtute; & hoc idem facit perfectio in omnibus actibus dignitatum, & perfectio habet suum complementum, quod non haberet, nisi bonitas specificaret suam virtutem super distincta Supposita æqualia sibi ipsi per Essentiam & Naturam in perfectione: ergò in DEO est Pluralitas.

2. Magnitudo divina habet naturam & proprietatem, quòd perfectio producat tantas proprietates, quòd per eas possit sufficere omnibus iis, quæ conveniunt bonitati &c.; quia sicut mulier extrahit lanam, ex lana componendo filum, ita & multò meliùs sinè omni comparatione perfectio producit magnum ex magnitudine infinitè & æternaliter cum bonitate &c., magno existente Supposito, & magnitudine existente Essentiâ, in qua generetur Suppositum ex Supposito, ut Essentia sit communis ambobus, ita, ut quodlibet eorum sit tota Essentia, conservante perfectione Unitatem Essentiæ in Pluralitate Suppositorum, ne perfectio habeat otiositatem nec limitationem in Essentia & Suppositis; in qua Essentia perfectio haberet infinitè & æternaliter otiositatem & terminationem, si ex magnitudine infinita & æterna magnus non produceret magnum infinitè & æternaliter; nam magnitudo haberet imperfectionem, in qua comprehenderetur perfectio, nisi à magnitudine procederent magni: sicut sol, qui haberet imperfectionem, nisi ex illo procederet lux, & sicut intellectus, qui est imperfectus, dum ex ipso non procedit intelligere: ergò in DEO est Pluralitas.

3. Perfectio infinitè & æternaliter crearet de nihilo bonitatem, magnitudinem &c., ne cessaret, ut posset perficere æternaliter & infinitè in bonificare creare bonitatis, & in magnificare creare magnitudinis, si perfectio non posset in DEO perficere æternaliter & infinitè; & eandem creationem, quam faceret perfectio, facerent bonitas, magnitudo &c.; sed talis creatio est impossibilis, eò quòd creatura habet dependentiam ad imperfectionem, in quantum est producta de nihilo: unde convenit, in DEO esse Pluralitatem, ut in illo sit productio perfectionis incessanter & æternaliter, & ut quælibet dignitas habeat actum operativum inseparabiliter in perfectione.

4. Potestas divina habet tantam perfectionem, quòd possit in omni eo, quod convenit suæ perfectioni, & non possit in aliquo, quod convenit imperfectioni; & quia perfectioni convenit perficere ita infinitè & æternaliter, sicut sapientiæ intelligere, & amori amare, ut justitia in nobilitate habeat perfectionē æqualem sapientiæ & amori, ideo perfectio potest perficere in se & in omnibus dignitatibus cum potestate infinita & æterna; in quo perficere est impossibile esse imperfectionem, cùm in illo sit infinita & æterna potestas cum perfectione omnium dignitatum: quia sicut in panno & ex panno fit tunica, quæ est pannus, nec in ipso esset materia tunicæ, si pannus de se faceret pannum in tunica, ita & multò meliùs perfectio de se ipsa, quæ est potestas, potest in se ipsa & in sua potestate & in omni sua entitate perficere sinè materia, & omne opus est in forma sinè imperfectione: ergò per supradicta in DEO significatur Pluralitas.

5. Sapientiæ divinæ convenit tanta perfectio, quòd Unitas Essentiæ, in qua non essent distincta Supposita, eam non posset complere; quia actui sapientiæ, qui est intelligere, convenit tanta magnitudo infinitè & æternaliter &c., quanta convenit sapientiæ; & quia intelligere est actus sapientiæ, ideo convenit, quòd ipsum intelligere producat distincta Supposita per productivam intelligentiam, ne ipsi sapientiæ sit superfluum intelligere, nec ipsi intelligere conveniat imperfectio, quæ convenit cum superfluitate, sed ut perfectio sit æqualiter in sapientia & intelligere; quæ non posset esse in æqualitate sinè distinctis Suppositis productis

ductis ab intelligere & à perfectione: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Amor habet majorem perfectionem, quàm habeat pannus, & ex uno panno potest fieri cappa & cappucium sinè distinctione essentiæ panni; & ideo ex panno fit opus, in panno resultante formâ, quæ non est pannus, hoc est, forma cappæ & cappucii: & quia perfectio habet majorem virtutem in amore, quàm in panno, idcirco convenit, quòd perfectio in amore producat perfectius & simplicius opus, quàm in panno, generante amore amatum, qui sit amor in amore sinè distinctione Essentiæ, Naturæ & formæ, ita, ut Genitus sit magìs distinctus & concordans Patri, quàm cappa panno: unde si divina perfectio in qualibet creatura servat naturam, similitudinem & proprietatem DEI, quæ illi conveniunt, & quæ in ea possunt capi, igitur quantò magìs vult amor, quòd perfectio in se ipsa conservet & tribuat omne id, quod illi convenit æternaliter & infinitè, adhoc, ut perfectio producat in amore impossibilitatem imperfectionis cum perficere, & impossibilitatem temporis cum æternificare, & quantitatis & motûs cum infinire, & fragilitatis cum possificare, & ignorantiæ cum intelligere, & compositionis cum simplificare, & corruptionis cum generare, & diminutionis cum adæquare & procedere, & hoc idem sequitur de multis aliis; & si amor non diligeret supradictam impossibilitatem, non diligeret suammet perfectionem: ergò in DEO est Pluralitas.

7. Ex virtute creata procedit charitas in veritatem, quæ est in virtute, & est virtus, & habet suum opus in virtute, nec est distincta à virtute, & charitas est perfecta per qualitatem, proprietatem & naturam, quamvis sit distincta à justitia, quæ est ex virtute, ex qua est charitas: unde, cùm virtus creata habeat in se tantam perfectionem, quòd utendo suâ naturâ det perfectas qualitates & naturas, quantò magis sinè omni comparatione convenit, virtutem increatam producere perfecta Supposita, perfectione fruente suâ virtute cum magnitudine, æternitate &c.: unde si divinæ virtuti disconvenit opus intrinsecum, eò quòd habeat perfectionem, tunc virtus operatur extra se cum perfectione in imperfectionem in esse, quod operatur; quia si ipsa haberet perfectionem in hoc, quod operatur, non operaretur in ipsâ, cùm non operetur in se ipsa, eò quòd habet perfectionem: & si hoc ita esset, sequeretur, quòd in virtute creata esset major perfectio, quàm in increata, operante virtute creatâ perficere in se ipsa sinè perfectione, charitate & justitiâ fruentibus suis actibus; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

8. Veritati divinæ est perfectio, veritatem non esse compositam, nec corruptibilem, nec mobilem, nec in loco, nec in tempore, nec in quantitate, nec in materia &c.; sic igitur perfectio divinæ veritatis est, veritatem habere in se omne id, quod est contrarium compositioni, corruptioni &c., quod veritas potest habere, si generat simplicem veritatem ex se tota, & ex sua magnitudine, æternitate &c.; in qua generatione est impossibile, esse corruptionem, compositionem, motum &c., cùm in generatione sit magnitudo, æternitas bonitatis &c.: unde si divina veritas non haberet in se ipsa omne id, per quod fortiùs contrariatur imperfectioni, non contradiceret in se ipsa imperfectioni perfectionis; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

9. Omnis Gloria, quam DEUS habet per suam existentiam, non sufficeret perfectioni sinè operativo actu gloriæ, nec perfectio posset perficere sinè actu, sicut nec igni sufficit sua entitas sinè proprietate calefaciendi: quia sicut soli convenit lux, & luci lucere, ita & multò meliùs perfectioni convenit perficere in gloria actum cujuslibet divinæ dignitatis infinitè & æternaliter, & convenit, quòd quilibet actus habeat infinitam & æternam perfectionem, ne sit in eis passio, quæ convenit cum imperfectione; quæ passio perfectionis in eis esset, nisi gloria glorificans infinitè & æternaliter produceret, compleret & perficeret glorioſa Supposita tota perfecta per totam magnitudinem, æternitatem &c.: quia sicut intellectus, qui de se toto, & per se totum, & cum se ipso toto, & pro se ipso intelligit, non habens materiam in se ipso, & producit in suo actu, qui est actus existens, actum intellectum & perfectum, ita & multò meliùs sinè comparatione convenit, quòd glorificando DEUM in se ipso unum Suppositum producat alterum Suppositum, in quo sit glorificatio & perfectio per totam Essentiam infinitè & æternaliter &c.: ergò in DEO est Pluralitas, ut perfectio habeat in gloria id, quod illi convenit, & è converso.

10. Justitia & perfectio habent majorem concordantiam in rebus majoribus, quàm in minoribus; & ideo justitiæ convenit magnifi-

nificare magnitudinis, & æternificare æternitatis, & sic de aliis; & illi convenit conservare essentiam magnitudinis & magnificationis, & sic de aliis; sed quia justitia tali operi meliùs potest convenire in magnis rebus cum perfectione, quæ totum opus justitiæ compleat, ideo de necessitate convenit, quòd ex magnitudine & magnificare, & ex æternitate & æternificare &c. justitia producat Suppositа in proprietatibus personalibus distincta, adhoc, ut ipsa possit justificare in magnitudine, æternitate &c., sic, ut perfectio possit ea perficere in magnitudine &c.; sinè quorum distinctione justitia & perfectio haberent majorem concordantiam in rebus minoribus, quàm majoribus; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

11. Largitas non potest largiri majus donum, quàm infinitum Suppositum æternum &c. habens totam perfectionem, quæ convenit omnibus dignitatibus: unde si largitas non potest largiri tantum donum, habet imperfectionem potestatis; si verò ipsum potest largiri, & non largitur, largitas est contra amorem, justitiam, nobilitatem, simplicitatem & perfectionem; sed si potest largiri donum, & largitur ipsum, & non cadit aliquod inconveniens in aliquam dignitatem, & largitur donum cum tota perfectione, quæ convenit omnibus dignitatibus, largitas sequitur conditiones hujus Libri, quibus contrariaretur, si non largiretur realitatem & esse ipsis Suppositis productis in perfectione per omnes actus omnium dignitatum: ergò in DEO est Pluralitas.

12. In nulla Simplicitate potest esse tanta perfectio, quanta est in divina simplicitate; in qua perfectio esset imperfectio, si esset sinè actu suî & simplicitatis, sinè quo perfectio esset in simplicitate, perfectione non perficiente simplificare simplicitatis, & simplicitate non simplificante perficere perfectionis; sed quia simplicitas non potest simplificare cum perfectione, nisi producat simplicia Suppositа perfecta & distincta infinitè, æternaliter &c., & nisi in ea retineat unam Essentiam, unam Naturam, unam simplicitatem, unam perfectionem &c.; ergò in DEO est Pluralitas: & hoc est ideo, ut perfectio & simplicitas non possint convenire in magnitudine nec in æternitate per aliquam imperfectionem & compositionem; & sic convenit, in DEO esse id, per quod simplicitas & perfectio meliùs possunt convenire.

13. In nulla Nobilitate est perfectio cũ imperfectione, nec in aliqua perfectione est nobilitas cũ vilitate; & ideo perfectio & nobilitas habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate: sed quia esset vilitas perfectionis, si perfectio non posset producere æqualia sibi ipsi in nobilitate, magnitudine &c., ideo convenit, quòd perfectio habeat in se nobilitatem, quæ illi convenit, & quòd nobilitas similiter habeat in se perfectionem, quæ illi convenit; quæ convenientia est in magnitudine & æternitate, si nobilitas nobilitans & perfectio perficiens producant perfectum nobilem, hac productione existente in distinctis Suppositis habentibus omne id, quod convenit nobilitati & perfectioni & bonitati &c.: ergò de necessitate in DEO est Pluralitas.

De Justitia & Pluralitate.

1. BOnitatem, quæ convenit magnitudini, æternitati &c., convenit esse justificatam à justitia, ut justitia sit in tota bonitate magnitudinis, æternitatis &c.; in qua magnitudine &c. non posset esse sinè productione Suppositorum; maximè, cùm justitia sit idem per Essentiam cum bonitate, magnitudine &c.; sed quia justitia ex suamet Essentia producit Suppositа, quæ sunt ipsamet justitia, bonitas & magnitudo &c., & ideo justificat in omnibus dignitatibus & Suppositis & in se ipsa, & habet perfectionem in omnibus dignitatibus & in se ipsa, ergò in DEO est Pluralitas.

2. In infinita Magnitudine divina convenit, justitiam justificare totam bonitatem, æternitatem &c., ut magnitudo habeat omne id, quod illi convenit, existente ipsâ in bonitate, æternitate &c.: unde si justitia, quæ in se ipsa & in potestate habet infinitam magnitudinem, non justificaret omnes dignitates in magnitudine æternaliter & infinitè, esset contraria suæmet naturæ & omnibus dignitatibus; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd justitia habeat concordantiam cum natura suî ipsius & cum omnibus dignitatibus, justificans infinitè & æternaliter producendo Suppositа, in quibus sit infinita & æterna magnitudo, bonitas &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

3. In Æternitate convenit esse justitiam per existentiam & per opus, secundùm quòd convenit suæ nobilitati & perfectioni, & nobilitati & perfectioni æternitatis, bonitatis &c.; & ideo convenit secundùm talem ordinationem, justitiam esse in æternitate, quæ æternitas sit in ipsa justitia cum omnibus dignitatibus, & quòd justitia sit in unaquaque dignitate cum æternitate, omnibus dignitatibus existentibus unâ Naturâ, unâ Essentiâ; sed quia convenit, in Natura & Essentia esse distinctionem Personarum, ad hoc, ut una Dignitas sit in alia, omnibus ipsis existentibus eâdem Essentiâ & Naturâ, ût dictum est, ad hoc, ut sit infinita magnitudo unitatis & concordantiæ, ideo per distinctionem, quam convenit in DEO esse infinitam, sequitur de necessitate, in DEO esse Pluralitatem, quæ est generatio, generante justitiâ æternaliter & infinitè Filium ex se ipsa; & idem Filius genitus ex ipsa genitus est ex æternitate, bonitate &c., quæ cum justitia sunt eadem Essentia & eadem Natura; & quia hic Filius est justitia, æternitas &c., ideo est Filius in Patre, qui est ipsa eadem justitia, æternitas &c.; & per Patrem & Filium sequitur, quòd omnes dignitates sint idem, ipsis existentibus unâ in altera, habentibus nobilitatem, quæ illis convenit; sinè qua nobilitate justitia non haberet magnitudinem, quæ illi convenit.

4. Potestas divina habet tantam magnitudinem simplicitatis, virtutis, nobilitatis, perfectionis &c., quòd cum se ipsa possit in omni eo, quod potest in se ipsa & in bonitate, magnitudine &c.; & ideo dissimilatur potestati ignîs, qui cum se ipso toto non potest in aqua, in qua potest cum parte sui ipsius; nam si cum se ipso toto posset in ea operari, aqua, quæ est contraria igni, consumeretur in illo opere, de quo nullum suppositum posset sequi: unde cum divina potestas cum tota se ipsa possit in se ipsa tota, convenit, quòd justitia justificet in potestate, ut potestas sit Suppositum, ita, quòd potestas sit ipsa eadem, quæ est in Essentia & Natura divina, & quòd Suppositum producat alterum Suppositum æquale sibi in potestate &c., ad hoc, ut in hac productione sit amor & largitas, bonitas & nobilitas cum perfectione justitiæ; cum qua perfectione potestas omnia potest, & sinè perfectione justitiæ potestas nihil potest: & ideo est affirmabile, quòd DEUS omnia & in omnibus possit, si justitia sit in potestate illius, & est negabile, quòd DEUS aliquid & in aliquo possit, si justitia non & in potestate illius, & quòd potestas possit in se ipsa tota sinè justitia; quod est impossibile, nisi produceret Suppositа, in quibus justitia posset justificare, & potestas possificare: ergò in DEO est Pluralitas.

5. Sapientia divina scit se ipsam in tota se ipsa, & in sua totalitate intelligit totam magnitudinem, bonitatem &c.; & ideo convenit, quòd justitia in tota sapientia justificet cum tota se ipsa & cum tota bonitate &c.: unde sicut, si tota albedo converteretur in album (albedine existente albâ, producente album, & retinente ac conservante se ipsam in sua natura propria) conveniret, quòd illud album, quod produceret aliquod album, esset suppositum agens distinctum à suppositо albo producto ex ipso agente suppositо, licèt ambo suppositа essent per essentiam eadem albedo & natura, ita & multò meliùs convenit, quòd justitia justificet in sapientia, ut in ea sit Suppositum generans sapiens, quod producat Suppositum genitum sapiens, ut Suppositum producens possit esse generans; & licèt ibi sint duo Suppositа vel plura per se distincta, sunt tamen ejusdem Essentiæ & Naturæ, quæ conservatur in eis, in qua omnes dignitates sunt unum & idem, existente opere in ipsis Suppositis; in quo opere Suppositа sunt eadem Essentia & Natura bonitatis &c., ut in ipsis Suppositis justitia sit justificans in tota sapientia cum tota se ipsa & cum tota bonitate &c.; & sinè prædictis Suppositis non posset sequi supradictum opus; sinè quo opere sapientia in tota se ipsa sciret imperfectionem suî & justitiæ, bonitatis &c.; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Si Amor est amabilis, amatus & amans infinitè & æternaliter sinè productione Suppositorum, sequitur, quòd amor infinitè & æternaliter sit in injuria; quia sicut, si scientia hominis converteretur in esse, & retineret totam suam naturam in se ipsa & in esse, cui esse se totam communicaret sinè differentia sui ipsius & ejusdem esse, conveniret, quòd in se ipsa haberet suppositum generans & suppositum generabile, in quibus fieret conversio, revolutio & conservatio naturæ, esse & essentiæ sinè distinctione, ita justitia est in divino amore, si producit Suppositа, in quibus sunt amor & amabile, amans & amatum infinitè & æternaliter cum bonitate &c. sinè distinctione ipsius esse, Naturæ & Essentiæ Suppositorum, existente quolibet eorum communiter esse &

Essentiâ in bonitate, magnitudine &c.; sed quia in amore & in sua amabilitate justitia de necessitate convenit cum bonitate &c., cui amori justitia non posset convenire sinè productione distinctorum Suppositorum: ergò in DEO est Pluralitas.

7. In Virtute communi Animæ rationalis memoria non potest communicare intellectui nec voluntati, nec intellectus memoriæ nec voluntati &c.; sed quia communis virtus se communicat & attribuit tribus potentiis, ideo in tribus potentiis propriè & distinctè virtus memoriæ se potest attribuere virtuti intellectûs & voluntatis, & è converso; & virtus cujuslibet potentiæ est una cum altera in communitate virtutis: unde si divina virtus in se habet infinitam & æternam justitiam, cum qua sit eadem Essentia & Natura, & illa justitia non producit distincta Suppositia personalia in virtute & in se ipsa, sequitur, quòd virtus nihil habeat, per quod justificet de se ipsa in se ipsa & in sua infinitate, æternitate, bonitate &c.: si verò virtus in se ipsa justificat sinè distinctione Suppositorum, justitia est cum imperfectione contra magnitudinem sui ipsius & virtutis, in quantum non conservat nec retinet virtutem & naturam essentiæ & bonitatis &c. in distinctione infinitorum & æternorum Suppositorum, quæ sint conservata in essendo una Essentia, una Natura bonitatis &c., & in quibus Suppositis sit conservata distinctio infinita, æterna &c.: & quia major magnitudo virtutis & justitiæ in DEO est affirmabilis, & omnis minoritas, imperfectio & injuria & omne vitium sunt in eo negabilia, ergò in DEO est Pluralitas.

8. Si divina Veritas esset sinè justitia, bonitate &c., ipsa esset tantùm per existentiam, sicut albedo, in qua non esset album; & sic existeret tantùm per existentiam abstractivè: unde sicut est impossibile, albedinem realiter esse sinè albo, ita & multò fortiùs est impossibile, veritatem divinam esse sinè justitia, bonitate &c.; quia esset ita defectiva in se ipsa, sicut esset albedo sinè productione albi: & quia de necessitate convenit, quòd in veritate sit justitia, bonitas &c., igitur de necessitate convenit, quòd justitia sit in veritate justificando, & bonitas bonificando, & sic de aliis, ne dignitates in veritate sint imperfectè, sed ut veritas sit in se ipsa & in omnibus dignitatibus verificans; quæ verificatio, justificatio, bonificatio &c. non possent esse in veritate sinè productione distinctorum Suppositorum infinitorum & æternorum &c., in quibus sit opus distinctum & non confusum, infinitum, æternum &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

9. Convenit, in Gloria divina esse justitiam, quæ sit gloria, & quæ sit bonitas, magnitudo &c., ut justitia, quæ est gloria, cum se ipsa glorificet gloriam, & cum gloria glorificet gloriam, & glorificet ipsam justitiam cum bonitate, magnitudine, æternitate &c.: unde cùm glorificatio, justificatio &c. non possent esse sinè productione Suppositorum, in qua producatur justus in gloria, & glorioſus in justitia, ideo in DEO est Pluralitas: quia sicut esset impossibile, in injuria esse justitiam, producente injuriâ infinitè & æternaliter injustum, infinitum & æternum, ita & multò meliùs est impossibile, in suprema Gloria esse pœnam, producente justitiâ infinitè & æternaliter glorioſum, justum, infinitum & æternum; quam justitiam productivam convenit esse Suppositum distinctum à Supposito producibili, ut per eorum distinctionem gloria sit in justitia, & justitia in gloria &c., & ut in distinctione conservetur Unitas Essentiæ & Naturæ bonitatis &c., & ut productivum & producibile sint unus DEUS tantùm.

10. Convenit, Perfectionem divinam esse justitiam justificantem perfectionem, & è converso: unde si in DEO perfectio non perficeret justitiam, nec justitia justificaret perfectionem, sequeretur, quòd perfectio non esset justificatio, nec justificatio perfectio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO justitia sit perfectio, & è converso, & quòd perficere & justificare sint perfectio in justitia, & justitia in perfectione: & quia sinè distincta productione acta in perfectione & in justitia infinitè & æternaliter &c. justitia non potest esse perfectio perfectionis, nec perfectio esse justitia justitiæ, nec una dignitas esse in altera, igitur in DEO est Pluralitas; etiam cùm hæc verba tantum virtutis producant, quando dico: *realiter existente unâ dignitate in altera* (ut ita loquar) sicut hæc verba, quando dico: *existente quâlibet dignitate idem cum altera per Essentiam & Naturam sinè differentia.*

11. Convenit, justitiam æternaliter & infinitè convenire cum Largitate, ad hoc, ut justitia justificet in bonitate &c., ut largitas æternaliter & infinitè possit largiri ex bonitate &c., ne justitia cesset largiri, sed ut habeat, quod largiatur æternaliter & infinitè;

nitè; quæ largitas deficeret largiri, nisi justitia ex tota sua magnitudine generaret æternaliter infinitum Suppositum æternũ &c., quod sit infinita & æterna largitas, ex qua procedat donum infinitum & æternum, quod convenit esse datum à largitate, & quod donum non potuisset dari, nisi justitia justificaret illud in tanta magnitudine & æternitate &c. bonitatis &c., quanta potest esse magnitudo, æternitas &c., per quas potest recipi donum, videlicet sua entitas & proprietas personalis; sicut si libertas in homine sibi ipsi posset dare libertatem, ita, quòd libertas esset homo habens ipsam libertatem; in qua proprietate personali largitur spirata bonitas &c., existente illâ proprietate spiratâ bonitate &c.

12. Major Simplicitas, quam justitia possit habere, est, quòd justitia justificet ex suamet Essentia, Entitate & Natura cum bonitate, & justificet per totam se ipsam & per totam bonitatem &c. cum eadem Essentia & Natura: unde si justitia potest habere hanc simplicitatem in suo opere, convenit, quòd eam possit habere per productionem Suppositorum, uno eorum generante alterum de se ipso; in qua productione generans & genitus sint idem cum justitia per Essentiam, Naturam, bonitatem, magnitudinem &c.: si verò simplicitas non potest habere tantam justitiam, ipsa non potest producere ex virtute generativa Suppositum generabile; sed cùm justitia per magnitudinem, æternitatem &c. potestatis possit & habeat propter magnitudinem, æternitatem &c. omne id, quod illi convenit, ideo in DEO est Pluralitas.

13. Nobilitas justitiæ est, quòd justitia plùs possit justificare intra suam essentiam & naturam, quàm extra; unde si non fruitur potestate nobilitatis in se ipsa in bonitate, ipsa nobilitas pervertitur in vilitatem existentem in justitia infinitè & æternaliter; quod est impossibile: si verò justitia non habet nobilitatem, quæ illi convenit, est defectiva in justificando æternaliter & infinitè: unde cùm nobilitati justitiæ conveniat, ipsam justificare nobile in nobili, & nobile ex nobili, & conservare se in uno nobili per Essentiam & Naturam, in quo sint omnes dignitates nobiles, igitur in DEO est Pluralitas, adhoc, ut justitia possit habere totam nobilitatem, quæ illi convenit in omnibus dignitatibus & in se ipsa; quam nobilitatem non haberet sinè specifica virtute productiva, & de nobili in nobilem distinctiva.

De Largitate & Pluralitate.

1. QUia bonitati convenit magnitudo, æternitas &c., & è converso, idcirco convenit, quòd largitas largiatur bonitatem, quæ convenit magnitudini, æternitati &c., ut bonitas cum largitate possit esse magnitudo, æternitas &c.; sed quia largitas non posset largiri bonum per totam bonitatem magnitudini, æternitati &c. sinè productiva Natura distinctiva per Suppositia distincta infinitè & æternaliter &c., ergò in DEO est Pluralitas.

2. Magnitudo largitatis est, quòd in ea sit dans largus & datus largus infinitè & æternaliter, & quòd largitas det donum per largitatem; hoc enim convenit ita esse, ut in magnitudine sit largitas, quæ convenit magnitudini; & ideo convenit, quòd largitas, quæ est infinita & æterna &c., de se tota producat largum infinitum, æternum &c., existente ipso diversè infinitè & æternaliter in infinita & æterna largitate sinè distinctione Essentiæ & Naturæ largitatis: unde cùm conveniat, largitatem largiri per infinitam & æternam justitiam, & ipsa possit largiri cum infinita & æterna potestate, igitur largitas largitur in magnitudine per largitatem & in largitate Suppositum Essentiæ subjacens, datum sibi ipsi in proprietate propriæ virtutis personalis: ergò in DEO est Pluralitas.

3. In Æternitate convenit æternum dari æterno, ne largitas cesset dare, & ut habeat, quod possit dare sinè diminutione infinitæ bonitatis, magnitudinis &c.; & convenit, hoc donum esse æternum, ut in hac donatione non sit principium nec finis, quæ contrariantur æternitati: unde cùm hæc ita conveniant secundùm convenientiam largitatis & æternitatis, idcirco convenit, largitatem esse æternitatem, infinitatem &c., & quòd de tota se ipsa largiatur largum æternum, h.e. se ipsam largo æterno, h.e. dato, sic, ut ipsa largitas, in quantum se habet ad proprietatem largitivam, sit largus æternus distinctus à dono, quod largitur, videlicet à Supposito producto; & sic in DEO est Pluralitas.

4. Potestas cum largitate sic conditionatur, quòd possit dare omne id, per quod largitas potest esse infinita, æterna &c., & hæc conditio est talis propter infinitã justitiam, quæ est in potestate & largitate cũ omni bonitate & nobilitate: unde cùm hoc ita sit, convenit, quòd potestas possit dare potestati; quæ potestas se dat, dum ex se tota dat per processionem

sionem in potestate producta per propriam proprietatem productam, veluti lumen solis per propriam proprietatem objectivam se tribuit virtuti visivæ, cui virtuti etiam tribuit virtutem videndi: quia sicut lumen solis procedens tendit in virtutem visivam formans propter suum processum virtutem videndi distinctam à lumine solis, ita & multò meliùs sinè comparatione divina potestas procedit per largitatem in potestate distinctè, procedente potestate ex potestate, & existente potestate in potestate, & largitate in largitate, & sic de aliis; ergò in DEO est Pluralitas, sinè qua potestas & largitas non possent frui suis conditionibus, nec eas conservare.

5. Si Sapientia scit, quòd largitas possit largiri ipsam totam, tunc sapientia scit, quòd largitas in se habeat omnem bonitatem, omnem magnitudinem, omnem æternitatem &c., cum quibus sapientia est eadem Essentia & eadem Natura: si verò sapientia scit, quòd largitas ipsam non possit largiri, tunc sapientia scit, quòd largitas in se habeat parvitatem potestatis, nobilitatis & virtutis; quod est impossibile: ergò largitas potest largiri omnem sapientiam, secundùm quòd sapientia scit, se posse dari ab ea secundùm justitiam sapienti largo producto ab omni sapientia in sapiente largo; sicut calor ab igne distinctè producitur in aëre, & natura caloris manet in specie ignîs, ad demonstrandum per aliquam similitudinem, quomodo sapiens largus incessanter, æternaliter & infinitè procedat ex largo sapiente distinctè per proprietates personales, & indistinctè per Essentiam & Naturam, ut largitas sciatur à sapiente in illa nobilitate, quæ ipsi convenit: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Amor & largitas in DEO sunt eadem Essentia & eadem Natura; unde si amor non diligeret, quòd largitas largiretur DEUM, amor non diligeret se ipsum per magnitudinem largitatis, & esset contra suam magnitudinem & largitatem; quod est impossibile: sed si amor diligit, quòd largitas largiatur DEUM, tunc diligit, DEUM procedere ex DEO, ut largitas DEO largiatur DEUM in DEO, diligente amore, unicum DEUM esse, largiente largitate DEUM DEO, DEUM de DEO, & DEUM ex DEO, ut simplicitas, potestas, nobilitas, perfectio, justitia, virtus & magnitudo non sint nisi tantùm unus DEUS; in quo largitas non posset perficere suam magnitudinem in amore sinè distinctione propriarum Personarum divinarum: ergò in DEO est Pluralitas.

7. Convenit, in divina Virtute esse largitatem, ut virtus habeat in se bonitatem, magnitudinem &c., quæ conveniunt cum largitate; & quia convenit, virtutem esse largitatem, & è converso, sinè distinctione Essentiæ & Naturæ, & convenit, largitatem dare virtutem & se ipsam, de necessitate convenit, quòd largitas cum bonitate, magnitudine &c. habeat tantam potestatem & concordantiam in virtute, quòd se possit largiri, & quòd possit largiri virtutem æternaliter & infinitè: unde sic convenit, quòd ex ente, quod est largitas & virtus, producatur distinctè infinitus æternus largus virtuosus, qui detur sibi ipsi in largo virtuoso, ex quo est procedens, sicut esse, quod esset procedens ab Essentia, & largiretur per Essentiam extensivè ad essendum homo, in quo se ipsam daret Essentia, & conservaret se ipsam in sua proprietate propria & virtute largificatam: ergò in DEO est Pluralitas.

8. Verum est, per influentiam & per cursum naturalem, quòd splendor solis se largiatur in clarificatione aëris ad clarificandum eum, nec sinè distinctione solis ab aëre posset sol largiri suum splendorem clarificationi aëris: unde cùm veritas & largitas secundùm Essentiam & Naturam nullam habeant inter se differentiam, convenit, quòd largitas per aliquas proprietates personales distinctas se ipsam possit largiri veritati, ut veritas habeat largitatem, quam habet, largitate largiente se ipsam veritati per aliquod proprium donum specificatum, quo veritas sit largificativa, & largitas verificativa, & è converso, veritate & largitate existentibus eâdem Essentiâ, eâdem Naturâ, eodem Ente, eodem DEO, procedente & largito, & verificante largitate in veritate & veritate in largitate infinitè & æternaliter per distincta Supposita, ita & multò meliùs sicut natura largificat in speciebus diversis à se ipsa, quæ existens in qualibet earum remanet in se ipsa; & sic in DEO est Pluralitas.

9. Si in Gloria, quæ est DEUS, infinitè & æternaliter glorioso est datum, ipsum esse DEUM, sequitur, quòd largitas, quæ est DEUS, non possit largiri ens magis glorioſum, quàm illud; quia si posset dare ens magis glorioſum, posset dari majus donum, quàm sit infinitas & æternitas; quod est impossibile: maximè cùm sit impossibile, majoritatem & minoritatem posse recipi in infinitate & æternitate: sed quia largitati convenit infinitas, æternitas &c., ideo convenit, quòd ipsa largiatur glorioſum, qui sit DEUS, ut largitas possit habere magnitudinem, quæ illi convenit ad largiendum; quæ largitas non haberet magnitudinem sibi ipsi æqualem ad largiendum sinè distinctione sui ipsius à suo dono: ergò in DEO est Pluralitas.

10. Perfectio divina est perfecta infinitè & æternaliter in bonitate &c.; unde si in divina perfectione disconvenit largiri, disconvenit in ea largificare; & quia probatum est, supremam Largitatem esse, per quam sequitur, quòd in perfectione sequatur largificare; quod si in ea disconveniret, esset impossibile, supremam Largitatem esse infinitè & æternaliter: ergò largificare est in perfectione, ut largitas habeat perfectionem, quæ illi convenit in se ipsa; quam habet, si de se producat perfectum, infinitum, æternum &c., cui largiatur se totam, procedente ab ipsa perfecto, qui sit omnis perfectio, & habeat omnem perfectionem; & ideo convenit, in DEO esse Pluralitatem, ut largitas in aliquo Supposito possit largiri se ipsam totam in omni perfectione, in qua nulla sit imperfectio; & hoc donum non posset dari sinè supradicta productione.

11. Justitiæ divinæ convenit, quòd justificet æqualitatem, ut sit æqualis largiendo ipsi possificare potestatis, & magnificare magnitudinis, & æternificare æternitatis, & sic de aliis: unde si largitas de infinitate non largitur infinitum, de æternitate æternum, de bonitate bonum, & sic de aliis, in divina justitia sequitur imperfectio, eò quòd non justificat largitatem in magnitudine, quæ illi convenit; si autem largitas non potest largiri infinitum de infinitate, æternum de æternitate, justitia deficit, quia non justificat infinitam potestatem, ut se tribuat infinitati largitatis; si verò justitia non potest justificare potestatem, potestas infinitatis, æternitatis & nobilitatis deficit in justitia; & si non convenit, largitatem largiri infinitum de infinitate, nec æternum de æternitate, justitia deficit, eò quòd non dat largitati nobilitatem, quæ illi convenit in infinitate & æternitate; sed quia est impossibile, quòd divina justitia habeat aliquam imperfectionem, ergò in DEO est Pluralitas.

12. In Simplicitate divina convenit esse largitatem, quæ de simplicitate largiatur simplicem infinitum & æternum, ut simplicitas possit largitioni illius infinitè & æternaliter sufficere, & ipsa sufficiat largitati; quia simplicitas est infinita & æterna; & largitas sufficit simplicitati largiendo de simplicitate simplicem infinitum & æternum: & quia in hoc largiri est infinitas & æternitas, in illo non potest esse diminutio nec multiplicatio, cùm in eo sit simplex procedens de simplicitate æternaliter & infinitè; nam quælibet dignitas habet suum complementum in suo opere, quo quælibet indigeret sinè dono, quod convenit dari à simplicitate per largitatem: ergò in DEO est Pluralitas.

13. Nobilitas divina non contradicit largitati suam magnitudinem; quia nobilitas esset major per minorem magnitudinem, quàm per majorem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd nobilitas & largitas in magnitudine concordent; in qua non concordarent, si nobilitas contradiceret largitati producere infinitum & æternum de nobilitate existente æterna, largiente largitate se ipsam totam illi producto per virtutem spirativam infinitè & æternaliter, qui productus sit largus, nobilis, infinitus & æternus, ut largitas possit largiri tantam nobilitatem uni dignitati, quantam alteri; sicut bonitati, cui convenit dari ita nobilem actum per bonificare, sicut sapientiæ per intelligere, & amori per amare; & hoc idem sequitur de qualibet aliarum: ergò de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem.

De Simplicitate & Pluralitate.

1. BOnitas & simplicitas DEI sunt idem; igitur si simplificare disconveniret in bonitate infinitè & æternaliter in simplicitate, sequeretur, quòd bonitas & simplicitas essent eadem essentia in abstracto, existentes distinctæ & contrariæ in concreto; & hoc est impossibile & contra magnitudinem, æternitatem &c.: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd de necessitate conveniat, in bonitate esse simplificare, & in simplicitate bonificare, ut sint idem per Essentiam, & ut per bonificare & simplificare bonitas sit in simplicitate, & è converso; quæ scilicet bonificare & simplificare non possent esse in magnitudine, æternitate &c. sinè productiva proprietate bonitatis & simplicitatis producente Supposita, in quibus sit opus bonificandi & simplificandi; quod opus sinè pluralitate non posset esse in infini-

tate magnitudinis, æternitatis &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

2. In Magnitudine divina convenit esse absolutè majorem & nobiliorem simplicitatem, quæ possit esse, adhoc, ut simplicitas possit sufficere infinitati, æternitati &c. magnitudinis; quæ magnitudo esset major, quàm simplicitas, si simplicitas haberet imperfectionem infinitatis &c.: & ideo, quia convenit, simplicitatem sufficere magnitudini, convenit necessariò, simplicitatem habere naturam retinendi & conservandi se ipsam æternaliter & infinitè in opere distincto intrinsecè & æternaliter &c., in quo sit una simplicitas per Essentiam & per Naturam, existente ipso opere distincto, ut simplicitas in quolibet Supposito simplificet se ipsam, ipsâ existente cum quolibet eorum eâdem Essentiâ: quia sicut punctus habet tantò majorem simplicitatem, quantò magis est indivisibilis; cujus major indivisibilitas est per minorem quantitatem secundùm mathematicam considerationem, ita & multò meliùs sinè comparatione convenit, divinam simplicitatem esse indivisibilem per Pluralitatem, de qua infinitè & æternaliter &c. producatur simplex ex simplici & in simplici sinè compositione, quæ est impossibilis in divina magnitudine propter sufficientiam simplicitatis habentis productivam perfectionem infinitè & æternaliter in Divinis.

3. In Æternitate non posset esse simplicitas infinitè & æternaliter &c., nisi simplificaret infinitè & æternaliter &c; sicut calor ignis non posset esse in aqua, nisi calefaceret illam; quia si non, non fortiùs disconveniret simplicitas in æternitate sinè opere simplicium æqualium æternitati, quàm disconveniret, ignem esse in aqua, non calefaciendo illam; quia per calefactionem intrat ignis in aquam, & ex illa generat materiam suo calori & operi subjectam, ut producat suppositum in esse: & si simplicitas sinè simplificare esset in æternitate, æternitas esset sinè æternificare, & bonitas sinè bonificare, & sapientia sinè intelligere, & sic de aliis; quod est impossibile, maximè, cùm omnes dignitates sint æquales in magnitudine: per quam impossibilitatem demonstratur pluralitas, sinè qua simplificare non posset esse in æternitate; nam si sinè pluralitate divinorum Suppositorum ipsum simplificare posset esse in æternitate, simplicitas posset esse major in sua simplificatione simplificando Essentiam per Unitatem, quàm simplificando in Essentia multa Suppositа ipsi Essentiæ æqualia in omnibus nobilitatibus; & hoc est impossibile, ut non sit differentia in Essentia per opus & per naturam, & ne dignitates ab invicem distinguantur.

4. Omnis potestas potest esse simplicior, si est simplicitas & est in simplicitate, quàm potestas, quæ non est simplicitas, aut quæ est simplicitas, & est extra alteram simplicitatem; & quia convenit, majorem magnitudinem simplicitatis esse in divina potestate, idcirco convenit, potestatem esse simplicitatem & in simplicitate, existentibus distinctis Suppositis simplicibus uno in alio, & quòd quodlibet eorum sit simplicitas & potestas æternaliter & infinitè: ergò in DEO est Pluralitas; sinè qua simplex potestas de se non posset producere potentem simplicitatem, in qua ipsa esset per Essentiam & Naturam infinitè & æternaliter &c.; & ficesset defectiva per Naturam & Essentiam sui ipsius & simplicitatis, bonitatis &c.; quod est impossibile.

5. Sapientia & suum intelligere sunt in DEO eadem simplicitas per Essentiam & Naturam; & quia convenit, ipsum intelligere esse æquale sapientiæ in Essentia & Natura per infinitatem &c., idcirco convenit, quòd in simplicitate Unitatis, Essentiæ & Naturæ sit aliquod simplex Suppositum, quod producat, æqualitatem esse in sapientia & in intelligere; sinè cujus productione infinita & æterna &c. esset impossibile, quòd ipsum intelligere esset æquale in Essentia & Natura ipsi sapientiæ: & quia hæc æqualitas est necessaria, ideo de necessitate convenit, esse Pluralitatem, quæ humanæ rationi manifesta est, dum eam inquirit per actus divinarum dignitatum; sub quibus dignitatibus convenit esse Suppositum, ut ipsum sit unus actus omnium dignitatum simplificans per infinitam bonitatem &c.: „ nam sicut in „ principio videtur parvulo, quamlibet mu„ lierem, quam videt, esse suam matrem, „ ita apparet homini in principio tam forti„ ter divina simplicitas, quòd ignoret divi„ nam Pluralitatem, donec secundùm in„ quisitionem hujus Artis illam inquisierit; *in qua inquisitione eam intelligit mediante divinâ gratiâ per auxilium hujus Artis*; sicut „ parvulus per aliquod tempus procedenti„ bus actibus & potentiis suæ Animæ specifi„ cat & cognoscit suam matrem inter cæteras „ mulieres.

Amor

6. Amor diligit suam infinitatem & æternitatem, quas habet in simplicitate; unde si non diligeret in se ipso opus simplicitatis, non diligeret infinitatem, æternitatem &c. simplicitatis; nam simplicitas sinè opere non posset esse infinita nec æterna in bonitate, magnitudine &c., eò quia bonitas in se non bonificaret simplicem bonificatum, nec magnitudo in se magnificaret simplicem magnificatum, & sic de aliis sequeretur hoc idem; & ideo sequeretur, quòd, si amor perversus in odium odiret simplex opus, odiendo illud odiret omnes actus divinarum dignitatum, & odiendo illos odiret omnes dignitates, & odiendo illas amor odiret semet ipsum; & quia hoc est impossibile, igitur in DEO est Pluralitas, alioquin esset impossibile, simplicitatem posse operari in se ipsa & in aliis dignitatibus, secundùm quòd illi & dignitatibus convenit.

7. Si Virtus, quæ est simplex sinè omni compositione, de se producit simplicem æqualem sibi ipsi in simplicitate, bonitate & magnitudine &c., sic, ut cum illo simplici sit unus DEUS simplex, qui est simplicitas, bonitas &c., etiam hanc virtutem convenit habere omnem perfectionem in simplicitate; si verò virtus productiva, quam habet in simplicitate, illi est imperfectio, ejus perfectio est compositio infinitæ & æternæ virtutis; quod est impossibile: quia si esset possibile, suprema Virtus esset simplex potentia producens in se ipsa compositionem perfectionis & imperfectionis, boni & mali &c.; sicut prima materia, quæ est potentia, ex qua producitur compositio, inquirente igne simplici perfectionem suæ simplicitatis, generando de se ignem compositum in aëre, in quo ignis compositus procedit ex igne simplici, calefaciente igne materiam aëris, ut prima materia sit communis potentia subjecta formis existentibus in potentia, & procedentibus in actus in suppositis elementatis, in quibus materia est composita, licèt in se sit simplex: unde per hanc metaphoram demonstratur Pluralitas in supradictis.

8. Veritas divina est in tam alta & forti simplicitate, quòd conveniat, eam verificare simplicem, cui det se ipsam, & cum quo sit eadem Essentia; sicut ignis, qui est tam mitis & benignus in aëre, quòd non solùm ei det calorem, sed etiam det ei semet ipsum producens cum ipso idem suppositum: & quia divinæ veritati convenit verificare simplicem infinitè & æternaliter, ut suum verificare nullam concordantiam habeat cum falsitate, igitur simplicitati convenit, quòd simplificet verum æternaliter & infinitè, veritate & simplicitate existentibus æqualibus in æqualitate simplificandi & verificandi; si verò veritas verificaret simplicem, & simplicitas simplificaret verum sinè pluralitate distinctorum infinitorum & æternorum Suppositorum, Opus divinum intrinsecum esset confusum & compositum de dignitatibus & contrariis earum; quod est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

9. In Gloria, non est dicendum, quòd simplicitas simplificet gloriam compositionis; quia in gloria esset privatio infinitatis & æternitatis: unde si simplicitas simplificat gloriosum æternaliter & infinitè, convenit, quòd eum simplificet de suamet Essentia & Natura infinita & æterna; sed si simplicitas non simplificat in suamet gloria, generante simplice glorioso simplicem glorioſum æternaliter & infinitè, cum quo sit eadem simplicitas, eadem gloria, sequeretur, quòd, gloriam esse in simplicitate sui ipsius, & simplicitatem esse in gloria sui ipsius, esset pœna; & quia hoc est impossibile, igitur de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem, ad hoc, ut tota gloria de se tota producat simplicem in gloria, conservando suam simplicitatem gloriæ; hac conservatione & productione existentibus per omnes dignitates, ut in qualibet earum gloria & simplicitas habeant suam perfectionem per conservationem & continuationem incessanter operantes & existentes.

10. Si in suprema Perfectione contradiceretur simplicitati per Pluralitatem Suppositorum æternorum & infinitorum in magnitudine, bonitate &c., sequeretur, quòd supremæ Simplicitati contradiceretur in sua magnitudine per imperfectionem bonitatis &c.; nam major simplicitas est magis possibilis, si est sinè compositione unus DEUS habens in se distinctas Personas simplices infinitas æternas &c. sinè aliqua compositione, quàm si simplicitas esset unus DEUS, & esset possibile, in DEO esse compositionem, si in illo esset Pluralitas; sed quia major potestas simplicitatis convenit cum perfectione infinita & æterna in bonitate &c., ideo de necessitate sequitur, in DEO esse Pluralitatem, ut suprema Simplicitas habeat magnitudinem, quæ illi convenit in perfectione.

11. Justitiæ divinæ convenit justificare simplicem per omnes actus dignitatum; & quia sim-

simplicitas habet infinitatem & æternitatem in bonitate &c., convenit, quòd ipsa bonificet, magnificet, æternificet & possificet simplicem justum de se ipsa & de suamet bonitate, magnitudine &c., ut justitia in eum justificet bonum de bonitate, magnum de magnitudine, & sic de aliis, & ut potestas, quæ potest in omni eo, in quo justitia potest justificare simplicem, & in omni eo, in quo simplicitas potest simplificare justum, habeat suam perfectionem in fruitione Essentiæ & simplicitatis; sed quia sinè Pluralitate supradictum opus non posset esse, ergò in DEO est Pluralitas.

12. Largitas, quæ donat simplicem simplicitati & bonitati, magnitudini &c. dono ejus existente incessanter, infinitè & æternaliter, non contradicit simplicitati se ipsam, quæ est simplicitas, nec etiam ei denegat magnitudinem: unde si per hoc donum largitas contradiceret simplicitati, sequeretur, quòd simplicitas, bonitas &c. essent in contrarietate; quod est impossibile: ergò de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem, ut largitas possit largiri in simplici largo largito bonitati, magnitudini &c., & è converso; hoc est, ut bonitas, magnitudo &c. sint datæ in dato bono genito, qui sit bonitas, magnitudo &c.; & hoc donum non posset dari, nisi largitas de se tota & de tota simplicitate, bonitate &c. generaret largum simplicem bonum &c., largo largiente largum largitati, simplicitati &c., & simplice largiente simplicem largitati, simplicitati &c., & bono largiente bonum bonitati, simplicitati &c., largiente existente distincto à largito tantùm in proprietatibus personalibus, ipsis scilicet largiente & largito existentibus eâdem largitate, simplicitate &c. per Essentiam & Naturam sinè distinctione Essentiæ & Naturæ.

13. Si Nobilitas non esset in DEO bonitas, magnitudo &c., esset impossibile, quòd aliqua nobilitas posset esse simplex in DEO, nec in præcedentibus potuissent demonstrari suprema Bonitas, magnitudo, neque essent in DEO bonitas &c., quæ conveniunt cum nobilitate, & contra realitatem prædicaretur de DEO bonitas, magnitudo &c.; & quia hoc est impossibile, ideo manifestum est, in DEO esse Pluralitatem; nam esset impossibile, quòd bonitas, magnitudo &c. possent esse in infinita & æterna nobilitate sinè intrinseco opere infinito & æterno, cui omnis suprema Nobilitas convenit super omne extrinsecum opus, quod habet majorem nobilitatem in virtute, bonitate, perfectione & potestate per distinctas & concordantes proprietates sinè contrarietate, quàm habeant bonitas, perfectio & potestas sinè intrinseco opere distincto & concordante: ergò de necessitate convenit, in divina simplicitate esse Pluralitatem, ut simplicitas habeat nobilitatem, quæ illi convenit in se & in omnibus dignitatibus DEI.

De Nobilitate & Pluralitate.

1. BOnitati convenit bonificare in nobilitate, quæ sibi & omnibus dignitatibus convenit; nam sinè bonificare nobilitas bonitatis non sufficeret omni nobilitati, quæ omnibus dignitatibus convenit, sed nobilitas omnium earum esset major, quàm nobilitas bonitatis; & hoc est impossibile: ergò convenit, quòd bonitas bonificet nobilitatem in nobili & in bono per totam se ipsam & per omnem magnitudinem, æternitatem &c.; in qua magnitudine &c. bonificet magnum nobile bonum &c.: unde cùm hoc magnum nobile bonum &c. sit de necessitate Suppositum, ut bonitas, nobilitas &c. sint eadem Essentia, idcirco de necessitate convenit, quòd bonificans, nobilificans &c. sint idem Suppositum, & bonificatum, nobilificatum &c. sint aliud Suppositum; & sic in DEO est Pluralitas.

2. In Magnitudine divina convenit esse majorem nobilitatem, quàm in ulla alia magnitudine; & ideo convenit, quòd in magnitudine sit magnificare, ad hoc, ut magnitudo nobiliter magnificet æternaliter & infinitè; & quia magnitudo est eadem Essentia cum bonitate &c., convenit, eam magnificare nobilem in se ipsa & in bonitate &c., magnificante existente uno Supposito, & magnificato existente altero, ut ambo in magnitudine sint eadem nobilitas, eadem bonitas &c., existente quolibet magno nobili bono &c. in alio æternaliter & infinitè, conservante Essentiâ in quolibet eorum suammet Unitatem, & opere nobilitatis existente distinctè per magnificationem in quolibet Suppositorum: & hoc apparet in parte in essentia Animæ rationalis, quæ est forma simplex se tribuens tribus potentiis, quæ sunt memoria, intellectus & voluntas, quæ de communi forma generant suum opus, cui subjacet forma communis, veluti materia sub forma; & per communem formam sunt omnes tres potentiæ formæ

mæ activæ, substantiales, particulares & distinctæ; & quia forma est eis subjacens, propter hanc subjacentiam habent unam communem materiam, per quam sunt passivæ; etiam omnes tres sunt in essentia Animæ & sunt incorruptibiles, quia sunt de principiis incorruptibilibus: unde quia hæc consideratio Animæ continet aliquam similitudinem divinæ Pluralitatis, idcirco hoc metaphoricè dictum est de divina Pluralitate, quæ de necessitate est, ùt superiùs est demonstratum.

3. Sicut Æternitati convenit æternificare, ita eidem convenit nobilificare, quocirca illi disconvenit vilificare, quod convenit esse accidens extra naturam & entitatem æternitatis, quæ convenit cum nobilitate: & quia æternitati convenit nobilificare secundùm justitiam, igitur si in æternitate non esset ipsum nobilificare, esset vilificare in justitia, quæ esset contraria nobilitati, quæ convenit æternitati; & quia hoc est impossibile, ideo convenit, in nobilificatione æterna esse Pluralitatem; nam sinè distinctis Personis hæc nobilificatio esset confusa indigens distinctione, ut haberet omnem perfectionem, quæ illi convenit, & justitia ac largitas sinè Pluralitate essent infinitè & æternaliter in vilitate; quod est impossibile.

4. Si Potestas divina non posset de se operari aliquod opus per aliquam proprietatem possificativam & distinctivam, plus posset ejus proprietas possificativa extra se, quàm intra; quod est impossibile, ne in ipsa proprietate sit vilitas, quæ in ea esset, si potestas in se æternaliter & infinitè non nobilificaret in sua proprietate specificativa digna omni nobilitate; contra quam nobilitatem essent omnes dignitates; & in ipsa potestate esset perfectio & justitia, eò quòd possunt sufficere & sufficiunt omnibus his, quæ conveniunt dignitatibus; hæc autem est contradictio, quæ est impossibilis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas æternaliter possit operari & operetur in se & de se distincta Supposita, & quòd Opus, quod habet intrinsecè, non sit extra infinitatem &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

5. Sapientiæ divinæ convenit, in suo scire esse nobilitatem, ut justitia illi det omnem perfectionem, quæ illi convenit; idcirco sapientia DEI scit nobiliter omne id, quod scit; sic igitur scit, quòd potestas sit nobiliter in se ipsa & in dignitatibus DEI; per quam nobilem potestatem existentem scit sapientia, quòd bonitas possit operari bonum, scilicet generare & producere bonum; & scit, quòd magnitudo possit operari magnum, scilicet generare & producere magnum; & hoc idem sequitur de aliis dignitatibus divinis: unde cùm hoc ita sciatur à sapientia, convenit (si sapientia scit, quòd potestas possit) quòd ipsa sciat actum hujus, quod potestas potest, & actum omnium dignitatum, ut omnis vilitas in ejus scire desit; & convenit, sapientiam scire, quòd potestas non possit esse cessans operari bonum, magnum &c. (ita loquendo) quam potestatem sciret sapientia esse cessantem & extra æternitatem, nisi in tota se ipsa operaretur æternaliter & infinitè; quæ si cessaret, tale scire sapientiæ esset vilitas in sapientia; quod est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

6. Convenit, quòd Amor diligat nobilitatem, quæ sibi convenit secundùm justitiam & perfectionem; & quia diligere, nobilem infinitè & æternaliter generari, est nobilitas amoris, convenit, quòd amor diligat hanc nobilitatem; si autem illam non diligeret, sequeretur, vilitatem esse, generari nobilem in bonitate, magnitudine &c. infinitè & æternaliter ex infinito & æterno amore; quod est impossibile: ergò convenit, Pluralitatem Suppositorum esse in amore, qui est essentia & nobilitas, ut amor diligat omne id, quod convenit suæ nobilitati, & ut omnia possit habere, quæ diligit.

7. Virtus hic inter nos habet naturam & proprietatem, quòd scilicet major vilitas & majus vitium possit esse in magis nobilibus personis, quàm in minùs nobilibus: unde si virtus non posset esse in altiori gradu in magis nobilibus personis, quàm in minùs nobilibus, sequeretur, quòd virtus contradiceret in sua magnitudine nobilitati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem in suprema Magnitudine significatur Pluralitas propter existentem nobilitatem virtutis; in qua virtute esset suprema vilitas in infinitate & æternitate, nisi procederet Opus intrinsecum, in quo omnes dignitates haberent suos actus: quia sicut divina virtus non fuit coacta ad creandum mundum, nec ad sustentandum eum, ita è contrario sensu virtus esset coacta ad essendum in vilitate, si de se non posset producere Personas nobiles, in quibus omnis vilitas sit impossibilis infinitè & æternaliter; quia virtus esset nobilis per libertatem in opere extrinseco, & haberet

beret vilitatem per impossibilitatem operis intrinseci; quod est impossibile: ergò in DEO est Pluralitas.

8. In Veritate non esset nobilitas, si veritas in DEO nihil esset; unde cùm in præcedentibus probatum sit, supremam Veritatem esse supremam Nobilitatem, & eas insimul esse unum DEUM, idcirco convenit, veritatem, nobilitatem &c. de DEO esse prædicabiles; quia aliàs fuisset impossibile, ipsas supremas Dignitates fuisse probatas, & esset impossibile, quòd hìc inferiùs de veritate prædicaretur nobilitas, & è converso; & ideo cùm bonitas, magnitudo &c. de DEO debeant prædicari, & hæc prædicatio sit vera, convenit, in illa prædicatione esse nobilitatem, ut prædicativa veritas non possit esse in vilitate, in qua esset, si Pluralitas nihil esset: & sic sinè Pluralitate esset in falsitate omne id, quod in intrinseca Essentia & Natura DEI prædicaretur de bonitate, magnitudine &c.; sed quia est impossibile, hanc prædicationem esse sinè veritate, ergò 12. in DEO est Pluralitas.

9. Gloria non posset glorificare gloriosum infinitè, æternaliter &c. sinè Pluralitate Personarum & sinè unitate gloriæ, quæ sit in omnibus Personis; sed quia in gloria est gloriosus, qui est gloria, & de sua gloria producit gloriosum, qui est gloria, ût apparet in his, quæ diximus, idcirco gloria nobilificat infinitè & æternaliter &c. in illo glorioso producto de gloria in gloria infinitè, æternaliter &c.: & quia justitia, amor & virtus conveniunt ad nobilificandum gloriosum, ut in ipso gloriosus nobilificet gloriosum, & ut gloria fit in gloria, & nobilitas in nobilitate, sinè aliqua differentia Essentiæ, idcirco si potestas deficeret concordantiæ justitiæ, amoris & virtutis, vilitas esset in potestate, existente nobilitate 13. in justitia, amore & virtute; & hoc est impossibile, ut non sit pœna in gloria existente in glorioso habente potestatem infinitam & æternam in bonitate &c.: ergò in DEO est Pluralitas.

10. Perfectio est omnibus dignitatibus divinis, eas esse cum omni nobilitate & in omni nobilitate, & vilitas nobilitatis esset, si cum imperfectione esset in aliqua dignitate: unde si est imperfectio & vilitas, in DEO esse Pluralitatem, ergò vilitas est, perfectionem esse de perfectione, & perfectionem esse in perfectione, & est vilitas, nobilitatem esse in perfectione, & è converso; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd nobilitas & perfectio habeant majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, sic, ut perfectio & nobilitas idem sint indistinctè per Essentiam & Naturam; existente nobilitate, quæ est Filius, in nobilitate, quæ est Pater, & è converso; & quia hoc non posset esse sinè Pluralitate, ergò in DEO est Pluralitas.

11. Justitia, quæ bonitati justificat suum bonificare per totam magnitudinem &c., non contradicit nobilitati in se, nec in bonitate, magnitudine &c.: unde si esset vilitas bonitatis &c., in DEO esse Pluralitatem, de necessitate sequeretur, si justitia contradiceret bonitati suum bonificare, quòd contradiceret nobilitati in se & in bonitate &c., & quòd justitia in justificare bonitati suum bonificare, quod habet in magnitudine &c., esset nobilitas; quod est impossibile & contradictio: quæ contradictio de necessitate significat, in DEO esse Pluralitatem.

12. Largitas, quæ largitur nobilitatem, non contradicit magnitudini sui ipsius, nec magnitudini nobilitatis; si autem justitia, aut potestas, aut bonitas, sive aliqua dignitatum contradicat, largitatem largiri nobilem infinitum & æternum, contradicit se ipsam largitati, cum qua est eadem dignitas, & contradicit largitati & magnitudini & nobilitati; quod est impossibile & contra conditiones Artis; quæ conditiones contradicunt omni, quod contradicit, largitatem largiri nobilem infinitum & æternum, nobilitate existente æquali largitati infinitè & æternaliter, ad hoc, ut largitas possit esse infinita & æterna nobilitas largiens infinitum nobilem & æternum: unde convenit, in DEO esse Pluralitatem, ut largitas habeat omnem nobilitatem, quæ illi convenit.

13. Si in tota Simplicitate bonitatis &c. est unus simplex habens tantam simplicitatem, quanta est ipsa simplicitas bonitatis &c., ita, quòd ille simplex possit habere tantam nobilitatem, quanta est tota nobilitas bonitatis &c., inde sequitur magnitudo simplicitatis & nobilitatis; quia si non, sequeretur parvitas simplicitatis & nobilitatis; & in illo simplici nobili de se generante æqualem sibi ipsi in simplicitate & nobilitate esset magnitudo simplicitatis & nobilitatis contraria magnitudini bonitatis &c.; & hoc est impossibile: quod esset possibile, si Pluralitas Divinorum Suppositorum esset parvitas aut vilitas simplicitatis & nobilitatis; & quia hoc

hoc est impossibile, ita & illud: ergò de necessitate convenit, in DEO esse Pluralitatem.

Explicit *prima Pars secundæ Distinctionis, in qua sunt Regulæ, per quas inquiritur gloriosa Pluralitas Divinorum Suppositorum, quibus mediantibus Regulis habetur cognitio divini Operis intrinseci, quæ cognitio quàm plurimùm obligat humanam voluntatem ad diligendum gloriosum DEUM totis viribus, & ei in omnibus serviendum.*

SECUNDA PARS,
De Generatione & Processione in Divinis.

HÆc Pars dividitur in *quatuordecim* Partes, scilicet in quatuordecim Dignitates, per quas volumus probare, quòd conveniat, divinam Pluralitatem (quam in præcedenti Parte probavimus) de necessitate esse per *Generationem* & *Processionem*: & primò dicemus de Bonitate, & sic de aliis.

De Bonitate, Generatione & Processione.

1. COnvenit, in divina Pluralitate esse Bonitatem cum omni perfectione infinitæ & æternæ magnitudinis &c.; & ideo non convenit, in ea esse opus contrarium perfectioni, quæ convenit bonitati; quod opus contradiceret perfectioni bonitatis, si aliqua res fieret ab altera, aut si aliqua res faceret alteram, aut si quælibet res faceret se ipsam, aut si res insimul facerent se ipsas: unde si in divina bonitate, quæ est Essentia infinita æterna &c., una res fieret ab alia, esset imperfectio bonitatis; nam factio separat essentiam ab essentia; & quia bonitas DEI est infinita & æterna &c., non convenit, quòd ex ea nec in ea fiat opus, unâ re faciente de se aliam rem seu alias: & hoc idem sequitur, aliquâ re faciente aliquam rem ex altera aut ex nihilo; quia si convenit, in bonitate DEI sequeretur compositio causæ & effectûs; & hoc est ideo impossibile, ne minoritas, quæ habet dependentiam ab effectu, sit in bonitate: nec convenit in bonitate DEI, quòd aliqua res faciat se ipsam, quia non esset ibi simplicitas Essentiæ & Naturæ in uno DEO tantùm, sed quælibet res esset per se ipsam DEUS existens distinctus ab altero DEO; quod est impossibile, ût in præcedentibus probatum est: nec convenit, in bonitate DEI esse hoc opus, videlicet, quòd res faciant se ipsas, eò quia essent compositæ in uno DEO, in quo privaretur simplicitas; cujus privatio est impossibilis.

2. Secundùm ea, quæ jam diximus, inconveniens & impossibile est, opus supradictum esse in bonitate DEI; sed quia convenit, in bonitate esse aliquod opus de necessitate, ex quo sequatur pluralitas, quam in præcedenti probavimus in DEO esse, idcirco convenit, hoc opus esse per alium modum, qui modus sit ita conveniens, quòd sufficiat nobilitati, quæ convenit bonitati DEI, ad hoc, ut bonitas possit sufficere nobilitati magnitudinis, æternitatis &c.; quibus potest sufficere, si Opus Generationis & Processionis se habeat per hunc modum: si in divina bonitate est quædam Persona, quæ sit eadem bonitas per Essentiam & Naturam sinè aliqua distinctione, producente illâ Personâ de tota se ipsa alteram Personam per modum Generationis, quæ producta Persona sit ipsa eadem bonitas per Essentiam & Naturam sinè aliqua differentia, sequitur, quòd bonitas in hoc opere habeat suam perfectionem; nam opus est in eadem bonitate, in eadem Essentia, in eadem Natura, & est in infinita magnitudine, æternitate &c., cum quibus bonitas est eadem natura: & quia justitia non consentit, in bonitate DEI esse aliquod opus imperfectum, & hoc Opus Generationis est in perfectione, ideo vult divinus amor, & potest divina potestas, & justitia judicat, & simplicitas simplificat, quòd de necessitate in DEO sit Generatio; si autem in DEO non esset Generatio & Ortus, conveniret, bonitatem bonificare dividendo semet ipsam, & dividendo magnitudinem, æternitatem &c.; & sic destrueretur simplicitas in Essentia & Natura DEI, & in DEO essent partes; sed quia hoc est impossibile, convenit, in DEO esse Generationem & Ortum, ne in eo sint partes & divisio, quæ in illo non possunt esse, postquam in illo est infinita & æterna Generatio, Patre, qui est bonitas &c., bonificante Filium, qui est bonitas &c.; & nisi in DEO esset infinita & æterna Processio, quæ est æqualis Generationi & Ortui in bonificare &c., justitia & amor essent contra virtutem, magnitudinem, perfectionem, simplicitatem & nobilitatem; & quia talis contrarietas est impossibilis, ideo de necessitate convenit, in DEO esse Sanctum Spiritum: &

quia perfectio est tam magna & excellens in generando, nascendo & procedendo per magnificare, æternificare, bonificare &c., idcirco non convenit, in DEO esse aliquod opus extra magnitudinem &c., nec augmentationem nec diminutionem; sicut in mari, in quo nulla apparet multiplicatio aquarum ipsum ingredientium, nec diminutio propter pluviam, quæ ab ipso generatur.

3. Quemadmodum in bonitate quædam persona generat alteram personam, ita convenit, quòd bonum procedat de persona; quia sicut convenit, quòd ex virtute hominis procedat virtus in virtutem, videlicet ex virtute Animæ, à qua procedit virtus, quæ est Fides, aut Spes, aut Charitas, aut Justitia &c., ita & multò meliùs convenit propter magnitudinem bonitatis, justitiæ, amoris &c., quòd bonitas procedat ex bono in bonum, quod sit persona: unde si divina bonitas per virtutem spirativam produceret Personam, quæ non procederet ex Persona genita, bonitas esset distincta à Personis per Essentiam & Naturam; quod est impossibile: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Magnitudine, Generatione & Processione.

1. IN divino Opere intrinseco debet esse Relatio Paternitatis & Spirationis, ut ipsum Opus inde conveniat cum magnitudine, quæ illi convenit; nam per relationem conservatur Unitas Essentiæ, Naturæ & similitudinis, & conservatur quælibet dignitas DEI in suamet entitate, omnibus dignitatibus divinis existentibus eâdem Essentiâ, eâdem Naturâ & Entitate; & sinè opere relativo corrumperetur magnitudo, & alteraretur in parvitatem; per cujus alterationem hoc Opus esset destructio & imperfectio sui ipsius & omnium dignitatum; quod est impossibile.

2. Si Pater, qui est infinita magnitudo, bonitas, æternitas &c., generat de se toto, non sequitur, quòd id, quod generat, ejiciat de sua natura, infinitate, æternitate &c.; imò Pater cum Filio permanet eadem magnitudo &c. & eadem Essentia & Natura; si autem Pater de se toto generando Filium de se toto spirat Sanctum Spiritum, & hoc incessanter, infinitè & æternaliter &c., Pater cũ Filio permanet cum Sancto Spiritu eadem magnitudo &c., & eadem Essentia & Natura: quapropter sequitur, quòd magnitudo habeat suam perfectionem in opere, & opus in ea per relationem, sinè qua non remaneret in sua perfectione, nec magnitudo posset esse idem cum dignitatibus nec cum Suppositis, in quibus est pluralitas: & quia bonitas, potestas, amor, sapientia, virtus, justitia &c. conveniunt cum magnitudine, ideo convenit, hoc Opus esse in magnitudine, per quam omnes dignitates meliùs possint inter se convenire.

3. Divina Potestas non potest ponere majorem naturam, similitudinem & propinquitatem inter Personam & Personam, quàm per relationem virtutis generativæ & spirativæ, nec potest distinguere unam Personam ab altera tam fortiter extra Generationem & Spirationem, quàm in Generatione & Spiratione; nam per generationem natura conservat suas species, & per spirationem natura continuat suum opus, igne spirante in aëre suam lucem, generando in eo suum calorem, ût hìc inter nos apparet: igitur convenit in suprema Potestate, quòd potestas habeat tale opus, per quod meliùs possit convenire cum infinita & æterna magnitudine, ut in ea sit infinita potestas possificans æternaliter & incessanter; & hoc vult amor, & justitia justificat, & potestas potest, & sic de aliis: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Æternitate, Generatione & Processione.

1. CONvenit, Æternitatem æternificare in pluralitate actuum omnium dignitatum; quia si non, Pluralitas esset extra æternitatem & extra dignitates, & entitas divinorum Suppositorum esset superflua & contra perfectionem & justitiam; quod est impossibile: unde cùm æternitas in Pluralitate æternificet, convenit, eam in Pluralitate sub tali conditione æternificare, quòd omnes dignitates in Pluralitate habeant suos actus, quos in ea non possent habere sinè Generatione & Processione, æternitate, quæ est Pater, generante absque distinctione æternitatis æternitatem, quæ est Filius, procedente Sancto Spiritu ab ambobus in Entitate Essentiæ, quæ sit æternitas: & quia bonitas, magnitudo &c. sunt eadem Essentia cum æternitate, igitur si æternitas, quæ est Pater & Filius & Sanctus Spiritus, est eadem sinè distinctione, quælibet dignitas potest habere suum actum in illa Generatione & Processione; quia aliter esset impossibile, quòd dignitates possent habere suos actus in actu æternitatis: ergò in DEO est Generatio & Processio, ut omnes dignitates habeant perfectionem in suprema Potestate infinita & æterna.

2. Id, quod magìs est remotum à corruptione, diminutione & multiplicatione, meliùs convenit cum æternitate, quàm illius oppositum; & sic Generatio & Processio meliùs conveniunt cum æternitate; nam per Generationem infinitam & æternam æternitas est magìs remota à corruptione, diminutione & multiplicatione, quàm si ipsa esset sinè Generatione æterni infiniti, in quo non capitur diminutio nec incrementum, ipso existente æterno & infinito; & si est procedens & infinitus æternus existens æternitas magna & infinita, qui procedat ex magno æterno & infinito, qui sit æternitas, impossibile est, Opus æternitatis posse augmentari, deficere & corrumpi; & isto modo quodlibet Suppositum habet suam perfectionem, contra quam perfectionem habet imperfectionem omne opus contradicens huic operi, per quod æternitas habet omne id, quod illi convenit in Pluralitate & è converso; & quia perfectio æternitatis est amabilis, convenit, justitiam justificare omnes dignitates in tali opere, ut æternitas habeat omnem perfectionem & nobilitatem, quæ illi convenit: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Potestate, Generatione & Processione.

1. OPus Potestatis potest esse magìs simplex, si potens, qui est potestas, de se generat potentem, qui sit potestas, quàm sit opus, quod est extra simplicitatem potestatis, quod sit extra Generationem; & cùm in divina potestate sit simplicitas, magnitudo, æternitas &c., igitur si simplicitas non communicaret se totam potestati, esset minoritas in simplicitate, in perfectione, in potestate, & amor & justitia haberent otiositatem & vilitatem; quod est impossibile: ergò in DEO est generatio & Processio.

2. Si ex potestate non procedit Suppositum, quod est potestas, est impossibile, quòd omnis potestas procedat in opus, sed remanet aliqua virtus potestatis in potentia; & est ita, sicut virtus humanæ voluntatis, quæ tota non procedit in velle, quia destrueretur actus memoriæ & intellectûs: sed quia divina potestas est infinita & æterna, & convenit, eam transcendere potestatem animæ, convenit, quòd se totam communicet ad producendum sinè diminutione virtutis generativæ, in qua potestas se totam communicat ad generandum Filium, ut de sua natura nihil remaneat otiosum, ut possit satisfacere omnibus actibus dignitatum, quibus ipsa non posset sufficere sinè Generatione & Processione incessanter, æternaliter & infinitè: quia sicut prima materia non potest sufficere generationi individuorum specierum sinè corruptione, ita sinè Processione incessante infinita & æterna potestas non potest sufficere ad bonificandum, magnificandum &c.; & nisi Processio sit Persona per se stans æternaliter & infinitè: sicut enim est impossibile, corpus posse egredi de suo loco & extra locum, ita & multò magìs est impossibile, quòd in DEO possit procedere Opus DEI extra opus, si ex Opere infinito & æterno procedat Opus infinitum & æternum; quia si in divino Opere intrinseco Filius est productus in infinitate, incessanter procedente Supposito infinitè & æternaliter, impossibile est, Filium posse egredi extra Opus; extra quod egrederetur, si esset Filius, & non Pater, & nisi Sanctus Spiritus procederet à Patre, à quo generetur Filius æternaliter & infinitè: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Sapientia, Generatione & Processione.

1. DIvina Sapientia intelligit, & ejus intelligere est DEUS infinitus & æternus habens omnem perfectionem; & ideo convenit, suum intelligere esse æquale ipsi sapientiæ, quæ est DEUS; quod intelligere non posset esse æquale ipsi sapientiæ, nisi de se tota ipsum generet: & quia secundùm bonitatem &c. convenit, ipsum intelligere esse æquale sapientiæ, ne sapientia cesset intelligere æternaliter & infinitè, & ut ipsum intelligere sit actus sapientiæ infinitè & æternaliter, ideo de necessitate convenit, in DEO esse Generationem, ut sapientia & ejus intelligere habeant perfectionem, quæ illis convenit: si verò sapientia & ejus intelligere sunt idem contra generationem, & hoc ideo, ne in DEO sit Generatio, sic dignitas est sinè actu, nec actus est opus dignitatis; & hoc est impossibile, ût probatum est, in DEO esse Opus, probando Pluralitatem, etiam ût probatum est, dignitates esse in

se in DEO, probando, actum esse in qualibet dignitate.

2. Sapientiæ convenit scire in suo Opere illam virtutem, per quam meliùs possit transcendere tempus, locum, quantitatem, materiam, motum &c., quæ essent inconvenientia, si essent in suo opere: unde si sapientia, quæ est Pater & Filius per Essentiam & Naturam (illâ sapientiâ existente Patre per virtutem paternalem, & eâdem sapientiâ existente Filio per virtutem filialem, Sancto Spiritu producto infinitè & æternaliter ex virtute paternali & ex virtute filiali) sciat, se ipsam esse Patrem & Filium & Sanctum Spiritum sinè tempore, loco, quantitate, motu, materia &c., ipsa scit in se ipsa ita nobile Opus, sicut est transcensus omnîs operis, quod non potest fieri sinè supradictis accidentibus; qui transcensus nihil esset sinè virtute generativa & spirativa æternaliter & infinitè: & quia bonitas non haberet perfectionem nec nobilitatem, nisi sapientia haberet in suo scire omnem nobilitatem, quæ sibi convenit, ergò sapientia scit in suo scire id, per quod plùs ttanscendit omnia, quæ in suo Opere essent inconvenientia: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Amore, Generatione & Processione.

1. PRobatum est in præcedenti Parte, in DEO esse Pluralitatem, & convenit, eam amari ab amore in æqualitate Suppositorum infinitorum per infinitatem, & æternorum per æternitatem, & sic de aliis; & quia convenit, amorem ita amare, convenit, quodlibet Suppositum habere omnem perfectionem, quæ illi convenit, ut quodlibet eorum sit amabile & ametur ab amore, secundùm quòd convenit, amorem amare: unde convenit, in aliquo Supposito esse tantam virtutem omnium dignitatum, scilicet, ipsum Suppositum esse bonitatem, per quam habeat propriam virtutem bonificativam; & ipsum esse magnitudinem, per quam habeat propriam virtutem magnificativam, & convenit, ipsum esse æternitatem, per quam habeat virtutem æternificativam, & hoc idem sequitur de aliis divinis dignitatibus; tanquam si in homine esset homificare, eò quia ipse homo est homo, & tanquam haberet animificare, quia habet Animam, & tanquam haberet corporificare, quia habet corpus, tanquam haberet in Anima volificare, quia habet voluntatem, & in corpore nasificare, quia habet nasum, & sic de aliis proprietatibus partium hominis: quia sicut in homine unirentur omnes partes suarum partium suppositi, quòd quælibet pars haberet suam propriam virtutem in ipso homine, sicut jam dictum est, ita & multò meliùs, quàm possit cogitari, convenit, omnes dignitates divinas constituere unum speciale Suppositum, in quo sunt omnes agentes per ipsum: & quia convenit, Suppositum esse ipsas dignitates, nec in eo potest esse pars nec partes, postquam in eis est magnitudo, æternitas &c., idcirco convenit, illud Suppositum bonificare, magnificare &c.: & quia illud Suppositum (ita loquendo) est constitutum ex omni perfectione, idcirco diligit suammet perfectionem & omnem perfectionem dignitatum; & sic bonificando in se ipso, magnificando in se ipso, & sic de aliis, convenit, ipsum esse Patrem Filii; qui Filius generatur de toto Patre, ut in ipso Filio incessanter, æternaliter & infinitè bonificet, magnificet &c., & ut omnes dignitates habeant omne id, quod illis convenit per Paternitatem, Filiationem &c.; nam sinè proprietate paternali & proprietate filiali non posset perfici perfectio, quam convenit perfici per proprietatem bonificativam, magnificativam &c.

2. Generante Patre Filium convenit, Filium esse æqualem Patri in omnibus dignitatibus, ut Pater ipsum non producat majorem nec minorem se; quia sequeretur minoritas in virtute bonificativa, magnificativa &c.; quod est impossibile: cùm magnitudo & æternitas sint in qualibet dignitate DEI; & quia convenit, Filium esse æqualem Patri, idcirco convenit, ipsum esse perfectum Suppositum, in quo omnes dignitates habeant omnem perfectionem, quæ illis convenit; sed quia Filio non convenit bonificare, nec magnificare &c. in Patre per modum generandi eum, nec justitia consentit, quòd Filius sit Pater, eò quòd proprietas paternificativa in Patre est infinita & æterna in bonitate &c., idcirco de necessitate convenit, quòd Filius in aliquo perfecto Supposito bonificet, magnificet &c. per aliam proprietatem, quæ non sit paternalis, & convenit, eum bonificare, magnificare &c., ut omnes dignitates in ipso & per ipsum habeant suos actus: & quia magis propria & magis propinqua proprietas, quam Filius possit habere in bonificare &c., est proprietas spirativa, spirante Filio Sanctum Spiritum de tota sua Essentia & de toto eo, quod habet per bonitatem &c. in bonificare &c., ideo convenit, quòd amor, qui infinitè & æternaliter diligit cum justitia & potestate &c., diligat illam proprietatem, quæ convenit Filio: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Virtute, Generatione & Processione.

1. VIrtus substantiæ hìc inter nos non potest egredi in opus sinè generatione; & hoc est in plantis, in metallis & in animalibus, & in Anima rationali, quæ est subst antia subjacens suæ virtuti memorativæ & virtuti intellectivæ & virtuti volitivæ, quæ sunt potentiæ, è quibus generantur recolere, intelligere & velle, ut in ipsas potentias procedat virtus de substantia & de potentiis in formam actuum potentiarum, quæ sunt formæ; quia virtus substantiæ per generationem & processionem habet suum opus in illis formis distinctis, in quibus per generationem & processionem diversificatur tota virtus substantiæ, ut virtus possit procedere in opus, in quod non posset procedere sinè diversitate potentiarum: unde cùm hoc per se sit probabile, per similitudinem supradictæ generationis & processionis considerari potest, quomodo de necessitate conveniat, Generationem & Processionem esse in suprema Pluralitate; quæ consideratio habetur isto modo: si in suprema Pluralitate, quam in præcedenti Parte probavimus, quodlibet Suppositum habet specialem virtutem sive proprietatem personalem, quæ sit bonitas, magnitudo &c.; in qua proprietate non sit Generatio nec Processio, sequitur, quòd quælibet divina dignitas sit distincta ab altera, & quòd Supposita sint distincta per essentias, ex quo sequatur multitudo essentiarum distinctarum multiplicans plures Deos; quæ multiplicatio est impossibilis, secundùm quòd jam probatum est, esse unum DEUM tantùm; nam convenit, aliquod Suppositum bonificans, magnificans &c. in se ipso aut in altero sinè Generatione & Processione limitare se ipsum & alterum, quamvis infinitè & æternaliter bonificet &c., & etiam sequitur contradictio, quæ est impossibilis: sed si in bonificatione, magnificatione &c. unum Suppositum existens infinitum & æternum de se toto generat Suppositum, & spirat Suppositum, est impossibile, quòd se & illud Suppositum, quod generat, & illud, quod spirat, possit limitare, cùm de tota sua magnitudine, æternitate &c. producat ea æqualia sibi ipsi existens insimul cum ipsis eadem Essentia & Natura, & eadem bonitas, magnitudo &c.: & quia convenit, majorem virtutem bonificandi &c. esse in DEO secundùm justitiam, amorem, nobilitatem, simplicitatem, potestatem & bonitatem, ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Veritate, Generatione & Processione.

1. IN divina Veritate non est possibile, quòd suprema Pluralitas sit in una Essentia, & divisa in partes; quia si pluralitas constitueretur per partes, Pluralitas & Unitas Essentiæ essent limitatæ in illis partibus, nec aliqua partium esset infinita; & quia convenit, omne id, quod est in divina Pluralitate, esse infinitum, æternum &c., igitur necessariò convenit, quòd in veritate sit id, quod est contrarium ejus, quod in ea non potest existere; & sic convenit, Essentiam non esse in partibus, nec partes in Essentia, quæ sinè veritate potest existere in partibus, & partes possunt existere in ea, si Generatio & Processio in divina Pluralitate disconveniunt; nam si in DEO habetur Pluralitas sinè Generatione & Processione, & convenit, in illa Pluralitate quamlibet dignitatem habere suum proprium actum, de necessitate convenit, divinam Essentiam esse distinctam & divisibilem in partes; per quam divisionem produceretur compositio in Essentia, bonificante bonitate, & magnificante magnitudine &c. sinè generare & sinè procedere: sed si bonitas bonificat, videlicet, quòd si bonitas, quæ est Pater, bonificet in Filio, qui est bonitas &c., de Patre & Filio procedente Sancto Spiritu, in quo bonitas, quæ est Pater & Filius, bonificet Sanctum Spiritum, qui est bonitas &c., sequitur, quòd per hoc opus Essentia sit sinè partibus, quâlibet dignitate habente in suo actu perfectionem & proprietatem, quæ illi convenit: unde cùm conveniat, veritatem verificare omne id, quod divinæ Essentiæ & Dignitatibus & supremæ Pluralitati convenit, & justitia velit, quòd veritas omni ei contradicat, per quod divina Simplicitas devenit in privationem, ergò in DEO est Generatio & Processio.

In

2. In divina Essentia veritas scit plùs verificare de se ipsa, quàm de alia veritate; & hæc proprietas & natura convenit ipsi, ut habeat concordantiam cum magnitudine in nobilitate; nam si veritas conveniret ad verificandum plùs de alia veritate, quàm de se ipsa, esset contra nobilitatem magnitudinis; & quia sinè Generatione & Processione infinita & æterna veritas non sufficeret infinitè & æternaliter ad verificandum de se ipsa, ideo convenit, quòd veritas, quæ est Pater, verificet de se Filium, qui est veritas, ut Pater incessanter possit verificare generando infinitè & æternaliter Filium infinitum & æternum: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Gloria, Generatione & Processione.

1. GLorioso generante Filium de suamet gloria, & spirante Sanctum Spiritum de eadem gloria, non contradicitur gloriæ; quia sequeretur, quòd ignis generans suum calorem non multiplicaret suum splendorem, nec aqua de fonte progrediens augmentaret magnitudinem laci. Si procedere glorioſum ex glorioso esset imperfectio gloriæ, gloriâ non sufficiente huic processui, magnitudo & æternitas privarentur in gloria; & si est imperfectio gloriæ, glorioſum generare alterum glorioſum, gloria deficit virtuti glorificativæ in magnitudine & æternitate, & malum esset Sanctis in gloria, eos amare & intelligere majorem gloriam, & esset eis beatitudo, eos amare & intelligere minorem gloriam; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd sit gloria, bonum procedere ex bonitate, & magnum ex magnitudine, & æternum ex æternitate, & sic de aliis; quæ gloria perverteretur in pœnam, si in gaudiis Paradisi esset vitium, & si esset contra gloriam, generari bonum ex bonitate, & magnum ex magnitudine; & sic de aliis: & quia hoc est impossibile, ergò secundùm rationes, quæ per supradicta principia formari possunt, demonstratur, quòd conveniat, in DEO esse Generationem & Processionem.

2. Si de Saturno quidam lapis cadens descenderet, quantò magis appropinquaret suo centro, tantò magis multiplicaret suum motum; si verò suum centrum infinitè distaret ab eo, conveniret, motum ejus de se generare alterum motum, in quo posset esse multiplicatio æterni motûs; quia sinè generatione alterius motûs non esset, in quo primus motus multiplicaret alterum: & quia divina Gloria est incessans, infinita, æterna &c., est impossibile, ipsam esse incessantem, infinitam & æternam sinè Generatione & Processione; sed quia aliquod Suppositum, quod est gloria infinita, æterna &c., de se toto producit glorioſum, qui est gloria infinita, æterna &c., idcirco potest esse gloria incessans, infinita, æterna: ergò in DEO est Generatio & Processio.

3. In humana voluntate spirat amor suum diligere, quando voluntas aliquod objectum accipit diligendo; sed quia hæc spiratio est limitata, id, quod spiratum est, non potest procedere in esse Suppositi, sed potiùs est accidens voluntatis; quod accidens esset Suppositum distinctum ab objecto, si spirativa virtus haberet infinitatem, æternitatem, & si objectum dilectum esset infinitum & æternum; & quia divina gloria est infinita & æterna, de necessitate convenit, quòd amor infinitus & æternus habeat spirativam virtutem infinitam & æternam, diligendo suam gloriam in aliquo glorioso objecto infinito & æterno &c., quod sit perfectum Suppositum, ut amor & amans & amatus habeant gloriam infinitam & æternam; qui sinè Spiratione eam non possent habere, nec possent esse perfecta Supposita: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Perfectione, Generatione & Processione.

1. PErficere disconveniret in divina Perfectione, si ipsa esset sinè infinitare, æternificare, bonificare &c.; & hoc esset ideo, quia sinè supradictis actibus perfectio non haberet nobilitatem, quæ illi convenit, cum qua inquireret perficere; sed quia in ipso perficere sunt omnes actus dignitatum, idcirco est impossibile, quòd perficere disconveniat perfectioni, cui convenit secundùm justitiam, quòd sit in bonificare, magnificare &c.: si verò perfectio habet suum actum indistinctè & sinè specificativa proprietate in omnibus Suppositis, in quolibet eorum est suum opus superfluitas, quod est finitum propter privationem virtutis, justitiæ & nobilitatis; sed quia est impossibile, in DEO esse imperfectionem, ergò perficere in DEO habet perfectionem in propria virtute specificativa, in qua esset imperfectio, si illi Generatio & Processio disconvenirent; nam gene-

generare perfectionem, perficiendo æqualem Filium de se ipsa infinitè & æternaliter, non potest contradicere suo operi, imò removet opus ab omni imperfectione; à qua non posset ipsum removere, si Generatio illi esset imperfectio, eò quia magnificare esset imperfectio, & æternificare perfectio; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Generatio & Processio.

2. Si ex imperfectione infinita & æterna procederet Suppositum imperfectum, per quam ipsum suppositum contradiceret bonitati, potestati, sapientiæ &c., esset impossibile, perfectionem & opus perfectionis esse in illo processu: unde si id, per quod imperfectio removeret incessanter & infinitè perfectionem à suo opere, faceret, quòd esset impossibile, perfectionem & opus perfectionis esse in illo processu, quantò magis convenit, necessariò id esse in divina perfectione, per quod perfectio removeat incessanter & infinitè imperfectionem à suo opere, ut infinitè & æternaliter in bonitate, magnitudine &c. perfectio perficiendo habeat suum opus, procedente perfecto in omni perfectione ex perfecto habente omnem perfectionem: ergò in DEO est Processio.

De Justitia, Generatione & Processione.

1. JUstitia sinè justificare, in quo non sit privatio, non posset sufficere ad dandam nobilitatem actibus divinarum dignitatum, quæ illis convenit; nam sinè justificare infinito & æterno justitia esset per existentiam & non per opus in essentia DEI, in qua esset otiosa; & sic ejus existentia esset in vilitate, & esset impossibile, ipsam existentem sinè opere esse eandem Essentiam cum bonitate, magnitudine &c.: unde convenit, eam esse cum justificare in divina Essentia; cui justitiæ deficit magnitudo, si sinè Generatione justificat in Essentia bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis: quia sicut splendor solis sinè luce non posset illuminare aërem, ita magnitudo non posset sufficere justitiæ, quæ infinitè & æternaliter habet justificare & attribuere omnem nobilitatem, quæ convenit ipsis æternificare, bonificare &c., nisi magnitudo infinitè & æternaliter de se generaret talem magnum, qui æternaliter & infinitè sit sufficiens justitiæ; & sic in DEO est Generatio & Processio.

2. In DEO justificatus est magis propinquus in virtute ipsi justificare, quàm hic inter nos calefactus ipsi calefacere, & hoc ideo, quia convenit, justificare & justificatum esse de eadem Essentia & Natura, ut justitia non sit finita per opus nec per naturam in justificare, nec in justificato: unde sicut calefactus esset calefacere per essentiam & naturam, si procederet ex igne, ex quo procedit calefacere in calefactionem, ita & multò meliùs in Divinis est justificatus eadem Essentia cum justificare, si ambo procedant ex justitia, ex qua procedit justificare in justificato: & ideo si est inconveniens, justificatum procedere ex justitia, etiam est inconveniens, ipsum justificare procedere ex justitia, & justitia & virtus est, dividere & destruere simplicitatem ab Essentia divina; quod est impossibile: ergò in DEO est Processio.

De Largitate, Generatione & Processione.

1. LArgitatem divinam convenit infinitè & æternaliter largificare, ut non cesset largiri ipsis bonificare, magnificare &c. id, quod convenit suo operi; si verò generare & procedere disconvenirent in DEO, largitas non haberet, quod posset largiri ipsi bonificare bonitatis & infinire magnitudinis, & assimilaretur fonti, qui non potest sufficere ad rigandum propter defectum aquæ: & quia convenit, largitatem largificare æternaliter & infinitè largiendo omnem perfectionem, ideo de necessitate convenit, Generationem esse incessanter & infinitè, ut largitas æternaliter & infinitè posit largiri largificando: ergò in DEO est Generatio, sinè qua Generatione potestas haberet imperfectionem in largitate, & largitas in bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile.

2. Ad largificandum convenit generare, ût jam dictum est, ut largitas habeat, quod possit largiri in Generatione, largiendo infinitè donum sinè imperfectione; quod donum esset imperfectum, nisi æternaliter & infinitè procederet ex perfectione, permanendo Essentia infinita & æterna: quia sicut influentia, quam sol tribuit huc inferiùs ad formandam generationem naturalem, deficeret, si tribueretur per essentiam, non permanendo in essentia solis, ita deficeret largitas in largiendo perfectionem, nisi per supradictum donum procederet infinitè & æternaliter ex perfectione & ex largitate, sic, ut ipsum donum informetur esse largitas &

perfectio, largitate se largiente per Essentiam cum tota sua perfectione in ipso dono, quod existens Suppositum spiratum suscipiat totam Essentiam largitatis & perfectionis: ergò in DEO est Processio.

De Simplicitate, Generatione & Processione.

1. IN divina Simplicitate convenit affirmari omne id, per quod compositio est magis impossibilis in illa, & omne id, per quod simplicitas est infinita, æterna &c.: unde convenit affirmari, in DEO esse Generationem & Processionem; quia si in infinita & æterna simplicitate est aliquod Suppositum, quod est eadem simplicitas, quod de se toto generet Filium, qui est infinitus & æternus in simplicitate, ipso Filio spirante aliud Suppositum productum & procedens infinitè & æternaliter in simplicitate, est omninò impossibile, quòd in illa simplicitate possit esse aliqua compositio, quæ non esset impossibilis in divina simplicitate tot modis, si in simplicitate disconveniret productio Suppositorum simplicium infinitorum & æternorum, sic, ut in simplicitate conveniat Generatio & Processio: & quia amor in DEO diligit majorem impossibilitatem compositionis per justitiam & per infinitam magnitudinem & per æternam durationem, idcirco potestas potest & sapientia scit in divina simplicitate omne id, quod amor in ea diligit cum justitia, infinitate & æternitate &c.: ergò in DEO est Generatio & Processio.

2. Si simplicitas se posset sustentare in perfectione sinè simplificare, ipsa posset se sustentare contra magnitudinem suæ perfectionis & contra distantiam compositionis; aut si simplicitas, quæ est Pater, indiget habere multos filios, ut sit magis remota à compositione, quilibet ejus filius haberet imperfectionem magnitudinis, bonitatis &c.; & hoc idem sequeretur de Sancto Spiritu: unde de necessitate convenit, Patrem simplificare in una Filiatione, in una Processione tantùm, ita, quòd non in pluribus: ergò in DEO est Generatio & Processio.

De Nobilitate, Generatione & Processione.

1. OMne id, quod in æternitate nobilificaret æternaliter & infinitè, implicaret contradictionem sinè Generatione infinita & æterna; & quia convenit, divinam nobilitatem nobilificare, ut bonificare, magnificare &c. habeant omnem nobilitatem, quæ eis convenit, idcirco convenit, esse posse in nobilificare, & bonificare in nobilificare, & magnificare in nobilificare, & sic de aliis; & hoc diligit amor cum justitia, ut nobilitas possit habere nobilificare, quod non posset habere sinè aliquo Supposito, quod sit Pater, in quo communiter sint omnes actus divinarum dignitatum, ipso de se toto nobilificante Filium in toto se ipso per modum Generationis; nam Pater de se toto & in se toto nobilificans Filium nobilificat omnes actus dignitatum, eò quòd ipse est omnis actus divinarum dignitatum per Essentiam; & secundùm proprietates personales Pater est Genitor, Filius verò genitus, actibus dignitatum existentibus distinctis in Paternitate & Filiatione, ut nobilitas possit nobilificare per Paternitatem & per Filiationem: ergò in DEO est Generatio.

2. Calor, quem ignis generat in aëre appropriando aëri calorem, procedit ex forma & ex materia ignîs, ut ignis per illum processum possit communicare aëri per formam & per materiam, ipsis ambobus cum cæteris elementis generantibus simile aliquod suppositum procedens in speciem & entitatem, ut sit aggregatum esse, dependens ab essentia omnium quatuor elementorum; & ideo si esset vilitas, Suppositum nobile infinitum & æternum procedere ex Patre & Filio, sequeretur, quòd esset nobilitas Patri, ipsum esse Patrem sinè Filio, & esset nobilitas Filio, ipsum esse sinè Patre; & per talem nobilitatem esset vilitas, generari nobilem ex nobili, & ignis perfectiùs concordaret cum aëre sinè generatione & sinè processione, quàm è contrario; eò quia esset magis similis nobilitati Patris & Filii habendo in nobilitate plus perfectionis, quàm minus; sed quia hoc est impossibile, igitur significatur Processio, & demonstratur in DEO esse.

3. Nos fruentes divino auxilio probavimus, Generationem & Processionem esse in divina Pluralitate, per quas relativè ostenduntur tres Articuli Fidei Christianæ, videlicet tria Supposita distincta esse in Pluralitate, Patrem esse unum Suppositum, & Filium aliud, & Sanctum Spiritum aliud, ipsis Suppositis tamen non distinctis per Essentiam & Naturam: & quoniam super omnia multùm necessarium est cuilibet homini credere & scire tres supradictos Articulos, idcirco quantum poterimus cum auxilio DEI significabimus Modum, secundùm quem Generatio & Processio in divina Pluralitate ordinatur, & ad hoc, quantum poterimus conabimur, ut intelligamus Modum, secundùm quem est divinum Opus, per quod DEUS Pater est Pater, & DEUS Filius est Filius, & DEUS Sanctus Spiritus est Sanctus Spiritus sinè distinctione unius Essentiæ & Naturæ.

TERTIA PARS, De Modo generandi & procedendi.

DEUS (benedictus sit ipse) infudit de se aliquam similitudinem creaturis, ut per illam similitudinem, quam creaturæ ab ipso diversimodè recipiunt, repræsentetur; & quia ei sunt magis dissimiles, quàm similes, demonstrat se DEUS in eis, demonstrans per similia & dissimilia suum Opus: unde nos per similia & dissimilia opera Creaturarum inquirimus Modum, secundùm quem in Divinis Pater generat Filium, & secundùm quem Sanctus Spiritus procedit ab ambobus, & sequendo modum probationis, quem in aliis inquisitionibus tenuimus cum *quatuordecim Dignitatibus* divinis procedimus in hac Parte; & primò de bonitate intendimus dicere, & postea de aliis.

De Bonitate & Modo generandi & procedendi.

1. QUoniam convenit, totam magnitudinem divinam esse in bonificare bonitatis, ideo convenit, magnitudinem esse in ipso bonificare cum magnificare sui ipsius & æternitatis, potestatis &c.; & ideo convenit, in Divinis esse unum Suppositum, quod sit Pater, qui Pater sit DEUS existens bonitas per bonificare de se Filium & spirare Sanctum Spiritum, qui sint ipse DEUS, spirante Filio de se ipso Sanctum Spiritum, existente Filio bonitate ad bonificandum Sanctum Spiritum, & ipsomet generato à Patre; Sancto Spiritu etiam existente bonitate ad bonificandum, ipso Sancto Spiritu fruente Patre & Filio in se ipso: & per totum hoc opus convenit esse magnificare magnitudinis; in quo magnificare convenit esse æternificare, bonificare &c.; nam Pater producit magnum bonum, eò quòd ipse, qui est infinitus, generat Filium de se toto; & quia de se producit Sanctum Spiritum, producit magnum bonum: etiam Filius producit magnum bonum, in quantum de se toto spirat Sanctum Spiritum; & in magno bono est magnitudo æternitatis, quia æternaliter fit hoc opus, & in ipso bono est magnitudo potestatis, quia ipsum opus est infinitum, & magnitudo sapientiæ est in illo opere, eò quòd ipsum opus scitur magnum & æternum; & hoc idem sequitur de magnitudine amoris, & sic de aliis.

2. Ignis calefaciens aërem generat de se toto calorem in aëre, & transeunte aëre in aquam, attribuendo ei humiditatem calefactam, procedit ab igne & ab aëre calor in aquam: unde per similitudinem & dissimilitudinem hujus exempli dicendum est, quòd Pater de se toto producat Filium & Sanctum Spiritum, videlicet, quòd de tota sua bonitate, magnitudine, æternitate &c. producat bonum, existente in ipso bono totâ magnitudine infinitatis & bonitatis, æternitatis &c. extensivè: & quia Pater est omnis magnitudo bonitatis &c., convenit, quòd de se toto producat bonificare in Filio & in Sancto Spiritu; & quia Filius est omnis magnitudo bonitatis &c., ût derivatur à Patre, convenit, quòd de se spiret Sanctum Spiritum; & quia Sanctus Spiritus est omnis magnitudo bonitatis, convenit, quòd cum se ipso toto fruatur se ipso & Patre & Filio; cujus fruitio est bonificare per justitiam, virtutem, amorem &c.

De Magnitudine & Modo generandi & procedendi.

1. MAgnitudo DEI est infinita extensivè, & est infinita in bonificare, possificare, æternificare &c.; & ideo convenit, in DEO esse aliquod Suppositum existens cum proprietate personali, de qua magnitudo magnificans se ipsam, & magnificans bonitati suum bonificare, producat aliquod Suppositum magnificatum, bonificatum &c.; & convenit, illud Suppositum, in quo magnitudo producit magnificans se ipsam & bonitati suum bonificare &c., esse Patrem, qui de magnitudine producit magnificatum, & de bonitate bonificatum in magnificentia bonificandi &c.

2. DEUS est bonitas, magnitudo &c.; & quia magnitudo habet magnificare se ipsam extensivè, & habet magnificare extensivè omnes actus dignitatum in se ipsa & in omnibus dignitatibus, ideo de necessitate convenit, in DEO esse Suppositum, in quo omnes dignitates habent unam personalem

proprietatem paternalem producentẽ omnes actus earum in Filio & in Sancto Spiritu, omnibus dignitatibus per illum Patrem & per illum Filium & per Sanctum Spiritum existentibus incessantibus æternaliter & infinitè, generante Patre de se toto Filium, & Sancto Spiritu à Patre & Filio procedente, ut in hac divina Generatione & Processione sit magnificatio bonitatis, æternitatis &c.; nam sinè tali Opere esset impossibile, dignitates posse intrinsecè habere Opus, quod illis æternaliter & infinitè &c. convenit, sinè quo Opere ipsæ nihil essent in DEO, nec DEUS sinè Suppositis sufficeret habere in se omnem nobilitatem, quæ convenit suis dignitatibus.

De Æternitate & Modo generandi & procedendi.

1. COnvenit, Æternitatem æternificare cum bonificare, magnificare &c.; unde (ut ita loquamur) sicut æternitati convenit æternificabile, ita & magnitudini magnificabile, & bonitati bonificabile, & potestati possificabile, & sic de aliis: unde sicut natura non posset conservare speciem hominis sinè proprietatibus, unâ paternali, aliâ filiali, & alterâ processionali (& hæc ultima processionalis dicitur, eò quòd filius ex viro & ex muliere procedit) ita æternitas non posset sufficere ad æternificandum omnes actus aliarum dignitatum sinè proprietate personali, quæ sit Pater de se generans Filium & spirans Sanctum Spiritum per æternitatem æternificabilem, & per bonitatem bonificabilem, & per magnitudinem magnificabilem, & sic de aliis (ut ita loquamur) ergò Pater generat Filium de sua æternitate, bonitate &c.; & ideo Filius productus est æternus in bonitate, magnitudine &c.: & sicut lux cerei ardentis in camera procedit ex materia & forma ignis, ita & multò meliùs Sanctus Spiritus procedit à Patre & Filio, & processus ejus est æternus in bonitate & bonificare, in magnitudine & magnificare, & sic de aliis.

2. Tam propria est per æternitatem & per æternificare in magnificare & bonificare &c. Paternitas Patri & Filiatio Filio, quòd, sicut ex magno igne procedunt magnus calor & splendor, ita conveniat, de Patre & Filio procedere magnum bonum, eò quòd sunt bonitas infinita, & procedere magnam potestatem, eò quòd sunt magna potestas, & sic de aliis; & hoc per processum æternum infinitum de toto Patre & Filio: unde sicut ex calore & luce ignis magni potest procedere species ignis, ita convenit, id, quod procedit ex Patre & Filio, esse Personam Sancti Spiritus, in qua perficiatur totum Opus, quòd non possit esse magis conveniens produci à Patre nec à Filio in æternitate infinita & intrinseca; quia nisi de Patre & Filio procederet Persona perfecta habens omnem nobilitatem Patris & Filii in æternitate, infinitate &c., non perficeretur Opus Patris in Filio, sed Pater æternaliter generaret Filium imperfectè; & hoc est impossibile.

De Potestate & Modo generandi & procedendi.

1. SUbstantia subjacens novem prædicamentis non potest in se ipsa substantiare accidentia in formis substantialibus, neque potest ea æqualificare sibi ipsi; sed si substantia haberet in se ipsa aliquod Suppositum, quod esset ipsamet substantia, & in ipsa substantia esset eadem essentia, eadem natura, eadem substantia, quantitas, qualitas, relatio &c. accidentia, sic, ut quantificare esset ita proprium quantitati, sicut bonificare bonitati, & magnificare magnitudini, & sic de aliis, tale suppositum, existens substantia & existens quantitas &c., posset in substantia quantificare &c.; & quia posset quantificare, posset etiam de se generare suppositum quantificatum & qualificatum &c.; si verò in substantia non esset suppositum generans, & ipsa quantificaret & qualificaret &c. sinè supposito producto ab ea, ejus opus esset confusum & sinè aliqua virtute & sinè forma: & quia in intrinseco Opere divinæ Substantiæ, in quo potestas potest infinitè & æternaliter, & in quo omnes dignitates sunt eadem substantia, non est imperfectio potestatis, ideo, quia substantia habet in se Suppositum, quod est substantia & est Pater, in quo Patre omnes dignitates sunt per substantiam eadem Essentia & Natura, & ipso Patre producente de toto se ipso Filium infinitum, æternum &c., & existente Filio eâdem substantiâ & eâdem re per Essentiam & Naturam cum Patre & omnibus dignitatibus ejus, existit potestas in omnibus dignitatibus, & è converso; & generante Patre Filium, bonitas est bonificans & magnitudo magnificans &c., & omnes dignitates habent suam perfectionem per existentiam & per opus, & omnes sunt eadem Substantia, eadem Essentia & eadem Natura,

tura, existente quâlibet alterâ & in se ipsis secundùm supradictum modum.

2. Substantia subjacens accidentibus materiæ & formæ est composita; ex qua materia & ex qua forma procedit concordantia per generationem, per quem processum conveniunt materia & forma ad essendum eadem substantia; sed quia nec forma per se nec materia per se sufficit esse substantia in supposito, quod est substantia, idcirco concordantia, quæ procedit ex materia & forma, per se non sufficit esse substantia; & ideo quia in divina substantia potestas est per totam se ipsam & per totam substantiam & per omnes dignitates infinitas, idcirco sufficit procedere in esse Suppositi perfecti procedentis ex Patre & Filio, qui se concordant & coæquant infinitè & æternaliter ad essendum eadem substantia, & ad essendum omnes dignitates, quolibet eorum existente per se substantiâ: quia si convenientia, quæ de Patre procedit in Filium, & quam Filius habet fruendo Patre, non esset perfectum Suppositum, sequeretur minoritas in bonitate, bonificare &c.; quam minoritatem potestas non posset magnificare &c.; imò ipsa potestas esset finita; quod est impossibile: ergò manifestè demonstratur modus, per quem Sanctus Spiritus procedit ex Patre & Filio secundùm hanc supradictam similitudinem, quam supponi necesse est, adhoc, ut possit dari cognitio modi Generationis & Processionis in Divinis.

De Sapientia & Modo generandi & procedendi.

1. AB essentia, quæ est forma, & ab essentia, quæ est materia, est aggregatum esse, in quo materia subjacet formæ per passionem; in qua materia forma habet actionem, & per illam actionem & passionem est aggregatum esse per generationem & processionem, aliquo ente generante in materia formam, quam materia continet in potentia, quæ per opus movetur ad actum; & generans tribuit formæ aliquam similitudinem sui ipsius, per quam forma in materia est activa, materia verò est passiva; & de actione & passione procedit concordantia, per quam ipsum esse est aggregatum, & forma & materia est essentia ejus: igitur in supradicto opere naturali possumus intelligere per aliquam similitudinem & dissimilitudinem modum, per quem in Divinis Pater generat Filium, & secundùm quem ex Patre & Filio procedit Sanctus Spiritus; nam divina Essentia est forma, in qua non est materia, quæ materia in forma non potest esse, cùm habeat convenientiam cum passione, limitatione & compositione; & quia divina Essentia est bonitas, & est forma sinè materia, & in Essentia convenit esse per bonitatem bonificare, per magnitudinem magnificare, & sic de aliis, idcirco convenit, in Essentia esse aliquod Suppositum, quod sit ipsa tota Essentia, & sit omnes dignitates habentes proprietates personales, ut de toto se ipso & de tota Essentia possit producere Supposita, in quibus quælibet divina dignitas habeat suum actum, videlicet, quòd in Suppositis bonitas habeat bonificare, magnitudo magnificare &c.: quia sicut si forma esset absens à materia, & posset de se tota formare aliquod suppositum, quod esset productum ad essendum, forma haberet actum formandi, & ipsa & suum formificare & suum formificatum essent eadem essentia, ita scit divina sapientia, si Pater, qui est Forma & Essentia, de toto se ipso generat Filium, quòd in hac productione sit quilibet actus divinarum dignitatum, Patre existente quâlibet earum, & Filio existente quâlibet earum, procedente Sancto Spiritu ex Patre & ex Filio, ut Opus divinum conveniat perfici sinè materia & sinè tempore, quantitate, motu, loco, corruptione, minoritate, imperfectione &c.: & quia sapientia per suam infinitatem potest scire supradictum opus, convenit, quòd in ipso sciat omnes actus dignitatum; quos non posset scire in ipso opere, nisi in divina Essentia sciret proprietates personales æquales, in quibus perficeretur Opus, de quo in parte habemus aliquam cognitionem, secundùm quòd in sapientia cognoscimus, quomodo sapientia secundùm justitiam debeat scire ipsum Opus.

De Amore & Modo generandi & procedendi.

1. NAtura habet multas partes naturales, per quas & cum quibus operatur secundùm suum cursum; igitur si natura esset eadem res cum omnibus suis partibus, & omnes ejus partes essent æquales existentes eadem res sinè ulla differentia, esset impossibile, naturam posse operari aliquod suppositum, & de se ipsa procedere illud opus; cùm natura non possit operari sinè differentia, concordantia, contrarietate, generatione,

tione, corruptione, tempore, loco, motu &c.; veruntamen quia natura in se habet distincta suppositа, videlicet quatuor elementa, quolibet eorum habente suas proprietates & partes, idcirco natura potest operari per ea & in eis, calore calefaciente, & frigiditate infrigidante, ipsâ naturâ calefaciente calore, & corporificante corpore componendo suppositа simplicium principiorum; & hoc totum opus est per generationem & corruptionem & processionem, procedente naturaliter unâ parte ab altera, & uno suppositо ab altero & à multis, naturâ conservante se ipsam & suas species, quæ per ipsum opus operantur incessanter.

2. Divinus Amor dedit naturæ aliquam similitudinem sui operis; & quia totum opus naturale non potest assimilari operi divino, idcirco natura est dissimilis divino Operi intrinseco, & per opus naturæ simile & dissimile vult amor, quòd homines habeant aliquam cognitionem Operis, quod est in DEO per Generationem & Processionem: quia sicut natura non posset operari, si omnes suæ partes ei essent æquales, nec esset in eis aliqua differentia, ita amor in DEO non diligeret operari, si DEUS esset sinè Suppositis, cùm amor & omnes divinæ dignitates sint idem per Essentiam & Naturam non habendo partes: sed sicut natura habet suppositа, per quæ potest operari, ita & multò meliùs amor, qui est DEUS, potest habere naturaliter per suammet naturam suprema Suppositа, in quibus existat suum Opus: & quia convenit, omne id, quod est in DEO, esse infinitum & æternum, convenit, quòd amor diligat, quòd ex infinito generetur infinitus, & ex æterno æternus &c., procedente infinito & æterno ex Generante & Genito, & quòd Generans & Genitus & Procedens sint unus DEUS, unus amor &c., ut omnes actus divinarum dignitatum sint DEUS solus, non implicantes nec inducentes plures Deos, nisi unum tantùm, sicut natura in toto suo opere conservat se ipsam.

3. Amor diligit DEUM, diligente DEO semet ipsum, & amore existente DEO; amor etiam diligit, quòd sapientia intelligat DEUM, DEO intelligente semet ipsum; & in hoc intelligere & amare est bonificare, magnificare &c.; quia si non, esset imperfectio in ipso intelligere & amare; quod est impossibile: si verò bonitas bonificaret sinè generare & procedere, bonificaret minus se ipsâ, & magnitudo magnificaret minus se ipsâ; & hoc est impossibile diligi ab amore: & quia amor in bonificare &c. non diligit minus, non diligit in eis majus; ergò convenit, quòd in eis diligat æquale, per quod convenit esse bonificare &c. in generare & procedere secundùm dilectionem amoris: & quia amor potest ea æquare, sicut potest ea diligere, eò quòd est eadem Essentia & Natura cum suamet potestate, sic ergò per hoc, quod amor diligit, & per hoc, quod non diligit, & per hoc, quod potest in bonificare &c., potest cognosci modus Generationis & Processionis in Divinis.

De Virtute & Modo generandi & procedendi.

1. MEmoria in Anima generat ex communi virtute ipsius Animæ suum recolere, & intellectus suum intelligere, & voluntas suum velle; nam quando voluntas diligit aliquod objectum recolibile intelligibile & diligibile, tunc de communi virtute generatur charitas, & memoria & intellectus spirant voluntatem ad multùm diligendum illud objectum, per quod sit magna charitas procedens in magnam quantitatem virtutis; si verò voluntas odit aliquod objectum diligibile, recolibile & intelligibile, seu diligit aliquod objectum odibile, tunc tale diligere seu odire non potest generari ex virtute Animæ, nec spirari quantitas ipsorum recolere & diligere, quæ dependent ex virtute, sed convenit, quòd sint ex contrario virtutis; & ideo diligere aut odire voluntatis diligentis aut odientis contra justitiam est vitium, quod habet dependentiam ad nihilum: unde cùm hoc ita sit, per similitudinem aut dissimilitudinem supradictam possumus intelligere, quomodo Pater existens divina virtus generet cum sua propria proprietate personali de toto se ipso Filium, cui totam divinam virtutem communicat; & propter hanc communicationem est Filius tota divina virtus, & per Patrem, qui totam suam virtutem conservat in se ipso, & eam communicat Filio, qui per Essentiam est eadem virtus, procedit virtus in Supposito, quod est Sanctus Spiritus, ex Patre & Filio, qui spirant totam communem virtutem DEI in Sancto Spiritu, & eandem conservant in se ipsis; & ideo virtus est communis omnibus Personis, & quælibet Persona est distincta ab altera in virtute per proprietatem personalem: unde per hunc supradictum modum declaratur, quomodo Pater generet Filium, & Sanctus Spiritus spiretur à Patre & Filio; & hoc cum omnibus actibus dignitatum.

De Veritate & Modo generandi & procedendi.

1. IN insertione forma piri ad suam naturam producit formam pomi, & materia pomi se communicat formæ piri; & ideo in illo loco, in quo fit conjunctio & participatio naturæ piri & pomi, fit generatio & conversio naturæ pomi in naturam piri, & virtus vegetativa est communis per totam arborem insertam, distincta tamen per naturas proprias, & natura pomi procedit in naturam piri educendo & ferendo folia & fructus piri: hac habitâ consideratione naturali considerandum est per eam, quòd Pater sit Suppositum in veritate, sicut in vegetabili potentia est locus generandi pirum, & convertendi pomum in formam piri per vegetationem communem & continuam piri & pomi per totam arborem; & quia in loco, in quo fit insertio, fit generatio, idcirco natura potest in illa vegetatione sub una forma arboris uti formâ piri & materiâ pomi, quæ materia extra suum locum conversa est in materiam piri, ad demonstrandum, quòd Pater sit per totam divinam veritatem, & sit tota divina veritas, & omnes divinæ dignitates habeant in ipso suos actus operandi, & producat Filium de tota veritate, eò quòd ipsum generat in sua propria proprietate personali; sicut forma piri in loco, in quo cum pomo participat, producit ad se materiam pomi, quam convertit in materiam piri ipsi formæ subjacenti.

2. De Patre & Filio procedit Sanctus Spiritus per totam veritatem, sicut vegetativa potentia procedit de natura piri & pomi in folia & fructus piri: unde cùm in hoc exemplo appareat aliqua similitudo & dissimilitudo Generationis & Processionis, quam inquirimus, ergò per similitudinem & dissimilitudinem potest Anima dirigi ad habendam cognitionem supremæ Generationis & Processionis in divina veritate; quia sicut in unamet arbore natura non posset uti pomo & piro sinè insertione unius in altero, ita in divina veritate bonitas non posset habere suum bonificare, & sic de aliis, sinè proprietatibus personalibus, unâ distinctâ ab altera.

De Gloria & Modo generandi & procedendi.

1. IN grano frumenti fit generatio, & in illo est processio formæ, quæ est in potentia; quæ forma procedit in actum, dum fit generatio, & in forma & materia est corruptio, materiâ tribuente se formæ, renovando priorem formam; & ideo in illo grano per formam omnes quatuor generales qualitates elementorum sunt activæ, & materia passiva est subjecta illis qualitatibus: unde si illud granum esset omnes qualitates, & una qualitatum esset in alia, & quælibet ipsarum esset materia & forma, esset impossibile, generationem & processionem esse in illo; sed si generatio & processio essent necessariò in illo, de necessitate conveniret, quòd illud granum haberet in se aliquod suppositum, in quo omnes supradictæ qualitates haberent suos actus, & quòd permaneret materia & forma & omnes qualitates, & quòd produceret filium, adhoc, ut qualitates in ipso haberent suos actus sinè corruptione paternalis suppositi & primæ formæ & materiæ, generante patre filium, & procedente formâ à patre & filio, quæ est in potentia in grano, videlicet spicâ frumenti, quæ per generationem de potentia procedit in actum: igitur secundùm hanc supradictam similitudinem & dissimilitudinem potest considerari Generatio & Processio in gloria divina; nam DEUS est gloria, & est bonitas, magnitudo &c., nec in Essentia nec in Natura ejus est aliqua differentia; & cùm conveniat, in DEO esse Generationem & Processionem, ût superiùs probatum est, idcirco convenit, in DEO esse Suppositum, quod sit Pater, & sit tota sua Essentia, tota Natura, & sit omnes divinæ dignitates; & convenit, ipsum de tota sua Entitate, Essentia & Natura & de omnibus dignitatibus producere Filium & Sanctum Spiritum, ut in bonificare bonitatis, & magnificare magnitudinis sit gloria glorificans in omnibus actibus dignitatum; & ideo Pater, qui est gloria &c., de tota gloria generat Filium, qui est gloria &c., & de Patre & Filio procedit Sanctus Spiritus, qui est ipsa gloria, gloriâ Patris & Filii coæquante glorificatum Suppositum suæ Essentiæ & Naturæ, quod Suppositum est Sanctus Spiritus, in gloria infinitè & æternaliter &c.

De

De Perfectione & Modo generandi & procedendi.

1. COnvenit, DEUM Patrem habere in se tantam perfectionem, quòd possit sufficere omnibus suis dignitatibus, ut omnes dignitates sint in eadem Perfectione, Essentia & Natura sinè aliqua distinctione; & ideo Pater de se toto generat Filium; veluti si per totam albedinem esset aliquod album, quod de se toto & de tota albedine albificaret album, quod per essentiam & naturam esset albedo & album albificans; in quo albo albificante albedo haberet suum actum albificando album; & Pater de se toto spirat Sanctum Spiritum, & Filius similiter, ut æqualiter conveniant in aliquo Supposito, quod sit perfectio sui Operis intrinseci; sicut si albificans & albificatum æquali virtute convenirent, suum opus esse solùm per essentiam in albedine, in albificante & albificato, & quòd procederet convenientia de perfectione in perfectionem, ut non esset necessitas perfectioni operis eorum transire in albificantes infinitos.

2. Secundùm ea, quæ jam dicta sunt, potest intelligi, quomodo Pater generet Filium infinitè & æternaliter, cùm de se toto, qui est infinitas & æternitas, producat Filium infinitum & æternum, ut dignitates non sint otiosæ, sed ut habeant suos actus in illis Personis: & quia hoc opus eorum se ordinaverat in infinitate, æternitate &c., convenit, Suppositum procedere, in quo perficiatur Opus existens perfectum æternaliter & infinitè, ut perfectioni Operis non sint necessaria supposita numero infinita; quia si supposita numero infinita essent in Opere necessaria, esset impossibile, quòd in Opere posset esse perfectio; sed quia convenit, perfectionem in illo esse, idcirco Sanctus Spiritus est Persona, quæ procedit à Patre & Filio, ut Pater & Filius habeant perfectionem in esse & Opere; quam perfectionem habent in se ipsis & in Sancto Spiritu, Sancto Spiritu existente perfecto in se ipso & in Patre & in Filio; eò quòd Sanctus Spiritus est omne id, per quod Pater & Filius concordant in bonitate, magnitudine, æternitate &c., & omne id, per quod non in aliquo disconveniunt; nam convenit, omne id, per quod concordant & se coæquant, & per quod non contrariantur nec se discoæquant, esse Personam coæqualem Patri & Filio; quam Personam convenit esse unam, in qua omnis concordantia Patris & Filii sit perfecta; & hoc convenit ita esse, ne in divina Essentia sint Personæ infinitæ numero; cùm conveniat, omne id, in quo concordant Pater & Filius, & in quo non discordant, esse unam Personam tantùm, quæ est Sanctus Spiritus, qui ex Patre & Filio procedens est id, per quod Pater & Filius perficiunt suum Opus in ipso, & in ipso concordant, nec in aliquo discordant, & in ipso terminatur numerus divinæ Pluralitatis.

De Justitia & Modo generandi & procedendi.

1. JUstitia est essentia & est bonitas &c., & est Pater & Filius & Sanctus Spiritus; & ideo convenit, Patrem esse justè Patrem, & Filium justè Filium, & Sanctum Spiritum esse justè Sanctum Spiritum; & ideo convenit, eos simul & quemlibet per se esse totam Essentiam & totam Naturam & omnes Dignitates; & quia Pater est tota divina Essentia & est omnes dignitates, convenit, quòd de se toto generet Filium & spiret Sanctum Spiritum; quia si non, non esset justè Pater, nec Filius esset justè Filius, nec Sanctus Spiritus justè Sanctus Spiritus, nec simul, nec quilibet per se esset tota Essentia, tota Natura & Dignitates: & quia Pater est bonitas, est justus ipsi bonificare bonitatis, & quia Pater est magnitudo, est justus ipsi magnificare magnitudinis &c., generante Patre de sua bonitate Filium, qui est bonus, ipso Patre generante Filium de sua magnitudine, ut sit magnus, & sic de aliis; & ideo bonitas, magnitudo &c. habent actus justitiæ in Patre & Filio; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu procedente ex Patre & Filio per Spirationem; qui Sanctus Spiritus per Essentiam est bonitas & magnitudo &c., & bonum bonitatis, & magnum magnitudinis &c.; quia bonitas, magnitudo &c. sunt justitia, idcirco non contradicunt supradictæ Generationi & Processioni, in quibus non deficit potestas; quia in ipsis potestas & justitia & aliæ dignitates sunt eadem Essentia: & quia habemus aliquam cognitionem bonitatis, magnitudinis, ideo secundùm quòd justitia convenit cum omnibus dignitatibus, & è converso, secundùm conditiones Generationis & Processionis possumus per justitiam habere aliquam cognitionem, quomodo fiat Generatio & Processio in Divinis; quia per omne id, in quo intelligitur

ligitur justitia, & ex actibus bonitatis, magnitudinis &c. est quælibet dignitas eadem Essentia, & non plures, & eadem Natura indistincta; & possumus intelligere, quamlibet dignitatem esse se ipsam, & esse omnes alias, in aliqua parte secundùm sufficientiam, quam habemus (dum sumus in via) intelligendi Generationem & Processionem, quæ sunt in divina Essentia per proprietates personales.

De Largitate & Modo generandi & procedendi.

1. IN divina Largitate convenit esse Patrem, qui est largitas, bonitas &c., ad largificandum de se Filio & Sancto Spiritui, ut largitas, bonitas &c., quæ sunt Pater, habeant actus largificantes Filio & Sancto Spiritui, qui sunt eadem largitas, bonitas &c.; & ideo bonitas, quæ est Pater, de se ipsa largificat bonificando, magnificando &c, & Filius & Sanctus Spiritus sunt id, quod bonitas, quæ est Pater &c., in ipsis ambobus largificat bonificando &c.: & quia Filius generatur totus ex Patre, & producitur in largitate, idcirco Filius est de toto se ipso largus Sancto Spiritui, qui spiratur ad essendum largitas, bonitas &c.; nec convenit, Sanctum Spiritum de se nec de alio producere aliud Suppositum, sed solùm, eum esse Suppositum perfectum, ut in ipso appareat, quòd totus Pater & totus Filius in ipso communicet essentialiter totam suam Essentiam & Naturam; quia si Sanctus Spiritus de se produceret aliquod Suppositum, non esset in eo opus perfectum; nec Filius, nisi eum spiraret, haberet, in quo conveniret cum Patre per æqualitatem largitatis, bonitatis &c.: ergò secundùm quòd convenit largitati per essentiam & naturam existenti communi omnibus Personis, secundùm quòd convenit, quamlibet Personam esse distinctam ab altera non per Essentiam, nec per Naturam, nec per Dignitates, sed solùm per proprietates relativas & personales, potest cognosci modus generandi & procedendi in Divinis.

De Simplicitate & Modo generandi & procedendi.

1. FOrma naturalis procedit ex materia per generationem, & id, quod non recipitur in essentia formæ, subjacens ipsi formæ, est materia, & forma & materia sunt suppositum elementatum; quemadmodum in cereo ardente forma ignis, quæ est in actu, generat in se ipsa formam ignis, quæ est in potentia; & quia forma, quæ est in potentia; procedit in actum cum materia sibi subjacente, cum qua erat in potentia, materia non potest recipi in forma lucis, quæ est in actu; idcirco forma, quæ est in actu, generando formam, quæ est in potentia, corrumpitur per se ipsam, & ejus materia est in dissolutione propter fumum, ut nova forma & nova materia veniant in actum, & hoc incessanter, dum cereus ardet: unde per hanc similitudinem naturalem & per dissimilitudinem, quam natura habet in opere intrinseco, in Divinis potest haberi cognitio modi generandi & procedendi in Divinis.

2. In Divinis est Pater forma, & Filius forma, & Sanctus Spiritus forma; & quia in Essentia non est materia, tres Personæ non sunt nisi una sola forma; & ideo totus Pater potest esse in toto Filio & in toto Sancto Spiritu, & è converso, per magnitudinem, æternitatem, bonitatem &c. sinè compositione, generante Patre Filium de se ipso & de sua forma paternali, per quam convenit, Filium esse in forma filiali, quia aliàs destrueretur forma Patris; & quia Pater & Filius spirando producunt Sanctum Spiritum, Sanctus Spiritus est forma processionalis; & quia bonitas &c. est forma per Essentiam, convenit, esse unam formam in Essentia; & per Generationem & Processionem est Pater forma paternalis, & Filius forma filialis &c., & quælibet forma est in Persona simplex proprietas, neque in communitate Essentiæ producunt compositionem, eò quòd quælibet Persona divina est communis per Formam, Essentiam & Naturam: & hoc è contrario sensu in formis lignorum navis, quæ plura sunt distincta per essentiam, & insimul componunt unam formam navis; quam non possent componere, si formæ lignorum essent infinitæ & æternæ, & insimul eadem essentia & natura sinè materia.

De Nobilitate & Modo generandi & procedendi.

1. SIcut in Divinis Pater generat Filium simplificando eum sibi ipsi, ut cum illo sit eadem Essentia & Natura, ita Pater producit de se Filium & Sanctum Spiritum, ipso Patre nobilificante in se ipso Filium & Sanctum Spiritum, ut omnes tres simul per Es-

sentiam & Naturam sint eadem nobilitas infinita, æterna &c., in qua sunt omnes actus divinarum dignitatum.

2. Generatio & processio, quæ fiunt per naturam, sunt dissimiles huic Generationi & Processioni, eò quia agens naturale producit de materia prima formam, nobilificando formam super materiam, quæ est sub illa forma; quæ materia est in esse materiali, eò quòd non recipitur in esse formali; & quia habet passivè subjacere formæ, & habet actus formales à forma, ideo non habet tantam nobilitatem, quantam habet forma: unde cùm per hanc dissimilitudinem intellectus possit elevari ad Generationem & Processionem in Divinis, in quibus est omnis nobilitas bonitatis &c., *ideo necesse est videre per modos aliquos naturalia opera, ut de Generatione & Processione, quam inquirimus, habeatur doctrina & cognitio, secundùm quòd necessarium est, eas esse in via intelligendi.*

Explicit tertia Pars, in qua inquisivimus Modum generandi & procedendi in Divinis; per quem modum intelligibilem & amabilem elevatur intellectus ad intelligendum & voluntas ad diligendum fruendo supremâ Generatione & Processione; & potest cogitari, quanta sit cœlestis gloria, ubi hæc suprema Generatio & Processio à Sanctis in gloria multùm manifestè intelligitur & diligitur.

QUARTA PARS,
De Æqualitate in Divinis.

1. HÆc quarta Pars dividitur in *quatuordecim* Partes, videlicet in quatuordecim Dignitates, per quas procedit hic Liber, & per quas probamus, in Divinis esse Æqualitatem, quam inquirimus cum *tribus Conditionibus*, quarum *Prima* est, quòd Dignitates divinæ sint æquales per Essentiam & Naturam. *Secunda* est, quòd divinæ Personæ sint æquales. *Tertia* est, quòd Actus divinarum Dignitatum sint æquales: unde per has tres Conditiones facimus inquisitionem; & primò dicemus de bonitate, & postea de aliis.

De Bonitate & Æqualitate.

1. BOnitas, magnitudo &c. sunt eadem Essentia, eadem Natura sinè aliqua differentia; & ideo in quantum consideramus, omnes dignitates esse unam Essentiam, unam Naturam, non potest in eis esse relatio rerum æqualium distinctarum per Essentiam & Naturam; sed quia coæquare, bonificare, magnificare &c. conveniunt in DEO, quod coæquare convenit esse in distinctis Suppositis, cum quibus & in quibus sint omnes divinæ dignitates, & quæ Supposita sint insimul & quodlibet per se ipsæ dignitates, quæ dignitates & quæ Supposita sunt eadem Essentia & eadem Natura, idcirco convenit, bonitatem æqualiter bonificare in bono, magno, æterno, potente, sapiente &c.; nam si bonitas tantùm bonificaret in bono, & magnitudo tantùm magnificaret in magno, & sic de aliis, dignitates essent in magnitudine per Essentiam & Naturam, sed earum actus essent in parvitate, & Supposita componerentur de magnitudine & parvitate; quod est impossibile: unde de necessitate convenit, totum DEUM esse in æqualitate, quæ est, Patre bonificante de se toto Filium & Sanctum Spiritum, procedente eo in se ipso, illis habentibus omnes dignitates & suos actus, dignitatibus existentibus cum Patre per Essentiam & Naturam.

2. Pater diligit Filium sicut se ipsum, & è converso, & Sanctus Spiritus est in ipsis æqualitas; & idcirco in DEO est Sanctus Spiritus, qui est Persona æqualis Patri & Filio in bonitate &c.; quia si Sanctus Spiritus non esset Persona æqualis Patri & Filio, diligere, quod est de Patre ad Filium, & è converso, conveniret cum minoritate, in quantum non esset Persona, & Pater & Filius, qui sunt Personæ, haberent majoritatem per primum actum, & minoritatem per secundum; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, Sanctum Spiritum de necessitate esse, qui est secundus actus Patris & Filii existens æqualis ambobus, ne in DEO sit inæqualitas, sed omnis æqualitas essentiæ & bonitatis &c., & bonificandi, magnificandi &c.

3. Filius de se toto bonificans Sanctum Spiritum spirando ipsum æqualificat in ipso suum bonificare cum sua Essentia & Natura; quod bonificare formatur per totam bonitatem, magnitudinem &c., Filio existente bonitate &c., & Sancto Spiritu existente bonitate &c.; & Sanctus Spiritus fruens Patre & Filio æqualificat se ipsum Patri & Filio in bonitate, magnitudine &c., cum quibus in ambobus est eadem Essentia, in cujus fruitione suum bonificare est æquale ipsi bonificare Patris & Filii, & omnes dignitates habent æqualitatem per bonificare & per Supposita, & in Personis & in suis actibus sunt æquales per Essentiam & Naturam, eâdem Naturâ & Essentiâ existentibus omnibus dignitatibus & actibus earum, & omnibus Personis & actibus earum.

De Magnitudine & Æqualitate.

1. MAgnitudo DEI est infinita extensivè, & infinita per existentiam; & quia convenit, suum actum operandi esse æqualem suæ infinitati extensivè & infinitè, convenit, quòd magnitudo de se magnificet in se ipsa, & per totam se ipsam, ut in suo magnificare sit totum bonificare bonitatis, & totum æternificare æternitatis &c., cum quibus magnitudo est eadem Essentia; & ut æqualitas sit per totam Essentiam, de necessitate convenit, quòd, sicut magnitudo, quæ est Pater, magnificat magnos per se totam producendo illos magnos de se, ita illos eosdem magnos producat ex se ipsa, quæ est Pater, per magnificare magnum bonificare, & magnum æternificare &c.; quia aliàs ejus magnificare esset magnum extensivè, & ejus bonificare, æternificare &c. essent parva vel modica; quod est impossibile.

2. Sicut sol habet magnos radios, ita habet magnum illuminare, & si magnum magnificare magnificabile, quod Pater facit in Filium & in Sanctum Spiritum, non esset ita magnum in inimaginabili & ineffabili agilitate producendi, sicut magnum magnificare magnitudinis, esset inæqualitas in magnificare, quod esset compositum ex magnitudine & parvitate; & hoc est impossibile & contra magnam nobilitatem, simplicitatem, justitiam, amorem, perfectionem & gloriam: ergò æqualitas infinitæ frequentationis & infinitæ extensionis est in magnificatione magnitudinis per totam suam simplicitatem & per totam bonitatem &c.: unde cùm hoc ita sit, quis igitur potest æstimare, quantum sit magnificare magnitudinis, & quanta ejus æqualitas?

3. Convenit, totum Filium esse æqualem Patri, eò quia totus generatur à Patre; & convenit, quòd Pater generet Filium æternaliter, eò quòd suum magnificare est æternum, generando Filium, & spirando Sanctum Spiritum: & quia Pater habet sibi coæquare Filium & Sanctum Spiritum, Filius coæquatur Patri in producendo de se toto Sanctum Spiritum, & in diligendo, se esse totum Filium, non tamen diligendo, se esse Patrem, nec aliud, nisi se solùm esse Filium; & hæc eadem æqualitas sequitur de Sancto Spiritu, quem convenit esse totum Sanctum Spiritum, ut sit æqualis Patri, qui est totus Pater, & Filio, qui est totus Filius; & hoc æternaliter per totam magnitudinem & per totam bonitatem &c.

De Æternitate & Æqualitate.

1. IN æterno Ente existente cum omni perfectione & nobilitate infinita in bonitate &c. non potest esse majoritas nec minoritas; quia per majoritatem & minoritatem haberet vilitatem & imperfectionem: unde si in illo Ente contradiceretur æqualitati contra majoritatem & minoritatem, æternificare, bonificare &c. essent in contrarietate; quod est impossibile: ergò in DEO est æqualitas, quam æqualitatem convenit esse æternorum, magnorum, bonorum &c. Suppositorum æqualium per proprietates personales, & æqualium in Natura & Essentia per existentiam, & æqualium per bonificare, magnificare &c.; & hanc æqualitatem convenit esse per Generationem & Processionem, æterno generante æternaliter de se alterum æternum, ab ambobus æternis procedente altero æterno; qui æterni insimul sunt æquales in duratione, cùm sint æterni; & sunt æquales in magnitudine, cùm sint infiniti; & sunt æquales in æternificare &c., cùm Pater æternus æternaliter producat æternos bonos magnos &c.

2. Sicut ignis habet naturalem appetitum, quòd calefaciendo coæquet calefactum sibi ipsi, ita & multò melius sinè comparatione convenit, Patrem incessanter, æternaliter & velociter sinè tempore & sinè loco & sinè materia & sinè motu coæquare sibi Filium & Sanctum Spiritum, ut ejus actus sit æqualis æternitati, magnitudini &c.: quia sicut fulmen motum æternaliter per omnes sex rectitudines non posset attingere infinitam magnitudinem DEI extensivam infinitè, ita frequentatio coæquationis existens ita magna sicut motus supradicti fulminis non posset esse æqualis coæquationi, quam Pater agit in se generando Filium, & spirando Sanctum Spiritum; & hoc idem sequitur de Filio intelligente & diligente Patrem, & spirante Sanctum Spiritum; hoc idem sequitur de Sancto Spiritu fruente Patre & Filio simul: unde cùm hoc ita sit, quàm felices

sunt illi, qui in gloria intelligunt hanc communem & mirabilem æqualitatem.

De Potestate & Æqualitate.

1. SI Pater posset generare duos vel plures filios, & spirare duos vel plures sanctos Spiritus, posset esse major in sua proprietate personali, in quantum esset Pater plurium & Spirator plurium, quàm in unico Filio & in unico Sancto Spiritu; sed talis potestas esset ei impotestas, eò quòd produceret inæqualitatem & limitationem ad infinitatem, æternitatem &c.: præterea si Filius posset esse Pater, & non esset Pater, sua potestas esset major per potentiam, quàm per actum; & sic esset inæqualitas inter suam existentiam & suum opus: si verò Filius posset esse Pater sui Patris, & non Pater, quælibet duarum Personarum divinarum esset composita de Paternitate & Filiatione contra simplicitatem; hoc idem etiam sequeretur, si Filius posset esse Pater alicujus entis, quod non esset suus Pater; etiam, si Sanctus Spiritus posset esse Pater vel Filius, esset compositus de duabus proprietatibus personalibus: & quia talis potestas in qualibet divinarum Personarum esset impotestas, idcirco Pater coæquat sibi Filium & Sanctum Spiritum, & Filius æqualis Patri coæquat sibi Sanctum Spiritum, & Sanctus Spiritus est æqualis Patri & Filio, intelligens Patrem & Filium cum tali potestate, quæ nec sibi producat minoritatem nec inæqualitatem bonificandi &c.

2. Si Sanctus Spiritus posset bonificare, magnificare &c. Patrem & Filium, ejus potestas posset alterare Patrem & Filium de infinitate in infinitatem; quod est impossibile: præterea si Sanctus Spiritus posset esse Pater alicujus Entis, quod non esset Pater nec Filius, vel si posset esse Filius alicujus Entis, quod non esset Filius, posset esse extra proprietatem paternalem & filialem, de quibus procedit; & talis potestas esset imperfectio & privatio sui ipsius: unde convenit, quòd Pater & Filius & Sanctus Spiritus habeant talem potestatem, quòd cum magnitudine, æternitate &c. conveniant in æqualitate omnium trium Personarum divinarum in actibus divinarum dignitatum.

De Sapientia & Æqualitate.

1. DIvina Sapientia est infinita in se ipsa & in bonitate &c.; & ideo convenit, suum intelligere esse æquale sibi ipsi & magnitudini bonificandi, magnificandi &c.; quia si non esset, intelligere esset minus vel majus sapientiâ & bonitate &c.; per quam majoritatem vel minoritatem esset differentia inter intelligere & sapientiam & bonitatem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd inter unam Personam & alteram in Divinis sit æqualitas, quâlibet Personâ existente sapientiâ & intelligere, & existente bonitate & bonificare &c., ipsis Personis existentibus simul eâdem Essentiâ & Naturâ, coæquante Patre sibi Filium & Sanctum Spiritum, & Filio coæquante sibi ipsi Sanctum Spiritum in sapientia & in intelligere & in bonitate & bonificare &c.

2. Filius scit Patrem, & eum non bonificat, magnificat &c., & Pater scit Filium, & sciendo generat eum, & generando magnificat, bonificat, æternificat eum &c.; & hoc, per quod justitia & amor Filii non bonificant &c. Patrem, & hoc, per quod justitia & amor Patris bonificant &c. Filium, est æqualitas inter Patrem & Filium, concordans omnes actus dignitatum ipsi bonificare, magnificare &c. Filii; & hæc eadem æqualitas sequitur in Sancto Spiritu, & per hoc est æqualitas in Divinis de hoc, quòd Pater est Pater, & Filius est Filius, & Sanctus Spiritus est Sanctus Spiritus; quæ æqualitas est infinita, æterna &c.: quia sicut Anima potest intelligere, eò quòd intelligere est pars suæ naturæ, ita secundùm totam Essentiam, & secundùm quòd quælibet dignitas est idem cum suo actu, & secundùm quòd quælibet earum est altera, & omnes insimul & quælibet per se sunt eadem Essentia, convenit, quòd sapientia habeat æqualitatem cum suo intelligere & cum omnibus dignitatibus & cum omnibus actibus earum & cum tota Essentia per actum paternalem & per actum filialem & per proprietatem spirativam, quam Pater & Filius habent; nam sinè talibus proprietatibus sapientia non posset intelligere nec esse æqualis suo intelligere.

De Amore & Æqualitate.

1. PAter in Divinis diligit Filium, sicut convenit Filio, & Filius diligit se ipsum sicut Filium, & Sanctus Spiritus diligitur à Patre & Filio, sicut ei convenit, & iste amor est magnus æternus &c.; & ideo convenit, amorem esse in magnificare, æternificare &c.; & inde sequitur, æqualitatem esse in Divinis & in tota Essentia & in omnibus actibus divinis: si verò Filius diligeret, se esse Patrem, esset Pater, cùm habeat infinitam potestatem, infinitam justitiam &c., & Pater, qui generat Filium, diligeret, illum Filium esse Patrem alterius Filii: unde si talis amor conveniret in Patre & Filio, ut esset in eis major magnitudo & major nobilitas amoris, amor esset major & minor in Divinis; quia primus Pater non diligeret, se totum esse Patrem, nec Filium esse totum Filium &c., & in amore esset totalitas & pars, quæ haberet concordantiam cum minoritate; quæ minoritas est impossibilis: ergò in Divinis est æqualitas, toto Patre diligente, se ipsum esse proprietatem paternalem, & Filium esse totam proprietatem filialem, & Sanctum Spiritum esse totam proprietatem spiratam &c.

2. Convenit, amorem diligere tantum bonificare, magnificare &c., sicut diligere justitiam; & magnitudinem nobilitatis esse in diligere & in bonificare &c.: unde de necessitate convenit, æqualitatem esse in actibus divinarum dignitatum; quam æqualitatem de necessitate convenit informari in proprietatibus personalibus, omnibus dignitatibus habentibus suos actus æquales omnibus dignitatibus & suis actibus, existentibus quâlibet proprietate personali, & è converso, existente etiam quâlibet Personâ distinctâ; in quarum distinctione & concordantia formatur æqualitas in Divinis.

De Virtute & Æqualitate.

1. SI Pater esset æternus, & Filius haberet principium, Pater esset major Filio per virtutem æternam; sed quia Filius est æternitas & æternaliter bonificat &c. spirando Sanctum Spiritum, idcirco Pater non habet majorem virtutem, quàm Filius, in æternitate &c., eò quòd Pater & Filius sunt eadem æternitas, eadem nobilitas, eadem virtus; & hoc idem sequitur de infinita virtute, in qua Pater, qui est ipsamet virtus infinita, de tota virtute infinita generat infinitum Filium in infinita virtute; & ideo Pater nihil habet, per quod in virtute sit major Filio, & è converso.

2. Si Sanctus Spiritus esset major Filio, eò quòd procedit de duobus Suppositis infinitè, & quia Filius generatur tantùm ab uno Supposito, Pater esset major Filio, nec de tota sua virtute generaret Filium; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius habeat infinitam virtutem & infinitum bonificare &c.; si verò Sanctus Spiritus solùm procederet à Patre, ita, quòd non à Filio, Sanctus Spiritus esset minor Filio, cùm de se nullam Personam producat; sed quia à duobus procedit, & Filius non nisi ab uno, ideo conservatur ejus æqualitas per complementum operis & fruitionis & per infinitam magnitudinem &c.

3. Pater non est major Sancto Spiritu, licèt habeat virtutem productivam; nam illam virtutem habet in toto Sancto Spiritu, nec eam potest habere extra ipsum, cùm Sanctus Spiritus sit infinitus, æternus &c., & cùm sit complementum, per quod Pater & Filius non consistunt ad producendum aliam Personam, nisi Personam Sancti Spiritûs tantùm; & hoc probatur in *quinta Parte* hujus Distinctionis.

De Veritate & Æqualitate.

1. NUlla pars potest esse æqualis suo toti; sicut manus, quæ est pars hominis, non potest ei esse æqualis; qui homo secundùm suam totalitatem est in veritate major suâ parte: & quia in divina veritate non est aliqua pars, est æqualitas in proprietatibus personalibus, & non in communibus proprietatibus, cùm sint sinè distinctione; sicut in homine non est æqualitas ipsius cum sua humanitate: & quia in proprietate paternali omnes dignitates & omnes sui actus & tota Essentia sunt idem, divinæ dignitates habent illi nullam æqualitatem, sed tamen sunt æquales in bonificare &c., quod Pater facit generando Filium, & spirando Sanctum Spiritum, eum bonificando &c., & Filius est æqualis Patri & Sancto Spiritui æqualibus, Filio & Sancto Spiritu existentibus eâdem veritate, eâdem Essentiâ, eâdem bonitate &c. cum Patre.

2. Sinè hoc supradicto modo æqualitatis veritas non esset æqualis suo verificare, nec verificare ipsi bonificare, nec veritas posset habere actum infinitum & æternum &c., nec enim Pater est DEUS veracior Filio & Sancto Spiritu; quia de se toto producit Filium & Sanctum Spiritum, non tamen extra se; nec extra bonitatem & bonificare, magnitudinem & magnificare &c.; nec Sanctus Spiritus est minor veritas, licèt Sanctus Spiritus sit veritas, & non verificet Patrem nec Filium, nec producat aliam Personam; nam omne id esset falsitas, per quod Sanctus Spiritus esset altera proprietas, nisi solùm spirabilis; cùm Pater & Filius nullam habeant proprietatem spirativam in altera, nisi tan-

si tantùm in Sancto Spiritu existente infinito æterno &c.

De Gloria & Æqualitate.

1. LApis cadendo descendens habet tantò majorem motum, quantò magis appropinquat suo centro, ad demonstrandum, quòd tam proprium sit divinis dignitatibus in paternali proprietate glorificare bonificando, magnificando &c., generante Patre Filium, & spirante Sanctum Spiritum, quòd magnitudo & æternitas propinquitatis sit in proprietate generando & spirando; quia si non esset, non esset in ea, si ipsum glorificare posset multiplicari: ergò de necessitate convenit, in Divinis esse æqualitatem, ne divina gloria sit in minoritate.

2. Si in DEO esset majoritas, conveniret, in ea esse minoritatem privatâ pluralitate; cujus æqualitatis privatio est impossibilis in DEO, cùm æqualitas habeat concordantiam cum bonitate & justitia, quæ habent concordantiam cum infinitate potestatis, æternitatis, magnitudinis & nobilitatis; sinè qua æqualitate in DEO esset pœna, eò quòd infinita potestas, infinitus amor, infinita virtus privarentur bonitate, magnitudine & perfectione; quæ privatio est impossibilis: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd ita frequenter (ut ita loquamur) se habeat in DEO glorificare, coæquando infinitè & æternaliter divinas proprietates personales, sicut in DEO se habet infinita magnitudo, bonitas &c.: unde cùm hoc ita sit, quòd actus divinarum dignitatum sint æquales in magnitudine cum dignitatibus, quis ergò poterit æstimare, quàm magna sit gloria DEI in frequentatione & infinitate extensiva, & in æternitate &c.?

De Perfectione & Æqualitate.

1. ANima & corpus sunt partes hominis magis perfectæ, quàm manus corporis & quàm intellectus Animæ: unde si Anima esset per se perfectus homo, intellectus esset perfectior pars hominis, quàm sit: ergò per hanc similitudinem demonstratur, quòd omne id, quod est in DEO distinctè, sit æqualitas, cùm in DEO sit omnis perfectio, ex qua habet sequi æqualitas, quam convenit esse dilectam ab amore, & justificatam à justitia, & perfectam à perfectione æternaliter & infinitè.

2. Si in DEO essent duo Patres, & unus solus Filius, ille Filius esset major illis duobus Patribus, & è converso; & hoc idem sequeretur de Sancto Spiritu; quia duo Patres vel duo Filii vel duo Sancti Spiritus aut plures non haberent tantam perfectionem, quantam habet una proprietas paternalis vel filialis vel processionalis; nam in bonitate unius proprietatis esset ita limitatio & finis perfectionis, sicut in duobus Diis distinctis in Essentia & Natura; & quia in DEUM non cadit limitatio perfectionis, ideo de necessitate convenit, in Divinis esse æqualitatem.

De Justitia & Æqualitate.

1. SIcut in DEO sufficit una Essentia, una Natura, una bonitas, una magnitudo &c., ita in eo sufficit unum bonificare, unum magnificare, unum æternificare &c.; & ideo in eodem bonificare est totum magnificare, totum æternificare &c., & sic de quolibet è converso, & est æqualitas inter unam proprietatem personalem & alteram, existente Patre æquali Filio in tota Essentia, in tota Natura & in omnibus dignitatibus & actibus earum; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu: sed quia in divinis dignitatibus justitia est cum nobilitate, cum perfectione &c., ideo Filius est æqualis Patri, in quantum ei ita nobiliter convenit Filiatio, sicut Paternitas Patri; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu.

2. Anima & corpus conveniunt humano esse, & ad essentiam hominis ita necessarium est corpus humanum, sicut Anima; sed quia Anima est nobilior, quàm corpus, idcirco homo est in majori perfectione per Animam, quàm per corpus: unde cùm divina justitia habeat omnem perfectionem, & in DEO sit omnis perfectio sinè ulla imperfectione, esset imperfectio in justitia, si in DEO privaretur æqualitas; eò quia justitia per bonitatem potest bonificare, & per magnitudinem magnificare &c. in tanto justificare, quòd sit impossibile, in DEO posse recipi actum inæqualitatis; nam ita est DEO propria natura æqualitatis bonitatis &c. in Divinis, sicut est bonitas, magnitudo &c.

3. In quantum sufficit, unum Patrem esse omnes dignitates, & in ipso esse omnes actus dignitatum generando, & spirando Sanctum Spiritum, in tantum esset injuria in justitia, si ipsa justificaret in paternali proprietate duos Patres, & in filiali duos Filios, & in processionali duos Sanctos Spiritus: sed quia est impossibile, quòd in justitia possit esse

esse injuria, convenit, quòd paternalis proprietas sit æqualis in justitia uni Patri tantùm; & sic de aliis.

4. Quando humanus intellectus accipit objectum considerando, quòd Pater sit major Filio, eò quòd generat illum, tunc deficit, quia non accipit pro objecto divinam justitiam, secundùm quam Patri convenit potestas generandi, & Filium generari, secundùm quòd convenit actibus divinarum dignitatum; qui non possent convenire in æqualibus proprietatibus personalibus, si Filio disconveniret Filiatio per minorem dignitatem, & Patri Paternitas per majorem; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu.

De Largitate & Æqualitate.

1. SI in DEO esset majoritas & minoritas, largitas conveniret cum majoritate, quæ est contraria minoritati, & sic essent in DEO compositio, contrarietas & avaritia, & defectus bonitatis, simplicitatis & justitiæ; quod est impossibile: unde convenit, in DEO esse æqualitatem, ut actus largitatis ita bene conveniat cum uno Supposito, sicut cum altero; cùm quodlibet Suppositum divinum sit largitas, & è converso.

2. Actui bonitatis conveniunt actus magnitudinis, æternitatis &c.; & hoc idem secundùm justitiam convenit actui magnitudinis, cui conveniunt actus bonitatis, æternitatis &c.; & hoc idem sequitur de qualibet dignitate divina: unde si largitas non largificaret omnibus supradictis actibus omne id, quod eis convenit, esset avaritia in largitate; sed quia largitas communicat æqualiter in omnibus supradictis actibus, nec in eorum aliquo est imperfectio, de necessitate convenit, in DEO esse æqualitatem.

3. In nulla re potest esse inæqualitas bonitatis &c., in qua largitas largitur omne id, quod convenit illi rei; & ideo, quia corpus humanum est minus in virtute, quàm Anima, esset æqualitas in largitate, si tantum virtutis largiretur corpori, quantum Animæ; & hæc æqualitas virtutis non convenit corpori, sed convenit secundùm justitiam, quòd Anima habeat majorem virtutem, quàm corpus: unde largitas esset contra suammet naturam, si Patri largiretur majorem virtutem, quàm Filio & quàm Sancto Spiritui, & è converso; cùm largitas sit idem in Natura & Essentia cum quolibet Suppositorum, & cùm in quolibet eorum omnes divinæ dignitates sint idem: ergò de necessitate convenit, in DEO esse æqualitatem, ne largitas deficiat perfectioni, & ne largiatur imperfectionem.

De Simplicitate & Æqualitate.

1. SI in DEO esset inæqualitas, sequeretur, quòd majoritas & minoritas in illo contradicerent simplicitati cum compositione majoritatis & minoritatis, & simplicitas contradiceret æqualitati; & sic æqualitas conveniret cum compositione, & inæqualitas cum simplicitate; quod est impossibile: ergò in DEO est æqualitas.

2. Bonitas & magnitudo &c. sunt in DEO eadem simplicitas; & idcirco bonitas & bonificare, magnitudo & magnificare &c. sunt eadem simplicitas; cùm in bonificare bonitatis sit eadem simplicitas magnificandi, æternificandi &c., ut bonitas, magnitudo &c., bonitas & bonificare &c., possint esse eadem simplicitas: undè cùm hoc ita sit, de necessitate secundùm magnitudinem simplicitatis est impossibile, in DEO esse inæqualitatem; si verò esset impossibile, in DEO esse æqualitatem, & hoc propter infinitam simplicitatem, sequeretur, quòd simplicitas esset contraria suo actui & actibus bonitatis, magnitudinis &c.: per quam contrarietatem sequeretur, quòd simplicitas contrariaretur magnitudini sui ipsius & bonitatis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile: unde de necessitate convenit, in Divinis esse æqualitatem, existente Patre & Filio & Sancto Spiritu unâ simplicitate, & existentibus æqualibus actibus dignitatum in Divinis, cum quibus actibus ipsæ dignitates sunt eadem simplicitas.

3. Si actus bonitatis & magnitudinis &c. haberent principium, dignitates essent majores in æternitate, quàm sui actus; & sic bonitas, æternitas &c. haberent concordantiam cum parvitate, & quælibet earum esset simpliciter magnitudo & parvitas, majoritas & minoritas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem de necessitate demonstratur æqualitas in Divinis; quæ æqualitas formatur in proprietatibus personalibus simplicibus, infinitis & æternis, bonificando, magnificando &c. æternaliter & infinitè sinè loco, tempore, quantitate, materia & motu, quæ non recipiuntur in infinitate, æternitate &c.

De

De Nobilitate & Æqualitate.

1. OMnes divinæ dignitates habent tantam nobilitatem, quòd in eis non possit esse parvitas, quæ habet concordantiam cum vilitate, nec sinè parvitate potest esse inæqualitas; si autem in DEO non est æqualitas, sequitur, bonitatem, magnitudinem &c. realiter in DEO nihil esse, cùm suprà probatum sit, dignitates in illo realiter esse: hoc autem, per quod bonitas, magnitudo &c. realiter in DEO nihil essent sinè æqualitate, est, quia bonitas, magnitudo &c. sinè æqualitate bonificandi, magnificandi &c. non possent esse idem cum infinita & æterna nobilitate, & è converso: unde convenit, in Suppositis esse æqualitatem, ut dignitates realiter possint existere, & esse eadem nobilitas, & habere in Suppositis actus æquales.

2. Omne majus, in quo est minus, habet concordantiam cum vilitate; unde convenit, in omni æqualitate, in qua est bonitas &c., esse nobilitatem: si verò in DEO non esset æqualitas, sequeretur, quòd absentia æqualitatis privaret DEUM nobilitate, & contradiceret naturæ æqualitatis, quæ convenit cum nobilitate: unde de necessitate convenit, in DEO esse æqualitatem, hoc est, in Patre & Filio & Sancto Spiritu; cùm superiùs probatum sit, in DEO esse Generationem & Processionem.

3. Si Pater esset major Filio & Sancto Spiritu in nobilitate, non produceret de se toto Filium nec Sanctum Spiritum, & esset ei vilitas, se non esse totum Patrem; si verò Filius esset nobilior Sancto Spiritu, esset Filio vilitas, eò quia Sanctus Spiritus non procederet totus ab eo; sed quia totus procedit ex toto Patre & ex toto Filio, generante Patre de tota sua nobilitate totum Filium, & Sancto Spiritu de toto Patre & de toto Filio procedente in nobilitate Patris & Filii, ideo est impossibile, in nobilitate & in aliqua dignitate esse inæqualitatem in Divinis.

4. Sanctus Spiritus non est nobilior Patre & Filio, cùm ipse sit perfectum Opus Patris & Filii; nam Pater & Filius sunt perfectio nobilitatis, magnitudinis &c., ex qua procedit Sanctus Spiritus; nec Pater haberet perfectionem & nobilitatem, si Sanctus Spiritus tantùm procederet ex ipso, & non ex Filio; quia si non procederet ex Filio, esset defectus nobilitatis Filio, & in vilitate Filii vilesceret nobilitas Patris; quod est impossibile.

Explicit quarta Pars tractans de Æqualitate, quæ est in Divinis, in qua divinæ dignitates habent æquales actus, secundùm quòd probatum est in hac Parte.

QUINTA PARS, De Numero Trinitatis in Divinis.

PRæsens quinta Pars dividitur in *quatuordecim Partes*, videlicet in quatuordecim divinas Dignitates, per quas intendimus in DEO probare numerum Trinitatis; hanc verò probationem facimus sub *octo Conditionibus*, inter quas hæc est *Prima*: videlicet, quòd quælibet divina Dignitas sit idem cum altera per Essentiam & Naturam. *Secunda* est, quòd quælibet earum sit per se existens tota Essentia & Natura. *Tertia* est, quòd omnes insimul sint tantùm in tribus distinctis Suppositis; & de hac Conditione est hæc quinta Pars, de qua in his sequentibus tractandum est. *Quarta* est, quòd in actu cujuslibet dignitatis omnes actus aliarum dignitatum sint communes. *Quinta* est, quòd omnes actus operationis sint distincti tantùm per supradicta tria Suppositа, non tamen per distinctas dignitates. *Sexta* est, quòd quodlibet Suppositum sit omnes dignitates, & è converso. *Septima* est, quòd supradicta tria Suppositа non sint distincta unum ab altero per Essentiam & per Naturam. *Octava* & ultima est, quòd actus Suppositorum sint eadem Essentia & Natura cum tribus Suppositis & cum omnibus dignitatibus divinis.

Per has octo Conditiones potest intelligi Ars & Regula, per quam convenit probari numerum Trinitatis, contra quas conditiones non potest in DEO esse Trinitas, neque conditiones contradicunt in DEO trinum numerum Suppositorum, sed contradicunt, omnem alium numerum in illo esse, ùt manifestè apparebit in probationibus, quas cum dignitatibus intendimus facere; & primò de bonitate, & sic de aliis.

De Bonitate & Trinitate.

1. IN bonificare bonitatis est magnificare magnitudinis, & æternificare æternitatis &c., quia in bonificare est omnis perfectio magnitudinis, nobilitatis &c. si in una proprietate personali, quæ est Pater, producant omnes actus dignitatum aliqua Suppositа

sita existentia eadem Essentia in natura cum illa proprietate producente & cum omnibus dignitatibus & actibus earum; quia si sufficit, Patrem esse unum Suppositum, quod producat Filium, habente bonitate in suo bonificare totum magnificare, æternificare &c., in Patre & Filio esset superfluitas bonitatis, si in suo bonificare essent necessarii duo Patres aut duo Filii vel plures; & hæc superfluitas esset minoritas uniuscujusque eorum Patrum aut Filiorum & cujusque dignitatis divinæ & actuum earum; quæ minoritas esset malitia contradicens bonitati; & hoc est impossibile: unde convenit, aliquod Suppositum esse, in quo bonitas habeat proprietatem & naturam, ipso Suppositо bonificante cum magnificare, æternificare &c., ut dignitates non sint sinè Opere intrinseco; & convenit, quòd Suppositum producat Suppositum æquale sibi in Essentia & Natura, ut omnes dignitates divinæ & actus earum in illo possint esse eadem Essentia & Natura; quia si producens non produceret Suppositum æquale sibi in bonitate &c., in suo bonificare esset parvitas magnitudinis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile: unde de necessitate conveniunt duo Suppositа ipsi bonificare bonitatis habentis in se magnificare magnitudinis.

2. Præterea id, per quod convenit, unum Suppositum esse generans, bonificans &c., & id, per quod convenit, alterum Suppositum esse genitum ab ipso generante, bonificante &c., & id, per quod non disconvenit, esse duo Suppositа, unum Patrem, & alterum Filium, convenit, alterum Suppositum esse æquale Patri & Filio procedens ab ambobus, ut sit æqualitas in omnibus actibus dignitatum bonificando, magnificando &c.; quæ æqualitas non esset in illis, si id, per quod convenit, Patrem esse, & id, per quod convenit, Filium esse, & id, per quod non disconvenit, esse Patrem, nec disconvenit esse Filium, deficeret in bonificare ad essendum Suppositum; cujus defectus est impossibilis in bonitate, quæ bonificat cum magnificare, æternificare: ergò convenit esse tria Suppositа.

3. Sicut sufficit, unam bonitatem, unam magnitudinem, unam æternitatem &c. esse in DEO, sic sufficit, in ipso esse unam Paternitatem, unam Filiationem & unam Spirationem, cùm divinum Opus intrinsecum habeat suam perfectionem, nec ipsi Operi contradicat aliqua octo supradictarum conditionum: unde si ipsi bonificare bonitatis divinæ essent necessarii duo Patres aut duo Filii aut duo Sancti Spiritus vel plures, de necessitate sequeretur, quòd in DEO essent necessariæ duæ vel plures bonitates, vel duæ vel plures magnitudines, & sic de aliis, ut in Suppositis esset æqualitas, & quælibet bonitas esset distincta conveniens cum parvitate: ergò impossibile est, in DEO esse quaternitatem.

De Magnitudine & Trinitate.

1. HUmanus intellectus considerans, prædestinationem esse, eò quòd in divina sapientia est perfectio, habet veram considerationem; & intellectus considerans, non esse liberum arbitrium, cùm sit prædestinatio, habet falsam considerationem, & considerando, liberum arbitrium esse, eò quòd divina justitia habet perfectionem, habet veram considerationem, sed negando, prædestinationem esse, cùm sit liberum arbitrium, habet falsam considerationem; quia si intellectus haberet veram considerationem negando prædestinationem, esset impossibile, quòd habuisset veram considerationem affirmando prædestinationem; & hoc idem sequitur de libero arbitrio, in quo intellectus per affirmationem habet veram considerationem: unde cùm hoc ita sit, de necessitate convenit, duas affirmationes esse veras, & duas negationes esse falsas: & sic convenit, prædestinationem esse de necessitate, & liberum arbitrium eodem modo: igitur secundùm supradictam similitudinem & metaphoram datur regula & doctrina ad considerandum secundùm veritatem in magnitudine supremæ Trinitatis; quia si consideremus, quòd magnificare magnitudinis habeat perfectionem in una Paternitate, in una Filiatione & in una Processione, cùm ipsum magnificare sit in magnitudine, æternitate &c., sic de necessitate habemus veram considerationem; si autem consideremus, quòd divina magnitudo haberet suum magnificare majus in duobus Patribus aut in infinitis &c., convenit de necessitate, hanc considerationem esse falsam; quia magnitudo, quæ duobus vel pluribus Patribus conveniret, esset major, quàm unus Pater tantùm, & magnitudo illius Patris esset finita & parva, existens distincta pars magnitudinis; & sic haberet imperfectionem supremæ Magnitudinis in magnificare; in qua imperfectione esset imper-

imperfectio bonitatis &c.: unde de necessitate convenit, unum solum Patrem esse in Divinis infinientem, magnificantem &c. unum Filium & unum Sanctum Spiritum, ut Pater habeat illam magnitudinem bonitatis in infiniendo unum Filium & unum Sanctum Spiritum, quæ esset in infiniendo infinita Suppositа in numero; quam magnitudinem per justitiam convenit esse in terminato numero Suppositorum; & inconveniens est, ipsam esse in infinito numero Suppositorum; quia conveniret, in ea esse principium & finem, in quibus deficeret æterna perfectio, simplicitas, nobilitas & gloria, nec amor posset habere perfectionem, quam diligeret, nec sapientia posset scire numerum, & potestas moveretur æternaliter ad perfectionem, nec ullo tempore illam haberet.

2. Præterea in DEO est Pater & Filius; & Sanctus Spiritus est id, quod procedit de Patre & Filio, videlicet id, per quod Pater & Filius concordant, & non contrariantur aliquo modo in bonitate, magnitudine &c., & habent omnem æqualitatem in Essentia, Opere & Natura per bonitatem &c.: unde si in DEO essent plures Personæ, quàm tres, Sanctus Spiritus concordaret cum minoritate bonitatis &c., in quantum non sufficeret esse tam magnus, sicut est id, per quod Pater & Filius habent æqualitatem & concordantiam & nullam contrarietatem: & quia est impossibile, in DEO esse minoritatem, idcirco in Sancto Spiritu terminatur numerus Personarum, nec convenit, in DEO esse quaternitatem Personarum, nec ulteriùs Trinitate; nam Filius est specificus actus Patris, & Sanctus Spiritus est communis actus amborum, scilicet Patris & Filii: & ideo numerus Trinitatis est in perfectione actûs communis & specialis,

3. Si quælibet divina dignitas haberet suum actum distinctum ab actu alterius dignitatis, essent tot actus, quot sunt dignitates; & si actus essent distincti, dignitates essent distinctæ in Essentia & Natura; & sic essent multæ essentiæ & multæ naturæ distinctæ, & per consequens multi Dii: unde de necessitate convenit, in DEO esse certum numerum Suppositorum, omnibus divinis dignitatibus & actibus earum existentibus eâdem Essentiâ & Naturâ in quolibet illorum Suppositorum, ut magnitudo habeat suam perfectionem & suam infinitatem in Suppositis & in dignitatibus & in actibus earum: unde cùm major numerus, qui sit effectus supremæ Pluralitatis & Unitatis, sit in Unitate & Trinitate, & DEUS omnia creaverit ad cognoscendum & diligendum suam magnitudinem, ideo de necessitate sequitur in magnitudine justitiæ, amoris & sapientiæ, DEUM esse tantùm in Trinitate Suppositorum.

4. Tres homines existentes in una camera sunt in quarto numero cum camera; veruntamen camera est minor, quàm si esset cum illis hominibus eadem essentia, qui homines essent nobiliores, si insimul & in suis partibus essent eadem essentia sinè distinctione essentiæ & naturæ, ipsis habentibus simul & quolibet per se totam magnitudinem, quam habent simul sinè aliquo inconveniente; & hæc magnitudo numeri est de Anima rationali, de corpore & de conjunctione, quæ insimul sunt eadem humana essentia, scilicet unum ens humanum, quod est homo, qui non facit quartum numerum, eò quòd homo est in tribus, & illa tria sunt in uno, quod est homo; & hæc tria essent in majori magnitudine numeri in virtute, si quodlibet illorum trium esset illa eadem tota essentia, quæ est aliud ipsorum trium, sinè differentia; sed quia DEUS habet concordantiam cum majoritate, & creatura cum minoritate, convenit, in DEO esse illam magnitudinem, per quam creatura esset in perfectiori numero, si existeret, sicut suprà dictum est: ergò in DEO est Trinitas.

De Æternitate & Trinitate.

1. CEntrum, quod terminatum est intra se supra finem terræ & maris, & quod in universali est, est unum corpus in medio aëris immobile in universali; cujus immobilitas naturalis est ratione motûs firmamenti, qui frequenter cum aëre percutit superficiem illius corporis per omnes partes ejus æquali continuatione; & ideo terra & mare sunt in medio, sicut rota circularis, quæ infra se compellit existere ad rotundum in medio, quando artificialiter movetur in circuitu illius rei rotundæ; & de hoc manifestè habetur experientia: unde per hanc similitudinem habemus considerare in æterna Trinitate, quam inquirimus juxta posse; quia sicut magnitudo est infinitè magna, ita convenit, æternitatem esse magnam in frequentando seu continuando ineffabili velocitate suum æternificare, ut habeat infinitatem mag-

magnificandi, bonificandi &c. in duratione, quæ est æqualis actui magnitudinis &c.: & ideo si in Divinis est unus Pater tantùm, in quo sunt omnes actus divinarum dignitatum, ipso existente generante unum Filium tantùm, & producente unum Sanctum Spiritum tantùm, erit inde in inconsiderabili velocitate major continuatio æternificandi in bonificare, magnificare &c., quàm si illi actus essent in multis Patribus & Filiis & Sanctis Spiritibus: quia sicut convenit, firmamentum frequenter continuare suum motum & repercussionem, quam dat centro cum aëre, ut centrum sit immobile, cujus motûs tarditas esset causa mobilitati centri, quod est grave, ita & multò meliùs multæ Paternitates, Filiationes &c. essent tarditas contra ineffabilem velocitatem æ- nificandi in bonificare, magnificare &c.: de convenit, in DEO esse tantùm unum tem, unum Filium, & unum Sanctum itum, ita, quòd non plures, ut Pater nitè æternificet in magnitudine & in tinuatione veloci inconsiderabiliter, gendo bonificatum &c., & spirando alte- bonificatum &c., nascente Filio & pro- nte Sancto Spiritu & hoc infinitè & æ- aliter in supradicta continuatione: nam magnus torrens aggregatus ex pluribus is rivulis dat majorem strepitum, quàm cunque rivulorum per se, ita una Pater- s &c. potest esse major in veloci conti- tione æternificandi, magnificandi &c., m multæ Paternitates.

Ignis habet tantò majorem calorem, & ò magis cupit ardere, quantò aptiorem sibi habet materiam, & quantò magis materia est dispositа ad comburendum; quam dispositionem materia habet per siccitatem & caliditatem, & per privationem humiditatis & frigiditatis, & per magnam quantitatem, & per magnum ventum: unde si per hanc similitudinem possumus considerare, quòd, si Pater est totum æternificare æternitatis, & totum bonificare bonitatis &c. generando de se Filium, & spirando de se Sanctum Spiritum, qui Filius & qui Sanctus Spiritus sit totum æternificare & bonificare &c., Filio per modum Generationis existente illis actibus, & Sancto Spiritu per modum Spirationis existente illis actibus, sequitur inde in numero perfectio bonitatis &c.; si verò illi numero aut Filius aut Sanctus Spiritus est superfluitas, tunc magno calori ignîs & magno ardori magna siccitas & magna multitudo lignorum est superfluitas; & si divino numero est necessaria quaternitas aut quinitas &c., tunc est imperfectio in Paternitate, Filiatione & Processione, quæ sic non haberent perfectionem in infinitate & in continuatione velocis æternificationis in bonitate &c.: & quia hoc est impossibile, igitur in DEO est Trinitas.

De Potestate & Trinitate.

1. QUemadmodum homo per naturam habet oculos, ut videat, & intellectum, ut intelligat, ita & multò meliùs sinè comparatione convenit per bonitatem, magnitudinem &c., esse aliquod Suppositum, ut actus bonitatis &c. sit idem in ipso; illud verò Suppositum convenit esse Patrem, ut de se bonificet, magnificet &c. Filium: quia nisi illud Suppositum esset Pater bonificans Filium &c., illud Suppositum bonificaret suppositum alterius naturæ, non tamen de se; nec suum bonificare, magnificare &c. essent de essentia bonitatis &c., sed hoc opus esset distinctum in essentia & natura: unde convenit, esse Patrem & Filium, ut Potestas de se possit possificare in Filium bonificando &c. sinè distinctione Essentiæ & Naturæ.

2. Potestas est Essentia in proprietate paternali & in proprietate filiali possificans de Essentia in Essentiam æternaliter & infinitè; & ideo non potest esse distinctio Essentiæ inter Patrem & Filium: & quia in ipso possificare sunt bonificare, magnificare &c., convenit, in ipso esse spirare, ut Pater & Filius in Spiratione æternaliter & infinitè possificent perfectum Opus bonitatis &c.: & quia totum Opus possificandi est æternum & infinitum, convenit, quòd id, quod est spiratum, sit Suppositum, cùm possit esse infinitum & æternum.

3. Potestas non posset possificare perfectum Filium, nisi Filius diligeret Patrem infinitè & æternaliter, & è converso; nec amor posset possificare in Filio & Patre infinitè & æternaliter sinè justitia producente in Patre & Filio æquale Suppositum, quod procedit per amorem de Patre & Filio; quia largitas contradiceret sibi ipsi & justitiæ, si contradiceret Sancto Spiritui, qui procedit amor de Patre & Filio, potestate possificante cum bonitate &c. in Patre & Filio.

4. Potestas potest esse major in una Paternitate, in una Filiatione & in una Spiratione, quàm in multis Paternitatibus &c.; quia si pos-

si malum esset
[illegible] et ipsa
principio æterni-
tas non conveniret
cum bonitate,
in quantum concor-
daret cum contra-
rio bonitatis; et
hoc est impossibile.

Deus creavit ma-
lum pæne, non
vero malum cul-
pæ cum malum
culpæ sit contra-
rium bono; et
malum pæne con-
venit cum divi-
na Justitia.

imperfectio bonitatis &c.: unde de necessitate convenit, unum solum Patrem esse in Divinis infinientem, magnificantem &c. unum Filium & unum Sanctum Spiritum, ut Pater habeat illam magnitudinem bonitatis in infiniendo unum Filium & unum Sanctum Spiritum, quæ esset in infiniendo infinita Suppositа in numero; quam magnitudinem per justitiam convenit esse in terminato numero Suppositorum; & inconveniens est, ipsam esse in infinito numero Suppositorum; quia conveniret, in ea esse principium & finem, in quibus deficeret æterna perfectio, simplicitas, nobilitas & gloria, nec amor posset habere perfectionem, quam diligeret, nec sapientia posset scire numerum, & potestas moveretur æternaliter ad perfectionem, nec ullo tempore illam haberet.

2. Præterea in DEO est Pater & Filius; & Sanctus Spiritus est id, quod procedit de Patre & Filio, videlicet id, per quod Pater & Filius concordant, & non contrariantur aliquo modo in bonitate, magnitudine &c., & habent omnem æqualitatem in Essentia, Opere & Natura per bonitatem &c.: unde si in DEO essent plures Personæ, quàm tres, Sanctus Spiritus concordaret cum minoritate bonitatis &c., in quantum non sufficeret esse tam magnus, sicut est id, per quod Pater & Filius habent æqualitatem & concordantiam & nullam contrarietatem: & quia est impossibile, in DEO esse minoritatem, idcirco in Sancto Spiritu terminatur numerus Personarum, nec convenit, in DEO esse quaternitatem Personarum, nec ulteriùs Trinitate; nam Filius est specificus actus Patris, & Sanctus Spiritus est communis actus amborum, scilicet Patris & Filii: & ideo numerus Trinitatis est in perfectione actûs communis & specialis,

3. Si quælibet divina dignitas haberet suum actum distinctum ab actu alterius dignitatis, essent tot actus, quot sunt dignitates; & si actus essent distincti, dignitates essent distinctæ in Essentia & Natura; & sic essent multæ essentiæ & multæ naturæ distinctæ, & per consequens multi Dii: unde de necessitate convenit, in DEO esse certum numerum Suppositorum, omnibus divinis dignitatibus & actibus earum existentibus eâdem Essentiâ & Naturâ in quolibet illorum Suppositorum, ut magnitudo habeat suam perfectionem & suam infinitatem in Suppositis & in dignitatibus & in actibus earum: unde cùm major numerus, qui sit effectus supremæ Pluralitatis & Unitatis, sit in Unitate & Trinitate, & DEUS omnia creaverit ad cognoscendum & diligendum suam magnitudinem, ideo de necessitate sequitur in magnitudine justitiæ, amoris & sapientiæ, DEUM esse tantùm in Trinitate Suppositorum.

4. Tres homines existentes in una camera sunt in quarto numero cum camera; veruntamen camera est minor, quàm si esset cum illis hominibus eadem essentia, qui homines essent nobiliores, si insimul & in suis partibus essent eadem essentia sinè distinctione essentiæ & naturæ, ipsis habentibus simul & quolibet per se totam magnitudinem, quam habent simul sinè aliquo inconveniente; & hæc magnitudo numeri est de Anima rationali, de corpore & de conjunctione, quæ insimul sunt eadem humana essentia, scilicet unu[illegible], quod est homo, qui non [illegible]merum, eò quòd homo est i[illegible]ria sunt in uno, quod est [illegible]ia essent in majori magnit[illegible] virtute, si quodlibet illoru[illegible]a eadem tota essentia, qua[illegible]n trium, sinè differentia; [illegible]abet concordantiam cum [illegible]tura cum minoritate, cor[illegible]D esse illam magnitudin[illegible] creatura esset in perfectio[illegible] existeret, sicut suprà dictu[illegible] DEO est Trinitas.

De Æterni[illegible]nitate.

1. CEntrum, q[illegible] est intra se supra finem [illegible] & quod in universali est, est unum corpus in medio aëris immobile in universali; cujus immobilitas naturalis est ratione motûs firmamenti, qui frequenter cum aëre percutit superficiem illius corporis per omnes partes ejus æquali continuatione; & ideo terra & mare sunt in medio, sicut rota circularis, quæ infra se compellit existere ad rotundum in medio, quando artificialiter movetur in circuitu illius rei rotundæ; & de hoc manifestè habetur experientia: unde per hanc similitudinem habemus considerare in æterna Trinitate, quam inquirimus juxta posse; quia sicut magnitudo est infinitè magna, ita convenit, æternitatem esse magnam in frequentando seu continuando ineffabili velocitate suum æternificare, ut habeat infinitatem mag-

magnificandi, bonificandi &c. in duratione, quæ est æqualis actui magnitudinis &c.: & ideo si in Divinis est unus Pater tantùm, in quo sunt omnes actus divinarum dignitatum, ipso existente generante unum Filium tantùm, & producente unum Sanctum Spiritum tantùm, erit inde in inconsiderabili velocitate major continuatio æternificandi in bonificare, magnificare &c., quàm si illi actus essent in multis Patribus & Filiis & Sanctis Spiritibus: quia sicut convenit, firmamentum frequenter continuare suum motum & repercussionem, quam dat centro cum aëre, ut centrum sit immobile, cujus motûs tarditas esset causa mobilitati centri, quod est grave, ita & multò meliùs multæ Paternitates, Filiationes &c. essent tarditas contra ineffabilem velocitatem æternificandi in bonificare, magnificare &c.: unde convenit, in DEO esse tantùm unum Patrem, unum Filium, & unum Sanctum Spiritum, ita, quòd non plures, ut Pater infinitè æternificet in magnitudine & in continuatione veloci inconsiderabiliter, generando bonificatum &c., & spirando alterum bonificatum &c., nascente Filio & procedente Sancto Spiritu & hoc infinitè & æternaliter in supradicta continuatione: nam sicut magnus torrens aggregatus ex pluribus parvis rivulis dat majorem strepitum, quàm quiscunque rivulorum per se, ita una Paternitas &c. potest esse major in veloci continuatione æternificandi, magnificandi &c., quàm multæ Paternitates.

2. Ignis habet tantò majorem calorem, & tantò magis cupit ardere, quantò aptiorem sibi habet materiam, & quantò magis materia est dispositа ad comburendum; quam dispositionem materia habet per siccitatem & caliditatem, & per privationem humiditatis & frigiditatis, & per magnam quantitatem, & per magnum ventum: unde si per hanc similitudinem possumus considerare, quòd, si Pater est totum æternificare æternitatis, & totum bonificare bonitatis &c. generando de se Filium, & spirando de se Sanctum Spiritum, qui Filius & qui Sanctus Spiritus sit totum æternificare & bonificare &c., Filio per modum Generationis existente illis actibus, & Sancto Spiritu per modum Spirationis existente illis actibus, sequitur inde in numero perfectio bonitatis &c.; si verò illi numero aut Filius aut Sanctus Spiritus est superfluitas, tunc magno calori ignis & magno ardori magna siccitas & magna multitudo lignorum est superfluitas; & si divino numero est necessaria quaternitas aut quinitas &c., tunc est imperfectio in Paternitate, Filiatione & Processione, quæ sic non haberent perfectionem in infinitate & in continuatione velocis æternificationis in bonitate &c.: & quia hoc est impossibile, igitur in DEO est Trinitas.

De Potestate & Trinitate.

1. QUemadmodum homo per naturam habet oculos, ut videat, & intellectum, ut intelligat, ita & multò meliùs sinè comparatione convenit per bonitatem, magnitudinem &c., esse aliquod Suppositum, ut actus bonitatis &c. sit idem in ipso; illud verò Suppositum convenit esse Patrem, ut de se bonificet, magnificet &c. Filium: quia nisi illud Suppositum esset Pater bonificans Filium &c., illud Suppositum bonificaret suppositum alterius naturæ, non tamen de se; nec suum bonificare, magnificare &c. essent de essentia bonitatis &c., sed hoc opus esset distinctum in essentia & natura: unde convenit, esse Patrem & Filium, ut Potestas de se possit possificare in Filium bonificando &c. sinè distinctione Essentiæ & Naturæ.

2. Potestas est Essentia in proprietate paternali & in proprietate filiali possificans de Essentia in Essentiam æternaliter & infinitè; & ideo non potest esse distinctio Essentiæ inter Patrem & Filium: & quia in ipso possificare sunt bonificare, magnificare &c., convenit, in ipso esse spirare, ut Pater & Filius in Spiratione æternaliter & infinitè possificent perfectum Opus bonitatis &c.: & quia totum Opus possificandi est æternum & infinitum, convenit, quòd id, quod est spiratum, sit Suppositum, cùm possit esse infinitum & æternum.

3. Potestas non posset possificare perfectum Filium, nisi Filius diligeret Patrem infinitè & æternaliter, & è converso; nec amor posset possificare in Filio & Patre infinitè & æternaliter sinè justitia producente in Patre & Filio æquale Suppositum, quod procedit per amorem de Patre & Filio; quia largitas contradiceret sibi ipsi & justitiæ, si contradiceret Sancto Spiritui, qui procedit amor de Patre & Filio, potestate possificante cum bonitate &c. in Patre & Filio.

4. Potestas potest esse major in una Paternitate, in una Filiatione & in una Spiratione, quàm in multis Paternitatibus &c.; quia

si possificare potestatis esset distinctum in duas Paternitates &c., non esset tam magnum in qualibet Paternitate, sicut est, si est in una Paternitate: & quia convenit, potestatem esse æqualem infinitati, æternitati, est impossibile, quòd possit convenire in duabus Paternitatibus, ne conveniat cum minoritate: ergò in DEO est Trinitas.

De Sapientia & Trinitate.

1. PAter scit in suo intelligere bonificare, magnificare &c.; & ideo scit se ipsum generando Filium de se ipso; quia nisi de se generaret Filium, non posset intelligere, quòd in suo intelligere essent bonificare, magnificare &c., quæ convenit sciri ab ipso in ipso intelligere per justitiam &c.: præterea si Pater sciret, quòd de suo generare non procederet Sanctus Spiritus in bonitate &c., ipse sciret suum generare minus in bonificare &c.; sed quia non potest scire ipsum generare minus in procedere Sanctum Spiritum, convenit, quòd ab illo procedat id, per quod Pater sciat suum generare infinitum & æternum in bonificare &c.; cùm potestas & scire &c. sint eadem Essentia cum magnitudine, æternitate, justitia &c.: si autem Pater intelligeret majorem Generationem in generando duos Filios vel plures, & majorem Spirationē in spirando duos Sanctos Spiritus vel plures, quàm in generando unum Filium tantùm, & in spirando unum Sanctum Spiritum tantùm, suum intelligere esset contrarium ipsis bonificare, magnificare &c.; nam majus bonum est, Patrem generare unum Filium, qui habeat omnem virtutem, quam haberent duo vel plures Filii, inter quos divideretur illa virtus; si verò esset hujus oppositum, sequeretur, quòd plus virtutis possit esse in divisibilitate, quàm in indivisibilitate, & plus in compositione, quàm in simplicitate, & plus in finito numero, quàm in infinito; & sequeretur impossibile, scilicet, quòd unus DEUS non possit perfici ad essendum supremum Ens existens unum infinitum æternum & indivisibile habens omnem perfectionem.

2. In hoc, quòd Pater intelligit, se intelligere esse Patrem, intelligit, se intelligere Filium; & Filius intelligens, se intelligere esse Filium, intelligit suum Patrem; & Pater intelligit, quòd ipsemet diligat, se esse Patrem; & ideo intelligit, se diligere intelligere, Filium esse Filium; & Filius intelligens amorem Patris, diligit, Patrem esse Patrem, & diligit, se ipsum esse Filium; quia si Pater diligeret, se intelligere, se esse Patrem alterius Filii, Filius intelligeret, se intelligere, se esse minorem Patre, & esset distinctus à Patre per Essentiam in infinitate justitiæ & magnitudinis; & hoc idem sequeretur, si Filius intelligeret, se intelligere, se esse Patrem alterius Filii; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd in DEO sit Trinitas.

De Amore & Trinitate.

1. AMor divinus diligit esse eadem Essentia & eadem Natura cum aliis dignitatibus divinis, & diligit, quòd in suo diligere sit bonificare, magnificare &c.; & quia in suo diligere sunt bonificare, magnificare &c., est in ipso possificare, per quod amor possit habere omne id, quod ipse potest diligere cum justitia; & ideo convenit, quòd amor diligat aliquod Suppositum, quod sit Pater, qui in se bonificet, magnificet &c. Filium in suo diligere: si autem amor non diligeret, quòd ex Patre & Filio procederet Sanctus Spiritus in bonitate, magnitudine &c., non diligeret magnitudinem Patris & Filii, nec diligeret magnitudinem & nobilitatem diligendi, bonificandi &c.; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Trinitas.

2. Si amor diligit perfectum numerum Suppositorum, & numerus est perfectus in ternario, amor contradiceret suomet actui, & contradiceret perfectioni & justitiæ &c., si ultra ternarium numerum diligeret numerum divinorum Suppositorum; sed quia amor habet suum complementum existendo Essentia, & habendo ipsum diligere, in quo sunt bonificare, magnificare &c., generante Patre Filium, & procedente Sancto Spiritu ex Patre & Filio, existente quolibet horum Suppositorum amore & amare, bonitate & bonificare &c., & ipsis existentibus eâdem Essentiâ simplice magnâ bonâ &c.; idcirco si amor diligeret extra suum complementum, diligeret contra justitiam &c.; & hoc est impossibile: ergò in DEO est Trinitas.

3. Si amor, qui cum infinita magnitudine habet concordantiam, diligit quatuor Supposita vel plura in divina Essentia, eò quòd quatuor vel plura sunt in majori quantitate numeri, quàm tria, amor est causa, quòd sit contrarietas inter magnitudinem & perfectionem, quæ sunt in numero trium Suppositorum; & sic amor diligeret secundùm mag-

magnitudinem numeri plùs quinque, quàm quatuor, & plùs sex, quàm quinque, & sic in infinitum; & sic amor plùs diligeret numerum, quàm Supposita & quàm se ipsum & quàm bonitatem &c.; & hoc est impossibile.

4. Si quis per amorem divinum conetur numerum trium in Divinis ducere ad inconveniens, sicut numerum quatuor vel plurium duximus ad inconveniens, contradicit amori perfectionem sui actûs, quam amor non potest habere sinè Patre & Filio spirantibus Sanctum Spiritum, qui in diligere procedat æqualis amori, quem Pater & Filius habent inter se invicem; & sinè ipsius æqualitate amor Patris & Filii non esset æqualis ipsi diligere, sed esset major ipso diligere, amore existente Essentiâ & Supposito paternali & filiali, & suo diligere existente non Essentiâ neque Supposito: ergò in DEO est Trinitas.

De Virtute & Trinitate.

1. QUemadmodum divina bonitas &c. est amabilis in uno DEO, & non in multis, ita una virtus est amabilis in una Paternitate, & non in multis, & in una Filiatione, & non in multis, & in una Processione, & non in multis; & hoc est, ut Unitas & bonitas &c. DEI habeant concordantiam cum Unitate virtutis & Unitate unius Patris & unius Filii & unius Sancti Spiritûs; quia si esset oppositum hujus, sequeretur contrarietas de Unitate virtutis contra Unitatem Essentiæ & bonitatis &c.

2. Inter numerum unius & trium est numerus duorum; & idcirco est æqualitas per totum numerum trium; nam in duobus est æqualitas unius & unius in numero, & in numero trium est æqualitas, existente uno in medio duorum; sed in numero quatuor, plurium vel duorum & non plurium non potest sequi tam concordans æqualitas nec tam perfecta participatio: & quia divina virtus est in infinita magnitudine &c., idcirco convenit, in illa esse illum numerum, qui convenit cum majori simplicitate & magnitudine, ne virtus, justitia & nobilitas inter se contrarientur.

3. Divina virtus non potest esse defectiva propter diminutionem nec propter superfluitatem; & ideo si essent duo divina Supposita tantùm, virtus haberet imperfectionem in magnitudine secundùm comparationem numeri trini; si verò virtus indigeret in se habere quaternarium secundùm comparationem trium, indigeret habere quinarium & deinde senarium, & sic in infinitum; quod est inconveniens: ergò in DEO est Trinitas, ad hoc, ut tria habeant perfectionem in virtute, in quantum ternarius est major binario & quaternario sive pluribus, secundùm quòd manifestum est per jam supradicta principia.

4. In virtute sufficit Unitas per Essentiam, sed in Suppositis non sufficit Unitas tantùm; quia si in virtute, quæ est Essentia, non esset pluralitas Suppositorum, ipsa non posset intrinsecè virtuificare, nec in ipso virtuificarentur bonificare &c.; & sic virtus in suamet entitate esset infinitè & æternaliter otiosa: unde, ne sit otiosa, convenit, illam habere in se ipsa pluralitatem Suppositorum; si verò illa Supposita sunt duo, ita, quòd non tria, illa duo non haberent æqualem virtutem, in qua convenirent, quam possunt habere, si sunt tria: unde cùm virtus sit idem in Essentia cum potestate & justitia, de necessitate convenit, quòd cum duobus Suppositis sit tertium Suppositum, in quo se diligant & concordent: præterea si Supposita essent plura, quàm tria, nimiùm prolongaretur eorum Natura & Essentia ab Unitate Essentiæ, quæ Natura est propinquior Unitati Essentiæ in ternario, quàm in quaternario sive pluribus: „ & ad demonstran-„ dum, hoc ita esse, habemus manifestum „ exemplum in quatuor elementis, quæ ge-„ nerant & corrumpunt, quia sunt quatuor; „ si verò esset unum elementum vel duo, non „ posset ex illis sequi generatio, sed si essent „ tria, & non plura, quæ haberent differen-„ tiam & concordantiam sinè contrarietate, „ ipsa possent generare tot suppositа incor-„ ruptibilia, donec in ipsis essent tota exi-„ stentia, privando de natura mixtionem „ in digestione & alteratione cessante gene-„ ratione.

De Veritate & Trinitate.

1. DIsconvenit, omnem numerum ex partibus & ex inæqualitate compositum esse in divina Unitate; quia ubi est infinitas & æternitas, non potest esse inæqualitas nec partes: unde si in DEO Pater de se producit partes, convenit eis productio cum falsitate & cum inæqualitate infinitatis & æternitatis; quod est impossibile: igitur convenit, quòd Pater de se generet Filium, & producat Sanctum Spiritum, ita, quòd bonitas, quæ est Pater, sit Filius & Sanctus Spiritus,

& bonitas, quæ est Filius, sit Pater & Sanctus Spiritus, & bonitas, quæ est Sanctus Spiritus, sit Pater & Filius sinè distinctione bonitatis; & hoc convenit ita esse, ne bonitas &c., quæ est Essentia, dividatur in partes; quia si divideretur, ejus totalitas esset major, quàm aliqua sua pars; & quia hoc est impossibile in Divinis, igitur in DEO est Trinitas, eò quòd numerus Trinitatis habet omnem perfectionem, quæ convenit veritati in suo verificare, & in hoc, quòd sint Pater & Filius & Sanctus Spiritus & bonitas &c., & quòd veritas sit suummet verificare, & quòd in suo verificare habeat bonificare &c., & in hoc, quòd veritas sit Essentia & Natura cum toto Patre & Filio & Sancto Spiritu & cum omnibus dignitatibus divinis: unde cùm hoc ita sit, & quia omne, quod esset ultra divinam perfectionem & magnitudinem, esset falsitas, ergò in DEO est Trinitas.

2. Si veritas in DEO non verificaret, ne ipsa divideretur in partes, esset in illa imperfectio & parvitas, & privatio nobilitatis, simplicitatis & potestatis; & hoc est impossibile: igitur veritas in DEO verificat sinè divisione sui in partes; si verò Pater verificat Filium, & non procedit Sanctus Spiritus ab ambobus, Pater & Filius falsificant privando Sanctum Spiritum, per quem veritas potest esse in tanta magnitudine perfectionis & nobilitatis, sicut per generare & nasci; quia tantum veritatis, amoris & gloriæ potest procedere per bonificare in bonitate, & per magnificare in magnitudine, quantum per generare & nasci: ergò in DEO est Trinitas: si verò in DEO est quaternitas, convenit, in illo esse alteram proprietatem personalem, quæ nec sit Pater, nec Filius, nec Sanctus Spiritus; sed quia non est intelligibile, in DEO esse aliquam proprietatem personalem æqualem in bonitate &c. Generationi ac Ortui & Processioni, igitur manifestum est, numerum divinorum Suppositorum veraciter esse in Trinitate; ergò falsum est, ipsum esse in majori vel minori numero, quàm in Trinitate,

3. Argumentum habet perfectionem in veritate, quia est unum habens duas propositiones producentes unam conclusionem; & corpus habet perfectionem, quia est unum compositum ex trina dimensione, videlicet ex longo, lato & profundo, & corpus habet perfectionem, quia est unum compositum ex tribus, scilicet ex forma & materia & conjunctione; & hoc idem sequitur de aliis rebus similibus istis: unde sicut contra veritatem argumenti convenit in ipso quaternarius numerus, & contra entitatem corporis, cùm habeant suam perfectionem in ternario, ita & multò fortiùs disconvenit in DEO quaternitas sive binitas; cùm numerus Trinitatis & Unitatis habeat omnem perfectionem, quæ illi convenit, & cùm DEUS, justitia, numerus, perfectio &c. sint eadem Essentia & Natura.

De Gloria & Trinitate.

1. GLoria in divina Essentia habet bonificare, magnificare &c. in suo glorificare; & quia in glorificare, bonificare &c. non potest esse pars nec materia, & gloria & suum glorificare, & bonitas & suum bonificare &c. conveniunt ad essendum eadem Essentia & Natura, ideo convenit in ea generare & nasci & procedere, ut Pater, qui est gloria, bonitas &c., & qui est glorificare, bonificare &c., generans de se generet Filium, & spiret Sanctum Spiritum, & qui insimul & quilibet per se sint gloria & glorificare, bonitas & bonificare, & qui insimul & quilibet per se sint unus DEUS, una Essentia & una Natura sinè distinctione: unde cùm hoc Opus non possit esse in gloria sinè generare, nasci & procedere, & Opus in illa possit esse perfectum per generare, nasci & procedere, igitur in DEO est Trinitas; si autem gloria sinè generare, nasci & procedere glorificaret de se, divideret se ipsam in diversas partes, quæ haberent concordantiam cum minoritate: & si generaret sinè procedere, contradiceret justitiæ & magnitudini; quia per procedere justitia potest tantum justificare, & magnitudo tantum magnificare in glorificare, quantum gloria per generare: & quia est impossibile, quòd gloria possit contradicere justitiæ & magnitudini, igitur Sanctus Spiritus est in Divinis; & sic in DEO est Trinitas.

2. Si aliquod Ens, quod in Divinis non est Pater, generaret Filium, Filius conveniret cum minoritate; & si aliquod Ens, quod esset Pater, generaret non Filium, Pater conveniret cum minoritate; & si ex aliquo Ente, quod non esset Pater nec esset Filius, spiraretur Sanctus Spiritus, Sanctus Spiritus haberet concordantiam cum minoritate; & gloria, quæ est Pater & Filius & Sanctus Spiritus, contradiceret suæ magnitudini; & si Pater & Filius spirarent non Sanctum Spiritum, sequeretur illud idem: & quia est impossibile, in divina gloria esse minoritatem, idcirco Paternitas, Filiatio & Spiratio sunt in ipsa gloria; & si esset alia proprietas distincta à Paternitate, Filiatione & Spiratione, esset extra magnitudinem & perfectionem gloriæ; quæ gloria habet suum complementum in numero ternario; & si supradicta proprietas est extra magnitudinem & perfectionem, sequitur, quòd in DEO possit esse una perfectio numeri post alteram; & sic tenderet ad numerum infinitum; quod est impossibile.

3. Si homo in tribus denariis obligatus solvat creditori unum denarium vel duos, solutio debiti non habet complementum, quæ completur, si solvantur tres denarii; si verò superfluat unus denarius vel plures in hac solutione, denarius superfluus vel denarii superflui non sunt de complemento debiti: unde si gloria habet suum complementum in suo glorificare cum bonificare, magnificare &c. per generare, nasci & procedere, esset inconveniens & contra justitiam & perfectionem, omnem numerum majorem & minorem tribus esse in divinis Suppositis: & quia per generare, nasci & procedere gloria potest habere suam perfectionem, secundùm quòd per se manifestum est, ergò in DEO est Trinitas.

De Perfectione & Trinitate.

1. IN DEO non potest reperiri nec sciri imperfectio numeri, si in divinis Suppositis est numerus Trinitatis in Unitate Essentiæ & Naturæ unius solius DEI; nam tanta est perfectio generare, nasci & procedere infinitè & æternaliter in bonitate, magnitudine &c., quòd nulla imperfectio in illis possit esse: & quia convenit, Patrem esse perfectum per generare, qui bonificet &c., & convenit, Filium esse perfectum per nasci, qui bonificetur &c., & convenit, Spiratum esse perfectum per procedere, qui fruendo bonificet &c., igitur sunt tria Suppositа in Divinis, ita, quòd nec plura nec pauciora possint esse, secundùm quòd manifestum est in generare, nasci & procedere infinitè & æternaliter bonificante bonitate &c.

2. Ubi est infinitum & æternum generare boni bonificantis, qui generat bonum bonificatum infinitum &c., non potest esse cessatio, nec tarditas, nec finis &c., igitur ibi non potest esse imperfectio bonificandi &c.; & ubi est spirare boni spirantis bonum procedentem ex generante & generato, illa Spiratione existente infinitâ æternâ &c. in bonificare &c., non potest esse cessatio nec tarditas nec finis &c. largiendi, bonificandi &c.: unde cùm nulla imperfectio ibi possit esse, de necessitate convenit, perfectionem numeri esse in omni eo, in quo non deficit numerus nec opus perfectionis.

3. Bonitas, magnitudo &c. in DEO non faciunt numerum pluralitatis, cùm sint eadem Essentia & Natura; & bonificare, magnificare &c. non faciunt illud idem, quia in Patre & Filio & Sancto Spiritu sunt idem essentialiter; nec sanctitas, nec vita, nec pulchritudo, nec aliqua dignitatum, nec etiam aliquis actus earum, quæ omnia DEO conveniunt, faciunt, in ipso esse numerum; nam in hoc, quòd Pater generat Filium, & spirat Sanctum Spiritum, & in hoc, quòd Filius spirat eundem Sanctum Spiritum, informatur etiam numerus spiratus: & quia nulla alia proprietas personalis potest in Divinis esse æqualis Paternitati, Filiationi & Spirationi, ergò in DEO est Trinitas.

4. In multis locis hujus Libri probata sunt ea, quæ præsuppositа sunt; quia probatum est, quòd bonitas, magnitudo &c. sint tantùm in uno DEO, idcirco convenit, esse tantùm unum numerum bonificandi, magnificandi &c.; *& hæc eadem Regula sequitur in multis locis hujus Libri, supponendo ea, quæ jam sunt probata, aut supponendo ea, quæ sunt probabilia per se ipsa.*

De Justitia & Trinitate.

1. SInè generare & procedere infinitè & æternaliter bonitas non posset sufficere suo bonificare, in quo est magnificare, æternificare &c.; quia sicut generationi & processioni deficit incorruptibilitas individuorum specierum, eò quòd prima materia non potest sufficere generationi & processioni sinè corruptione & cessatione, ita è contrario sensu sufficit magnificare &c bonitati in suo bonificare, & è converso, & hoc per Generationem & Processionem infinitam æternam &c.: & quia per Generantem & per Genitum & per Spiratum quælibet dignitas potest habere perfectionem in suo opere, idcirco justitia injuriaretur Patri & Filio & Sancto Spiritui, si multiplicaret alias Personas super perfectionem sui Operis.

2. Aliquid, quod habet dependentiam ad

ad corpus & ad imperfectionem, ſicut calefacere, lucere, credere, ſperare &c., non poteſt eſſe in divina Eſſentia, nec facere numerum, cùm DEUS ſit omnis perfectio: *& quia omne id, quod eſt creatum, habet ſuam perfectionem per modum generandi & procedendi in Divinis*, igitur juſtitia in DEO perverteretur in injuriam, ſi ſuper Trinitatem in DEO multiplicaret aliquem numerum, vel ſi numerus in DEO eſſet de alia re, niſi de Paternitate & Filiatione & Proceſſione, quæ ſunt proprietates, quæ nobilitate, perfectione &c. tranſcendunt alias proprietates perſonales.

3. Quia procedere eſt æquale ipſi generare in bonitate & in bonificare &c, convenit, juſtitiam juſtificare, in DEO eſſe Proceſſionem; ſi verò eſſet alia proprietas perſonalis ſive aliæ, quæ poſſent eſſe æquales Generationi, conveniret, quòd juſtitia concordaret eas in ſe ipſa, quia aliàs eſſet injurioſa huic, quod illi convenit, & toti Eſſentiæ divinæ: ſed quia in DEO non ſunt aliæ proprietates, nec poſſunt conſiderari, & quia invenimus, quòd divinum Opus intrinſecum ſit perfectum & ſinè omni imperfectione, igitur de neceſſitate convenit, in DEO eſſe Spirationem; & ſic per conſequens in DEO eſt Trinitas.

4. Quia unus Pater poteſt eſſe major, quàm duo Patres, in bonitate bonificare &c., ſicut hoc manifeſtum eſt per ſe in conditionibus bonitatis & bonificandi &c., convenit de neceſſitate, quòd juſtitia juſtificet, quòd Pater generet Filium cum tali conditione, quòd Filius non ſit Pater, ſed tantùm Filius; & per hanc eandem conditionem Pater & Filius ſpirant Sanctum Spiritum, quòd ſit tantùm unus Sanctus Spiritus, cùm non ſpirent, niſi unum; & hoc vult juſtitia, ut quælibet divina proprietas perſonalis habeat ſuam integritatem & perfectionem in ſua Unitate, ſicut in Divinis Unitas Eſſentiæ & Unitas Naturæ & Unitas bonitatis &c. in ſe ipſis habent ſuam perfectionem, quæ tamen ſunt eadem Unitas divina; quam perfectionem convenit quòd juſtitia conſervet ita fortiter in Unitate Paternitatis, in Unitate Filiationis & in Unitate Proceſſionis, ſicut conſervat Unitatem Patris, Unitatem Filii & Unitatem Sancti Spiritûs in Unitate ſolius DEI, ſolius Eſſentiæ, ſolius Naturæ & ſolius bonitatis &c.: unde de neceſſitate convenit ſecundùm juſtitiam, Trinitatem divinorum Suppoſitorum in DEO eſſe demonſtrabilem.

5. „ Ea, quæ non ſpecificamus in hac Ar„te, ſcribendo & ſequendo brevem Regu„lam in brevi dictamine hujus Artis, ſpecu„latur in diſcurſu intellectus ſtudentis, con„ſiderando Dignitates divinas & actus ea„rum; & ideo hæc Regula in multis locis „ hujus Artis demonſtratur, eò quòd inten„dimus per hanc Artem procedere, quan„tò breviùs & artificialiùs poſſumus; *etiam „quia hæc Ars non fit rudibus, ſed illis, qui „habent ſubtilem & elevatum intellectum*, ut „ſequantur principia ipſius Artis, ſcilicet „divinas Dignitates cum actibus earundem.

De Largitate & Trinitate.

1. LArgitas divina non poſſet largiri infinitum & æternum donum ſinè generare, naſci & procedere; nam per generare Pater largitur Filio eſſe, naſcente Filio ex Patre æternaliter & infinitè: & quia Pater de ſe toto generat Filium, ipſo Patre exiſtente infinito & æterno, idcirco largitas, quæ eſt Pater, largitur donum infinitum & æternum generando Filium naſcentem infinitum & æternum, qui eſt infinita & æterna largitas, Patre & Filio exiſtentibus eâdem Eſſentiâ, quæ eſt largitas infinita & æterna.

2. Si Sanctus Spiritus nihil eſſet, eſſet impoſſibile, divinam largitatem eſſe infinitam & æternam; quia per donum procedens infinitum & æternum de Patre & de Filio largitas eſt infinita & æterna, Patre & Filio de ſe totis ſpirantibus donum infinitum & æternum, quod procedit, ex largitate infinita & æterna, & quod eſt ipſa largitas infinita & æterna: & quia de neceſſitate convenit, divinam largitatem eſſe infinitam & æternam, ergò in DEO eſt Trinitas.

3. Generare, naſci & procedere, quæ ſint in perfectione bonitatis, magnitudinis &c., ſunt in veloci continuatione & in infinito & æterno opere largitatis; & ideo continuationi & inceſſanti largitati infinitè & æternaliter conveniunt generare, naſci & procedere, ut inceſſanter, infinitè & æternaliter largitas ſit largiens in perfectione bonitatis &c.: ſi autem huic operi conveniunt duo Patres vel plures, aut duo Filii vel plures, aut duo Sancti Spiritus vel plures, tota divina largitas non poſſet communicare in uno Patre, in uno Filio & in uno Sancto Spiritu, & eſſet ſicut humana natura; nam eò quòd non recipitur tota in uno patre, nec in uno filio, convenit, multos patres eſſe & multos filios, in quibus ipſa poſſit recipi; quia ſi in

ſi in Divinis eſſent duo vel plures Patres, & ſic de aliis, divina largitas pateretur imperfectionem, largiendo in divina Natura paternali & filiali & proceſſionali per primam & ſecundam intentionem; quia ſi conveniret, bonitatem, magnitudinem &c. eſſe duos Patres, ipſi eſſent per ſecundam intentionem, & eſſet unus Filius ſive plures per primam intentionem; nam propter hoc non ſufficeret, unum Patrem eſſe, quia conveniret, eſſe Filium vel Filios; ſed quia divina bonitas, magnitudo &c. ſecundùm largitatem & juſtitiam ita bene conveniunt Patri, ſicut Filio & Sancto Spiritui, ideo non convenit, nec poteſt convenire ſecundùm juſtitiam, nobilitatem &c., in DEO eſſe ſecundam intentionem largitatis; igitur in DEO eſt Trinitas: ſi verò conveniret, in Divinis eſſe duos Patres, ut eſſent duo vel plures Filii &c., divina largitas aufferret nobilitatem à Patre, largiens eam Filio; vel ſi eſſent duo Filii vel plures, & unus ſolus Pater, largitas aufferret nobilitatem à Filio, largiens eam Patri; & hoc idem ſequeretur de Sancto Spiritu: & ſi eſſent in DEO quarta & quinta & ulteriùs proprietates perſonales diſtinctæ à Patre & Filio & Sancto Spiritu &c., non diligerentur à creaturis, ſed ignorarentur, vel non cognoſcerentur ita fortiter, ſicut Pater & Filius & Sanctus Spiritus; quia divina largitas aufferret ab illis proprietatibus nobilitatem, largiens Patri & Filio & Sancto Spiritui: & ſic divina largitas eſſet contra perfectionem & juſtitiam, & conveniret cum avaritia; & hoc eſt impoſſibile: ergò in DEO eſt Trinitas.

2. Si quidam lapis caderet de firmamento, qui æternaliter multiplicaret ſuam velocitatem, æternaliter deveniret ſuus motus in tantam ſimplicitatem, quòd non eſſet in eo tempus, nec motus loci, & inde ſequeretur impoſſibile ratione multiplicationis ipſius motûs, & eſſet in illo opere contradictio: idcirco ſi Pater habet totam perfectionem in bonitate &c., eſt impoſſibile, ejus ſimplicitatem habere imperfectionem, quam haberet in bonitate &c., ſi eſſent duæ vel plures Paternitates; & hoc idem ſequeretur de Filio & Sancto Spiritu; nam ſi eſſent duo Patres vel plures, & ſimplicitas cujuslibet eorum infinitè & æternaliter ſimplificaret, conveniret, eſſe duas Paternitates, & non eſſe niſi unam; & hoc eſt contradictio, quæ manifeſtè eſt impoſſibilis.

3. Id, per quod in Divinis Pater poteſt eſſe Pater, & poteſt ſimplificare producendo Filium per Generationem, & Sanctum Spiritum per Spirationem ſinè confuſione Perſonarum, eſt, quia de ſe generat Filium, & de ſe ſpirat Sanctum Spiritum; ſicut per multiplicationem velocitatis lapidis cadentis movens generaret de tota ſua multiplicatione motum multiplicatum, ſic, ut inde procederet inconveniens & impoſſibilitas loci, temporis & motûs, permanente movente & moto in multiplicatione in eadem ſimplicitate habente in ſe diſtincta Suppoſita.

4. Si in Divinis Pater & Filius inter ſe convenirent, & Sanctus Spiritus eis diſconveniret, Pater & Filius diſconvenirent in ſimplicitate magnitudinis; quia id, per quod convenit, Patrem eſſe Patrem, & non Filium, & id, per quod convenit, Filium eſſe Filium, & non Patrem, & id, per quod convenit, Patrem eſſe unum, & non plures, & id, per quod convenit, Filium eſſe æqualem Patri, eſt Sanctus Spiritus procedens ex ambobus, ut in ipſis conveniat, & ut in eis non diſconveniat quidquam: ergò convenit de neceſſitate, in divina ſimplicitate eſſe Trinitatem.

De Simplicitate & Trinitate.

1. SI tota divina Simplicitas non poteſt recipi in uno Patre, in uno Filio, in uno Sancto Spiritu, convenit eſſe duos Patres vel plures, & ſic de aliis; & ideo ſequeretur, quòd in DEO eſſent duæ vel plures Eſſentiæ & bonitates &c.; & hoc eſt impoſſibile: vel ſi ſimplicitas poteſt recipi in paucioribus, quàm tribus Suppoſitis, ipſa poteſt diſconvenire vel Patri, vel Filio, vel Sancto Spiritui; & ſic eſſet contrarietas inter æternitatem, juſtitiam, ſimplicitatem, magnitudinem, perfectionem &c.; quia ita bene poſſunt convenire Patri, ſicut Filio & Sancto Spiritui, & è converſo; & ſimplicitas poſſet eſſe major magnitudine, æternitate &c.; & hoc eſt impoſſibile: ergò in DEO eſt Trinitas.

5. Sanctus Spiritus, qui à Patre & Filio procedit, non eſt compoſitus, quamvis de illis procedat; & hoc eſt, quia Pater & Filius ſunt infinita & æterna bonitas &c. habens infinitè & æternaliter bonificare &c.; & ideo non poteſt in illo eſſe compoſitio, quæ non poteſt eſſe ſinè quantitate, finitate & ceſſatione alicujus operis in tempore exiſtentis: quia tam magna eſt ſimplicitas, quæ eſt in Patre & Filio per totam magnitudinem & æterni-

tatem bonitatis &c., quòd, ſicut durationi, quæ non habet principium & finem, nihil eſt prius & poſterius, & ſicut infinitæ magnitudini nec dextrorſum nec ſiniſtrorſum, nec antrorſum nec retrorſum, nec ſurſum nec deorſum eſt aliquid, ita in Sancto Spiritu non poteſt eſſe nec tempus, nec locus, nec motus, nec multiplicatio, nec accidens.

De Nobilitate & Trinitate.

1. NObilitas eſt tanta in divino generare, naſci & procedere, ſi in illis eſt bonitas & bonificare, & magnitudo & magnificare, æternitas & æternificare, & ſic de aliis, quòd nullus quartus nec quintus numerus nec ulterior eis conveniat, qui per imperfectionem generandi, naſcendi & procedendi & bonificandi &c. illis conveniret; & hoc eſt manifeſtum humanæ rationi: ergò in divina nobilitate eſſet vilitas, eſſe quartum vel quintum numerum, vel ulteriorem; quæ vilitas eſt impoſſibilis.

2. Omnis nobilitas, quæ convenit creaturis, convenit Creatori, excepto tamen, quòd illa nobilitas nullam imperfectionem habeat; & quia nobilior & major in dignitate & magìs uſitatus numerus, qui ſit in creaturis, eſt numerus unius in tribus & trium in uno per ſubſtantiam & per diſtinctionem & per nobiliores & principaliores partes, ſicut una arbor eſt una ſubſtantia habens materiam & formam & conjunctionem, & ſic de aliis rebus, ideo convenit, quòd in DEO ſit nobilior numerus, qui ſit in creaturis, DEO exiſtente uno per Eſſentiam, & ejus Unitate exiſtente in Trinitate Suppoſitorum; quia ſi in DEO non eſſet talis numerus, ſapientia, juſtitia & largitas illius non poſuiſſent majorem nobilitatem numeri in creaturis per Unitatem ſubſtantiæ &c.

3. Vilitas eſſet Patri in Divinis, ſi ipſe non ſufficeret eſſe unus Pater, ſicut eſt vilitas Regi, qui per ſe ſolum non ſufficit ad regendum ſuum regnum; & hoc idem ſequeretur in Filio & Sancto Spiritu: unde ſi Sanctus Spiritus non eſſet in Patre & Filio, eſſet vilitas procedere infinitè & æternaliter ex infinito & æterno in bonitate & bonificare &c.; & hoc eſt impoſſibile: ergò de neceſſitate convenit, in DEO eſſe Trinitatem.

Explicit ſecunda Diſtinctio (benedictus ſit DEUS) in qua per ordinem probavimus tres Articulos Catholicæ Fidei, probando Pluralitatem & Paternitatem & Filiationem & Proceſſionem & Æqualitatem, & probando, numerum Trinitatis eſſe in illo, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum ſupremus DEUS. Amen.

INCIPIT TERTIA DISTINCTIO, QUÆ EST De Creatione Mundi.

1. DEUS eſt Creator cœli & terræ & omnium rerum, nos autem cum ejus gratiâ & benedictione intendimus probare cum *quatuordecim divinis Dignitatibus*, mundum de novo eſſe creatum, hoc eſt, habuiſſe principium, quæ Dignitates ſunt hæ: ſcilicet *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Poteſtas*, *Sapientia*, *Amor*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Juſtitia*, *Largitas*, *Simplicitas* & *Nobilitas*.

2. „ Ad probandum, mundum de novo „ eſſe creatum, convenit ſequi Artem & Mo„ dum, quem in prima Diſtinctione ſecuti „ ſumus, ubi probavimus, DEUM eſſe; & „ convenit ſequi ſecundum Modum ſecun„ dæ Diſtinctionis, ubi (ſecundùm quòd „ fragilitas humani intellectûs poteſt appre„ hendere) datur Doctrina de illo pretioſo „ Opere, quod DEUS habet intrinſecè in ſe ipſo; *ſub hoc autem Opere intrinſeco, quod DEUS habet in ſe & in ſua Natura & Eſſentia, conditionamus hanc inveſtigationem, quam facimus in inquirendo Creationem totius mundi*; & idcirco oriuntur *tres Conditiones* in inveſtigatione hujus facienda. *Prima Conditio* eſt, Opus extrinſecum, quod DEUS habet tanquam cauſa creando mundum, qui eſt ejus effectus, non eſſe contra divinum Opus intrinſecum, quod DEUS habet in ſe ipſo, ſed ſit exemplum & repreſentatio ad dandam humanæ rationi notitiam & devotionem, quomodo Opus intrinſecum cognoſcatur & ametur ab hominibus; cùm finalis intentio, quare homo eſt creatus, & quare poſt reſurrectionem habebit durationem, ſit DEUM cognoſcere & amare per Eſſentiam & per Opus. *Secunda Conditio* eſt, quòd ſubſtantia mundi habeat majorem virtutem & nobilitatem, ſi mundus de novo eſt creatus, quàm ſi eſt æternus vel factus ex aliqua materia æterna; ſed quia in nobilitate & bonitate effectûs demonſtratur nobilitas & bonitas cauſæ, idcirco affirmandum eſt omne id, per quod effectus habet majorem perfectionem & nobilitatem, mundo exiſtente nobiliori & meliori, ſi eſt creatus, quàm ſi eſt æternus, ſecundùm quòd in ſequentibus rationibus apparebit. *Tertia & ultima Conditio* eſt, quòd opus mundi ſit nobilius, ſi habuit principium, quàm ſi non habuiſſet principium; & hoc idem ſequitur de fine, videlicet, quòd Opus naturæ habeat finem; quia ſi non habuiſſet principium, ipſa eſſet ſinè fine: igitur per has tres conditiones potiſſimè diſcurrit hæc Diſtinctio, per quam nitimur toto poſſe ad probandum Creationem Mundi, ut falſæ opiniones & imaginationes quorundam erroneè opinantium, mundum non eſſe creatum, nec habuiſſe principium, revocentur in viam veritatis; quæ falſæ opiniones à multis hominibus ſeparant cognitionem & devotionem & amorem.

De Bonitate & Creatione.

1. BOnitas in ſua magnitudine bonificat ſuum bonificatum æternaliter & infinitè, habens in ſuo bonificare & in ſuo bonificato omnem nobilitatem & omnem perfectionem; quod non eſt neceſſè probare in hac Diſtinctione, cùm jam ſit probatum *in ſecunda Diſtinctione*; & quia bonitas habet in ſuo bonificare & bonificato omnem magnitudinem, quæ illi convenit, idcirco non indiget, quòd per opus extrinſecum multiplicet ſuam magnitudinem in ſuo magnificare: unde ſi mundus eſt ſinè principio in 4. duratione, ut in ſuo effectu bonitas æternificet ſuum bonificare, convenit, quòd bonitas magnificet illud bonum ſui effectûs in magnitudine infinitè, cùm bonitas ſit æqualis ſuæmet magnitudini & ſuæmet æternitati per Eſſentiam, juſtitiam & amorem; ſed hæc æqualitas non poteſt eſſe, ſuppoſito, quòd mundus ſit æternus; quia bonitas haberet majorem æqualitatem cum æternitate, quàm cum infinita magnitudine, bonitate æternificante ſuum bonificare in ſuo effectu, & limitante illud in quantitate, intra quam mundus eſt terminatus in menſuratione: & quia eſt impoſſibile, quòd bonitas habeat majorem concordantiam cum æternitate, quàm cum magnitudine, ergò creatio mundi eſt demonſtrabilis.

2. Si in Æternitate bonitas diligeret mundum bonificare, ut ſuus effectus inde eſſet major in duratione, bonitas diligens in ſuo effectu majorem durationem aſſimilaret ſuum effectum ſuo bonificare, quod habet intrinſecè in ſe ipſa; & in uno momento, uno inſtanti eſſent omnia mundi ſinè ſucceſſione & ſinè prioritate & poſterioritate, & bonitas eſſet major mundo per naturam, & per durationem eſſet illi æqualis in æternitate; & hoc eſt impoſſibile: quia ſicut convenit, mundum eſſe per bonitatem, ita convenit, eum eſſe principiatum per æternitatem, quæ in juſtitia habet naturam tribuendi principium omni illi, quod non eſt ex ſua entitate; quia ſi ſinè principio æternificaret extrinſecè, faceret injuriam æternificationi intrinſecæ, quam habet in ſe ipſa, quæ injuria contradiceret bonitati; & hæc contradictio eſt impoſſibilis: ergò mundus habet principium.

3. Poteſtas divina non contradicit ſuæmet bonitati; nam omne, quod bonitas bonificat in ſe & in mundo, bonificat cum ſuamet poteſtate, cum qua ipſa eſt eadem Eſſentia, ſecundùm quòd probavimus in multis locis hujus Libri; & idcirco ſi mundus eſt æternus, ipſe eſt æternus per poteſtatem divinam, quæ contradicit bonitati, poteſtate tribuente æqualem durationem in æternitate malo, corruptioni, motui, tempori, vitio & peccato, quæ diſconveniunt bonitati & æternitati, & conveniunt & aſſimilantur privationi; ſed quia eſt impoſſibile, quòd divina poteſtas contradicat ſuæmet bonitati, ergò eſt impoſſibile, mundum eſſe ſinè principio.

In Sapientia divina eſſet privatio bonitatis, ſi mundus eſſet ſinè principio; quia ſi mundus & ejus opus eſſet æternum, reverteretur quodlibet individuum cujuslibet ſpeciei in ſuo numero, & quodlibet ſe multiplicaret in infinitum numerum ſinè primo & ultimo, nec aliqua unitas eſſet principium numeri naturalis, nec divina Sapientia poſſet ſcire numerum individuorum ſpecierum; cùm antè & poſt in numero proceſſiſſet multiplicatio inconſiderabiliter in infinitum: & quia ignorantia, quam DEUS haberet in

numero, esset malitia in divina bonitate, quæ est eadem Essentia cum sapientia, nec illa malitia nec etiam alia possit esse in divina bonitate, ergò mundus habet principium.

5. Amor divinus diligit suum amare, quod amare divina bonitas habet in suo bonificare intrinsecè & extrinsecè, & amor habet illud bonificare intrinsecè & extrinsecè in suo amare; & quia amor & bonitas sunt eadem Essentia per amare & per bonificare intrinsecum, & illud amare & bonificare, quod habent extrinsecè, bonitate & amore existentibus causâ, & mundo effectu, non est amare nec bonificare, per quæ bonitas & amor sint eadem Essentia; & idcirco amor multò fortiùs diligit bonificare intrinsecum, quàm extrinsecum; & propter majorem amorem vult justitia, quòd bonificare extrinsecum habeat principium, ut bonificare intrinsecum & amare intrinsecum sit prius ipso bonificare & amare extrinseco in duratione, quæ convenit cum æternitate: & licèt per supradictam rationem conveniat, mundum habere principium, non tamen propter hoc tardat amor ad diligendum suum effectum, cùm perpetuò eum faciat durare; nam ubi non est privatio durationis, non potest esse tardatio: unde si amor tardaret ad diligendum suum effectum, eò quòd illi dedit principium, non tardaret ad diligendum ipsum, si illum diligeret sinè principio; sed tamen tardaret ad diligendum illum sinè perfectione: quia si mundus esset æternus, ipse esset cum imperfectione, cùm sequeretur imperfectio amoris & bonitatis, secundùm quòd suprà dictum est; quam imperfectionem causæ convenit esse imperfectionem in effectu; & sic amor diligeret imperfectionem in Essentia bonitatis & sui effectûs; & hoc est impossibile: ergò mundus de novo est creatus.

6. Virtus divina est eadem natura cum bonitate; sed quia mundus est de aliena natura & entitate, quàm sit natura & bonitas & virtus divina, ideo sub una eadem virtute, bonitate & natura sunt duo opera distincta in natura & in essentia, & in bonitate & virtute, quorum unum est naturale bonitati & virtuti divinæ, aliud verò artificiale & accidentale, scilicet effectus bonitatis & virtutis: unde sicut ignis cum eadem natura dissolvit ceram, & calefacit tegulam, & comburit ligna, ita divina virtus cum eadem natura bonificat in se uno modo, & altero modo in suo effectu; & habet in se majus bonificare bonitatis, quàm in suo effectu, qui non potest recipere tantam virtutem, quantam ipsum bonificare bonitatis; quia si mundus esset æternus, ipse reciperet tantam virtutem ex bonificare bonitatis, quantam potest recipere ipsum bonificare ex bonitate in æternitate; in qua æternitate virtus divina in duratione non diversificaret bonificare intrinsecum bonitatis ab extrinseco bonificare bonitatis; & proprietas ignis conveniret cum majori virtute in suo effectu, tribuendo cuilibet suo operi id, quod illi convenit, quàm divina bonitas, in qua esset malitia, si ignis, qui est ejus effectus, illam excederet in virtute: ergò mundus habet principium.

7. Veritas divina verificaret suum bonificare ita perpetuè per effectum, sicut per suam infinitatem & per suam Essentiam, si mundus esset æternus, & falsificaret bonitati suum bonificare æternum; quia, si mundus est æternus, effectus esset naturalis suæ causæ; & prima Causa, quæ de tota sua Natura verificat bonificare bonitatis, verificaret substantiam mundi ex natura & essentia ipsius bonificare bonitatis; quod verificare falsificaret divinam bonitatem, mundo existente subjecto falsitati & falsificationi, & ipso existente in majori imperfectione, si est æternus, & in minori imperfectione, si habet principium; quia si est sinè principio, est in ipso majus falsificare falsitatis, quàm verificare veritatis, non producente divinâ bonitate in mundo tantam perfectionem, quanta sunt imperfectio & falsitas, quæ sequerentur, si mundus non haberet principium; & hoc manifestè apparet in humana consideratione: ergò mundus de novo est creatus.

8. Gloria divina habet in se glorificationem specificatam intrinsecè; quia si illam non haberet, bonificare bonitatis non haberet perfectionem in gloria sinè specificato glorioso, si bonitas non haberet glorificare in suo bonificare; sed bonitas habet in suo bonificare ipsum glorificare gloriæ specificatæ; & idcirco Anima rationalis est effectus primæ Causæ, ut Anima fruatur specificatâ gloriâ æternaliter sinè fine: unde si mundus esset æternus, & non haberet principium, conveniret, quòd omnis Anima infinitè reverteretur in numero corporum, moriente quolibet eorum infinitè in numero, ita, ut in uno tempore morerentur, & in altero viverent; & esset possibile, quòd homo, qui justus moreretur, reverteretur justus, & morereturinjustus, & è converso; & sic esset impossibile, quòd divina gloria glorificaret ullam Animam spiritualiter in duratione sinè fine: quæ impossibilitas esset contra justitiam & bonitatem contradicentes gloriæ; quæ contrarietas est impossibilis: ergò mundus habet principium.

9. Perfectio & bonitas DEI sunt eadem Essentia; & ideo bonificare bonitatis contradicit imperfectioni, & perficere perfectionis contradicit malitiæ: unde si mundus est æternus, convenit, perfectionem tempore non esse priorem imperfectione, nec bonitatem malitiâ; nec bonitas contradiceret imperfectioni, nec perfectio malitiæ; sed effectus æternaliter moveretur ad perfectionem & bonitatem, & nunquam haberet eas, ipso existente subjecto imperfectioni & malo: & quia perfectio, bonitas & esse conveniunt, & imperfectio, malitia & privatio, igitur mundus de novo est creatus.

10. In Justitia divina bonitas habet tantam nobilitatem, quòd justitia non tantùm velit, quòd ens, quod est effectus, sit subjectum ipsi bonificare bonitatis, sed etiam velit, quòd non ens sit ei subjectum, ut de non ente, quod est nihil, bonitas possit bonificando producere ens creatum ex nihilo: unde si justitia contradiceret huic productioni novæ creationis, contradiceret magnitudini ipsius bonificare bonitatis; in quo bonificare ipsa contradiceret magnitudini potestatis & magnitudini sui ipsius, quæ est eadem cum bonitate & potestate; & quia hæc contrarietas est impossibilis, ideo mundus de necessitate habet principium, & per consequens non est æternus.

11. In Largitate, quam DEUS habet in se ipso intrinsecè, est tantum bonificare bonitatis, quòd largificare largitatis infinitè & æternaliter largiatur omni illi, quod convenit ipsi bonificare per infinitam magnitudinem, æternitatem &c.; & ideo suo effectui, qui est mundus, largitur largitas principium & tempus, ut divina bonitas priùs producat bonum creatum, quàm illud malum, quod est ad puniendum culpam; & si mundus esset sinè principio, æqualiter esset in tempore & in productione bonum, quod est effectus bonitatis, quæ est causa, & illud malum, quod est effectus ad puniendum malum culpæ; quod malum culpæ est contra causam, quod etiam esset ita æternum, sicut bonum, quod est effectus: & quia hoc est contra largitatem, bonitatem, amorem, potestatem, nobilitatem, sapientiam & justitiam, si mundus esset sinè principio, ergò mundus de novo est creatus.

12. Simpliciter omne non ens fieret ens, si mundus esset sinè principio, & reverteretur in non ens per imperfectionem alicujus entis, aut per differentiam unius entis & alterius, sicut supposita, quæ ex non ente deveniunt in ens per generationem, & habent inclinationem ad privationem per corruptionem: sicut homo, qui non est asinus, fieret asinus, & è converso; & veritas, quæ non est falsitas, fieret falsitas, & è converso; & virtutes, quæ non sunt vitia, fierent vitia, & è converso, & sic de omnibus aliis: & quia in speciebus sic existeret omne non ens, si mundus esset æternus, & quælibet specierum participaret cum ente, & sinè ente nihil esset, & simpliciter omne non ens disconveniret cum omni ente, igitur de necessitate convenit, quòd hoc, per quod ens meliùs convenit cum majori simplicitate contra non ens, sit in bonificare, quod causa habet in suo effectu, ut meliùs significetur id, quod est non ens; quod non ens est magis simplex (ut ita loquamur) eò quòd non participat cum ente, quàm illud non ens, quod habet aliquam participationem cum ente: ergò mundus habet principium.

13. In Nobilitate divina demonstratur, quòd, si mundus esset sinè principio, esset innaturale substantiæ mundi devenire in privationem; quia si esset sinè principio, hoc esset propter nobilitatem divinam, quæ est in bonificare bonitatis; & in nobilitate esset vilitas ipsius bonificare bonitatis; nam in privatione suæ causæ mundus haberet possibilitatem deveniendi in privationem: & quia substantia mundi in suis partibus habet aliquam inclinationem ad non esse in individuis specierum inclinantibus se ad privationem, ipsis speciebus non habentibus perfectionem in nobilitate, nec in bonitate: unde si mundus esset æternus, significaretur, quòd ejus causa haberet dependentiam ad aliquam privationem nobilitatis & durationis; quæ dependentia esset malum in bonificare bonitatis, quod in ipso est impossibile: unde non solùm per hanc rationem, sed per multas alias supradictas significat divina bonitas in sua magnitudine, æternitate, potestate &c., mundum habuisse principium, & esse de novo creatum.

De Magnitudine & Creatione.

1. NUllus defectus Magnitudinis est in bonitate DEI; & quia potentia habet concordantiam cum minoritate, actus verò cum majoritate, ideo de necessitate convenit, quòd bonitas, quæ convenit cum majoritate, bonificet æternaliter in magnitudine purum actum, in quo nulla sit potentia: unde si mundus est sinè principio, ut in DEO non sit potentia, in bonitate DEI aliquæ partes mundi non essent in potentia, quæ successivè deveniunt in potentiam per generationem, corruptionem, motum, tempus &c.; & hoc est contradictio, & contra bonificare bonitatis, quod habet in magnitudine puri actûs; per quem actum bonitas in tanta magnitudine multiplicaret suum effectum, ut non esset in potentia, nec ullæ partes mundi essent in potentia; & hoc est impossibile: ergò mundus est de novo creatus.

2. Si mundus esset in æternitate sinè principio, ut effectus esset major, æternitas esset subjecta magnitudini effectûs, ut esset magnitudo in causa; & sic esset magnitudo effectûs necessaria magnitudini causæ; & hoc est impossibile: etiam si mundus esset sinè principio, sequeretur, quòd omnia entia æternaliter reverterentur in esse, quæ per corruptionem habent inclinationem ad privationem, ipsis revertentibus in infinita reversione, quolibet eorum in suomet numero, naturâ operante incessanter in æternitate sinè prioritate & posterioritate numeri entium revertentium; & sequeretur, quòd quodlibet moveretur per corruptionem & generationem per totam primam materiam & per omnes formas & species; & ita causa esset minor in suo effectu per justitiam, perfectionem, amorem, virtutem, veritatem & gloriam, & effectus esset major per æternitatem, & minor per omnes dignitates; & hoc est contradictio & impossibile: ergò mundus est de novo creatus.

3. In divina Potestate est perfectio, magnitudo &c.; & ideo creata, quæ sunt in potentia in divina potestate, ita sunt in potestate per modum possificandi, sicut sunt in divina sapientia per modum sciendi, & in divino amore per modum diligendi, & in divina perfectione per modum perficiendi: unde si mundus esset æternus, eò quòd ejus substantia absolutè est incorruptibilis & ingenerabilis, & quia substantia cœli non est ex contrariis, sequeretur, quòd mundus non esset sub potestate; quia destructio & annihilatio mundi non essent in potentia in potestate; cùm sapientia sciret, & voluntas diligeret, & perfectio perficeret in illo esse sinè contrarietate generationis & corruptionis; & sic scire, velle & perficere essent contra magnitudinem potestatis; quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd potestas DEI possit privare mundum, licèt ipse universaliter sit ingenerabilis & incorruptibilis, & licèt in substantia cœli non sint contraria: & si potestas illum potest privare, per consequens sequitur, mundum de novo esse creatum; quia si esset æternus, possibile conveniret cum minoritate & injuria, & esset contra naturam æternam; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

4. Si Sapientia sciens mundum æternaliter, est causa, quòd mundus sit æternus, omnes partes mundi sunt æternæ, & omnes sunt in eodem puncto, in eodem tempore; & sic filius est tam citò, sicut mater, nec arbor est prior suis floribus, nec flores sunt priores fructibus; & sic generatio & corruptio sunt nihil; & hæc omnia ita essent, sicut jam dictum est, supposito, quòd mundus sit æternus, sapientiâ existente causâ mundo, sciendo illum æternum; quæ sapientia ita perfectè scit æternaliter filium, sicut matrem, & sic de aliis: sed quia in mundo quædam successivè veniunt post alia, igitur manifestum est, mundum habere principium; quia si esset æternus, sequeretur, quòd sapientia sciendo æqualiter omnia esset causa & non causa, & quòd haberet magnitudinem & parvitatem virtutis, perfectionis & justitiæ; & hoc est contradictio: ergò mundus de novo est creatus.

5. Amor & magnitudo in DEO sunt eadem Essentia; & quia amor magnitudinis est æternaliter, æternaliter diligit mundum; & si ipse æternaliter est causa mundo, quia illum æternaliter diligit, mundus est sinè principio, nec amor vult, quòd mundus habeat principium; in quo non velle amor est contrarius suæmet magnitudini; nam quantò meliùs amor per naturam convenit cum suo amore, amando se æternaliter, quàm amando se causam, tantum injuriatur suæ magnitudini & nobilitati, bonitati &c., si diligit, mundum in æternitate esse ita durabilem, sicut est ipsemet: ergò mundus habet principium.

Virtus

6. Virtus procedit à creata substantia, & idcirco accidentia procedunt à substantia, ut substantia sit in esse, & habeat suum opus: unde sicut substantia non posset esse, nisi procederet à virtute, & nisi in illa esset generatio accidentium nascentium in virtute substantiæ & intra substantiam, sicut quantitas, qualitas, locus &c., ita nec mundus posset esse æternus, si ex ipso non procederent accidentia, quæ sibi conveniunt, videlicet principium, tempus, motus, quantitas &c.; & ideo, si mundus esset æternus, non haberet principium, & principia procederent in suas partes sinè virtute generalis principii; & sic principia partium mundi essent innaturalia & sinè universali principio virtutis; quod est impossibile, ut effectus inde sit cum majori magnitudine virtutis, & ut causa in suo opere magìs manifestè demonstret magnitudinem virtutis: ergò mundus est creatus.

7. Veritas non contradicit suæ magnitudini; quia si contradiceret, sequeretur, quòd fortiùs contradiceret parvitati falsitatis, quàm magnitudini falsitatis; quod est impossibile, ad hoc, ut omne id sit in falsitate, per quod divina veritas contradiceret suæ magnitudini; cui magnitudini contradiceretur à veritate, si mundus esset æternus, majore falsitate existente in mundo, si est æternus, & minore existente in illo, si habuit principium: quia si mundus est æternus, omnia entia rationalia & mortalia possunt æternaliter subjici falsitati, revertente quolibet eorum in infinito numero, ût suprà dictum est; in quo numero infinito falsitas posset durare sinè principio & sinè fine: sed si mundus habet principium, tunc veritas est permanens æternaliter; nec erit subjectum, in quod revertatur falsitas, propter perfectionē, quæ devenit in effectum veritatis: ergò mundus habet principium.

8. Gloria habet majorem concordantiam cum majori esse, quàm cum minori, eò quòd idem est cum magnitudine: unde cùm parvitas non sit de essentia nec de natura gloriæ, cum qua infinita magnitudo est eadem natura, si mundus esset sinè principio, sequeretur, quòd gloria haberet majorem concordantiam cum minori esse in suo effectu, quàm cum majori; nam in privatione principii mundi esset in effectu magìs proprium non esse, quàm esse, existente æternaliter transmutatione de esse in non esse, & è converso; & omne ens esset in tempore existens in esse, & duobus modis esset in non esse, veniens de non esse per generationem, & revertens ad non esse per corruptionem: si autem mundus habet principium, & opus naturæ devenit in cessationem, omnia corpora erunt glorificata, & sol & luna & quodlibet elementorum; nec deinde erit corruptio nec operatio naturalis; & esse excedit magnitudinem ipsius non esse: & quia gloria non contradicit magnitudini sui effectûs, ergò mundus habet principium.

9. Perfectio fortiùs convenit cum magnitudine per causam, quàm per effectum; & ideo justitia vult, quòd DEUS, qui est infinita magnitudo, sit causa, & mundus sit effectus; & ideo perfectio non contradicit magnitudini causæ, nec magnitudo causæ contradicit magnitudini sui effectûs; cui magnitudini causæ & effectûs contradiceret divina perfectio, si mundus esset sinè principio; quia si mundus esset sinè principio, esset in effectu plus imperfectionis, quàm perfectionis; & imperfectio esset sinè principio & sinè fine, & moveret se ad perfectionem, nec ullo tempore perfectio inveniretur in effectu, imperfectione existente æternaliter in effectu per generationem & corruptionem.

10. Justitia justificat, quòd causa conveniat cum majoritate, & effectus cum minoritate; si verò majoritas esset tantùm in bonitate, aut in potestate, aut in aliqua dignitatum, & non in æternitate, in illa majoritate esset minoritas magnitudinis; contra quam majoritatem esset justitia, si mundus esset sinè principio, ut non esset vacuum, & ut *nunc* non privaretur in principio, nec in fine, nec influentiâ successivè, sed ut natura causæ in dignitate esset prior mundo in duratione, & sic de aliis similibus istis; quia justitia, quæ est eadem natura cum magnitudine, potestate &c., potest creare plenum, ut non sit vacuum, & potest creare tempus, existente *nunc* in principio & in fine, & potest creare in ipso nunc influentiam, quæ influat successivè; potest etiam creare durationem, quæ habeat principium sinè fine; & omni suprадictæ creationi potest justitia dare principium, quod potest creare, & quod convenit ab ipsa creari, ut ipsa non sit contra magnitudinem sui ipsius & bonitatis &c., ipsâ diligente, se esse causam mundo: ergò mundus de novo est creatus.

11. Largitas plùs potest producere esse de non esse, creando principium, quàm si principium nihil esset; quia si non, sequeretur, quòd principium nihil esset realiter; & sic tem-

tempus, motus & quantitas non essent realiter in substantia per influentiam universalium principiorum; & hoc est impossibile, ne universalia principia destruantur: & quia principium multiplicat esse in substantia, substantia, quæ est effectus, est major per principium, quàm si principium nihil esset; & propter ejus majoritatem est major influentia causæ in effectu, quàm sinè majoritate per principium multiplicata &c.; & cùm largitas non contradicat influentiæ suæ magnitudinis, *& naturaliter omnia particularia sint sub generalibus*, ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas est major in bonitate, magnitudine &c., quàm in causa & in suo effectu; quia in bonitate, magnitudine &c. est simplicitas per Unitatem Essentiæ & Naturæ, & inter causam & effectum est per modum relationis & per distinctionem Naturæ & Essentiæ; quoniam aliud est causa, & aliud est ejus effectus: unde cùm hoc ita sit, sicut convenit, causam esse principium suo effectui, ita convenit, effectum habere principium distinctum à principio, quod simpliciter convenit esse causam, sicut inter principians & principiatum; sub quo simplici principio, quod est prima causa, convenit esse simpliciter creatum purum principium, quod sit effectus; quia si hoc non esset ita, mundus esset sinè principio; & sic divina simplicitas contradiceret magnitudini principii in causa & effectu & in simplicitate; quod est impossibile: ergò mundus de novo est creatus.

13. Nobilitas & magnitudo habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate; & ideo convenit, quòd magnitudo creaverit principium mundi, & quòd magnitudo & nobilitas sit causale principium mundo, qui est creatura creata ex nihilo: si verò mundus est æternus, hoc est, sinè creato principio producto ex nihilo, eò quòd in principio causali est tota æternitas & tota magnitudo &c., effectus creatus tantum potest recipere de sua causa, quantum causa in illum potest influere; & hoc est impossibile, maximè quia esset vilitas nobilitatis, magnitudinis, simplicitatis, justitiæ & virtutis causæ; & ignis simplex esset nobilior in magnitudine & in virtute, quàm ejus causa, igne simplici existente in majori magnitudine, quàm suo effectu, qui non potest recipere totum ignem simplicem; quia si ipsum totum reciperet, tota simplicitas ignis intraret compositionem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, mundum noviter esse creatum.

De Æternitate & Creatione.

1. ÆTernitas & bonitas DEI habent æquales conditiones in magnitudine, potestate &c.; & ideo sequitur, quòd omne illud sit in falsitate, per quod bonitas disconvenit cum æternitate, & è converso; sed si mundus est æternus, bonitas & æternitas inter se non concordant; quia bonitas existens causa bono æterno deficit ad dandam perfectionem bono in duratione; cùm omnis homo, qui est melior effectus generabilis, sit corruptibilis & mortalis; & sic æternitas est contra bonitatem, eò quòd non ejicit omnem corruptionem ab effectu bonitatis, quia æternitas æternaliter de se ejicit quodlibet particulare bonum genitum, quod divina bonitas in eam influit: & quia hæc contrarietas est impossibilis, ideo convenit, mundum noviter esse creatum, bonitate & æternitate concordantibus, bonitate existente causâ ad durificandum hominem per omnia sæcula sinè fine; & hoc propter bonum gratiæ & justitiæ: ergò mundus noviter est creatus.

2. Magnitudo est id, per quod æternitas est magna, & æternitas est id, per quod magnitudo est æterna, & habent tantam convenientiam in his conditionibus, quòd conveniat, eas esse eandem Essentiam & Naturam in bonitate, potestate &c.: unde si mundus est æternus, & homo habet principium & finem, magnitudo bonitatis est contra magnitudinem æternitatis, & è converso; nam materia hominis sinè principio & sinè fine substans alicui formæ vel multis formis, quæ non sunt species hominis, & medium sunt itaque hoc, quod est æternum in homine, existente vivo per aliquod tempus, & non vivo æternaliter & sinè fine, cujus hominis existentia hoc modo esset imperfecta per suam causam; & hæc imperfectio est impossibilis ex parte causæ; quæ causa est æternitas, magnitudo &c.: ergò convenit, mundum habuisse principium, & hominem post resurrectionem habere durationem sinè fine.

3. Potestas divina, quæ convenit cum perfectione, justitia &c., non daret finem operi naturali, postquam opus & illius subjectum non habuissent principium; quia si illi daret finem, esset contra æternitatem, in quantum æternitas esset causa effectui æterno: & quia finis est perfectio operis, ergò non finis operis est imperfectio operis; & quia potestas non daret in æternitate operis perfectionem, quam potest dare, cùm potestas sit infinita & æterna, ideo convenit, quòd opus naturæ habeat finem, quem non haberet, si ipsum esset sinè principio; cùm sit impossibile, idem ens habere finem, quod nunquam habuit principium.

4. Sapientia divina scit omnia ab æterno, & sciendo suum effectum, est causa per suam virtutem, non tamen per virtutem effectûs; & ideo de necessitate convenit, quòd æterna virtus sapientiæ sit prior suo effectu, illâ virtute existente æternitate, sapientiâ &c., & effectu existente creato principio extra æternitatem, sapientiam &c., in quibus non potest esse principium, ut virtus sapientiæ sit prior effectu, tempore & principio secundùm bonitatem, justitiam & nobilitatem &c.: unde si mundus est sinè principio, ut divina sapientia sit causa æternitatis mundi, amor fortiùs diligit, divinam sapientiam esse æternam, quàm processum virtutis sapientiæ esse effectum; & quia virtus sapientiæ & amoris in simplicitate est eadem Essentia & Natura, & causa est distincta ab effectu, igitur secundùm justitiam convenit, quòd amor diligat, divinam virtutem esse priorem suo effectu; quia si mundus esset æternus, ut per causam & effectum sapientia non esset in æternitate in otio, sequeretur, quòd sapientia sciret in entitate & natura artificis majorem virtutem, quàm in se ipsa, ipso artifice existente priùs per speciem, quàm per artificium; & hoc est impossibile: ergò mundus de novo est creatus.

5. Amor æternaliter est amabilis in suo amare, & non timibilis; & ideo amare convenit cum æternitate, timere verò non: unde si mundus esset ab æterno, amabilitas & timibilitas æqualiter essent sinè tempore & sinè fine in æternitate; quod est inconveniens: ergò mundus habet principium: si verò amor non potest esse causa effectui, unde sequatur inconveniens, potest esse causa effectui, unde sequatur omne conveniens; quod omne absolutè sumptum esset in privatione contra nobilitatem æternitatis, si mundus esset sinè principio; sed quòd sequatur inconveniens, jam probatum est.

6. Virtus divina æternaliter haberet defectum, si mundus esset ab æterno, ut virtus æternitatis nullum haberet motum nec mutationem; quia mundus esset ab æterno propter indigentiam immobilitatis & immutabilitatis æternæ; & hoc est impossibile: ergò convenit, mundum habere principium, ut in ipso principio significet immobilitatem & immutationem æternam virtutis divinæ, quamvis sit causa noviter suo effectui.

7. Veritas divina est causa, mundus verò est effectus; unde si veritas verificaret, mundum æternaliter esse suum effectum, ut ipsa esset causa æterna, falsificaret æternitatem, coæquans opus extrinsecum operi intrinseco in æternitate, per quod opus extrinsecum ipsa est causa, & per quod opus intrinsecum ipsa est DEUS; & quia hoc est impossibile, ergò mundus habet principium: si verò veritas æternaliter est causa mundo, ut effectus sit major in æternitate, veritas deficit contra magnitudinem effectûs, in quantum non est causa effectui infinito & æterno: & si mundus est æternus, ut veritas priùs sit causa in A., quàm in B., & priùs in B., quàm in C., & sic in infinitum, veritas deficit, eò quòd non fecit mille mundos vel infinitos, & eò quòd non fecit incorruptibilia individua specierum &c.: ergò mundus est de novo creatus.

8. In Gloria divina est tam nobile opus intrinsecum æternitas æternificans in bonitate suum bonificare, & in magnitudine suum magnificare, & sic de aliis, secundùm quòd in *Secunda Distinctione* probavimus, quòd non conveniat, æternitatem æternaliter esse causam mundo; quia in intrinseco Opere DEI est tanta perfectio, quòd non conveniat, in extrinseco opere esse durationem, quæ careat principio: unde cùm hoc ita sit, est contra rationem affirmare, mundum esse æternum, ut DEUS non fuisset otiosus, & ut gloria non habuisset æternum gloriosum; qui æternus gloriosus omni otiositate carens non haberet perfectam gloriam, si æternaliter esset causa mundo, ut non esset otiosus; quia hoc modo non sufficeret illi suum opus intrinsecum, sed tali ratione esset causa mundo; & hæc ejus insufficientia esset corruptio & minoritas suæ gloriæ & æternitatis: ergò mundus habet principium.

9. Perfectio æternitatis est, omnes divinas Dignitates esse causam mundo; & ideo secundùm conditiones dignitatum convenit,

nit, æternitatem esse causam principio quantitatis, ut infinita & æterna magnitudo sit principium magnitudinis quantæ, & convenit, infinitam bonitatem esse principium bonitatis quantæ, & convenit, potestatem infinitam esse principium potestatis quantæ; & sic de aliis: & quia æternitas est tam perfecta, quàm aliæ dignitates, de necessitate convenit, eam esse principium durationis quantæ; quia si non esset, perfectio conveniret cum majoritate in bonitate, magnitudine &c., & cum minoritate in æternitate; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

10. Justitia est causa homini, homo verò est subjectus injuriæ; cui injuriæ homo injustus est causa per opus contrarium justitiæ: unde si mundus est æternus, humana species est æterna; & sic homo æternaliter est subjectus injuriæ, & in æternitate tantúm durabit effectus hominis, quantúm effectus DEI; & sic divina justitia est contra dignitatem sui effectûs, & contra dignitatem sive nobilitatem æternitatis, cui injuria æternaliter disconveniret, si mundus non haberet principium; sed quia est impossibile, divinam justitiam esse contra suum effectum & contra æternitatem, ideo convenit, mundum esse de novo creatum, ut in illius novitate homo priùs sit subjectus suæ causæ, quàm injuriæ, & operi, quod convenit cum injuria & privatione: ergò mundus est de novo creatus.

11. Largitas, quæ est causa mundo, non dat suo effectui aliquam naturam, quæ contradicat æternitati; & ideo ipsa non est causa alicui peccato seu vitio, quod sit in mundo; & ideo peccatum & vitium nullam similitudinem habent cum DEO; & cùm omnia in mundo diversa à vitiis & peccatis habeant aliquam similitudinem cum divinis dignitatibus (sicut homo, qui est bonus, magnus & durabilis, habens sapientiam, potestatem &c.) & hæc similitudo sit effectus largitatis, per hoc manifestum est, mundum non esse ab æterno; quia sequeretur, vitium & peccatum esse causam largitatis, ipsâ largitate dante suo effectui, videlicet mundo, majorem similitudinem æternitatis, quàm bonitatis, magnitudinis &c., quæ sunt ita purè & veraciter causa mundo, sicut æternitas: ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas divina habet in se virtutem & naturam habendi tam perfectam magnitudinem, quòd in se non possit multiplicari nec augmentari; quam virtutem & naturam habet per suum actum, qui est simplificare æternaliter & infinitè: & quia convenit, hoc ita esse secundùm actus omnium divinarum dignitatum, idcirco convenit, quòd in omni eo, quod non est de Natura DEI, nec de simplicitate ejus, æternitas possit aliquid diminuere & augmentare; si verò mundus est ab æterno, est impossibile, quòd æternitas, quæ simpliciter est DEUS, possit diminuere vel augmentare absolutè in mundo durationem, & simplicitas durationis mundi contra justitiam divinam rebellis est simplicitati divinæ, quæ illi est causa & perfectio; & in hac contrarietate deficit amor ad amandum, & potestas ad possificandum, & justitia ad justificandum simplificare simplicitatis in nobilitate DEI; & hic defectus est impossibilis: ergò creatio mundi est nova: quia sicut disconvenit, calorem ignis calefieri, & convenit, illum calefacere, ita & multò meliùs disconvenit divinæ simplicitati, durationem coæquari ulli alteri durationi, sed convenit, quòd ipsa det principium omni alteri simplicitati, quæ non est de sua essentia & natura.

13. Nobilitas æterna contradiceret æternæ nobilitati, si mundus esset ab æterno; quia nulla forma naturali appetitui objecta esset permanens, imò nobilitas, quæ est causa, esset æternaliter contra formam supradictam & contra naturalem appetitum, quod est impossibile, ne causa contradicat suo effectui nobilitatem: ergò creatio & resurrectio & glorificatio sunt demonstrabiles.

De Potestate & Creatione.

1. BOnitas divina est potestas, quæ est causa bono, quod est effectus; & idcirco majus malum, quod potestas, quæ est effectus, potest habere, est devenire in privationem; quia in privatione nullum est subjectum, in quo aliquod ens existat: & quia potestas, quæ est causa, est majus bonum, quàm omne aliud bonum, sequitur, quòd bonitas producat potestatem ex nihilo, ut removeat majus malum, quod creata potestas possit habere: unde si mundus esset ab æterno, est impossibile, illum esse vel fuisse in privatione, nec bonitas potuisset illum removisse à majori malo, nec conjungere cum majori bono, neque posset illum inclinare ad majus malum; & inde sequitur, quòd bonitas esset minor, quàm causa, per potestatem; per quam minoritatem ejus effectus esset minor in bonitate, magnitudine

dine potestatis; sed quia justitia, amor & sapientia, quæ est causa mundo cum perfectione bonitatis & magnitudinis, ordinarunt, quòd magnitudo potestatis sit in bonitate per causam & per effectum, igitur de necessitate convenit, mundum esse principiatum, ne sequantur supradicta inconvenientia.

2. Neque magnitudo neque parvitas potestatis potest esse in non ente, cùm per se sint subjectæ enti; quia si non ens haberet aliquam potestatem magnam vel parvam vel æqualem, ut per ipsam esset subjectum alicui enti, sic nihil esset aliquid; quod est contradictio: si verò potestas, quæ est causa, non potest esse tanta, quòd possit possificare in non ente, sequitur, illam esse terminatam in suo effectu, nec posse illum inclinare ad non ens; quia si effectum inclinaret ad non ens, ipso privato ab omni ente, transcenderet causalis potestas semet ipsam in suo effectu, & esset terminata & non terminans in eodem effectu; & hoc est contradictio & minoritas potestatis; quæ minoritas est impossibilis in potestate DEI: unde potestas DEI potest in non ente per suam naturam, non tamen per naturam ipsius non entis, nec per naturam effectûs, ut ipsa habeat perfectam magnitudinem causalem, in qua esset minoritas, si mundus esset ab æterno, eò quòd potestas DEI non uteretur non ente, producendo ex eo majus ens sui effectûs, videlicet mundum absolutè: ergò mundus est de novo creatus.

3. Æternitas & non ens sunt contraria in potestate magnitudinis, bonitatis &c.; quia potestas habet in æternitate omnem perfectionem in bonitate &c., & non ens nullam habet potestatem & nullam similitudinem bonitatis, magnitudinis &c.: unde si mundus est ab æterno, & habet aliquam proprietatem potestatis, ne sit in privatione, igitur in quantum habet illam proprietatem, est per se stans, & sic non est effectus; quod est impossibile, quia divina potestas tota est causa sinè parte: si autem mundus habet dependentiam ad non ens, & est ab æterno, habet illam dependentiam, in quantum effectus; & hoc est impossibile, ne effectus habeat dependentiam ad non ens per imperfectionem causæ: sed si mundus est principiatus & productus ex nihilo, tunc habet dependentiam ad privationem per suam propriam naturam, non tamen, quia est effectus, & per potestatem causæ est in esse, & devénit in esse, & per ipsam sustinetur; etiam æternitas per suum purum actum contrariatur non enti in bonitate, magnitudine &c., dans mundo esse principiatum & aliquam similitudinem, cui contradicit non ens, in quo nulla similitudo nec aliquod ens potest esse: ergò mundus habet principium.

4. Si Sapientia æternaliter posset scire se causam mundo, & propter tale scire mundus non posset esse principiatus, sequeretur, quòd prædictum posse & non posse essent contraria; nam in hoc, quòd sapientia se sciret æternaliter causam, convenit, eam non esse causam coactè suo effectui, actione conveniente cum causa, passione verò cum effectu; ipsa etiam non posset habere hanc actionem, si mundus non esset principiatus; quia non posse contradiceret ipsi posse causæ, & posse causæ, quod de necessitate est, destrueret supradictum non posse; & sic sequeretur contradictio, per quam sapientia sciret, mundum esse principiatum & non principiatum; quod est contradictio: ergò mundus habet principium.

5. Amor diligit, se esse causam, & diligit, se habere libertatem, ut possit habere potestatem, quæ possit principiasse mundum, vel eum privare; & quia amor diligit justitiam, propter hoc diligit, quòd justitia possit punire malum, & remunerare bonum, conservando mundum; & ideo amor diligit in se & in justitia potestatem: si verò mundus esset ab æterno, conveniret, quòd amor non diligeret potestatem, quæ mundo potest dare principium; quod non posset facere, si amor non diligeret, quòd mundus haberet principium, nec potestas posset mundo dare privationem, si amor in mundo diligeret actum justitiæ, & sic potestas in se ipsa & in justitia diligeretur ab amore, sed non à se ipsa; & hoc est contradictio, cùm amor, potestas & justitia sint idem: ergò mundus habet principium.

6. Virtus effectûs est per virtutem causæ; & idcirco virtus est nobilior in causa, quàm in effectu; igitur major est potestas in ente, quod est causa, quàm in ente, quod est effectus; & hæc major potestas scitur à sapientia, & diligitur ab amore, & justificatur à justitia; & ideo convenit, eam simplificari à simplicitate in majori nobilitate, quàm potestatem effectûs: unde si mundus esset ab æterno, potestas haberet in æternitate

tantam magnitudinem & æternitatem per effectum, quantam per causam; & hoc est impossibile: igitur non sequitur realiter contradictio, nisi solùm per rationem & imaginationem: ergò mundus habet principium.

7. Veritas de necessitate verificat in suamet entitate, non tamen de necessitate coacta, & in suo effectu verificat non de necessitate, sed per gratiam & bonitatem; & ideo potestas verificandi est magis necessaria in divina veritate, quàm in ejus effectu: unde si mundus esset ab æterno, ad hoc, ut potestas esset causa æterna, potestas esset in æternitate ita necessaria in verificare secundùm relationem causæ & effectûs, sicut secundùm unitatem veritatis & æternitatis in Unitate divinæ Naturæ; quod est contra justitiam, bonitatem &c.: ergò mundus habet principium.

8. Gloria est in DEO potestas, & è converso, & hoc æternaliter & infinitè, glorificante gloriâ cum sua potestate æternaliter, & possificante potestate cum suamet gloria æternaliter & infinitè: igitur si mundus esset æternus, sequeretur, quòd potestas æternificaret gloriam in suo effectu; in qua potestate deficeret magnitudo gloriæ, coæquans sibi ipsi imperfectam gloriam in æterna durationè; & hæc coæquatio esset contra justitiam, magnitudinem & nobilitatem, gloriâ contradicente potestati, & è converso, in æternitate, justitia, magnitudine & nobilitate cum coæquatione durationis Naturæ divinæ & mundi; & hæc contradictio est impossibilis: ergò mundus habet principium.

9. In perfecta forma est major potestas, quàm in imperfecta forma, & causa non potest operari in suo effectu sinè aliqua materia; & divina potestas, quæ est causa, est major in sua forma, quàm in suo effectu, quia operatur sinè materia in se ipsa; quia si in se ipsa non posset operari sinè materia, conveniret, quòd esset causa & effectus in se ipsa: & quia forma & perfectio insimul conveniunt, materia vero & imperfectio, idcirco divina potestas esset composita ex materia & forma, & æternaliter haberet imperfectionem, si in se haberet materiam: & si mundus esset ab æterno, ut esset materia suæ causæ, esset ab æterno, eò quòd divina potestas non operaretur in se ipsa, existente formâ sinè materia, & æternaliter esset necessaria divinæ perfectioni aliqua materia subjecta suæ formæ; & hoc est impossibile: igitur mundus non est ab æterno, ut sit materia operi divinæ formæ; nec convenit, mundum esse æternum, cùm potestas possit esse forma, & operari perfectè in se ipsa sinè omni materia.

10. Justitia potestatis est, quòd bonitas æterna debeat esse principium illi bono, quod est effectus; & justitia potestatis est, quòd magnitudo infinita & æterna sit causa effectui principiato; & hoc idem sequitur de potestate, quæ est in æternitate & sapientia &c.: unde si mundus est ab æterno, sequitur, quòd justitia & potestas DEI habeant inconvenientiam in æternitate mundi contra bonitatem, magnitudinem &c., quas convenit principiare mundum; quia justitia potestatis requirit, quòd infinita bonitas principiet mundum finitum; & convenit, quòd infinita magnitudo principiet magnum finitum; & convenit, quòd æternitas principiet principiatum; & hoc idem sequitur de omnibus dignitatibus divinis: ergò mundus habet principium.

11. Largitas potestatis potest tantò plùs influere in suum effectum de esse, quantò magis longinquè producit suum effectum; & quia major longinquitas, ex qua suus effectus producitur, est nihil, ideo convenit, quòd effectus sit creatus ex nihilo, ad hoc, ut à causa possit recipere majorem influentiam, & ut causa habeat majorem usum largitatis in effectu: & si mundus non fuit principiatus, est impossibile, quòd potestas possit illum producere extra terminos sui effectûs, nec ipsum privare extra terminos; quia ante tempus, ante limitationem & ante motum non est productio, nec privatio; & sequitur, quòd DEUS non esset pura causa tempori, nec motui, nec quantitati, si mundus est ab æterno, nec posset eum privare, & esset causa in parte, & non in toto; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas potestatis est, quòd sit sinè omni compositione, & potestas, quæ est causa, & potestas, quæ est effectus, facerent compositionem de æternitate existente causâ, & de æternitate existente effectu, si mundus esset ab æterno; quæ compositio esset ex æquali durationè; sed talis duratio est impossibilis, quia æterna simplicitas disconvenit cum omni compositione: & quoniam major simplicitas parvitatis nihil est, & major simplicitas magnitudinis est esse æternum & infinitum habens omnem perfectionem, idcirco potestas non potest esse causa æternaliter mundo, ad hoc, ut causa conveniat cum majori simplicitate potestatis in suo effectu, & effectus cum minori; quia si mundus esset æternus, causa & effectus non convenirent per majoritatem & minoritatem potestatis relativè; & potestas, quæ est causa, conveniret contra suam majoritatem cum minoritate simplicitatis in minori parvitate simplicitatis existentis in effectu; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

13. Nobilitas divinæ potestatis est, quòd in ipsa tantùm confidatur, ut potestas, quæ est effectus, confidat in potestate, quæ est causa: unde si mundus non esset principiatus, sequeretur, quòd confidendum esset in reverti iterum per potestatem naturæ, quæ esset causalis, faciens omnia reverti in suum statum; & hoc, si opus naturæ non esset principiatum nec finitum: & quia talis attributio potestatis naturæ esset contra nobilitatem divinæ potestatis, quæ est causa, ideo est impossibile, mundum esse ab æterno; quia sequeretur, quòd amor, justitia, perfectio & bonitas essent contra magnitudinem nobilitatis divinæ potestatis; & hoc est impossibile: ergò manifestum est in bonitate, magnitudine &c. potestatis, mundum non esse ab æterno.

De Sapientia & Creatione.

1. BOnitas divinæ Sapientiæ est in tanta magnitudine perfectionis, virtutis & nobilitatis, quòd sapientia intelligendo suam bonitatem magnificet in suo scire infinitè & æternaliter sinè multiplicatione sui ipsius & sui scire & suæ bonitatis &c.; & hoc convenit ita esse, ut magnificare sit in scire sapientiæ per magnitudinem & justitiam sinè multiplicatione: unde si mundus esset æternus, de necessitate sequeretur, quòd sapientia multiplicaret suum scire in bonificare bonitatis, quæ est causa mundo, cùm ipsa sit æterna, intelligente sapientiâ, bonificare esse æternum, cùm mundus sit æternaliter; in quo bonificare sapientia intelligeret duos distinctos actus æternos, uno intrinseco, & altero extrinseco, & multiplicaretur intrinsecus actus sapientiæ in altero actu, videlicet in extrinseco, cùm actus extrinsecus illi esset æqualis in durationè: unde cùm hæc multiplicatio esset malum divinæ sapientiæ, quod malum esset, si mundus esset æternus, igitur mundus habet principium.

2. Magnitudo divinæ sapientiæ non multiplicatur sciente sapientiâ suum effectum; quia sapientiæ sufficit magnitudo sui scire, quæ magnitudo est infinita & æterna existens cum suo scire una eadem Essentia & Natura: unde si mundus est ab æterno, generatio & corruptio sunt in motu & in tempore ab æterno, & quilibet punctus vel pars cujusque corporis generabilis & corruptibilis conjungitur cum omnibus aliis punctis vel partibus, qui vel quæ sunt in ordinali materia, & per diversa tempora & per diversos motus quisque punctus diversificat suam speciem, & omnes puncti revertuntur in partes, & omnes motus & momenta in similes species, & est æternaliter reversio omnium individuorum in eundem numerum; & si hoc ita est, mundus æternaliter assimilatur rotæ, quæ movetur in circuitu volvens circum circa se ea vasa, ex quibus procedit aqua hausta in puteo; quia unum vasorum toties potest numerari, quoties rota volvendo ea perficit circuitum; & sic divina sapientia multiplicaret infinitum numerum, si mundus esset ab æterno; & hæc multiplicatio esset minoritas sapientiæ, in qua esset ignorantia, & eadem multiplicatio esset minoritas ipsi magnificare, quod magnitudo habet in se intrinsecè, sapientiâ sciente se ipsam æternaliter & infinitè magnam in magnificare: & quia hæc supradicta multiplicatio est impossibilis, ergò mundus habet principium.

3. In Æternitate intelligit sapientia se ipsam existentem, intelligendo se ipsam æternaliter; in quo intelligere propriè non potest dici, *fuit* nec *erit*, sed solùm *est*; quia *fuit* & *erit* convenit omni illi, quod existit in tempore; & omne id, quod est, & quod non existit in tempore, convenit esse sinè principio præteriti & futuri; & hoc æternaliter & infinitè: unde si mundus est ab æterno, sequitur, quòd semper fuerit in præterito sinè principio, & quòd semper sit in præsenti & in futuro sinè fine; & hoc convenit illi ita esse, quia partes illius existunt in temporibus; sed si mundus est æternaliter & sinè tempore, & est in sua totalitate absolutè, impropriè dicitur, mundus fuit & erit, sed potiùs dicendum est, mundus est æternaliter: unde si hoc ita est, sequitur, quòd mundus sciatur à divina sapientia æqualis eidem sapientiæ in statu durationis,

& in partibus existat in tempore, quod disconvenit æternitati; & quia tale scire est inconveniens in divina sapientia secundùm nobilitatem bonitatis &c., ergò mundus habet principium.

4. In Potestate & scire divinæ sapientiæ esset contradictio, si mundus esset æternus; quia sapientia scit, quòd sua potestas naturaliter possit in suamet natura plùs possificare, quàm in mundo, qui per artificium est effectus potestatis; quia si mundus est æternus, potestas potest in duratione possificare tam artificialiter, quàm in se ipsa naturaliter; sed quia tale possificare non potest sciri à sapientia, eò quòd ipsa sciret & nesciret, & ipsa sciret tale possificare, si mundus esset æternus, ergò de necessitate convenit, mundum non esse æternum.

5. Amor divinus diligit, quòd sapientia sciendo se ipsam sit causa, & mundus effectus, & diligit sapientiam, quia ipsa est DEUS; & ideo amare amoris est majus in amando sapientiam existentem DEUM, quàm existentem causam; quia amare causam est minus amare, & amare DEUM est majus amare, ita, sicut mulier, quæ diligit esse mater, quia diligit suum filium, & plùs diligit se ipsam, quàm se esse matrem, cùm plùs diligat semet ipsam, quàm filium: unde cùm hoc ita sit, si amor diligit, mundum esse æternum, convenit eum esse æternum, ut in suo amare amor habeat perfectionem: & si mundus est æternus, amor ita æternaliter diligit ipsum scire sapientiæ existentis causæ, sicut existentis DEI; & hoc est impossibile & contra nobilitatem justitiæ, bonitatis & perfectionis ipsius amare amoris, & ipsius scire sapientiæ: per quam impossibilitatem manifestè demonstratur, mundum habuisse principium.

6. Virtus habet majorem concordantiam cum sapientia in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo divina virtus, quantò perfectius opus sapientia scit in mundo, tantò fortiùs per gratiam & influentiam se communicant in mundo, quàm in opere, in quo sapientia non scit tantum virtutis; & ideo aliquæ specierum sunt nobiliores, quàm aliæ, & aliqua individua sunt nobiliora, quàm alia: unde si mundus esset æternus, sapientia sciret majorem virtutem in individuis, in quibus conservantur species, & minorem in speciebus; & virtus daret majorem influentiam sui in species incorruptibiles, quàm in eorum individua corruptibilia, omnibus speciebus durantibus æternaliter, & earum individuis existentibus æternaliter in corruptione: & si hoc ita esset, sapientia sciret & nesciret majorem & minorem virtutem in omnibus rebus sui effectûs; quod scire & quod nescire sunt impossibilia: ergò mundus habet principium.

7. Veritas divina, quæ est voluntas, vellet, mundum esse æternum, si mundo secundùm justitiam disconveniret principium & finis temporis & motûs; & si illi disconvenit æternitas in principio & in fine, convenit, sapientiam scire principium & finem mundi, ut cum veritate ita fortiter conveniat, sicut voluntas: unde cùm hoc ita sit, convenit, mundum aut esse æternum, aut non æternum secundùm concordantiam veritatis & sapientiæ &c.; qui si est æternus, sapientia scit, quòd potestas, quæ est infinita, possit privare mundum, potestate existente causâ per dignitatem sui ipsius, & mundo existente effectu per imperfectam dignitatem sui ipsius; & amor non vult, quòd mundus privetur, si illi convenit æternitas: & sic divina potestas à divino amore diversificatur, & hoc sciret sapientia; quod scire est impossibile: nam convenit, omne id esse contra veritatem, per quod sequeretur diversitas inter potestatem & amorem &c. DEI: ergò mundus habet principium.

8. Gloriæ divinæ deficeret sapientia, nisi sapientia sciret gloriam magis durabilem, quàm suum effectum; & hoc nesciret sapientia, si mundus esset æternus, & hoc nescire esset passio gloriæ, quæ gloria convenit cum justitia, nobilitate, magnitudine & potestate; nec ipsum scire sufficeret sapientiæ, quæ sciret, mundum æternaliter durare per causam, & gloriam per æternitatem, & mundum per causam; itaq; convenit secundùm justitiam &c., quòd sapientia sciat gloriam esse priùs, quàm mundum: ergò mundus habet principium.

9. Sapientia non haberet Perfectionem, si sapientia non esset in perfectione; perfectio etiam non esset, si non esset in sapientia, sapientiâ & perfectione existentibus eâdem Essentiâ: unde si mundus est æternus, ejus æternitas est in divina sapientia & perfectione, DEO existente causâ, mundo verò effectu; & convenit, mundum esse perfectionem existentem in sapientia æternaternaliter, & in se ipsa realiter; cùm divinæ sapientiæ secundùm justitiam & nobilitatem conveniat, omne id esse supremam Perfectionem, quod in ea realiter & æternaliter existit; & hoc ita est secundùm nobilitatem, magnitudinem, virtutem, justitiam & simplicitatem sapientiæ: & ideo si mundus est ipsa perfectio, est causa, & 13. non effectus, & tamen impossibile est, ipsum esse causam, & non effectum: ergò mundus habet principium.

10. Justitia naturalis elementalis convertit aquam vino mixtam in colorem vini; & hoc ita est, quia vinum est coloratum, aqua verò est passiva ad recipiendum colorem totius hujus, quod cum ea est mixtum; & hanc passionem habet aqua, quia caret colore: unde per hanc similitudinem possumus considerare, an mundus sit effectus æternus, qui æternaliter à privatione & à nihilo sit remotus; si verò est principiatus, ipse secundùm suam propriam naturam est de nihilo, & secundùm se habet inclinationem ad privationem, & in divino scire convertitur de non esse in esse; cujus con- 1. versio non esset, si esset æternus, quâ æternitate color vini fortiùs comprehenderet aquam in colore, quàm virtus sapientiæ suum effectum, & mundus assimilaretur æqualitati, quam sapientia naturaliter & æternaliter habet in suo scire: ergò mundus habet principium.

11. Si largitas æternaliter largificaret esse mundo, eò quòd sapientia æternaliter scit omnia, ipsa largificaret contra sapientiam, coæquando illi similitudinem durationis in æternitate; si verò largitas æternificaret mundum in largificando, eò quòd sapientia illum scit, largitas injuriaretur magnitudini sapientiæ, quæ esset minor in suo scire, sciendo, esse æternaliter ea, quæ sunt de sua natura, & ea, quæ non sunt de sua natura, ergò mundus habet principium.

12. Sapientia simpliciter intelligit, se esse DEUM, & per magnitudinem, bonitatem & suam nobilitatem convenit de necessitate, quòd non intelligat, aliam sapientiam esse DEUM: unde sicut convenit, hanc simplicitatem esse infinitam & æternam, habendo absolutè omnem perfectionem, ita convenit de necessitate, quòd sapientia simpliciter se intelligat æternam, non tamen aliquod ens esse æternum distinctum à sua natura; igitur mundus non est æternus, quia sapientia posset intelligere DEUM æternum, qui esset effectus & non causa, sic.

ut posset intelligere, mundum esse æternum & effectum; & esset ita possibile, quòd unus DEUS esset effectus alterius, sicut quòd unus æternus esset ab altero æterno; & hoc est impossibile: cùm æternitas ita simpliciter conveniat cum sapientia, sicut DEUS, qui est ipsa sapientia.

Amor fortiùs diligit Nobilitatem, magnitudinem & justitiam in divina sapientia, quàm in mundo; & ideo amor vult, quòd sapientia sciat, semet ipsam priùs esse in realitate, quàm mundum; & hæc prioritas est æternitas secundùm relationem sapientiæ, & est creatio secundùm mundum; quæ prioritas nihil esset in tempore, si mundus esset æternus; & amor deficeret in diligendo ipsum intelligere sapientiæ, & sapientia haberet defectum in suo intelligere, qui defectus æternaliter esset contrarius magnitudini nobilitatis; & hæc contrarietas est impossibilis: ergò mundus habet principium.

De Amore & Creatione.

BOnum principale & finale mundi esset in speciebus & in elementis, si mundus esset æternus, & amor diligeret contra justitiam illud bonum; cùm bonum sit majus & principalius in individuis, quàm in specie; sicut homo, qui est nobilius & principalius bonum, quàm humana species intellecta in abstracto, & homo est nobilius bonum, quàm substantia cœli, & quàm elementa: & quia omnis homo inclinaretur ad privationem sinè reversione statûs incorruptibilis, si mundus esset æternus, & homo est principalius bonum & causa finalis substantiæ cœli & elementorum, nec amor posset nec debeat plùs diligere minus bonum, quàm majus, igitur mundus de necessitate habet principium, ergò non est æternus.

2. Magnitudo & amor conveniunt, amore fortiùs diligente majorem bonitatem, quàm minorem; & ideo si mundus esset æternus, amore diligente illum in æterna duratione, & non diligente ipsum in principio, ut diligat in majori magnitudine durandi, convenit, quòd amor ipsum diligat in tanta magnitudine bonitatis, quòd non habeat finitam quantitatem, nec sit in quantitate mensurabili; & hoc idem sequitur de potestate, sapientia &c.: unde cùm mundus sit limitatus in bonitate, magnitudine &c., ergò mundus habet principium.

3. Amor æternaliter amat suum amare, quod

quod æternitas æternificat; unde si mundus esset æternus, amor amaret æternitatẽ mundi, & perverteretur in odium, odiendo æqualem utilitatem durationi mundi; & sic ipse diligeret durationem existentem sinè utilitate illi durationi similem, quæ dissimilis est suæ, hoc est, amoris æternitati; in qua æternitate sequitur bonum, æternitate æternificante amori suum amare; & hoc est impossibile, videlicet, quòd amor diligat durationem dissimilem suæ æternitati, ad hoc, ut duratio mundi non sit de contraria influentia ipsi amare æterni amoris: ergò mundus habet principium.

4. Potestas durandi in substantia mundi non est tam amabilis, sicut in homine potestas cognoscendi & diligendi DEUM; & ideo si mundus esset æternus, nemo haberet potestatem durandi sinè fine; & sic divinus amor plùs diligeret minorem potestatem, quàm majorem, & plùs minorem durationem hominis, quàm majorem; & per consequens diligeret ipsi mundo principium & non principium; quod est contradictio: ergò mundus non est æternus.

5. Sapientia divina æternaliter scit omnia, & divinus amor vult per magnitudinem, justitiam & nobilitatem, quòd sapientia sciendo se ipsam sciat suammet æternitatem per suammet dignitatem & virtutem: unde si mundus est æternus, sapientia scit eum æternum per suammet dignitatem, non tamen per dignitatem mundi, & æternitas communicat in tanta magnitudine durationis extra dignitatem, sicut intra; quæ communicatio est contra magnitudinem, justitiam & nobilitatem; & hoc est impossibile, scilicet hanc contrarietatem diligi ab amore, ne æternitas sciatur, nisi in hoc, quod est idem cum amore, sapientia, magnitudine, justitia & nobilitate: ergò mundus habet principium.

6. Virtus est major per amorem, qui est voluntas, quæ odiat, mundum esse æternum, quàm non æternum; quia major virtus est creare ens de non ente, & sustentare ens productum ex non ente, quàm æternaliter esse causam enti, quod nunquam fuit in non ente: & quia amor diligit majorem virtutem, quæ est de causa in causatum, ideo per justitiam, magnitudinem, potestatem & sapientiam diligit, mundum esse creatum de nihilo, & sustentare illum sinè fine, & illi dedisse principium: unde cùm secundùm justitiam conveniat, quòd amor ita diligat mundum, convenit, quòd sapientia illum ita sciat, sicut amor eundem diligit: ergò mundus non est æternus.

7. Veritas æternaliter contradiceret subjectum falsitati, si mundus esset æternus, cùm conveniat, veritatem secundùm magnitudinem & justitiam incessanter contradicere falsitati, verificando in se ipsa sinè aliqua falsitate: unde si mundus esset æternus, æternitas in duratione sustineret falsitatem sinè principio & fine contra veritatem, & veritas influeret tantum contrarietatis mundo contra falsitatem per æternitatem, quantum per fruitionem suæ æternæ verificationis, æternitate existente cum veritate eâdem Essentiâ & Natura; & æternitas sustineret falsitati suum subjectum dilectum ab amore, ut falsitas haberet, in quo existeret in æternum; sed quia est impossibile, tale diligere esse in amore, qui cum veritate est eadem Essentia, ergò mundus habet principium.

8. Amor non haberet Gloriam diligendo, mundum esse æternum; quia natura amoris est, ipsum habere gloriam, diligendo æternitatem in tam alta nobilitate, perfectione, magnitudine & bonitate, quòd ipsa existens dilecta producat æternum gloriosum in gloria, ut ejus magnitudo habeat nobilitatem, quæ illi convenit in magnitudine & in bonitate, & ut amor non frustra diligat suam æternitatem: si verò dicitur, quòd sint duæ æternitates, una causa, & altera effectus, dicendum est, quòd amori ita disconveniat diligere duas æternitates in æqualibus mensurationibus durationis, sicut illi disconvenit diligere duos Deos, duas infinitas magnitudines &c., quamvis unus Deorum esset causa, & alter effectus; nam gloria, quæ est DEUS, haberet imperfectionem magnitudinis, si diligeret gloriam, quæ esset Deus creatus & finitus in bonitate, magnitudine, potestate, virtute & nobilitate: ergò mundus non est æternus.

9. Perfectio & amor habent tantam concordantiam in bonitate, magnitudine, æternitate &c., quòd amor non possit amare, nec debeat amare in æternitate aliquod ens imperfectum; quia sicut perfectio & æternitas sunt eadem Essentia, ita amor & æternitas sunt eadem Essentia: unde sicut amori non convenit amare imperfectionem in se ipsa, nec in imperfectione perfectionem, ita in æternitate non convenit amori amare aliquod ens imperfectum; quod ens imperfectum est in mundo per multas species; quod ens imperfectum esset æternaliter, si mundus esset æternus; in æternitate cujus entis amor diligeret, mundum esse æternum, amando æternam imperfectionem: ergò mundus habet principium.

10. Justitia vult, DEUM esse magis amabilem, quia facit bonum, quàm quia non facit malum; & hæc ejus amabilitas est, quia facit bonum in se ipso, & quia in se non potest facere malum; & quia DEUS est magis amabilis faciendo bonum, quàm non faciendo malum, convenit, quòd amor diligat, bonum priùs esse, quàm malum: unde si mundus est æternus, bonum nunquam fuit absolutè priùs, quàm malum, & amor est in passione, diligens bonum priùs esse, quàm malum; nec justitia justificat amori suum amare, nec in se ipsa suum justificare, nec in potestate suum possificare, nec in magnitudine suum magnificare, imò justitia est in suo justificare contra amare amoris, & è converso; & quia hoc est impossibile, ergò mundus habet principium.

11. Largitas divina non contradicit magnitudini suæ æternitatis, & è converso, nec largitas contradicit suæ magnitudini; quia si amor diligeret, duas æternitates esse, diligeret in æternitate duas largitates distinctas unam ab altera; cùm amor tantúm diligat largitatem, quantúm æternitatem; & quia amor tantúm diligit se ipsum, quantúm largitatem, diligeret, in æternitate esse duos amores distinctos infinitè & æternaliter in Essentia & Natura; & hoc, si mundus esset æternus; quæ distinctio est impossibilis: ergò mundus non est ab æterno.

12. Amor divinus est in tam simplici natura cum æternitate, quòd totus se habeat ad diligendum suam æternitatem; sicut intellectus Angeli, qui tam simplex est, quòd totum se convertat ad diligendum DEUM: unde si mundus esset æternus, amor se converteret in æternum dilectum, quod non esset de sua Essentia nec Natura, & æternitas amoris diversificaret suum amare extra amorem, & sequeretur, quòd amor non haberet complementum de sua simplicitate in æternitate, & per alteram æternitatem vinceretur suum amare æternaliter, quod amare esset compositum de duabus æternitatibus & de duabus simplicitatibus &c.; & sequeretur, quòd amor ita fortiter diligeret infinitam reversionem asini, sicut hominis, & omne ens creatum corruptibile infinitè & in infinitum numerum esset revertibile & iterum privabile; & hoc est contra magnitudinem sapientiæ, justitiæ & nobilitatis, quæ amori contradiceret suum amare, si mundus esset æternus: ergò mundus habet principium.

13. Nobilitas amoris est, quòd ipse sit tota sua æternitas; & perfectio nobilitatis est, quòd non sit, nisi una tantùm: unde si mundus est æternus, convenit, illum esse æternum per nobilitatem amoris, qui diligit, illum esse sinè principio; quæ nobilitas amoris diligeret alteram nobilitatem æternam, & alteram perfectionem æternam &c.; & sequeretur, quòd amor esset minùs & magis nobilis in numero, quàm æternitas; esset minùs nobilis, in quantum esset in uno eodem numero cum æternitate existente in duobus numeris, quorum unus esset per causam, alter per effectum; esset magis nobilis, in quantum amor esset tam magnus, quòd uni æternitati sufficeret, nec una æternitas sufficeret unimet numero: & si hoc ita esset, amor haberet majorem & minorem nobilitatem, quàm æternitas; quam majorem & minorem nobilitatem est impossibile diligi ab amore: ergò mundus non est æternus.

De Virtute & Creatione.

1. BOnitas & virtus non consentiunt, mundum esse per se stantem, nec pro se ipso, nec de se ipso, nec ad se ipsum; quia si consentirent, has quatuor conditiones in illo esse, justitia consentiret in bonitate & virtute contra magnitudinem, sapientiam & potestatem & nobilitatem, amore diligente, mundum esse causam & effectum sui ipsius, & materiam suî & formam esse suum opus, & quòd finalis causa sui ipsius reverteretur in se ipsam; & divinus amor diligeret, quòd sua virtus non influeret in mundum, nec quòd de virtute mundi sequeretur aliquis usus bonitatis, magnitudinis &c. in virtute, quæ est DEUS; & divina virtus significaret in actu amoris, DEUM non esse per se stantem, nec pro se, nec de se, nec ad semet ipsum, quia esset in æternitate similis mundo; quæ æternitas non potest in se tolerare, aliquid esse DEO æquale: unde convenit, virtutem divinam esse causam, & mundum effectum sinè æquali duratione: ergò mundus habet principium.

2. Cum Magnitudine bonitatis, poteſtatis, ſapientiæ & amoris &c. divina virtus eſt æterna, & eſt æternitas; unde ſi mundus eſt æternus, & eſt cauſatus à virtute, eſt æternus, exiſtente virtute æternâ in parvitate bonitatis, poteſtatis, ſapientiæ & amoris; & ſic virtus eſſet æterna in magnitudine & parvitate bonitatis, poteſtatis &c.; & hoc eſt impoſſibile: ſed quia æternitas convenit cum omni magnitudine virtutis per totam magnitudinem bonitatis, poteſtatis &c., igitur convenit, virtutem ſingulariter eſſe æternam, quæ in æternitate convenit cum magnitudine ſinè parvitate: ergò mundus habet principium.

3. Æternitas habet tantam virtutem in duratione, quòd juſtitia non vult, quòd aliqua duratio diſtincta à natura æternitatis ſit illi æqualis in amore, ut juſtitia juſtificet in magnitudine & nobilitate amare amoris, quem convenit diligere, quòd æternitas habeat ſupremam Virtutem in duratione; quæ virtus non excederet omnem durationem, ſi mundus eſſet æternus; nec amare amoris, nec juſtificare juſtitiæ &c., quæ cum æternificare æternitatis ſunt ejusdem naturæ, convenirent cum altitudine æternificandi in æterna virtute: ergò mundus habet principium.

4. Poteſtas divina non contradicit æternæ virtuti, quia contradiceret ſibi-ipſi, virtute per poteſtatem exiſtente æternâ: unde ſi mundus eſſet æternus, poteſtas divina contradiceret ſibi ipſi exiſtendo cauſa effectui æquali illi in duratione æterna; quæ contradictio eſt impoſſibilis: ſi verò mundus eſſet æternus propter ſubſtantiam cœli, quæ eſt incorruptibilis, & propter transmutationem elementorum, potentiâ durante in æterna virtute, poteſtas poſſet ſibi coæquare ſimilem virtutem in duratione per ſe ſtantem ſinè uſu cauſæ in ſuo effectu; & hoc eſt impoſſibile: præterea ſi mundus eſſet æternus, materia prima non haberet dependentiam ad non eſſe, omni formâ elementatâ habente dependentiam ad non eſſe; & omnis ſecunda materia haberet dependentiam ad primam materiam, & prima materia eſſet æterna virtus, ut formæ & ſecundæ materiæ in illo eodem numero reverterentur; & hoc eſt impoſſibile, ut divina poteſtas non det poteſtatem, quæ poſſit ſuſtentari ſinè cauſa; hæc autem ſuſtentatio eſſet, ſi mundus eſſet æternus: ergò habet principium, ut divina poteſtas in æterna virtute non ſit contra ſuam magnitudinem.

5. Sapientia & amor concordant, quòd mundus habeat principium; nam eò quòd habet principium, virtus ſapientiæ & amoris eſt cauſa per omnia principia, quæ mundus poteſt habere; & ideo ſi mundus eſt æternus, non poſſet habere plura principia, quàm habet, quia ex nihilo non poſſet eſſe principiatus; & ſapientia ſciret, quòd amor nollet, quòd ſua virtus eſſet omnimodè principium mundo; in quo amore ſapientia ſciret minoritatem diligendo minorem cauſam, & non diligendo majorem effectum; & ſapientia ſciret, quòd virtus paſſiva regularet formam naturalem, ut æternaliter eſſet agens in materia, de qua procedunt tempus, locus, motus, quantitas, qualitas &c., quorum proceſſio eſſet æterna; & cauſa finalis & finis, qui eſt ſupra formam in virtute & in nobilitate, eſſet minor & major virtus, quàm ipſa forma & materia; & hoc eſt contradictio, & impoſſibile ſciri à ſapientia, quæ conveniret cum ignorantia, ſi ſua virtus influeret in ſupradictam contradictionem.

6. Amor diligit, quòd omnis virtus, quæ eſt æternitas, ſit in ſe ipſa, ne æternitas ſit in aliena natura, niſi ſolùm in ſe ipſa; & hoc diligit amor cum magnitudine virtutis exiſtentis in bonitate, ſapientia, amore, perfectione & juſtitia, ut virtus habeat nobilitatem & ſimplicitatem, quæ illi convenit: unde ſi mundus eſſet æternus, amor diligeret, quòd virtus æterna non exiſteret tota in ſe ipſa & in ſuo effectu, ut eſſet major; & ſequeretur, quòd natura amoris & virtutis non tantùm reciperetur in una æternitate: ergò mundus habet principium.

7. Veritas contradiceret æternitati in virtute, ſi mundus eſſet æternus, & ſequeretur, quòd virtus eſſet major in prima materia, quàm in omnibus formis, quæ ex ea procedunt per generationem, quæ per corruptionem potentialiter reverterentur ad eſſendum in prima materia, & hoc æternaliter; & in magnitudine & nobilitate materia per modum paſſionis eſſet magis ſimilis virtuti cauſæ, quàm virtuti formæ, cùm DEUS ſit pura forma, & non materia: & quia talis diſſimilitudo contineret falſitatem, quæ falſitas diſconvenit veritati, quia eſt illius oppoſitum, igitur de neceſſitate convenit, quòd veritas oppoſita falſitati conveniat cum virtute, quæ eſt DEUS & veritas: ergò mundus non eſt æternus.

Gloria

8. Gloria & virtus habent concordantiam in æternitate, quia in illa ſunt æquales; quia ſi in illa non eſſent æquales, æternitas ita fortiter diſconveniret gloriæ & virtuti, quòd eſſet ſinè gloria & virtute: igitur conveniret, quòd gloria & virtus, quæ inter ſe ſunt æquales, haberent principium, & non eſſent æternæ; cum quo principio eſſent æternaliter abſolutè, ſi mundus eſſet ſinè principio: ergò mundus habet principium.

9. In divina Perfectione eſt tanta magnitudo æternæ virtutis, quòd conveniat, eam omnimodè comprehendere & terminare totum ſuum effectum ita, ſicut aër per omnes rectitudines terminat avem volantem, quòd virtus æternitatis, quæ eſt DEUS, habeat per ſe, in ſe, de ſe & ſibi perfectionē infinitè & æternaliter in bonitate &c.; mundus verò nullam habet iſtarum perfectionum per ſuam propriam virtutem, nam, in quantum eſt effectus, non eſt per ſe, nec in ſe, nec de ſe, nec habet ſe ſibi; quia ſi haberet aliquam iſtarum conditionum, eſſet cauſa ſui ipſius vel alterius; & ideo, quia perfectio mundi caret virtute, quæ habeat aliquam ſupradictarum conditionum, de neceſſitate convenit, illum eſſe principiatum de nihilo, quod nihilum omninò caret habere aliquam dictarum conditionum, ad ſignificandum, quòd DEUS habeat omnem perfectam virtutem, habendo quatuor ſupradictas conditiones: ergò mundus non eſt æternus.

10. Juſtitia contradicit vitio habens concordantiam cum virtute; & quia magnitudo, ſi eſt virtus, convenit cum juſtitia, & fortiùs contradicit vitio in magnitudine, quàm in parvitate, igitur convenit, quòd juſtitia virtutis ſit priùs in æternitate, quàm in injuria, ut æternitas, quæ convenit cum magnitudine virtutis, habeat concordantiam cum magnitudine juſtitiæ; contra quam magnitudinem eſſet æternitas, ſi mundus eſſet æternus, injuriâ æternaliter exiſtente in magnitudine æternitatis: ergò mundus habet principium.

11. Si Largitas æternaliter largiretur ſuo effectui virtutem durandi, largiretur illi ſuum donum per transmutationem motûs ſubſtantiæ cœli, & per transmutationem elementorum in corpora elementata, nec largitas largiretur aliquam virtutem, niſi tantùm per transmutationem, in cujus largitione non eſſet perfectio; quia perfectio doni eſt, quando largitas eſt virtus, creando illud de nihilo; quia divina virtus plus dat enti, quando illi dat ſe ipſum, quàm quando illi dat eſſe transmutatum ab alio eſſe: & quia major virtus largitatis non contradicit magnitudini doni, ergò mundus habet principium.

12. Simplex virtus æterna in amore juſtificat, quòd omnis virtus ſubjacens ſuæ cauſæ omninò ſit comprehenſa & terminata tanquam rota, quæ rotundat, quia eſt rotunda: unde ſi mundus eſt ab æterno, omnis virtus, quæ eſt effectus, ſubjacet terminationi, exceptâ æternitate; & ſequitur, quòd æternitas non omninò comprehendat ſuum effectum, & ita habeat parvitatem in comprehendere, effectus verò magnitudinem in comprehendi: & ſi hoc ita eſt, ſequitur inde compoſitio æternitatis & bonitatis, magnitudinis &c.; quæ compoſitio eſt impoſſibilis: ergò mundus non eſt æternus.

13. Nobilitas virtutis eſt major in mundo, ſi eſt effectus, ſed eſt minor, ſi eſt cauſa; & hoc eſt propter maximam nobilitatem virtutis, quæ eſt in DEO; igitur mundus eſt principiatus, ut vehementiùs ſubjaceat ſuæ cauſæ, & ut habeat majorem nobilitatem ad repræſentandum magnam nobilitatem divinæ virtutis: unde ſi mundus eſſet æternus, ut haberet majorem ſubjacentiam ſuæ cauſæ in duratione, eſſet æternus per nobilitatem æternitatis, & haberet principium per nobilitatem bonitatis, magnitudinis, ſapientiæ & amoris &c., & virtus divina eſt diviſibilis in duas partes nobilitatis; quæ diviſio eſt impoſſibilis: ergò mundus habet principium.

De Veritate & Creatione.

1. BOnitas divina tota eſt in veritate, & è converſo, & hoc per infinitam magnitudinem & per infinitam & æternam durationem: unde ſi mundus eſt æternus, ſequitur, quòd omnis natura æterna non ſit eadem natura cum bonitate, nec cum veritate, & habeat majorem magnitudinem in æternitate, quàm in bonitate & veritate DEI; in qua majori magnitudine poſſet eſſe malitia & falſitas; & hoc eſt impoſſibile, ut veritas verificet in tanta magnitudine per æternitatem ſuum bonificare, quòd ſit impoſſibile, malitiam & falſitatem eſſe in magnitudine: ergò mundus non eſt æternus.

2. Magnitudo eſt divinæ virtuti, ipſam

esse unam tantùm; igitur si mundus esset æternus, conveniret, illum esse æternum, veritate verificante eum in tanta magnitudine veritatis, quòd non subjaceret falsitati: quia sicut veritas verificando justificaret in amore, mundum esse æternum, ut ejus effectus esset major in duratione, ita veritas justificaret mundum in suamet magnitudine ita fortiter, quòd non subjaceret falsitati; & hoc etiam conveniret ita esse, quia veritas & suum verificare sunt in tanta magnitudine virtutis & nobilitatis, sicut æternitas & suum æternificare; in qua tanta magnitudine non esset veritas nec ejus verificare, sicut est æternitas cum suo æternificare, si mundus esset æternus, ergò mundus habet principium.

3. Æternitas & veritas sunt eadem Essentia in bonitate, magnitudine &c.; unde si mundus esset æternus, sequeretur, quòd æternitas esset in majori nobilitate, quàm bonitas, magnitudo, potestas &c., æternitate æternificante mundum, sed bonitate non bonificante illum, nec magnitudine magnificante illum sinè principio & fine: & si hoc ita esset, mundus esset tantùm effectus durationis, & esset effectus bonitatis, magnitudinis &c. in limitatione & terminatione quantitatis; quod est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd æternitas cum invidia & injuria &c. contradiceret bonitati suum bonificare, & magnitudini suum magnificare &c.; & veritas & falsificare convenirent, & falsitas & verificare; & hoc est impossibile: ergò mundus non est æternus.

4. Potestas divina habet tantam concordantiam cùm veritate, quòd conveniat, omne id esse in falsitate, per quod potest imaginari, quòd mundus per se possit durare & existere; quia humana ratio potest considerare & imaginari, quòd mundus per se possit existere & durare, substantiâ cœli existente incorruptibili, & naturali potentiâ durante sinè generatione & corruptione specierum; igitur convenit, quòd talis consideratio & imaginatio sint falsæ, & eorum contraria vera: unde si mundus est æternus, divina potestas non est contraria supradictæ falsæ considerationi & imaginationi; sed si fuit principiatus, omninò contrariatur eidem: & quia veritas non contradicit potestati suâ magnitudinem & nobilitatem, ergò mundus habet principium.

5. Sapientia divina habet majorem concordantiam cum magnitudine veritatis, quàm cum parvitate; & ideo est major in sua veritate, quàm in suo effectu; igitur si mundus esset æternus, sapientia sciret tantam durationem veritatis in suo effectu, quantam in se ipsa; & tale scire est ita impossibile sapientiæ, sicut potestas mentiendi & falsificandi est impossibilis veritati: ergò mundus habet principium.

6. Amor & veritas sunt eadem Essentia & Natura; & ideo amor amando potest verificare, & veritas è converso: unde si amor amat, mundum esse æternum, amor falsificat existens causa amando mundum æternaliter; quæ falsificatio causatur, quia amor amat, se æternaliter esse causam mundo contra nobilitatem verificationis æternæ, quam habet amor amando suam veritatem: unde sicut quantitas vel qualitas &c. sunt de substantia naturæ, virtute existente in substantia, de qua procedunt, & per processum earum debilitatur virtus, & illa virtus est accidens in quantitate, qualitate &c., ita debilitaretur verificare amoris, & amare veritatis, si ab amare diligeretur, mundum esse æternum, & verificaretur æternaliter; & hæc debilitatio est impossibilis, ut verificare amoris, & amare veritatis non transeant æternaliter in alteram virtutem, quæ non sit de natura & entitate suæ substantiæ: ergò mundus habet principium.

7. Parvo puero deficit Virtus cognoscendi suam matrem; quare videtur illi, quamlibet mulierem esse suam matrem; sed dum potentiæ suæ Animæ habent suos actus, virtute à potentiis procedente, cognoscit puer per ipsos actus suam matrem inter alias mulieres: unde cùm hoc ita sit, secundùm supradictam similitudinem apparet in principio, mundum esse æternum, considerando divinum actum æternum, & imaginando illum actum esse extrinsecum per causam & per effectum, & imaginando incorruptibilitatem cœli & substantiæ mundi, & ignorando unum actum, qui est verificare, magnificare, bonificare, æternificare; sed dum humana ratio intelligit hunc actum intrinsecè, intelligit, mundum esse principiatum, & intelligit, quòd actus intrinsecus magis conveniat cum æternitate, quàm extrinsecus, secundùm quòd amor hoc vult per nobilitatem, justitiam, magnitudinem, bonitatem &c.

8. Si in divina Gloria veritas coæquat suum verificare ipsi glorificare, non facit injuriam gloriæ; quia in DEO veritas & gloria sunt unum & idem; igitur si veritas æqualificat mundum in duratione ipsi glorificare gloriæ per totam æternitatem, injuriatur gloriæ in æternitate cum gloria, cùm gloria sit unum & idem cum æternitate, & mundus sit ex aliena natura, quæ nec est gloria, nec æternitas: unde si veritas injuriaretur gloriæ in æternitate, convenit, eam falsificare id, per quod injuriatur gloriæ in æternitate, quæ sunt una eadem veritas: ergò mundus non est æternus.

9. Perfectio non contradicit veritati, nec imperfectio falsitati, nec substantia est tam propinqua ipsi non esse, sicut accidentia, nec accidentia tam propinqua ipsi esse, sicut substantia, & humanus intellectus est in falsa consideratione, quæ convenit cum non esse, quando habet opinionem & credentiâ, verû esse id, quod est falsum, & è converso: unde cùm hoc ita sit, per similitudinem supradictam significatur, mundum esse principiatum; nam si esset æternus, sequeretur, quòd successivè in omni, quod fit in mundo, esset unum ex altero, & nulla res esset ex nihilo; & sic perfectio & imperfectio successivè possent convenire in natura, nec substantia esset magis remota à non esse, quàm accidentia, & omnis falsitas esset ex aliquo ente in esse veraciter existente: unde si hoc ita est, & hæc omnia sunt inordinata, ût prædictum est, sequitur, quòd divina veritas falsificaret perfectionem in suo effectu; & hoc est impossibile: ergò mundus non est æternus.

10. Justitia infinitè & æternaliter justificat per bonitatem &c. veritati suum verificare, & per illas easdem dignitates veritas verificat justitiæ suum justificare; & quia hoc ita est, secundùm quòd humanæ rationi apparet per actus dignitatum, idcirco convenit, si mundus est æternus, quòd justitia repugnet veritati, & è converso; & hoc per *quinque species* considerabiles *de nihilo*, quarum *prima* est, in plantis, metallis & animalibus deventio aliquorum suppositorum in esse, quæ nihil esse solebant: *secunda* est eorum declinatio ad privationem mediante corruptione: *tertia* est non esse aliquod ens de essentia nec de natura alterius entis, nec etiam species alterius entis; sicut corpus & Anima, homo, arbor, asinus, virtus, vitium: *quarta* est aliquorum accidentium deventio ex nihilo, sicut quando homo habet gaudium de aliqua re, quæ est falsa, & credit, illam esse veram: *quinta* & ultima est simplex existentia non entis sinè participatione totius entis substantialis & accidentalis; quod non ens realiter non est, nec fuit, nec erit, neque ab illo derivatur aliquid, nec aliquid revertitur in illud, sed potiùs ab omni ente denudatur: unde si mundus est æternus, hæc quinta species non entis ita æternaliter est & fuit, sicut divina justitia & reliquæ supradictæ quatuor species, quæ cum aliquo ente participant, & revertuntur in illam quintam speciem; & sic æternitas ita subjacet non enti & falsitati, sicut enti & falsitati; & hoc est contra justificare & contra verificare; quod est contradictio: ergò mundus habet principium: sed quia mundus habet principium, non ens, hoc est, quinta species, non est æterna nec aliquid; quia DEUS ex non ente creavit mundum, in cujus creatione non ens habet principium, medium & finem in quatuor supradictis speciebus, ita quòd non in quinta; in quibus non haberet principium nec finem, si mundus esset æternus, nec DEUS esset priùs, quàm mundus, nec etiam esset priùs, quàm non ens, & non ens esset æternum contra justitiam & nobilitatem: ergò mundus habet principium.

11. Largitas & veritas essent contrariæ, si mundus esset ab æterno; quia largitas non largiretur ens de non ente, nec veritas verificaret aliquod ens de non ente, sed largitas esset contra veritatem, actu largitatis existente in parvitate, cui esset contrarius actus intrinsecus veritatis; & huic actui intrinseco esset contrarius actus extrinsecus veritatis, ipso actu intrinseco existente parvo in verificando suum effectum, si de non ente non verificaret ens, ut largitas non haberet suum actum magnum in largiendo esse enti de non ente; sed quia supradicta contrarietas est impossibilis, igitur mundus habet principium.

12. Æternitas mundi simpliciter subjaceret creatæ veritati & creatæ falsitati, supposito, mundum esse æternum; quia si est æternus, sicut ejus veritas per causam causatur in æternitate, ita convenit de necessitate, quòd falsitas causetur in æternitate; nam sinè causa non potest aliquid convenire cum æternitate: & ideo falsitas haberet æternam causam, si in æternitate causaretur; quæ æterna causa esset divina veritas, licèt causaret falsitatem, quæ per se esset DEUS exi-

ſtens æternus; & hoc eſt impoſſibile & contra magnitudinem bonitatis, æternitatis, poteſtatis, ſapientiæ & amoris &c.: ergò mundus non eſt æternus.

13. Nobilitas veritatis eſt, veritatem eſſe æternam, & oppoſitam faſitatem non eſſe æternam, quæ falſitas eſſet æterna, ſi mundus eſſet æternus; quia ſicut Regi eſt nobile, ipſum regnare ſolum, & ſicut regni nobilitas eſt, regnum habere ſibi unum Regem, ita eſt nobilitas veritati, quòd ſit in æternitate ſinè falſitate, & quòd tota æternitas ſit in veritate, ut in ipſa non cauſetur falſitas vel injuria vel imperfectio &c., quæ conveniunt cum privatione: ergò mundus habet principium.

De Gloria & Creatione.

1. COnvenit, divinam Bonitatem ita fortiter eſſe unam æternitatem, ſicut eſſe unum DEUM; & ideo ſecundùm magnitudinem concordantiæ in juſtitia, amore, ſapientia & virtute convenit ita ſimpliciter, in divina gloria totam bonitatem eſſe unum DEUM, ſicut convenit, DEUM eſſe unam æternitatem: idcirco ſi mundus eſſet æternus, diſconveniret in divina gloria, quòd tota æternitas eſſet unus DEUS, & conveniret, quòd totus DEUS eſſet una bonitas & una æternitas; & ſic eſſet in divinis dignitatibus repugnantia, quæ ſecundùm conditiones hujus Artis eſt impoſſibilis: ergò mundus non eſt æternus.

2. Magnitudo finita non habet virtutem, de qua producat accidentia infinita, quæ in numero eſſent infinita, ſi mundus eſſet æternus, & medium & concordantia eſſent naturaliter inter infinitam magnitudinem & finitam; in quo medio eſſet & non eſſet æterna gloria infinita & finita; quod eſt impoſſibile & contradictio contra magnitudinem creatæ gloriæ durantem ſinè fine, quæ non eſſet in homine, ſi mundus eſſet ab æterno, & gloria non eſſet ante nec poſt omnem hominem; quod eſt impoſſibile & contradictio: ergò mundus non eſt æternus.

3. Æternitas multiplicaret ſuam gloriam ſuper bonitatem, magnitudinem, poteſtatem &c., ſi mundus eſſet æternus, quia æternaliter glorificaret ſuum effectum, nec bonitas illum bonificaret infinitè, nec magnitudo eum magnificaret; & hoc idem ſequeretur de poteſtate &c.: & ſi hoc ita eſſet, gloria æternitatis eſſet major, & gloria bonitatis eſſet minor; & hoc eſt impoſſibile: ergò mundus non eſt æternus.

4. Poteſtas divina non poteſt aufferre æternam gloriam ab omni homine, ſi mundus eſſet æternus, exiſtente omni homine extra æternitatem per corruptionem, nec etiam exiſtente omni homine extra æternitatem per reverſionem infinitam non eſſet æternitas ſinè homine, nec gloria eſſet ſinè homine, merito Juſtitiæ, Fidei, Spei, Charitatis &c. exiſtente in æternitate; & ſequeretur, quòd divina poteſtas eſſet juſta & injuſta, potens & impotens dando & non dando gloriam; & hoc eſt contradictio: ergò mundus non eſt æternus.

5. Sapientia divina non contradicit gloriæ in ſuo effectu contra juſtitiam; nam omnem gloriam, quam ſcit ſapientia, ſcit cum juſtitia; & ideo ſi creata gloria eſt æterna, contradicitur gloriæ in omni homine æternaliter, ſapientiâ ſciente, aliquem hominem non eſſe æternum, & humanam ſpeciem æternaliter eſſe ſinè gloriâ, ſi mundus eſt ab æterno; & ſequitur, quòd gloria ſinè ſapientia in æternitate habeat majorem concordantiam cum humana ſpecie, quàm cum individuis ſpeciei; & ſic haberet majorem concordantiam cum ente non habente gloriam, quàm cum ente habente gloriam, & cum ente non habente intellectum, nec charitatem, nec juſtitiam, quàm cum ente habente intellectum &c.; & hoc eſt impoſſibile & contra ſapientiam, juſtitiam, bonitatem, nobilitatem, perfectionem &c.: ergò mundus non eſt æternus.

6. Amor divinus eſt in gloria, & è converſo, & amor diligendo eſt in gloria, & è converſo; & ideo amor non eſt extra gloriam, nec è converſo; & hoc idem ſequitur de æternitate, bonitate &c.: unde ſi mundus eſt æternus, ſequitur, quòd amor & gloria ſint in natura extra æternitatem mundi per infinitam durationem æternam, & ſint extra bonitatem, magnitudinem &c. mundi per ejus quantitatem limitatam & finitam: & ſi hoc ita eſt, ſequitur, quòd amor magìs diligat durationem mundi, quàm gloriam hominis, & quàm ejus bonitatem; & hoc eſt impoſſibile: ergò mundus habet principium.

7. Virtus, quæ eſt cauſa, habet majorem concordantiam in ſuo effectu cum magìs nobili virtute, quàm cum minùs nobili; & hoc ideo, quia magìs nobile cauſatum recipit majorem influentiam à ſua cauſa, quàm minùs nobile: unde ſi mundus eſt æternus, major virtus eſt in ſubſtantia cœli & mundi, quàm in Anima rationali, quæ DEO eſt magis ſimilis, quàm cœlum & mundus & quàm eorum ſubſtantia, cùm Anima habeat rationem, quam Animam DEUS creavit ex nihilo, & quæ in nihilum reverteretur, ſi mundus eſſet infinitus, cùm non ſit dare numerum infinitum, qui daretur, ſi mundus eſſet æternus; & ſic Anima crearetur ex nihilo, aut fieret de nihilo; & ſic æternaliter multiplicaretur numerus Animarum in infinitum: & quia convenit, divinam virtutem dare majorem influentiam virtuti, quæ illi eſt magìs ſimilis, igitur convenit, quòd mundus ſit principiatus, & quòd Anima juſta æternaliter habeat gloriam in divina virtute; quod non poſſet eſſe, ſi mundus eſſet æternus: ergò mundus habet principium.

8. Verum eſt, divinam gloriam habere omnem perfectionem in æternitate, & æternitatem habere omnem perfectionem in gloria; & ideo divina veritas nullam habet indigentiam ponendi in æternitate ullam naturam alienam & ullum ens diſtinctum à ſe ipſa: unde ſi mundus eſſet æternus, veritas poneret in æternitate id, quod æternitati diſconvenit ſecundùm dignitatem & nobilitatem ſui ipſius; & ſecundùm vilitatem mundi, qui eſt ſubjectus falſitati, convenit, mundum eſſe in cauſata nec in tam ſublimi nec tam nobili duratione, ſicut eſt æternitas: unde ſi mundus eſſet ab æterno, æternitas pateretur, quia in ſe contineret id, quod ſibi diſconvenit, & mundus etiam pateretur, quia haberet nobilitatem, quæ ſibi non convenit; & ſic veritas falſificaret cauſam & cauſatum; quod eſt impoſſibile: ergò mundus non eſt æternus.

9. Perfectio, poteſtas & ſapientia habent æqualiter concordantiam cum æterna gloria, cum qua ſunt eadem Eſſentia & Natura in æternitate; & ideo divina gloria æterna eſt infinita & perfecta ſinè ullo defectu: unde ſi mundus eſt æternus, ejus gloria eſt perfecta ſinè imperfectione; nam æternitas requirit, quòd nihil in ipſa contineatur, quod habeat imperfectionem; velut unum corpus, quod habet naturâ, ut in ſuo loco nullum aliud corpus recipiatur, ne ab eo auferat perfectionem ſui eſſe; & quia gloria mundi habet imperfectionem, ergò mundus habet principium.

10. Juſtitia non daret gloriam hominibus, niſi in hoc mundo, ſi mundus eſſet æternus, & propter æternitatem mundi multis hominibus juſtis eſſet injurioſa, quibus non daret gloriam in hoc mundo; igitur convenit, quòd divina juſtitia &c. in altero ſæculo hominibus det gloriam: ergò mundus non eſt æternus.

11. Largitas divina non ſufficeret largiri æternaliter gloriam hominibus, ſi mundus eſſet æternus, quia in infinito numero eſſent illi homines, qui à mortuis corporibus reſurgerent, quibus non ſufficeret omnis materia ſubſtantiæ mundi, quæ eſt finita in quantitate; & quia divina largitas eſt infinita in ſe ipſa, convenit, quòd ſuum largiri habeat ſufficientiam in opere finito; igitur convenit, mundum habere principium, & convenit, largitatem largiri corporibus glorificatis gloriam ſinè fine, illâ gloriâ habente principium; quibus corporibus non poſſet largitas largiri gloriam, ſi mundus eſſet æternus: ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas & gloria conveniunt cum magnitudine, compoſitio verò & gloria conveniunt cum parvitate; & ideo convenit, quòd gloria ſimplex ſuperet gloriam compoſitam in æternitate; quam non ſuperaret, ſi mundus eſſet æternus, & ſucceſſivè eſſet in mundo una gloria poſt alteram, & una pœna poſt alteram, nec eſſet gloria in corpore glorificato, in quo ipſa poteſt habere majorem diſtantiam à pœna & à culpa, quàm in tota æternitate mundi, ſuppoſito, quòd ſit æternus: & quia gloria, juſtitia & amor, poteſtas & virtus conveniunt cum æternitate, ergò mundus non eſt æternus.

13. Nobilitas æternitatis eſt, quòd habeat in ſe effectum, qui non habeat finem, gloriâ exiſtente in corporibus glorificatis, ipſo toto effectu habente principium per bonitatem, magnitudinem, æternitatem &c., glorificatis corporibus ſuſtentatis in æternitate: unde cùm cauſæ conveniat omnis nobilitas gloriæ, & gloria glorificati corporis incorruptibilis animati ex rationali Anima non eſſet, ſi mundus eſſet æternus, ergò mundus de neceſſitate habet principium.

De Perfectione & Creatione.

1. BOnitas divina habet omnem perfectionem in magnitudine æternitatis, poteſtatis &c., & ipſa haberet imperfectionem

nem in qualibet divinarum dignitatum, si mundus esset æternus; quia bonitas æternæ magnitudinis deficeret, in quantum haberet aliquid sibi æquale in magnitudine, videlicet mundum, qui minor est magnitudine bonitatis per limitationem, imperfectionem, malum, peccatum &c., quibus ipse est subjectus; & quia est impossibile, quòd divina bonitas habeat ullam imperfectionem, ergò mundus non est æternus.

2. Magnitudo divina est in tanta perfectione, quòd ipsa ita sufficiat ad essendum una æternitas, sicut unus DEUS sufficit esse una perfectio habens absolutè & simpliciter omnem virtutem & nobilitatem superantem omnem aliam magnitudinem: & quia divina magnitudo habet tantam perfectionem, igitur sicut omni perfectioni divinæ sufficit una magnitudo, una perfectio, ita secundùm magnitudinem justitiæ convenit, sufficere unam æternitatem toti perfectioni DEI; cui non posset sufficere, si essent duæ æternitates, quæ sunt, si mundus est æternus: ergò mundus habet principium.

3. Æternitas & perfectio habent concordantiam in magnitudine bonitatis &c.; & ideo est inconveniens, quòd in æternitate causetur æterna imperfectio, quæ in illa causaretur, si mundus esset sinè principio; quia si mundus habet principium, imperfectio principiatur & causatur per illud ens, quod in se ipso per naturam parvitatis, temporis, quantitatis &c. se mensurat cum imperfectione, tempore & principio, & non sequitur inde aliquod inconveniens contra divinam æternitatem & perfectionem, quod sequeretur, si mundus esset ab æterno: ergò mundus habet principium.

4. Potestas divina non potest in suo effectu esse imperfectio, cùm ipsa sit idem cum perfectione; si autem potestas non posset in perfectione aliquod perfectum producere, perfectum esset per imperfectionem; quod est impossibile: igitur potestas potest in suamet perfectione producere perfectum; & illam virtutem, quam potestas habet in suo perfecto, convenit esse æternam: unde si mundus est æternus, potestas potest perficere in sua æternitate, & esse imperfectio in suo effectu (cùm mundus sit imperfectus, si tamen est æternus, eò quòd habet dignitatem, quæ illi non convenit) quod est impossibile: quia sicut non convenit, hominem injustum esse judicem, & sicut non convenit, Principem injustum esse Principem, simili modo non convenit, mundum, qui est imperfectus, esse æternum: ergò mundus habet principium.

5. Sapientia divina habet naturam & proprietatem intelligendi, omne id esse æquale in se ipsa, quod est æternum; & hoc est ideo, quia æternitas perfectionis non deficit, sicut infinitas magnitudinis nunquam potest deficere: unde cùm hoc ita sit, convenit, quòd sapientia intelligendo se ipsam intelligat suam æternitatem, & coæquet suú intelligere æternitati, ut nec in se ipsa nec in æternitate sit major magnitudo perfectionis, quàm in suo intelligere: unde si mundus est æternus, convenit, quòd sapientia intelligendo illum coæquet æternitati; & coæquando mundum æternitati coæquaret sapientia suo intelligere æqualem durationem ejusdem intelligere cum æternitate mundi; & sic esset imperfectio in ipso intelligere contra justitiam & nobilitatem, eò quòd in aliena natura produceret durationem æqualem suæ durationi: & quia hoc est impossibile, quòd intelligere sapientiæ sit imperfectio, ergò mundus habet principium.

6. Amor divinus amando æternaliter & infinitè habet omnem perfectionem, & amor est æternaliter & infinitè ipsa eadem perfectio: unde si mundus esset æternus, amor diligeret, eum esse æternum, & per virtutem æternitatis diligeret esse eadem natura cum mundo, & per consequens mundus esset de Natura & Essentia DEI; sed quia mundus est imperfectus, est impossibile, illum esse de Essentia DEI; & sic virtus æternitatis non sufficit amori habenti naturam essendi omne id, quod æternaliter diligit: & hoc modo amor divinus est mundus, & non est mundus; & hoc est contradictio, quæ est impossibilis: ergò mundus habet principium.

7. Virtus creata procedit per potentiam, & movetur de potentia in actum; & ideo formæ naturales in motu & in principio deveniunt de potentia ad actum, & perfectio formæ est in actu, qui est finalis causa formæ, quæ est in potentia; & super actum formæ est alius gradus finalis causæ, & sic de gradu in gradum, quousque omnes creaturæ habeant naturalem appetitum ad primam causam, quæ est perfectio omnium rerum: unde si mundus est æternus, omnis supradictus cursus naturalis est destructus,

ctus, omnibus rebus habentibus naturalem appetitum ad retroversionem formarum, & hoc æternaliter & in numero & infinitè; & actu in actu cujusque rei inclinatio est ad corruptionem; & sic omnia æterna æternaliter moventur de imperfectione ad perfectionem, & de perfectione ad imperfectionem, & nunquam in opere naturæ esset perfectio sinè imperfectione & corruptione: unde si hoc ita est, defectus virtutis est in prima causa; qui defectus est impossibilis: ergò mundus non est æternus.

8. Veritas contradicit imperfectioni, quæ habet concordantiam cum falsitate; & si mundus est æternus, sequitur, quòd veritas verificans in duratione mensuret in æternitate æqualiter falsitatem & imperfectionem cum creata veritate & perfectione; nam si est æternus, falsitas & imperfectio in æternitate mundi sunt ita æternaliter, sicut veritas & perfectio: & quia veritas in bonificare bonitatis & in magnificare magnitudinis verificat cum perfectione, & in illo bonificare, magnificare non est falsificare nec imperfectio, de necessitate convenit, quòd in æternitate sit verificare sinè falsificare, & perfectio sinè imperficere: ergò mundus habet principium.

9. Nemo haberet æternaliter Gloriam, si mundus esset æternus, & omnis gloria esset sinè perfectione gloriæ; nec rationalis Anima esset creata, sed potiùs esset pars alicujus æternæ materiæ, quæ pars esset incorruptibilis & corruptibilis; incorruptibilis propter justitiam, quia dignior est substantia Animæ, quàm corpus, quod est corruptibile; & corruptibilis, in quantum esset divisibilis in partes, quæ ita reverterentur ad suam materiam, sicut partes corporales revertuntur ad primam materiam; & omnis Anima esset sinè gloria in illa; & si sinè gloria, igitur sinè perfectione: & sic quælibet Anima haberet appetitum ad imperfectionem habendo appetitum ad suam primam materiam, & esset imperfecta in mundo existendo in corpore, in quo non posset saturari, & existendo in sua prima materia, in qua non posset intelligere nec amare; & sic æternitas mundi esset perfectio imperfectionis, & ejus causa imperfectio suæ æternitatis; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

10. Justitia dat majorem gloriam homini per primam intentionem, quàm per secundam, cùm prima intentio sit major & nobilior in perfectione, quàm secunda; & ideo si mundus esset æternus, in privatione primæ intentionis esset major imperfectio, quàm in esse ejusdem perfectio; & privatio secundæ intentionis haberet majorem imperfectionem, quàm esse ejusdem perfectionem; & sic esset major perfectio in hoc, quod se habet ad causam finalem, quàm in ipsa causa finali, & homo haberet majorem gloriam per secundam intentionem, quàm per primam; & sic omnes primæ intentiones essent in privatione & in esse secundùm transmutationem temporis & secundarum intentionum, videlicet specierum & elementorum, & corpora cœlestia æternaliter essent æterna sinè transmutatione; sed quia hoc esset contra justitiam, gloriam & perfectionem, ergò mundus habet principium.

11. Largitas, quæ est causa, non habet avaritiam in suo effectu, quia contradiceret suo effectui perfectionem, largiens ei imperfectionem: unde si mundus esset æternus, largitas contradiceret cum avaritia suo effectui perfectionem; quia mundus nunquam cessaret movere suas partes ad perfectionem, & nunquam in aliqua suarum partium haberet eam, & mundus esset imperfectus in suis partibus, perfectus verò in sua totalitate; & largitas largiretur mundo in universali perfectionem, sed in suis partibus non: & quia mundus non est nobilior in omnibus suis partibus, quàm in suo toto, nec è converso, secundùm quòd apparet in Anima, fide, spe &c., idcirco convenit, quòd mundus in aliquibus suis partibus habeat perfectionem, quam non haberet, si esset æternus: ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas & perfectio conveniunt, compositio verò & imperfectio: unde si mundus esset æternus, æternitas esset composita de duobus entibus æternis, videlicet primæ causæ & sui effectûs; sed per hanc compositionem destrueretur simplicitas perfectionis, quæ convenit cum æternitate, & æternitas, bonitas, magnitudo &c. essent sinè distinctione simplicitatis, æternitas verò esset distincta in duabus diversis & alienis naturis; cujus distinctio esset imperfectio: ergò mundus habet principium.

13. Nobilitas & perfectio conveniunt, vilitas verò & imperfectio: unde si mundus est æternus, numerus infinitus est in imperfectione, quæ sinè principio & fine est in entibus generabilibus & corruptibili-

bus; sed si mundus est principiatus, numerus finitus est in perfectione, quia habet principium; propter quod principium convenit, quòd habeat finem: & quia prima causa esset vilis, si esset causa imperfecto, convenit, mundum esse principiatum; nec ejus principium est causa, quæ sit nobilitas primæ Causæ, cùm ipsa prima Causa, in quantum est DEUS, sit æterna habens infinitam nobilitatẽ: ergò mundus habet principium.

De Justitia & Creatione.

1. BOnitas non haberet nobilitatem super æternitatem sui effectûs, si mundus esset æternus, nisi tantúm, quantúm causa est super effectum; & quia in mundo sunt malificare, vilificare, peccare & plures actus iniqui, & omnes isti actus æternaliter essent in æterno justificare justitiæ, igitur manifestum est, mundum habere principium, ut bonitas justitiæ habeat id, quod sibi convenit in magnitudine æternitatis, potestatis; hoc autem non posset habere, si mundus esset sinè principio: & quamvis mundus habeat principium, nihilominus justitia habet majorem nobilificationem in sua infinita justa & æterna justificatione bonitatis: ergò mundus habet principium.

2. Magnitudo divina, quæ est causa mundi, dat mundo similitudinem essendi causa magnarum rerum, sicut est substantia cœli, quæ est magna in quantitate & in opere; & hoc idem sequitur de elementis, quæ sunt magna & eorum opera; & in homine sapientia, charitas, justitia & potestas sunt magnæ; veruntamen omnes hæ magnitudines sunt finitæ in quantitate, & suprema Magnitudo, quæ est causa infinita & interminabilis, extra suam naturam non dat similitudinem sui ipsius in magnitudine æqualem: unde si mundus esset æternus, æternitas, quæ est idem cum magnitudine, daret extra suam naturam similitudinem æqualem sibi in duratione; & sic fieret injuria magnitudini ab æternitate, & è converso, quæ æternitas est idem cum magnitudine; sed injuria est impossibilis: ergò mundus non est æternus.

3. Æternitas fortiùs dat suam similitudinẽ in una creatura, quàm in altera, sicut in substantiis incorruptibilibus, in quibus meliùs significatur ejus duratio, quàm in corruptibilibus; & hoc etiam faciunt bonitas, magnitudo &c.; nam bonitas dat majorem similitudinem sui in homine justo, quàm in lapide seu in ligno; & majorem in Anima, quàm in corpore; & magnitudo dat majorem similitudinem sui in cœlo, quàm in terra, quia majus est, & major est in Anima hominis, quàm in ejus corpore: & quoniam omnes istæ similitudines, quas dant una bonitas, magnitudo &c., sunt terminatæ, convenit de necessitate secundùm illum eundem ordinem, omnes similitudines, quas de se dant, esse terminatas; quia si essent æternæ, æternitas esset injuriosa, eò quòd egrederetur ab ordine dignitatum, quæ cum eadem sunt idem in Essentia & Natura: ergò mundus habet principium.

4. Per Potestatem divinam absolutè consideratam potest considerari, mundum habuisse principium, vel eum esse æternum: unde considerando potestatem secundùm justitiam non potest considerari, mundum esse æternum, sed convenit considerari secundùm justitiam, eum habuisse principium, salvâ tamen magnitudine & justitiâ potestatis; & hoc apparet secundùm hanc Artem inquirendo creationem mundi per conditiones, secundùm quas hæc Ars procedit, sicut hoc expono: videlicet si mundus est æternus, justitia non potest punire hominem injustum, quia injuria neminem inclinaret ad nihilum, cùm omnis homo præexisteret in materia æterna; & justitia, quæ est causa, esset occasio injuriæ, justitiâ causante hominem per generationem æternam: sed si mundus habuit principium, omnis homo injustus declinat ad injuriam, quia venit de nihilo, & DEUS creavit eum ad justitiam: unde quia est ex nihilo, non potest tantam influentiam recipere à divina justitia, quanta est ipsa justitia; & ideo omnis homo per suum nihilum potest peccare, licèt DEUS illum non creaverit ad peccandum, & nemo posset peccare, si mundus esset æternus, secundùm quòd suprà dictum est: ergò mundus habet principium.

5. Sapientia divina est causa, mundus verò est effectus; & ad demonstrandum, suam sapientiam esse supremam Essentiam æternam & incorruptibilem, creavit DEUS in mundo substantias incorruptibiles & substantias corruptibiles, ad demonstrandum, quòd divina virtus in incorruptibilitate causet suam similitudinem, & in corruptibilitate demonstret suam dissimilitudinem: unde, si mundus esset æternus, incorruptibilitas mundi esset similis magnitudini & æternitati incorruptibilitatis divinæ; sed quia

justitia vult, similitudinem & dissimilitudinem causæ & effectûs esse in ordinata dispositione, convenit, quòd justitia (secundùm quòd sapientia scit ordinationẽ) justificet similitudinem & dissimilitudinem causæ & effectûs: ergò mundus habet principium.

6. Amor dat suam similitudinem dando amorem & amare & amatum omni homini justo; veruntamen sicut speculum non continet in se entitatem nec naturam faciei hominis speculantis, quamvis eam repræsentet, ita nec sequitur, quòd amor det in suo effectu tantam similitudinem, quantus est ipse amor; quæ similitudo esset æqualis amori, si mundus esset æternus; quia si mundus est æternus, æternitas nunquam fuit sinè amore; & si hoc ita esset, sequeretur,
10. quòd entitas & natura faciei hominis speculantis esset in speculo, ita, sicut est in ipso homine; & sic per consequens æternitas mundi esset natura divinæ æternitatis; quod est contra justitiam &c.: ergò mundus non est æternus.

7. Virtus, quæ est prima causa, diligit virtutes in homine, & non vitia; & si mundus esset æternus, sequeretur, quòd quilibet homo in diversis temporibus per opus naturæ resurgeret & moreretur, & hoc æternaliter: & sequeretur, quòd esset possibile, unum eundem mori pluries justum & pluries injustum; & hoc modo divina justitia nunquam perfectè retribueret pro virtutibus, nec puniret pro vitiis; & æternitas mundi esset occasio, quòd justitia, quæ est causa illius, haberet in virtute imperfectionem; quod est impossibile: ergò mundus habet principium.

8. Veritas divina omnimodè contradicit peccato, & è converso; quia veritas est idem cum justitia, & peccatum est idem cum injuria, & etiam quia veritas est bonitas &c.: & ideo contingit, peccatum nihil esse, quia
11. veritas est ens perfectum in se ipsa & in bonitate &c.: unde cùm omne ens habeat aliquam virtutem, per quam non contradicit suæ causæ, & peccatum nihil sit, ideo peccatum inclinat suum subjectum ad non ens; & si mundus esset æternus, peccatum esset aliquod ens sustinens subjectum, quod peccatum inclinat ad non ens; & hoc est contradictio, sc. peccatum esse ens & non ens; quæ contradictio esset aliquod ens, si mundus esset ab æterno: & quia hæc contradictio est impossibilis & contra veritatem & justitiam, ergò mundus non est æternus.

9. Gloria & justitia contradicunt culpæ; & quoniam gloria & justitia sunt in DEO unum & idem, idcirco culpa & pœna disconveniunt æternitati, quæ est DEUS; & ideo si mundus esset æternus, justitia puniret culpam cum pœna in æternitate; & culpa successivè puniretur à justitia; nec culpa nec pœna haberent prioritatem nec posterioritatem; & gloria, pœna, meritum & culpa eâdem intentione existerent in æternitate; & justitia non haberet concordantiam cum gloria causata contra culpam, non causatam per primam causam, quæ est suprema Justitia, & esset suprema injuria, si mundus esset ab æterno; & hoc est contradictio: ergò mundus habet principium

Justitia divina est tam perfecta, quòd, si aliquod ens esset de Essentia & Natura æternitatis, conveniret, quòd illud ens haberet omnem perfectionem, existens absolutè sinè omni imperfectione; & ideo, si mundus esset æternus, ejus æternitas causaretur per naturam æternitatis existentis causæ, & illud medium, quod esset inter unam æternitatem & alteram, esset causa & effectus, inter quam & quem esset nullum aliud medium, secundùm quòd æternitas, quæ est causa, influeret suam Essentiam & Naturam in æternitatem, quæ esset effectus; qui effectus esset DEUS habens omnem perfectionem: & quia hoc est impossibile, igitur duratio mundi habet principium; & sic non est æterna: per quod principium sunt multa media inter substantiam mundi & ejus causam, videlicet accidentia, quibus non convenit, quòd DEUS influat suam Essentiam & Naturam in principiatum, mobile, limitatum, collocatum subjacens multis accidentibus, quæ conveniunt cum imperfectione: ergò mundus habet principium.

Largitas, quæ est justitia, non potest dari alicui enti, quod sit effectus, ipsâ existente cum ente eâdem Essentiâ & Naturâ; quia si largitas haberet talem potestatem, causa & effectus possent esse in alio ente, quod non esset justitia in illa specie effectûs; tanquam ignis, qui se dat aëri, qui est ejus effectus, in humiditate calefacta, & cum ipso in aliis elementis generat corpus cholericum, quod non est ignis, nec aliquod elementorum: unde si mundus esset æternus, largitas, quæ est causa, daret mundo æternitatem, quæ est res nobilissima, nec posset ei dare rem nobiliorem æternitate; ergò

de necessitate illi daret se ipsam, cùm illi non posset dare rem nobiliorem; & sic largitas, quæ est causa, & æternitas mundi essent unum compositum generatum ex aliena specie & natura, quæ non esset DEUS, nec mundus, nec justitia; & quia hoc est impossibile, ergò mundus habet principium.

12. Simplicitas & justitia conveniunt, igitur si mundus esset æternus, ipsæ æternaliter disconvenirent in æternitate mundi, quæ esset earum effectus; nam si mundus esset æternus, omnia animalia semper post suam privationem à privatione reverterentur in esse, quolibet in suo eodem numero infinitè revertente, & sic æternaliter composita in partes, entibus habentibus aliquas suarum partium, & non omnes; & sequeretur, quòd nulli enti essent aliquæ partes magis propriæ, quàm aliæ; & sæpiùs reverterentur in compositionem alienarum partium, quàm in simplicitatem suarum partium; & hoc est impossibile & contradictio, & est opus, cui justitia non consentit in sapientia, amore &c.; & hoc etiam esset contra accidentia, quæ post suam corruptionem reverterentur in suomet numero; quod est impossibile: ergò mundus non est æternus.

13. Nobilius opus, quod divina justitia posset habere in suo effectu, esset durare, si mundus esset ab æterno; nam sol, luna, stellæ, metalla atque species essent nobiliores, quàm homines, & nobiliores, quàm fides, spes &c.; & si injustus plùs viveret justo, esset nobilior illo; quod est impossibile & contra justitiam, bonitatem &c.: ergò mundus habet principium.

De Largitate & Creatione.

1. LArgiri est bonum, auferre verò est malum; & ideo si mundus esset æternus, auferre esset in æternitate extensivè ita magnum, sicut largiri, intensivè tamen esset majus largiri, quàm auferre; & quoniam bonitas contradicit malitiæ, ideo contradicit ipsi auferre; cui malitiæ non contradiceretur extensivè à bonitate in auferre, si mundus esset ab æterno, & æternaliter fieret injuria intensitivitati bonitatis in largificare, quod largitas haberet in æternitate contra extensitivitatem avaritiæ, quæ convenit cum auferre; & quia hoc est impossibile, ergò mundus habet principium.

2. Magnitudo & largitas habent majorem concordantiam in majoritate, quàm in minoritate, & in æqualitate, quàm in majoritate; & ideo largitas plus largificat, si mundus est principiatus, minus verò si est æternus; quia si mundus est de novo, largitas inde largitur majus donum substantiæ mundi in omnibus decem prædicamentis, ipsâ largitate largiente substantiæ totum ejus esse substantiale de novo creatum, & omnia accidentia, quæ illi conveniunt: si verò mundus est æternus, largitas non dedit substantiæ esse novum, nec accidentia, quæ ab omni substantia procedunt; sed solùm substantia est subjecta eorum processioni: unde sicut homo donat majus donum homini alieno constituens eum sibi hæredem, largiendo eidem sua bona, quàm pater filio, in suis bonis hæreditanti eum, ita divina largitas largitur majus esse substantiæ & accidentibus, si sunt creata ex nihilo, quàm si una substantia esset æterna post alteram, & unum accidens priùs altero successivè: & quia largitas & magnitudo conveniunt, ergò mundus habet principium.

3. Omnes partes mundi æternaliter moverentur ad imperfectionem per imperfectionem, si mundus esset æternus, nec largitas largiretur alicui partium mundi perfectionem; æternitas enim cuilibet partium in numero daret durationem, nec tamen perfectio daret perfectum opus largificationi largitatis, & largitas esset major in æternificare, quàm in largificare perfectionem; & hoc est impossibile, ne æternitas sit æternum subjectum imperfectioni largificandi largitatis, quæ habet omnem perfectionem: ergò mundus habet principium.

4. Potestas non potest largificare duas infinitas magnitudines; nam de necessitate convenit, unam earum esse finitam in alia per locum, per naturam & per essentiam: & quia potestas non potest largificare in duabus magnitudinibus, est impossibile, ipsam posse largificare in duabus æternitatibus, eò quia potestas DEI esset una res per se, & largitas esset alia res, in qua non esset infinita magnitudo; & potestas posset multiplicare suum effectum in quantitate magnitudinis, bonitatis, sapientiæ &c., & non in quantitate æternitatis mundi; cùm æternitas non recipiat multiplicationem in duratione: unde si hoc ita esset, sequeretur, quòd potestas esset fragilis in æternitate, sed fortis in bonitate; quod est impossibile: ergò mundus habet principium.

5. Sapientia divina scit, suam largitatem non largiri tantam sapientiam, charitatem & ju-

& justitiam suo effectui, si mundus est æternus, quantam largitur, si fuit principiatus; quia si mundus non habet principium, nemo particulariter durat in ævum, in quo ævo sapientia potest scire, largitatem magis posse largiri suo effectui, quàm in æternitate, hominibus in esse vehementiùs uno post alterum & quolibet eorum æternaliter declinante in privationem: & quia id, per quod sapientia & largitas meliùs possunt convenire, est necessarium & concordans cum bonitate, magnitudine, justitia, potestate, amore &c., ergò mundus habet principium.

6. Amor non diligit operari in imperfectione; & ideo si mundus est æternus, amor diligit in suo effectu opus & defectum illius operis æternaliter; & sic construit & destruit omne opus; quia si mundus est æternus, omne elementatum æternaliter fit, & æternaliter destruitur: & isto modo amor est contra largitatem & sapientiam, sciente sapientiâ avaritiam in amore, qui non diligit perfectum actum largitatis; contra quam largitatem est amor in sapientia, quæ sciens potestatem in largitate non diligit, quòd sapientia sciat perfectum actum sapientiæ in largitate: & quia hæc contrarietas est impossibilis, quæ tamen esset possibilis, si mundus esset æternus, ût prædictum est, ergò mundus non est æternus.

7. Virtus largitatis est magna in magnitudine, & parva in parvitate; & ideo convenit, quòd largitas infinita in magnitudine & æternitate largiatur suammet entitatem infinitam & æternam, ut habeat concordantiam cum magnitudine: unde si mundus esset æternus, ad hoc, ut suprema virtus largitatis esset major, largitas daret mundo de suamet virtute in entitate, ut ipse esset in majori virtute; & hoc modo mundus esset æternus; quod est impossibile, ad hoc, ut largitas extra suam virtutem & naturam producat parvam virtutem, sed magnam de sua entitate & natura; tanquam ignis, qui, de sua natura largiens, producit suppositum, quod non est ignis: ergò mundus habet principium.

8. Veritas & largitas contradicunt falsitati & avaritiæ; si enim veritas haberet avaritiam, non largiendo æternitatem mundo, haberet avaritiam, eò quòd essentiam mundi non faceret veritatem & largitatem, ne mundus esset subjectus æternaliter avaritiæ & falsitati, quibus subjectus esset æternaliter, si esset æternus: & quia æternitati conveniunt veritas & largitas, igitur ei disconveniunt falsitas & avaritia, quæ conveniunt principio: ergò mundus non est æternus, cùm justitia, perfectio, potestas & amor conveniant cum largitate & veritate.

9. Est major Gloria, dare corpus glorificatum immortale non corruptibile, quàm dare æternitatem mundo, in quo non esset corpus incorruptibile glorificatum; & non est necesse hoc majus donum probare, cùm ejus demonstratio sit manifesta in suppositione secundùm Artem & Doctrinam, quæ datur per gloriam, largitatem, bonitatem, nobilitatem &c., cum quibus hæc suppositio convertitur in demonstrationem: ergò mundus habet principium.

10. Perfectio largitatis est major in dono, quod est eadem natura cú perfectione & largitate, quàm in dono distincto à perfectione & largitate; igitur si mundus esset æternus, ejus æternitas esset perfectio, cùm inter æternitatem & perfectionem realiter nulla sit differentia; quare haberent aliquam inclinationem ad imperfectionem, quâ mediante æternitas mundi conveniret cum principio & fine, quæ conveniunt cum imperfectione: & quoniam mundus nec in parte nec in toto est perfectio, igitur habet convenientiam cum imperfectione, quæ disconvenit æternitati, cui non potest disconvenire perfectio infinitæ largitatis: ergò mundus non est æternus.

11. Justitia non consentit, quòd ejus effectus in se terminet perfectionem; quia sequeretur, quòd effectus esset perfectio effectûs, nec perfectio effectûs esset in causa, quæ convenit cum perfectione in magnitudine nobilitatis, virtutis & bonitatis: unde si mundus esset æternus, terminaretur perfectio in effectu, & effectus esset perfectio effectûs, videlicet passiva æternitas; & peccatum æternaliter esset in perfectione & in æternitate; & sic peccatum esset sinè principio & fine, disconveniens cum omni accidente; sed hoc est contradictio, quæ esset in effectu justitiæ contra largitatem, quæ disconvenit cum omni contradictione & injuria, ergò mundus habet principium.

12. Simplicius donum est dare esse de non esse, quàm dare esse de esse, nisi tamen esse, quod datum est ex esse, esset simplex & infinitum & æternum in magnitudine bonitatis &c.; nam esse, quod datum est ex altero esse finito in quantitate & duratione,

non datum est simpliciter per omnes modos, sed potiùs est donum compositum per transmutationem unius esse in alterum: & quia æternitas convenit cum simplicitate largitatis, magnitudinis, bonitatis &c., igitur secundùm amorem, justitiam, virtutem, sapientiam & nobilitatem convenit, mundum esse principiatum.

13. Nobilitas fortiùs convenit cum largo, quàm cum recipiente donum; sed si largitas est idem quod largiens, & recipiens donum, & donum, & hoc in una eadem essentia & natura infinitè & æternaliter, tunc largiens & recipiens & donum sunt in una eadem qualitate: unde si mundus est æternus, ut in ejus æternitate effectus tantum possit recipere per extensivam durationem, quantum potest causa largiri, vilitas est in causa, & nobilitas in effectu: quoniam si mundus est æternus, convenit, quòd causa largiatur & auferat æternaliter esse, & hoc per generationem & corruptionem, habens in sua largitate vilitatem, in quantum aufert esse, & habens in suo effectu nobilitatem, in quantum ille recipit esse, nec aufert illud: & quia est impossibile, quòd vilitas conveniat cum largitate, quæ est causa, ergò mundus non est æternus.

De Simplicitate & Creatione.

1. BOnitas, magnitudo, æternitas, potestas &c. DEI habent minorem simplicitatem, si mundus est æternus; quia si mundus est æternus, tota bonitas non est tota æternitas, nec tota magnitudo est tota æternitas; & tota æternitas, quæ est causa, non est tota æternitas, & hoc idem sequitur de omnibus divinis dignitatibus; & æternitas mundi, quæ est effectus, impedit bonitatem, quæ est causa, esse totam æternitatem; & isto eodem modo impedit magnitudinem, potestatem &c., quæ cum bonitate sunt unum & idem: sed quia effectus non potest impedire nobilitatem divinæ simplicitati, quæ est divina magnitudo, ergò mundus habet principium.

2. Forma & materia mundi haberent æqualem simplicitatem in Magnitudine, si esset æternus, & propter influentiam simplicis æqualitatis in partibus mundi forma & materia essent æquales; sed quia in omni elementato corpore forma per generationem est magis remota à privatione, quàm materia, & materia per corruptionem est magis propinqua ipsi non esse, quàm forma, & quia omne causatum existit in suis partibus, sequitur, quòd mundus habeat principium, ut magnitudo simplicitatis naturaliter possit esse major, quàm parvitas simplicitatis, & hoc formaliter & materialiter; quæ magnitudo seu parvitas simplicitatis non esset, si mundus esset ab æterno.

3. Æternitas, quæ est DEUS, magis simpliciter est DEUS, & bonitas, magnitudo, potestas &c., secundùm simplicitatem Essentiæ & Naturæ, quàm causa in æternitate & DEO & bonitate &c.; nam causa relativè intelligitur per distinctionem agentis & patientis, & non est eadem relatio causæ & causati: unde sicut proprium est homini ridere, & igni calefacere, sic & multò meliùs proprium est æternitati æternificare in se ipsa suum bonum, magnum, intelligentem & intellectum &c., ut sola æternitas & simplicitas conveniant soli DEO, sicut soli homini convenit ridere, loqui, scribere &c.; & ideo si mundus est æternus, sequitur inde parvitas simplicitatis in æternitate contra bonitatem, magnitudinem &c.; quæ parvitas est impossibilis: ergò mundus habet principium.

4. Potestas naturæ existit in generatione & corruptione per transmutationem temporis & motûs: unde si mundus est æternus, nullum supradictorum accidentium existit in ejus universali entitate, nec ab ejus universali substantia posset influere accidentia in suas partes, sed simpliciter unaquæque pars in alia de se & de alia produceret quodlibet supradictorum accidentium; quod si ita est, sequitur manifestè, opus naturale non esse simpliciter ex essentia mundi, nec ex ejus natura; & quotquot sunt accidentia naturalia, existunt per se ipsa sinè substantia mundi & partibus ejus, in quibus existit ipse mundus; nec aliquod accidens naturale procedit de substantia: unde cùm omnia hæc inconvenientia & multa alia sequerentur, si mundus esset æternus, & omnia essent effectus primæ causæ, ergò mundus non est æternus.

5. Sapientia repugnaret in æterna & infinita simplicitate potestati, & è converso, si mundus esset æternus; quia sapientia sciret, potestatem non posse inclinare æternitatem mundi ad non esse; cui mundo est naturaliter extraneum, se ipsum non esse, si est æternus; & potestas repugnaret hoc modo sapientiæ, scilicet communicando se defectivè actui sapientiæ, qui est scire, in quantum non potuisset producere esse de non esse substantialiter, sed solùm accidentaliter,

partibus mundi sustinentibus aliâ aliam, uno ente procedente ab altero per virtutem generativam & egressivam: unde cùm tale scire esset defectiva potestas in sapientia & in se ipso, ergò mundus habet principium.

6. Amor diligit id, per quod causa simpliciùs est causa, & effectus simpliciùs effectus; si verò dicitur, propter hunc amorem mundum esse æternum, ut causa inde sit causa, & effectus effectus, similiter potest dici, mundum esse infinitum in bonitate, magnitudine, potestate, virtute & nobilitate, ut causa inde sit major in suo effectu, & è converso; quod manifestè falsum est, cùm mundus sit terminatus in quantitate, & subjectus vitiis, habens in suis partibus corruptionem, transmutationem & compositionem: ergò convenit, mundum esse principiatum.

7. Virtus solis plùs influit in ignem, quàm in aliquod aliorû elementorum; & hoc ideo, quia in simplicitate naturæ sol habet majorem similitudinem cum igne, quàm cum altero elemento: unde si mundus est æternus, major virtus, quæ est in mundo, est æternitas; & causa per virtutem æternam est magis agens in suo effectu, quàm per aliam virtutem in hoc mundo existentem: & si hoc ita est, simplicitas æternitatis magis concordat cum duratione mundi, qui non habet virtutem in amare, nec in intelligere, quàm cum bonitate justorum hominum & mortalium, qui habent virtutem in cognoscere & amare supremam Æternitatem, Bonitatem: ergò mundus non est æternus.

8. Veritas nullam habet concordantiam cum falsitate; & quoniam divina veritas est infinita & æterna simplicitas, est impossibile, tantam veritatem falsificare in suo effectu: etiam causata veritas falsificaretur à veritate, quæ est causa, si mundus esset æternus; nam æternitas non esset per se, nec de se, nec in se, nec esset suusmet finis; sed quia æternitas nullam habet terminationem nec mensurationem, sed potiùs convenit, eam esse totam infinitatem & totam perfectionem, idcirco sequitur (si mundus est æternus, nec ejus æternitas habet nobilitatem, quæ convenit simplici æternitati) quòd æternitas, quæ est causa, falsificaret æternitatem, quæ est effectus; & hæc ejus falsificatio est impossibilis secundùm bonitatem, magnitudinem &c. simplicis veritatis: ergò mundus habet principium.

9. Gloria simplex & æterna est DEUS; & si mundus est æternus, sequitur, in illo *nunc* esse æternam gloriam, cùm omnis causata gloria sit in æternitate mundi in distinctis *nunc* (ita loquendo) secundùm naturas gloriarum; & sic sunt multæ gloriæ, de quibus componitur *nunc*, ut conservetur per individua generabilia & corruptibilia: unde si hoc ita est, sequitur, quòd simplex gloria, quæ est causa, sit defectiva dando gloriam æternam; quia si mundus habuit principium, gloria alicujus hominis resuscitati existentis in gloria sinè fine est major in simplicitate, quàm omnis gloria omnium hominum, si mundus esset æternus: & quia gloria, simplicitas & magnitudo conveniunt, pœna verò compositio & parvitas, ergò mundus habet principium.

10. Perfectio divina habet tantam concordantiam cum simplicitate, quòd in infinita & æterna perfectione nulla possit esse minoritas, nec compositio, nec imperfectio: & si mundus esset æternus, æternitas illius haberet in se ipsa perfectionem, neque ad aliam perfectionem moveretur, sed cessaret ordinalis & naturalis motus; & ita sequeretur, quòd effectus haberet in se suam perfectionem, & non in altero, & hoc modo per se posset esse; quod est impossibile: ergò mundus habet principium.

11. Justitia, quæ est causa, vult, quòd sua simplicitas habeat intra se simplicius opus, cùm ipsa intra se habeat ita simplex opus, quòd inde nulla differentia sequatur, per quam in ea sit causa & effectus; & hoc ideo, quia simplicitas infinitè & æternaliter operatur in se ipsa de sua bonitate, magnitudine &c.; sed quia suprema Causa de rebus finitis extra se non tantum operatur de sua natura neque entitate, idcirco est causa suo extrinseco operi: unde cùm hoc ita sit, sicut sol se totum convertit in lucem, & intellectus in intelligere, sic convenit, mundum, qui est effectus, totum esse conversum in terminationem temporis & quantitatis, solâ simplici justitiâ existente sinè principio & sinè fine, ut omnimodè causa superet suum effectum nobilitate & simplicitate, ad hoc, ut justitia, amor & magnitudo conveniant cum simplicitate: ergò mundus non est æternus.

12. Largitas, quæ dat esse & principium speciebus & individuis, est simplicior in magnitudine & perfectione, quàm largitas, quæ speciebus non daret principium nec esse: unde si mundus est æternus, omnes spe-

cies

cies sunt æternæ, & per earum æternitatem earum individua simpliciter & successivè revertuntur actualiter in suas species; neque divina largitas est tam magna in suo effectu, quàm si mundus haberet principium; & quia largitas convenit cum magnitudine simplicitatis, ergò mundus habet principium.

13. Tam nobilis est simplicitas æternitatis, quòd æternitas nulli enti conveniat, nisi cum æternitate sit eadem entitas & natura sinè ulla differentia: & ideo, si mundus est æternus, æternaliter vilitas peccati existit res magìs inconveniens, quæ possit existere in subjecto; & æternitas mundi est subjecta nobilitati & vilitati; sed quia majus inconveniens & major impossibilitas, quæ possint esse, est, peccatum esse in suprema simplici æternitate, idcirco convenit, in duratione, quæ est effectus, non esse æternam speciem peccati, quæ in ea esset, si mundus esset æternus, ergò mundus habet principium.

De Nobilitate & Creatione.

1. BOnitas divina habet tantam nobilitatem in se ipsa, quòd excedat nobilitatem, quæ est in effectu, sicut sol splendore excedit aërem illuminatum à sole; & ideo si mundus est æternus, divina bonitas non tantúm excedit nobilitate suum effectum, quantúm illum excedit, si mundus habuit principium, sicut sol, qui splendore non tantúm excedit lucem ignîs, quantúm aëris: unde cùm æternitas non possit excedi in duratione, & conveniat, æternitatem, quæ est causa, per magnitudinem bonitatis in nobilitate excedere omnem aliam durationem, quæ est parva in bonitate nobilitatis, & hoc conveniat secundùm justitiam, simplicitatem &c., ergò mundus non est æternus.

2. Magnitudo divina est tanta in nobilitate, & è converso, & hoc per totam bonitatem, æternitatem, potestatem, quòd omnia, quæcunque sunt in effectu divinæ nobilitatis, sint magìs dissimilia, quàm similia suæ causæ; & hoc est propter parvitatem, cum qua concordant, & propter infinitatem nobilitatis, bonitatis &c. in magnitudine: & ideo, si mundus est æternus, ejus æternitas est magìs similis, quàm dissimilis æternitati suæ causæ; & hæc major similitudo, quàm dissimilitudo produceret in causa vilitatem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd mundus non est æternus.

3. Æterna nobilitas non potest esse sinè æternificare nobilitatis; quia si ipsa cessaret nobilificare, ejus cessatio esset vilitas æternitatis; quod est impossibile: & idcirco quidam Philosophorum dixerunt, mundum esse æternum, attribuentes causæ effectum æternum, ut causa non esset otiosa: unde si mundus est æternus, ut causa non sit otiosa, est otiosa in se ipsa, & hoc æternaliter & infinitè; & hoc est impossibile: & quia antiqui Philosophi hoc impossibile ignoraverunt, idcirco imaginati fuerunt, mundum esse æternum, ignorantes vilitatem, quæ sequeretur in æternitate, quæ est causa, si mundus esset æternus, ipsâ causâ coæquante suum effectum suæ æternitati propter indigentiam sui operis æterni: ergò mundus habet principium.

4. Potestas solis esset in majori nobilitate illuminando, si ipse esset tantùm unus illuminator ita singularis, quòd non esset alius, quàm cùm ignis habeat potestatem illuminandi; & quoniam sunt duæ naturæ potestatis naturalis, videlicet una remota, velut influentia solis in corporibus elementatis, & altera propinqua, velut humores in corpore vegetato, igitur per istam potestatem naturalem demonstratur, mundum esse de novo creatum; quia si esset æternus, potestas causæ esset remota à suo effectu, & potestas ejusdem effectûs esset propinqua sibi ipsi: & quia propinquitas convenit cum majoritate, & remotio cum minoritate, & nobilitas & majoritas simul conveniunt, idcirco convenit, mundum de novo esse creatum, ne bonitas potestatis justitiæ æternæ, sapientis, diligentis &c. sit contra magnitudinem nobilitatis in suamet potestate; contra quam esset, si inclinaret suam nobilitatem, ut nobilitas potestatis sui effectûs esset sublimis: ergò mundus non est æternus.

5. Sapientia divina nobiliùs intelligit suam æternitatem, si mundus de novo fuit creatus, quàm si est æternus; quia si de novo est creatus, ipsa intelligit tantùm unam æternitatem; sed si mundus est æternus, ipsa intelligit, æternitatem esse extra infinitatem bonitatis, magnitudinis, potestatis &c., quæ in duratione est æqualis suæmet æternitati: & quoniam nobilius intelligere, quod possit esse, à divina sapientia est affirmabile, eò quòd à divino amore est amabile, & à divina justitia justificabile, & à divina veritate verificabile: ergò mundus non est æternus.

6. Amor nihil amat contrarium suæ nobilitati in suo effectu; unde si mundus est æternus, amor & mundus, qui est ejus effectus, se haberent in æternitate, sicut se habent in motu molendinum & equus movendo complens motum; nam motus equi est per secundam intentionem, motus verò molendini per primam: unde cùm in farina sit motus secundùm intentionem causæ finalis, & iste motus ejus sit nobilior, quàm equi & molendini, igitur esset major nobilitas in æternitate, quæ est effectus, quàm in æternitate, quæ est causa, & major in effectu æternitatis mundi, qui est opus naturale & corruptibile, quàm in ipsa æternitate mundi; & quia amor non haberet perfectam nobilitatem in amare, si amaret, mundum esse æternum secundùm supradicta, ergò mundus habet principium.

7. Virtus & nobilitas fortiùs conveniunt in magnitudine, quàm in parvitate; & ideo vitium est majus in persona magnæ nobilitatis, quàm in persona vilitatis: & quia homo habet majorem virtutem, considerando & amando, divinam æternitatem esse unicam tantùm, quàm dum imaginatur & amat, mundum esse æternum & æqualem in duratione divinæ æternitati, idcirco convenit, mundum de novo esse creatum; alioquin sequeretur, quòd virtus & nobilitas haberent concordantiam in magnitudine falsitatis, & in parvitate veritatis; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

8. Veritas creata habet majorem nobilitatem in fine, quàm in medio; & ideo nobilior est in medio, quàm in principio; & hæc ordinatio est in omni opere naturali, & in omni virtute intellectuali; & ideo si mundus est æternus, sequitur totum oppositum prædictæ ordinationis; quia per æternitatem mundi esset in individuis humanæ speciei major quantitas falsitatis, quàm veritatis, pluribus hominibus falsificantibus, quàm verificantibus, secundùm quòd manifestè apparet: & hoc modo nobilitas, quæ convenit cum magnitudine, esset in finali intentione per falsitatem, & in principio & medio per verificare; & hoc est impossibile: ergò mundus non est æternus.

9. Gloria æterna nulli effectui convenit, si mundus est æternus; & hoc per se manifestum est secundùm principia hujus Artis: & quoniam gloria non potest convenire cum nobilitate contra æternitatem, igitur omne id, per quod disconvenit, æternam gloriam esse, convenit esse contra veritatem & nobilitatem: unde si mundus est æternus, hoc est per concordantiam & per contrarietatem gloriæ, veritatis & nobilitatis; & sic est æternus & non est æternus; quod est contradictio: per quam contradictionem demonstratur, mundum non esse æternum, in quantum convenit, illum habere principium, ne sequatur supradicta contradictio; & sic mundus est perpetuus non habendo finem, ut aliquis effectus habeat tantam nobilitatem, quòd per suam causam, ex qua recipit influentiam bonitatis, sit in gloria suæ causæ sinè fine: & sic perfectio infinitæ & æternæ nobilitatis est in bonitate, potestate &c., ergò mundus habet principium.

10. Si mundus habet principium, perfectio potest illi dare majorem nobilitatem in duratione, quàm si esset æternus; quia si mundus esset æternus, perfectio non potuisset illi dedisse perfectionem in principiando; ergò nobilitas mundi esset in medio sinè principio, & esset sinè fine absque causa finali: & quia perfectio, quæ est causa, potest dare majorem nobilitatem perfectioni, quæ est effectus, dando ei principium & medium, ut sit sinè fine, ergò mundus habet principium.

11. Justitia non consentit, magnitudinem nobilitatis habere majorem concordantiam cum minùs nobili, quàm cum magis nobili: unde si omnis homo habet principium in æternitate, convenit, quòd in ea habeat finem; & justitia habet majorem concordantiam cum nobilitate æternitatis causæ, quàm cum nobilitate hominis, qui cum sapientia, amore, merito & gloria est concordans: & ideo si humana species habet principium, mundo existente æterno, sequitur, quòd justitia & nobilitas habeant majorem concordantiam cum materia hominis, quàm cum illius natura & entitate, & homo est magìs nobilis & magìs justus per æternitatem, quàm per naturam & essentiam; & hoc est impossibile: ergò mundus habet principium.

12. Quoniam largitas & magnitudo concordant, magìs nobile potest influere plus nobilitatis, quàm minùs nobile recipere; & ideo causa est nobilior effectu; quia si effectus posset tantum recipere, quantum

causa influere, causa & effectus æquali mensurâ essent in æquali nobilitate magnitudinis per modum dandi & recipiendi: unde si mundus est æternus, ipse tantum reciperet in æternitate, quantum largitas largitur; & hoc modo quantò plus datur in æternitate, tantò plus in illo destruitur; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, mundum habere principium.

13. Simpliciter convenit, mundum esse creatum, ut nobilitetur à causa; ergò vilificare, quod est in mundo, non causatur à simplicitate, quæ est suprema Causa: & ideo, si mundus est æternus, convenit, vilificationem causari in durationè, & hoc à causa æterna contraria nobilitati & simplicitati: unde cùm hoc sit inconveniens, sequitur, mundum habere principium, & illum de nihilo esse creatum, & vilificationem, cui mundus est subjectus, devenire simpliciter per inclinationem vitii, quod concordat cum nihilo: ergò mundus non est æternus.

Expliciunt Rationes super quintum Articulum, in quibus manifesto modo probatur, mundum habuisse principium, & à prima Causa fuisse creatum; cujus creationis probatio fit per *Artem Demonstrativam*, sequendo *Regulam Suppositionis & Demonstrationis*; „nam ad reducendum hunc Librum „sub compendio, supposuimus aliqua Prin„cipia, quæ manifestè demonstrabilia sunt „secundùm Doctrinam Artis Demonstra„tivæ, quæ noviter est inventa ad cogno„scendum & diligendum nostrum Domi„num DEUM.

INCIPIT QUARTA DISTINCTIO, QUÆ EST De Recreatione Mundi.

HÆc præsens Distinctio dividitur in *tres Partes*, in quarum *Prima* probatur, primum Hominem peccasse: in *Secunda* probatur, Peccatum ejus esse Generale seu Originale: in *Tertia* & ultima probatur Recreatio. Unde secundùm ordinem primò de prima Parte & per consequens de aliis tractabimus.

PRIMA PARS,
De Peccato Primi Hominis.

SEx *Rationibus* inter cæteras Rationes volumus probare, primum Hominem peccasse; de quibus sex hæc est prima.

1. Probatum est in præcedentibus, Generationem & Processionem esse in Divinis: unde si primus Homo non peccasset, habens libertatem ad peccandum & ad non peccandum, usus libertatis ejus esset nimis similis libertati Patris & Filii & Sancti Spiritûs, qui non possunt peccare; sed quia primus Homo non potuit habere nimis altam similitudinem cum Divinis, usus fuit libertate peccandi, ut libertas illius esset dissimilis libertati divinæ (hoc modo videlicet, quòd non fuerit coactus ad peccandum) ad demonstrandam magnam sapientiam & nobilitatem in Divinis, quæ ejus peccato non consentiunt, ut sequeretur supradicta ordinatio, quæ non sequeretur, si primus Homo non peccasset; quam ordinationem etiam convenit esse ad significandam maximam perfectionem, quæ est in Divinis & in libertate Divinorum.

2. Manifestum est, DEUM creasse omnia, ad demonstrandum, suam potestatem esse magnam; & eum creasse primum Hominem, ut operaretur bonum, non ut peccaret: unde si primus Homo non peccasset, sequeretur, divinam potestatem non potuisse demonstrari in tanta magnitudine misericordiæ & veniæ, & potestas DEI esset major in consequentibus hominibus peccantibus, in quantum illis parceret, quàm in primo; & hoc est inconveniens: ergò per hoc demonstratur peccatum primi Hominis.

3. DEUS principiavit hominem, ut homo frueretur gloriâ; sed quia homo peccavit, deviavit à principio, ad quod est creatus; medium verò, per quod homo tendat ad gloriam, sunt virtutes & odium vitiorum:

rum: & quia homo plùs potest odire vitia, si illa fecit, quàm si illa non fecit, ideo quantò plùs odit vitia, tantò magìs appropinquat fini, ad quem est creatus: unde si primus Homo non peccasset, non posset tantúm adversari vitiis, quantúm ejus successores; & sic fuisset cum minori principio, cum minori medio & cum minori fine; quod est inconveniens: ergò primus Homo peccavit.

4. Homo est creatus ad essendum in gloria; unde si primus Homo non peccasset, ejus gloria fuisset tantùm in hoc mundo; nam sinè peccato non esset mortuus, cùm culpa sit principium Mortis, secundùm quòd à maxima justitia DEI demonstratur: & si primus Homo non esset mortuus, deviasset à fine, ad quem est creatus, & divina justitia fuisset illi contraria, & ejus successores corporaliter morientes justi, qui hanc mortem propter culpam fuissent meriti, fuissent mediante peccato in statu nobiliori, quàm primus Homo, qui adhuc viveret, si non peccasset; & hoc est inconveniens: ergò primus Homo peccavit.

5. Si primus Homo non peccasset, non essent *tria principia naturæ*, scilicet *forma, materia, privatio*; quæ si essent propter peccata hominum consequentium, essent magis remota in primo Homine, quàm in consequentibus ejus; & hoc est inconveniens.

6. In primo Homine divina bonitas priùs fuit usa gratiâ & largitate, quàm in successoribus illius ab ipso derivatis; si autem primus Homo non peccasset, justitia priùs exercuisset usum in successoribus primi, quàm in ipso primo, dando illis naturales cruciatus pro peccatis, scilicet famem, sitim, calorem, frigus, ægritudinem & mortem, nec justitia posset uti in primo Homine, sicut in his; & sic esset in minoritate, bonitas verò in majoritate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem probatur Peccatum primi Hominis.

SECUNDA PARS,
De Originali Peccato.

AD probandum Originale Peccatum inter alias accipimus *sex Rationes*, quarum hæc est prima.

1. In primo Homine fuit exaltata & nobilitata tota humana species; cujus exaltatio & nobilitatio fuit per magnam bonitatem DEI, quæ influxit gratiam toti humanæ speciei in primo Homine, in quantum illum exaltavit super cæteras species creatas (exceptâ solâ specie angelicâ) unde si peccatum primi Hominis non fuisset generale, usus justitiæ non esset in tanta magnitudine ad puniendum humanam speciem pro culpa, sicut usus bonitatis ad faciendum illi gratiam: & quia justitia est in æquali magnitudine cum bonitate, idcirco convenit, peccatum primi Hominis esse generale, ut bonitas & justitia in æquali magnitudine possint convenire.

2. Si peccatum primi Hominis non esset generale, bonitas, voluntas & justitia DEI non ita fortiter contrariarentur peccato, quod convenit cum malitia & injuria, indignum amari, sed dignum semper odiri; nam si peccatum est generale, ipsum est in majori magnitudine; si verò non est generale, est in minori: & quia divinæ Dignitates plùs possunt contrariari peccato in majori magnitudine, quàm in minori, ut major contrarietas contra peccatum meliùs conveniat divinis Dignitatibus, quàm minor, ergò per hoc demonstratur, quòd peccatum primi Hominis sit generale; maximè cùm omnes divinæ Dignitates sint eadem Essentia & Natura cum divina magnitudine.

3. Si peccatum originale non esset, justi morerentur contra justitiam DEI; & infantes, priusquam possent uti ratione, & etiam justi contra justitiam paterentur in hoc mundo labores, famem, sitim, ægritudinem & sic de aliis: sed quia in justitia DEI est omnis perfectio, ergò per hoc demonstratur, peccatum primi Hominis esse generale.

4. Si peccatum originale non esset, omnis homo, in quacunque lege sive credulitate esset, mereretur habere salvationem, si haberet intentionem, quòd sua lex esset vera; sed quia DEUS est veritas, & omnes credentiæ hominum non sunt veræ, in quantum contrariantur, idcirco convenit, originale peccatum esse, ut nemo possit venire ad salvationem, qui non est in via veritatis; quæ via regeneratur per Recreationem.

5. Manifestum est, corpus humanum esse corruptibile propter peccatum; & quia Anima diligit idem corpus, & cum ipso vult esse, & odit se ab eodem separari, idcirco per hoc velle declinat Anima ad culpam corporis; & quia corpus habet corrup-

tionem propter culpam primi Parentis, convenit, quòd per medium accidentaliter cadat culpa in Animam diligentem illud corpus; à qua culpa mundatur Anima per Baptiſmum, in quo odit peccatum: & quia hoc ita eſt, ergò eſt Peccatum originale.

6. Si Peccatum originale non eſſet, Recreatio non eſſet; & quia illa eſt, ût probavimus, ergò Peccatum originale eſt; quod peccatum non eſt per coactionem, ſed ſolùm ex ipſo ſequitur Recreatio, licèt peccatum non ſit cauſa Recreationi, ad ſignificandam maximam contrarietatem, quæ eſt inter divinas Dignitates & peccatum; quæ contrarietas ſignificatur in hoc, quòd peccatum non eſt principium bono, quod inde ſequitur: & ideo per has ſex ſupradictas Rationes manifeſtum eſt, Peccatum originale eſſe.

TERTIA PARS,

De Recreatione.

AD probandam Recreationem recolendæ ſunt ſedecim Dignitates noſtri Domini DEI, quibus convenit probare Recreationem; quæ Dignitates ſunt hæ: ſcilicet *Bonitas*, *Magnitudo*, *Æternitas*, *Poteſtas*, *Sapientia*, *Voluntas*, *Virtus*, *Veritas*, *Gloria*, *Perfectio*, *Juſtitia*, *Largitas*, *Simplicitas*, *Nobilitas*, *Miſericordia*, *Dominium*: & ideo ſecundùm ordinem dicemus de qualibet; & primò de Bonitate.

De Bonitate & Recreatione.

1. BOnitas divina bonificat ſuum effectum creando eum; quia omni enti eſt bonum habere eſſe, cùm non eſſe ſit privatio boni; & quia ex bonificare ſequitur bonum in effectu, igitur ſi Recreatio eſt, erunt duo bona, unum per Creationem, alterum verò per Recreationem; & quia bonitas DEI convenit cum magnitudine, & Recreatio eſt bonum non exiſtens contra magnitudinem ejusdem bonitatis, ſed exiſtens uſus magnitudinis, ergò Recreatio dat demonſtrationem ſui ipſius in magnitudine bonitatis, quæ magnitudo convenit bonitati, ne ei meliùs conveniat minoritas boni, quàm majoritas: ergò per hoc demonſtratur Recreatio.

De Magnitudine & Recreatione.

2. MAgnum eſt creare aliquid de nihilo, ſed majus eſt recreare ens inclinatum in nihilum; nam creationi non poteſt reſiſtere culpa, & non ens non poteſt dare reſiſtentiam ſuæ cauſæ, cùm ipſum nihil ſit; ſed ens culpabile à ſua cauſa deviatum inclinans ſe in nihilum meretur culpam, propter quam dignum eſt ſubjici pœnæ; verùm quia cauſa ducit ſuum effectum ad perfectionem per viam veniæ & purificationis, majus opus eſt Recreatio, quàm Creatio; in qua Creatione non eſt neceſſe dare veniam, & in qua non eſt purificatio, nec aliqua coactio: unde, quia divinæ magnitudini convenit magnus uſus magnificandi in ſuo effectu, neceſſariò convenit, Recreationem eſſe; quia ſi non, diſconveniret magnitudini magnus uſus magnificandi in ſuo effectu; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Æternitate & Recreatione.

3. CReatio fuit in principio mundi, quando DEUS illum creavit ex nihilo; & ideo ſi Recreatio eſt, in medio eſt: & quoniam principium & medium conveniunt cum fine, & principium non poteſt convenire cum fine ſinè medio, convenit, eſſe Recreationem, ut principium & finis meliùs poſſint convenire per majus medium; & hæc major convenientia eſſet in privatione ſinè Recreatione: & ſi Recreatio non eſſet, æternitas non influeret tantùm in ſuum effectum, quantùm convenit ſecundùm nobilitatem ſuæ æternæ æternificationis, ex qua influitur duratio, quæ convenit ævo: & quia æternitas convenit cum magnitudine, juſtitia &c., ergò per hoc demonſtratur Recreatio.

De Poteſtate & Recreatione.

4. DIvina Poteſtas poteſt uti in ſuo effectu, ſecundùm quòd convenit ſuæ magnitudini & nobilitati & aliis Dignitatibus DEI; & quia in recreare eſt magnitudo bonitatis, æternitatis &c., convenit, quòd poteſtati conveniat magnitudo, per quam poteſtas in Recreatione conveniat cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c. in ſuo effectu; aliter in poteſtate eſſet minoritas, & in bonitate, æternitate &c. eſſet majoritas; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Sapientia & Recreatione.

5. DIvina Sapientia habens omnem perfectionem creavit mundum ad aliquem finem, qui convenit cum perfectione; & quoniam homo peccavit ſecundùm ea, quæ ſuprà dicta ſunt, & quia homines peccant actualiter, ût nobis experientia manifeſtat, & peccatum eſt deviatio perfectionis, idcirco convenit, mundum eſſe reductum ad finem, ad quem eſt creatus, ne ſapientia habeat mutare finem, ad quem ipſa creavit mundum; quia ſi mutaret eum, haberet imperfectionem ſcientiæ & poteſtatis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Voluntate & Recreatione.

6. NAtura & ratio eſt, quòd cauſa diligat ſuum effectum; quia ſi odiret illum, ipſa odiret juſtitiam, in quo odio voluntas cauſæ odiret ſe ipſam, in quantum eſt eadem natura cum juſtitia & magnitudine; ſed quoniam diligere Recreationem effectûs eſt magnitudo charitatis, idcirco diligere Recreationem eſt magnitudo juſtitiæ; per quam magnitudinem charitatis & juſtitiæ convenit, eſſe Recreationem, poſtquam effectus declinat ad peccatum ſecundùm ea, quæ ſuprà dicta ſunt: ergò datur Recreatio.

De Virtute & Recreatione.

7. SI Recreatio eſt, ſequitur ex ea major concordantia virtutum creatarum in effectu, & major contrarietas virtutum & vitiorum; & quoniam hæc majoritas eſt amabilis in effectu, igitur ſi cauſa odiret hanc majoritatem, amaret minoritatem contra majoritatem, odiendo magnitudinem ſuæ virtutis, quæ habet majorem concordantiam cum majoritate, quàm cum minoritate: ergò datur Recreatio.

De Veritate & Recreatione.

8. VEritas & falſitas ſunt oppoſita; & quia natura veritatis eſt conſervare finem, quem creavit, ideo falſitas opponitur veritati pervertendo mundum à fine, ad quem eſt creatus: igitur ſic per oppoſitum veritas convertens mundum in finem, ad quem creavit eum, opponitur falſitati: & quia mundus fuit perverſus à prædicto fine, & non fuiſſet converſus ad eundem, veritas ſuccubuiſſet falſitati, & falſitas habuiſſet majorem magnitudinem in malitia & poteſtate, quàm veritas in bonitate & poteſtate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Gloria & Recreatione.

9. DEUS eſt Gloria, & idcirco creavit homines ad glorificandum; & quia homo peccavit, deviavit à fine, & inclinavit ſe ad cruciatus: unde ſi DEUS eum non recreaſſet, peccatum, quod convenit cum nihilo, plus poſſet eum inclinare, quàm gloria exaltare; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Perfectione & Recreatione.

10. PErfectio & imperfectio ſunt contrariæ, in Creatione autem imperfectio non eſt tantùm remota à perfectione, quantùm in Recreatione; cùm in Creatione non ſit contrarium perfectionis & imperfectionis, ſed in Recreatione: & quia ſoli DEO convenit Creatio, & ſoli DEO convenit omnis perfectio, igitur convenit illi recreare, ut ejus perfectio removeat perfectionem ab imperfectione: ergò datur Recreatio.

De Juſtitia & Recreatione.

11. SI DEUS creaſſet & non recreaſſet, bonitas divina eſſet creatrix, & juſtitia puniret, ſed miſericordia nemini parceret; & ſic eſſet contrarietas in magnitudine bonitatis, juſtitiæ & miſericordiæ DEI; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Recreatio.

De Largitate & Recreatione.

12. DEUS aſſumpſit humanam Carnem, induens Humanitatem, ſecundùm quòd in ſubſequentibus manifeſtis probationibus apparebit: unde ſi Recreatio non eſſet, Incarnatio DEI non concordaret tantùm cum magnitudine bonitatis, æternitatis &c.: & quoniam Incarnatio DEI convenit cum omni nobilitate bonitatis &c., de neceſſitate convenit, quòd largitas largiretur Incarnationi recreare, ut Incarnatio haberet totam nobilitatem, quæ ſibi convenit; quia ſi non, magnitudo largitatis ſuperaretur ab acedia, invidia, avaritia &c.: ergò datur Recreatio.

De Simplicitate & Recreatione.

13. DEUS eſt bonitas, magnitudo &c., & ipſe creavit mundum eâ intentione, ne mundus corrumperetur, nec ullo modo deviaret à fine, ad quem eſt creatus: & quoniam mundus eſt ſubjectus peccato, peccatum eſt contra ſupradictum finem; ſi

autem DEUS non est alteratus in scientia, nobilitate&c.,& restituit mundum ad supradictum finem, divina simplicitas meliùs significatur in bonitate, magnitudine &c.: & quia illud convenit cum esse, per quod divina simplicitas meliùs significatur, & omne id disconvenit cum esse, quod contrariatur vel opponitur magnitudini significationis simplicitatis DEI, ergò datur Recreatio.

De Nobilitate & Recreatione.

14. DEO convenit omnis Nobilitas, quæ convenit creaturæ, dummodò illa nobilitas non conveniat DEO cum vilitate; sed quia convenit reparare & restituere aliqua hominibus, quæ à perfectione declinant ad imperfectionem, igitur de necessitate convenit, DEUM reparasse mundum; cùm reparatio mundi ei sit nobilitas: ergò datur Recreatio.

De Misericordia & Recreatione.

15. MAjor Misericordia est recreare, quàm creare; nam in Recreatione est parcere, quod convenit cum misericordia; sed in creare non est parcere: & quia misericordia DEI habet majorem concordantiam cum majoritate, quæ convenit cum sua magnitudine, quàm cum minoritate, in qua concordantia est voluntas, quæ habet æqualitatem cum magnitudine, ergò datur Recreatio.

De Dominio & Recreatione.

16. DOminium & justitia habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate: unde si Recreatio est, dominium est majus in causa per Recreationem, quàm sinè Recreatione; nam quantùm causa causat suum causatum ad se diligendam & cognoscendam, tantò magis causatum est obligatum ad diligendam suam causam: & quia justitia nobilitat causatum, quantò magis subjicitur suæ causæ, & causa & nobilitas sunt idem, igitur de necessitate convenit per hanc rationem & per plures alias prædictas, mundum fuisse recreatum.

INCIPIT QUINTA DISTINCTIO, QUÆ EST De Glorificatione.

AD probandam hanc Distinctionem debent recoli sedecim Dignitates nostri Domini DEI, de quibus sumitur *Gloria*, & in ipsa revolvuntur aliæ Dignitates probando Glorificationem, quam post novissimum diem exspectat cœtus Fidelium: unde secundùm ordinem primò dicemus de Bonitate.

De Bonitate & Glorificatione.

1. BOnitas & gloria DEI sunt idem in ejusdem magnitudine; & ideo est inconveniens, in illis esse ullam parvitatem: & ideo si nulla gloria daretur homini, nisi solùm gloria mundi, homo crearetur ad minus bonum & ad minorem gloriam, & non è contrario, & bonitas & gloria DEI haberent disconvenientiam in effectu contra magnitudinem DEI, & concordarent cum parvitate; quod est impossibile: igitur necessariò convenit, esse aliam gloriam, in qua sit tanta magnitudo, quòd bonitas & gloria DEI possint concordare in sua magnitudine & æternitate &c.

De Magnitudine & Glorificatione.

2. NOn est minoritas causæ, ipsam sibi assimilare suum effectum, sed est magnitudo suæ bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; quia si esset minoritas, magnitudo bonitatis &c. esset causa odiendi suum effectum; & hoc est impossibile: igitur convenit, causam sibi assimilare suum effectum in duratione gloriæ, secundùm quòd requirit justitia, & secundùm quòd magnitudo gloriæ per causam potest recipi in effectu: & quia convenit hoc esse, ergò per hoc demonstratur Glorificatio.

De

De Æternitate & Glorificatione.

3. ÆTernitas non habet potestatem, quòd sibi possit assimilare suum effectum, ut ipse sit sinè principio; sed quia habet potestatem conservandi eum in perpetuo esse, convenit, quòd æternitas sibi eum assimilet in duratione, secundùm quòd assimilatio potest influi à causa in effectum; & ideo si nulla gloria esset æterna in aliquo suorum effectuum, æternitas esset contraria magnitudini sui effectûs; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Potestate & Glorificatione.

4. GLorificari in causa effectum est per Potestatem influxam à causa in effectum, & non posse glorificari in causa effectum est per privationem potestatis privatæ in effectu: unde si nemo haberet potestatem durabilem sinè fine in glorificari, sua causa deficeret à magnitudine potestatis; quæ potestas sibi non assimilaret potestatem sui effectûs, eò quòd haberet avaritiam, invidiam & acediam; sed quia divina potestas est idem cum largitate, æternitate & magnitudine, ergò datur Glorificatio.

De Sapientia & Glorificatione.

5. PRima causa sibi assimilat suum effectum in bonitate & sapientia bonificando & intelligendo: unde si effectus in se non intelligeret æternam gloriam, ipse intelligeret in se majorem privationem boni, quàm mali, & majorem privationem scientiæ, quàm ignorantiæ, & bonitas & sapientia magnificarent in suo effectu privationem boni & sapientiæ, & minorificarent in eo bonum & scientiam; & hoc est contra gloriam, quæ est idem cum bonitate & sapientia: ergò datur Glorificatio.

De Voluntate & Glorificatione.

6. VOluntas convenit cum gloria, diligente causâ suum effectum, & è converso; & ideo sequitur, quòd causa sibi attrahat suum effectum, secundùm quòd effectus potest adhærere suæ causæ per influentiam causæ: unde si tota gloria haberet finem, sequeretur, quòd causa diligendo suum effectum removeret eum à se & à sua similitudine, & quòd effectus, quantò plùs odiret suam causam, tantò magis propinquus & magis similis esset eidem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Virtute & Glorificatione.

7. VIrtus causæ influit virtutem, quæ est in causato; si autem quodlibet causatum deficit in recipienda æterna virtute causæ, imperfectio virtutis est in causa, quæ non influit virtutem durandi sinè fine in suum causatum; & sic causa est otiosa, acediosa & invidiosa in omni virtute causata ex sua virtute; quod est impossibile & contra bonitatem, magnitudinem &c.: ergò datur Glorificatio.

De Veritate & Glorificatione.

8. SI alia gloria non esset in effectu, nisi gloria hujus mundi, vel si gloria æterni sæculi haberet finem, in effectu esset plus falsitatis, quàm veritatis; nam omnia, quæ consideramus & exspectamus de gloria non habente finem, essent error & falsitas; & causa, quæ est justitia, daret suo effectui pœnam, quia considerat & exspectat æternam gloriam, & daret illi gloriam, si de æterna gloria desperaret; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Perfectione & Glorificatione.

9. GLoria omnium hominum in hoc mundo est magis remota à perfectione, quàm ab imperfectione: unde si nulla Glorificatio est, nisi in hoc mundo, sequitur, quòd gloria hominum sit producta per imperfectionem, & pœna per perfectionem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Justitia & Glorificatione.

10. JUstitia vult, quòd prima Causa plùs diligat suum effectum per suam similitudinem, quàm per dissimilitudinem; cùm similitudo habeat majorem concordantiam cum amore, quàm dissimilitudo: unde si gloria in quolibet homine caderet in privationem, DEUS plùs diligeret suum effectum per dissimilitudinem, quàm per similitudinem, quod est contra justitiam, quæ est idem cum gloria, bonitate, magnitudine &c.: ergò datur Glorificatio.

De Largitate & Glorificatione.

11. LArgitas est tantò major, quantò majora dona largitur, & avaritia est major

in

in ente, quod posset largiri plus, & largitur minus: unde si gloria hominum finiretur in hoc sæculo, in alio avaritia esset in magnitudine causæ, largitas verò in parvitate; & sic largitas esset contraria magnitudini bonitatis &c., & magnitudo avaritiæ & magnitudo bonitatis, æternitatis &c. esſent æquales & contrariæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio. 14.

De Simplicitate & Glorificatione.

12. SImplicitas fortiùs sibi assimilat suum effectum, quàm compositio; & quia gloria & simplicitas sunt eadem Essentia & Natura, in qua nulla est compositio, significatur, quòd gloria Beatorum sit æterna; quia si haberet finem, sequeretur, quòd simplicitas non assimilaret sibi tantùm suum effectum, quantùm compositio; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio. 15.

De Nobilitate & Glorificatione.

13. NObilitas effectûs repræsentat nobilitatem causæ, & è converso; unde si gloria hominum non est æterna, & non est alia gloria, nisi gloria mundi, est defectus nobilitatis in supradicta repræsentatione; qui defectus habet concordantiam cum vilitate & imperfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Misericordia & Glorificatione.

MIsericordia parcit secundùm perpetuum finem, & justitia punit & parcit, & largitas non aufert, sed dat: unde si homo non haberet aliam gloriam, nisi gloriam hujus mundi, justitia, quæ est idem cum misericordia, non puniret nec retribueret in æternum, & largitas auferret æternam Gloriam, in quantum idem est cum justitia; sed quia hoc est impossibile & contradictio, per hanc impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

De Dominio & Glorificatione.

SI Dominium non esset, culpa non esset; dominium autem, quod est causa, non causat culpam; quia si causaret illam, non esset idem cum justitia: & ideo si glorificatio non esset, dominium esset puniendo culpam æternaliter; cùm dominium DEI non disconveniat cum duratione æterna; quia si cum illa disconveniret, repugnaret perfectioni, & servitus conveniret cum perfectione; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Glorificatio.

INCIPIT SEXTA DISTINCTIO, QUÆ EST De Incarnatione.

CUm divinis Dignitatibus intendimus probare hanc Distinctionem, quæ dividitur in *quinque Partes*, quarum *Prima* est, cùm probatur, quòd Incarnatio Filii DEI possit esse. *Secunda* est, cùm probatur, quòd debeat esse. *Tertia* est, cùm probatur, quomodo fiat Incarnatio & Unio Personæ Filii DEI cum humana Natura. *Quarta* est, cùm probatur, quòd in Incarnatione DEI non possit esse nisi unus Homo tantùm. *Quinta* & ultima est, cùm probatur, quòd Christus jam sit incarnatus: primæ parti tribuitur *Potestas*, secundæ *Justitia*, tertiæ *Naturatio*, quartæ *Voluntas*, quintæ & ultimæ *Perfectio*.

PRIMA PARS, De Potestate, Bonitate & Incarnatione.

1. SIcut ignis cum suo calore calefacit & comburit, & cum suo lumine illuminat, ita & multò meliùs sinè omni comparatione omne id, quod operatur divina Potestas, operatur cum se ipsa & cum sua æternitate & cum aliis Dignitatibus DEI: unde suppositò, quòd nulla contrarietas dignitatum possit sequi ex Incarnatione Filii DEI, imò

imò potiùs in Incarnatione sit magnus usus potestatis, bonitatis &c., de necessitate convenit, quòd divina potestas habeat tantam bonitatem, quòd Filio DEI per assumptionem possit unire humanam Naturam, quæ cum ipso & in ipso Filio sit una & eadem Persona; quoniam nisi potestas DEI posset ista, ignis plùs posset agere cum suis proprietatibus, quàm potestas in se & in aliis Dignitatibus DEI; & sic privaretur bonitas in magnitudine per potestatem æternitatis, sapientiæ, voluntatis &c.: per quam privationem potestas, æternitas &c. essent in malitia contra magnitudinem bonitatis; quod est impossibile: unde de necessitate convenit, quòd potestas DEI possit unire Naturam humanam cum Natura divina, cùm nulla contrarietas inde sequatur, & cùm humana Natura, quæ est effectus potestatis, bonitatis &c., inde habeat maximam utilitatem.

De Potestate, Magnitudine & Incarnatione.

2. MAnifestum est, quòd ignis plùs possit sibi assimilare suum effectum in magnitudine caloris, quàm in parvitate, & divina Potestas plùs possit de se & in se, quàm extra se; & ideo manifestum est, quòd potestas DEI operetur majus opus in magnitudine, quàm in parvitate; per quod majus opus manifestatur, quòd divina potestas plùs possit operari de DEO & de Creatura simul, quàm de creatura tantùm: unde si divina potestas non posset unire humanam Naturam in esse unius ejusdem Personæ cum Filio DEI, sequeretur, quòd non posset tantum in magnitudine, quantum in parvitate, nec de DEO & Creatura posset operari tam magnum opus, quàm de creatura tantùm; & hoc est impossibile: quia si esset possibile, sequeretur, quòd potestas ignis plùs posset sibi assimilare suum effectum in parvitate caloris, quàm in magnitudine, & plùs posset contra aquam cum frigiditate, quàm cum calore; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem significatur Incarnatio.

De Potestate, Æternitate & Incarnatione.

3. MAnifestum est secundùm perfectionem divinarum Dignitatum, quòd quælibet earum imprimat similitudinem in effectum, sicut bonitas, quæ bonificat, & magnitudo, quæ magnificat in creaturis; & ideo convenit, quòd æternitas faciat creaturam sibi similiorem, secundùm quòd creatura ab illa potest recipere influentiam & similitudinem, quæ influentia & quæ similitudo sunt in duratione & ævo: & ideo convenit, quòd divina potestas, quæ cum æternitate est eadem natura, potuerit incarnasse Filium DEI, & quòd potuerit & possit Carnem, quam ipse assumpsit, facere durare sinè fine, existente illâ eâdem Personâ in Carne non habente dependentiam ad corruptionem nec ad privationem; quia si divina potestas non ita posset, æternitas pateretur defectum magnitudinis & virtutis in potestate, & potestas in æternitate; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Potestate, Sapientia & Incarnatione.

4. VErum est, quòd nobilior finis sit de magis nobilibus, quàm de minùs nobilibus; si igitur DEUS potest de se ipso & de creatura meliùs superare cum miraculoso opere cursum naturæ, quàm cum creaturis tantùm, (cùm de se & de Creatura possit esse finis nobilior, quàm de creaturis tantùm) igitur convenit, quòd potestas sit potens incarnasse Filium DEI; alioquin sciret sapientia, quòd de minùs nobilibus posset esse nobilior finis, quàm de magis nobilibus; & tale scire est impossibile in sapientia DEI, & in omni alia sapientia: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Potestate, Voluntate & Incarnatione.

5. VOluntas & potestas in DEO sunt unum & idem, & in me & in alio sunt diversæ potestates; & ideo si volo esse Rex, non est mihi potestas essendi Rex per voluntatem tantùm: sed si mea voluntas & cujuslibet hominis esset idem cum potestate, ego & alii, quando vellemus, possemus statim esse Rex: & quia voluntas & potestas in DEO sunt idem, igitur de necessitate convenit, si DEUS voluit humanam Naturam assumere, quòd eam potuerit assumere; quia si illam non potuisset assumere, non potuisset eam velle assumere, aut si potuisset, & non assumpsisset eam, esset diversitas & contrarietas inter voluntatem & potestatem; sed quia est impossibile, in eo esse ullam diversitatem & contrarietatem, per illam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Poteſtate, Virtute & Incarnatione.

6. PRobatum eſt in præcedentibus Partibus, in DEO eſſe tres Perſonas, exiſtente quâlibet earum in ſe ipſa & cum altera eâdem Eſſentiâ, eâdem Naturâ ſinè omni differentia: præterea manifeſtum eſt in creaturis, quòd ſimplicia componantur in ſuppoſito aut in perſona, tanquam in planta, quæ eſt ſuppoſitum & compoſitum ex quatuor ſimplicibus elementis, & tanquam in homine, qui eſt perſona ex corpore & Anima compoſita ſimul: manifeſtum etiam eſt, quòd virtus ſolis, quæ eſt una, diverſificet unam operationem ab altera, ſicut ſolvere & deſiccare; & hoc idem ſequitur de unitate virtutis Animæ, quæ diverſificatur in memoria, intellectu & voluntate, quæ ſunt diverſæ potentiæ unius virtutis; & hoc idem ſequitur de aliis ſimilibus iſtis: unde cùm hæc omnia ita ſint, ût jam dictũ eſt, ſecundùm magnam virtutem unitatis Filii DEI potuit divina poteſtas unire cum ipſo Naturam Hominis; quia ſicut Anima cum intellectu intelligit, ita & multò meliùs divina poteſtas cum virtute unitatis habentis naturam uniendi potuit univiſſe unitatem Perſonæ Filii DEI & Naturam hominis: quoniam ſi divina poteſtas iſta non poſſet, unitas Filii DEI in virtute eſſet imperfecta & contra ſe ipſam, & ſupradictæ unitates, quæ ſunt in creaturis, haberent majorem concordantiam cum ſua poteſtate, quàm divina Unitas; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Incarnatio.

De Poteſtate, Veritate & Incarnatione.

7. MAjori & nobiliori fini convenit majus & nobilius principium & medium, & è converſo; & huic convenientiæ non contradicit veritas in creatura: unde ſi divina poteſtas eſt & fuit potens, quòd Filius DEI ſe poterit incarnare, ipſa eſt potens in magis nobili & in majori principio, medio & fine, quàm in conjunctione medii, principii & finis unius creaturæ cum altera; igitur ſi huic majoritati & nobilitati poteſtatis contradiceretur à veritate in principio, medio & fine, ſequeretur, quòd falſitas haberet concordantiam cum majoritate & nobilitate, & divina veritas cum minoritate & vilitate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Incarnatio.

De Poteſtate, Gloria & Incarnatione.

8. DIvinæ Poteſtati convenit tam perfecta magnitudo, quòd illi conveniat omne id magnitudinis, per quod poteſt largiri majorem gloriam; nam hic uſus & proprietas magnitudinis illi convenit in creatura per maximam magnitudinem, quæ eſt in ejus gloria exiſtente infinitâ in bonitate, magnitudine &c.: unde ſi divina poteſtas non potuiſſet univiſſe Naturam humanam cum divina, poſſet dare majorem gloriam humanæ naturæ extra Naturam divinam, quàm intra; ſed hæc majoritas gloriæ adverſaretur magnitudini divinæ gloriæ, cum qua divina poteſtas eſt eadem eſſentia & natura, & poteſtas eſſet contra magnitudinem ſui ipſius & gloriæ divinæ; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Incarnatio.

De Poteſtate, Perfectione & Incarnatione.

9. ESſe & privatio, Perfectio & imperfectio ſunt in homine; eſſe autem eſt in illo, in quantum ipſe eſt homo; privatio eſt in illo, in quantum dependet à non eſſe, & in quantum poteſt devenire in non eſſe; perfectio eſt in illo, in quantum eſt perſona perfecta ex anima & corpore; imperfectio eſt in illo, eò quòd ſubjectus eſt peccato, ignorantiæ &c.: unde ſi divina poteſtas poteſt creare perſonam hominis, quæ convenit cum nobilitate, licèt in illo ſit imperfectio & privatio, quantò magis igitur poteſt creare humanã Naturam, quæ in divina Natura ſinè omni imperfectione eſt eadem Perſona cum illa divina Natura: & ſi divina poteſtas non potuiſſet creare talem creaturam, & unire DEO, non poſſet agere in eſſe nec in perfectione creaturæ ſinè privatione & imperfectione; imò ſuamet perfectio & ſuamet magnitudo, juſtitia & nobilitas adverſaretur poteſtati; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Incarnatio.

De Poteſtate, Juſtitia & Incarnatione.

10. DIvina Juſtitia jubet, omnem hominem poſſe velle omne id, quod ipſe debet velle, & jubet eum facere omne id, quod debet facere; & quia Filio DEI convenit Incarnatio ad manifeſtandum ſuas dignitates & actus earum, per quam Incarnationem poteſt eas meliùs manifeſtare cum ſuis actibus, quàm ſi Incarnatio nihil eſſet, ſecundùm quòd in ſequentibus probabimus, igitur convenit, Incarnationem ejus eſſe poſſibilem, alioquin eſſet impoſſibile, quòd bonitas &c. DEI meliùs poſſet manifeſtare ſuam poteſtatem per Incarnationem, quàm per alium modum Incarnationis contrarium poſſibilitati poteſtatis; ſed cùm per nullum modum Incarnationi contrarium poteſtas poſſit tam potenter & tam bene manifeſtare dignitates DEI cum actibus earum, ſicut per Incarnationem, quod per ſe manifeſtum eſt, igitur convenit, divinam juſtitiam velle, quòd poteſtas poſſit omne id in Filio DEI & in creatura, per quod poteſtas meliùs poteſt manifeſtare illam in bonitate, magnitudine &c.; & quia juſtitia hoc debet velle, convenit, poteſtatem poſſe illud agere; cùm ipſa & juſtitia ſint eadem æternitas & natura: ergò Incarnatio eſt.

De Poteſtate, Largitate & Incarnatione.

11. INfinita Largitas DEI plus poteſt largiri largiendo DEUM & Creaturam, quàm creaturam tantùm; ſi enim DEUS eſſet finitus, largitas plus poſſet largiri largiendo DEUM & Creaturam, quàm DEUM tantùm: & quia largitas & poteſtas in DEO ſunt unum & idem, ideo poteſtas poteſt omne id, quod convenit cum majori largitate; quoniam ſi poteſtas non poſſet unire naturam humanam in eſſe unius & ſolius Perſonæ cum Filio DEI, largitas DEI poſſet ſinè poteſtate in majori magnitudine, & cum poteſtate in majori parvitate; & hoc eſt impoſſibile & contradictio: per quam impoſſibilitatem demonſtratur Incarnatio.

De Poteſtate, Simplicitate & Incarnatione.

12. SIcut ſplendor ſolis comprehendit & ad ſe attrahit lumen ignis, ita ſimplicitas Perſonæ Filii poteſt ad ſe attrahere naturam humanam, ſuppoſito, quòd inde non ſequatur contrarietas bonitatis, magnitudinis &c.; & ſimplicitas poteſt in ſe ipſa eam tantùm elongare à perſonalitate humana, quòd poteſt facere, illam in ſe & ſecum eſſe unam & eandem Perſonam: unde ſi poteſtas iſta non poſſet facere, ſimplicitas Filii DEI non eſſet magis potens, quàm ſplendor ſolis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, poteſtatem divinæ ſimplicitatis poſſe ſibi unire naturam humanam, quam voluntas DEI eidem poteſtati voluit eſſe conjunctam ad manifeſtandam magnitudinem divinæ ſimplicitatis, quæ exiſtens eadem Perſona cum Natura humana mortali & finita eſt infinita & æterna in bonitate &c. ſinè omni alteratione.

De Poteſtate, Nobilitate & Incarnatione.

13. MAnifeſtum eſt, quòd in mixto, in quo non eſt digeſtio, nec ſuppoſitum ex materia & forma compoſitum, non ſit finis, propter quem fit mixtio, velut in aëre patefit, vel in cibo, qui ſumitur in præſenti: unde per hanc ſimilitudinem poteſt conſiderari, quòd non eſſet nobilitas materiæ & formæ in Natura humana Chriſti, eas, ſcilicet materiam & formam, de neceſſitate eſſe Perſonam per ſe, cùm finis illius Naturæ ſit, eam eſſe Perſonam in Perſona Filii DEI cum qua Natura humana non poſſet eſſe eadem Perſona, ſi per formam & materiam haberet eſſe Perſona per ſe: unde ſicut divinæ poteſtati non eſſet nobilitas poſſe peccare, ſed potiùs vilitas, ita formæ & materiæ Naturæ humanæ Chriſti non eſſet nobilitas, eam eſſe Perſonam per ſe tantùm, ſed potiùs vilitas, cùm forma & materia non poſſent eſſe Perſona ſinè diſtinctione Perſonæ divinæ & humanæ: ſed quia divina poteſtas idem eſt cum nobilitate Perſonæ Filii, & quia finis humanæ Naturæ eſt, ipſam eſſe Perſonam in Filio DEI, ergò Incarnatio eſt.

De Poteſtate, Miſericordia & Incarnatione.

14. MAjor Magnitudo caloris eſt inter ignem & aërem, quàm inter ignem & aquam; per quam majorem magnitudinem caloris conſiderari poteſt, quòd, ſi divina poteſtas poteſt unire cum Filio DEI Naturam humanam, inde poſſit habere majorem magnitudinem Miſericordiæ, quàm è contrario, & homo inde poſſit habere majorem cognitionem & amorem Miſericordiæ, & poſſit habere majorem Fidem, Spem &c., & meliùs triumphare ſuper vitia: & ideo ſi divina poteſtas non poſſet conjungere & unire Naturam divinam & humanam in Unitate Perſonæ, non poſſet agere in magnitudine miſericordiæ, ſed in parvitate miſericordiæ, & poſſet plùs agere contra vitia in parvitate Fidei, Spei & Charitatis,

quàm in magnitudine ; & hoc est impossibile, cùm divina potestas & divina misericordia sint idem: ergò Incarnatio est.

De Potestate, Dominio & Incarnatione.

15. IGnis habet majorem actionem per concordantiam in aëre, quàm in aqua, & majorem per contrarietatem in aqua, quàm in aëre; & ideo considerandum est, quòd, si divina potestas est potens unire Naturam humanam cum Natura divina, divina Natura & humana meliùs possint concordare, & dominium cursûs naturæ possit per hoc meliùs superari, & dominium in suum effectum possit esse majus; sed si divina potestas non posset conjungere seu unire Naturam divinam & humanam in Unitate Personæ, posset per minus dominium, sed non per majus; & quia potestas & dominium DEI sunt idem in magnitudine bonitatis &c., ergò Incarnatio est.

SECUNDA PARS,
De Justitia.

SEcundùm divinam Justitiam probabitur in hac Parte, Filium DEI debuisse incarnari, cujus Incarnatio manifestis Rationibus probabitur *per Justitiam*, revolvendo in illa bonitatē, magnitudinem &c.; & ideo secundùm ordinem de bonitate primò dicemus.

De Justitia, Bonitate & Incarnatione.

1. BOnum est, quòd DEUS ostendat Bonitatem suæ Essentiæ & Naturæ & Dignitatum cum suis actibus; igitur est impossibile, omne illud esse malum, per quod DEUS meliùs ostendit suum bonum; quia manifestè sequeretur, quòd malum esset, DEUM ostendere suum bonum: & quia DEUS per Incarnationem meliùs potest ostendere suo effectui magnam bonitatem suæ Essentiæ, suæ Naturæ, suarum dignitatum & actuum earum, ideo necessariò convenit, justitiam justificare per totam bonitatem, ut sit Incarnatio Filii DEI; quia si ipsa hoc non justificaret, repugnaret magnitudini bonitatis, æternitatis, potestatis &c.; & hoc est impossibile: & quoniam per Incarnationem Filii DEI manifestatur magnitudo bonitatis &c. in hoc, quòd conveniat, magnitudinem maximam bonitatis, æternitatis &c. intelligi & amari ab illo Homine, qui cum Filio DEI est eadem Persona, & etiam in hoc, quòd conveniat, maximam magnitudinem durationis, potestatis, sapientiæ, charitatis &c. esse in illo Homine, qui est DEUS, & de ejus maxima bonitate &c. conveniat, humanam speciem esse productam magnam, bonam &c., igitur convenit per magnitudinem bonitatis, quæ est maxima, secundùm quòd prædictum est, Filium DEI esse incarnatum.

De Justitia, Magnitudine & Incarnatione.

2. SUpponere, DEUM esse incarnatum, est supponere magnitudinem per bonitatem, æternitatem, potestatem &c.; quia convenit, illum Hominem esse magnum in bonitate, duratione, potestate &c., qui est DEUS, & per magnum principium, medium & finem convenit, DEUM esse Hominem, & è converso; magna etiam est concordantia & unio duarum Naturarum, & convenit, magnam utilitatem esse humanæ speciei ex Incarnatione Filii DEI, & magna virtus est, DEUM esse Hominem, & è converso, sinè alteratione divinæ Naturæ & humanæ in illo, qui est DEUS & Homo: unde cùm hæc suppositio sit in magnitudine bonitatis &c., convenit, quòd Justitia divina concordet cum magnitudine per totam bonitatem &c.; alioquin haberet concordantiam cum parvitate bonitatis &c. contra magnitudinem bonitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Justitia, Æternitate & Incarnatione.

3. ÆTernitas nullam habet dependentiam nec inclinationem ad privationem & non esse; sic igitur omne id, quod magis propinquum est æternitati, convenit esse magis remotum à non esse & privatione: unde si Incarnatio nihil est, omne id, quod productum est de non esse in esse, habet dependentiam & inclinationem ad privationem & ad non esse, è quibus productum est, & est remotum ab æternitate; sed si Incarnatio Filii DEI est, Caro & Homo in Persona Filii DEI sunt remota à non esse & privatione, cùm Filius sit ipsa æternitas & æternus, & est impossibile, illum Hominem posse devenire in non esse & privationem; & hoc est propter unionem & nobilitatem, quam habet ille Homo in esse DEI: unde quia hoc ita est, & quia DEUS nullum haberet effectum, qui sinè inclinatione privationis esset, nisi esset Incarnatio, idcirco convenit, Incarnationem esse, ut justitia & æternitas conveniant in magnitudine causæ & effectûs; nam sinè Incarnatione disconvenirent relativè in magnitudine causæ & effectûs, & convenirent in minoritate contra majoritatem; & hoc est impossibile, & contra bonitatem &c.: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Justitia, Potestate & Incarnatione.

4. OMne id, per quod homo plùs potest cognoscere & amare DEUM & suum proximum & se ipsum & virtutes, & plùs cognoscere & odire vitia, convenit esse per potestatem DEI; & quia per Incarnationem Filii DEI homo habet potestatem in supradictis rebus, convenit, quòd divina justitia huic consentiat, per quod homo potest recipere majorem influentiam à potestate DEI; quia si justitia esset in hoc repugnans, repugnaret sibi ipsi & suæ potestati, & haberet proprietatem & naturam, quòd per magnitudinem virtutum & vitiorum uteretur minori actu, quàm per parvitatem; sed quia hoc est impossibile, ergò demonstratur Incarnatio.

De Justitia, Sapientia & Incarnatione.

5. MAnifestum est, DEUM esse multò magis intelligibilem per suum Opus intrinsecum, quàm per extrinsecum; nam quantò ejus Opus intrinsecum, scilicet Generatio & Processio, est in majori veritate & virtute, quàm opus extrinsecum, scilicet creatio, tantò magis est intelligibilis per hoc, quod habet intra se, quàm per hoc, quod habet extra se: & quoniam nostræ naturæ est, nos non posse tantùm intelligere id, quod est magis intelligibile, quàm quod non est tam intelligibile, convenit, quòd justitia DEI uniendo conjunxerit Naturam divinam & humanam, ut id, quod est magis intelligibile, intelligatur manifestiùs, quàm id, quod non est tam intelligibile: unde si divina justitia huic contradiceret, esset contraria similitudini & nobilitati divinæ sapientiæ, quæ plùs digna est intelligi, quàm ejus effectus; sed quia hæc contrarietas est impossibilis, ergò Incarnatio est.

De Justitia, Voluntate & Incarnatione.

6. DIvina Voluntas producit suam similitudinem in creatura, in quantum dat illi voluntatem; hoc idem facit etiam justitia DEI, in quantum facit, hominem esse justum; & hoc idem sequitur de bonitate, quæ producit hominem in bonitate, & sic de cæteris dignitatibus DEI; nam quælibet earum producit suam similitudinem in creatura, secundùm quòd creatura illam potest recipere: unde cùm divina voluntas sit magna, convenit, eam producere suam similitudinem in creatura cum magna similitudine; & ideo si Incarnatio est, producit magnā similitudinem diligendi in Incarnatione: quia sicut divina voluntas tantum diligit, quòd in ejus diligere non sit finis, nec plùs possit diligere, ita facit voluntatem creatam, cum qua est conjuncta, tantum diligere, quòd plùs non possit; idcirco voluntas increata & voluntas creata habent similitudinem in unione & magnitudine; & hoc idem sequitur de justitia & cæteris dignitatibus increatis & creatis, quæ sunt in Persona Filii DEI: unde si Incarnatio Filii DEI non esset, sequeretur, quòd voluntas & justitia DEI essent contra suammet magnitudinem & similitudinem, per quam contrarietatem essent contra bonitatem &c.; & quia hoc est impossibile, ergò Incarnatio est demonstrabilis.

De Justitia, Virtute & Incarnatione.

7. NAtura virtutis est, quòd in se producat majorem similitudinem sui creati, quàm extra se; sicut virtus ignis producit majorem similitudinem de se in aërem calefactum, quàm desiccatum, & majorem in aërem calefactum, quàm in aquam calefactam: unde cùm virtus increata sibi assimilet virtutem creatam, ùt secundùm justitiam sibi convenit, de necessitate convenit, quòd virtus increata possit meliùs assimilare sibi virtutem creatam intra se, quàm extra se, conjungendo eam & uniendo sibi in essendo secum una eadem Persona; si verò Incarnatio nihil est, est in nihilo propter justitiam & virtutem, quæ non consentiunt ei, & justitia & virtus dissentiunt suæmet similitudini assimilantes sibi magis virtutes creatas, unam cum altera, quàm virtutem increatam & creatam; & hoc est impossibile, ut magnitudo possit esse in majori similitudine

virtutis increatæ & creatæ, quàm creatæ & creatæ tantùm: ergò Incarnatio est.

De Justitia, Veritate & Incarnatione.

8. SI DEUS est Homo, de necessitate convenit, illum Hominem esse veraciùs creaturam, quàm aliquam aliarum creaturarum; quia si ipse est una eadem Persona cum Filio DEI, qui est infinita & æterna veritas in bonitate &c., convenit, quòd sciat plus veritatis, & plus habeat in veritate, quàm omnes aliæ creaturæ: ideo si divina Justitia esset contraria Incarnationi, contrariaretur increatæ & creatæ magnitudini veritatis, per quam contrarietatem haberet concordantiam cum falsitate; & veritas esset in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis, sapientiæ &c., & in parvitate justitiæ, bonitatis &c., quæ cum justitia sunt eadem Essentia & Natura, & falsitas esset in magnitudine & in parvitate justitiæ, bonitatis; & quia hoc est impossibile, igitur Incarnatio est demonstrabilis.

De Justitia, Gloria & Incarnatione.

9. MAxima gloria, quam homo possit habere, est cognoscere & amare, quomodo Pater generet Filium, & quomodo Sanctus Spiritus procedat ex Patre & Filio per bonitatem, magnitudinem &c., & quomodo omnes tres Personæ distinctæ sint una eadem Essentia & Natura; & hæc est illa major gloria, quam homo possit perdere: unde si Incarnatio nihil est, hoc est, quia non consentiunt ei justitia & voluntas DEI; nam si consentirent ei, necessariò conveniret, illam esse; si autem justitia & voluntas non consentiunt magnitudini gloriæ, quæ est multùm intelligibilis & amabilis, justitia repugnaret magnitudini sui actûs in illis, qui eam multùm deberent diligere, & voluntas odiret magnum actum justitiæ salvando justos, & puniendo peccatores; & quia hoc est impossibile, ergò Incarnatio est demonstrabilis.

De Justitia, Perfectione & Incarnatione.

10. EXcellentior & nobilior finis, videlicet perfectio, est ille finis, qui est DEUS; qui est finis omnis finîs, & perfectio omnium perfectionum; & excellentior & nobilior finis, cum quo omnes creaturæ possunt participare, est homo, in quo omnes creaturæ participant: unde si Incarnatio est, convenit, in illa esse finem, in quo sit participatio Naturæ divinæ & humanæ, & convenit, hanc participationem esse omninò nobiliorem & excellentiorem, quàm finem hominis tantùm: & quoniam magnitudo perfectionis potest major esse in participatione DEI & Hominis, quàm hominis tantùm, igitur si Justitia repugnaret divinæ Incarnationi, convenit, justitiam esse contra finem, in quo perfectio potest esse in majori magnitudine; sed quia justitia & perfectio in DEO sunt unum & idem in magnitudine bonitatis, æternitatis &c., ergò Incarnatio est.

De Justitia, Largitate & Incarnatione.

11. MAximum donum, quod largitas potest largiri, est largiri DEUM, quem largitas largitur, Patre, qui est largitas, largiente se Filio & Sancto Spiritui, qui sunt ipsa largitas; & ideo largitas conjungit & unit DEO Naturam humanam, & in ipso largitas producit hominem, ut DEO possit largiri hominem; si autem justitia impedit, DEUM esse Hominem, impediret largitati majus donum, quod potest homini dare: & quoniam largitas est major in magnitudine, quàm in parvitate, ideo sequitur, si justitia impediat largitati Incarnationem Filii DEI, quòd sit contra magnitudinem largitatis & contra semet ipsam & suam magnitudinem, quæ cum largitate sunt eadem Essentia & Natura; sed quoniam talis contrarietas est impossibilis per bonitatem, magnitudinem &c., ergò Incarnatio est.

De Justitia, Simplicitate & Incarnatione.

12. SIcut divina sapientia producit suam similitudinem in Anima viri sapientis, & sicut divina justitia in eo producit suam similitudinem in ejusdem Anima justa, ita divina simplicitas producit suam similitudinem & simplicitatem Angeli & Animæ & elementorum & omnium simplicium creaturarum: & quia convenit, similitudinem simplicitatis DEI esse magnam, ut repræsentet & mensuret magnam manifestationem supremæ Simplicitatis, ideo per largitatem, virtutem & nobilitatem vult justitia, DEUM & Hominem esse unam eandem Personam, DEO conservante in illo Homine suam divinam simplicitatem & humanam simplicitatem, Personâ DEI & Personâ Hominis existente unâ eâdem Personâ sinè aliqua mutatione suarum duarum Naturarum; si verò justitia DEI nollet, quòd DEUS incarnaretur, ut non alteraretur divina simplicitas, in simplicitate DEI esset imperfectio; quod est impossibile: cujus imperfectionis impossibilitas significatur, si Incarnatio DEI est, quæ si non est, est impossibile, ipsam posse significari alicui creaturæ, secundùm quòd convenit; & justitia repugnat sibi ipsi in nobilitate & magnitudine simplicitatis divinæ; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Justitia, Nobilitate & Incarnatione.

13. SIcut divina Justitia vult, in DEO esse omnem nobilitatem, quæ est in creaturis, nisi in eo sequatur vilitas & imperfectio, ita justitia vult, in una creatura esse omnes nobilitates, quæ sunt in omnibus creaturis, nisi tamen sequatur vilitas & imperfectio; & in una creatura potest esse major nobilitas, quàm in omnibus creaturis: unde sicut omnibus creaturis est maxima nobilitas, in DEO esse earum nobilitatem, ita est maxima nobilitas, earum nobilitatem esse in illa creatura, quæ omnia comprehendit: & quoniam hoc est per magnitudinem largitatis & nobilitatis, igitur si justitia per Incarnationem huic esset contraria, esset contra nobilitatem magnitudinis in largitate & perfectione &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Incarnatio.

De Justitia, Misericordia & Incarnatione.

14. MAnifestum est secundùm rationem, quòd sit major concordantia inter justitiam & misericordiam DEI, quàm inter justitiam & usum justitiæ, quem habet, ad judicandum homines, & major, quàm inter misericordiam & suum usum, quem habet, parcendo peccatoribus: unde cùm hoc ita sit, secundùm veritatem justitiæ & misericordiæ convenit, justitiam non esse contra magnum usum misericordiæ; quia esset contraria magnitudini misericordiæ & sui ipsius: hoc idem sequitur de misericordia, scilicet eam non posse esse contra magnum usum justitiæ; & ideo si justitia repugnat Incarnationi, per cujus repugnantiam Incarnatio nihil sit, justitia est contra majorem usum misericordiæ, & è converso; nam justitia potest plus judicare, & ejus misericordia parcere, si Incarnatio est, quàm si Incarnatio nihil est: ergò Incarnatio est.

De Justitia, Dominio & Incarnatione.

15. SI Incarnatio DEI est, divinum Dominium est majus; nam quantò magis DEUS exaltat creaturam, tantò magis exaltat suum dominium in illa; & per hoc sequitur, quòd, quantò major est famulus ratione famulatûs, tantò nobilius sit dominium Domini; & quantò nobilior est Dominus, tantò nobilior est illius servus: & ideo si Incarnatio non est, sequitur, in magnitudine bonitatis fieri injuriam divino dominio à justitia, quæ cum dominio est unum & idem in magnitudine nobilitatis, bonitatis & sapientiæ; quod est impossibile: ergò Incarnatio est.

TERTIA PARS,

De Modo, per quem fit Incarnatio Filii DEI.

NOstro intellectu discurrente per objecta spiritualia & corporalia possemus intelligere & inducere multas similitudines eorum, per quæ manifestis rationibus posset inquiri modus, secundùm quem Filius DEI assumpsit Carnem Hominis: unde cùm intendamus tradere hanc Artem, quantò breviùs possumus, cum *quinque tantùm metaphoris* seu *similitudinibus* nitimur enarrare modum Incarnationis Filii DEI; quarum hæc est

1. Quantum fragilitas nostri intellectûs potuit sustinere in supradictis partibus, diximus de illa sanctissima & gloriosa Generatione, quæ ineffabiliter est de DEO Patre in DEUM Filium, Patre generante Filium; & ideo in hac gloriosa Generatione volumus narrare & exemplificare Incarnationem DEI, videlicet, quòd DEUS Pater est suprema Bonitas, suprema Magnitudo, suprema Æternitas, suprema Potestas &c., & omnes supremæ divinæ Dignitates sunt unus Pater, qui bonificat, magnificat, æternificat, possificat &c.; & propter hoc Pater est id, quod sunt omnes dignitates & omnes actus earum, in quantum est Pater: & quoniam Pater bonificando &c. producit Filium, qui est eadem suprema Bonitas, eadem suprema Magnitudo, eadem suprema Æter-

Æternitas &c., hic Filius est illud idem, quod sunt omnes dignitates, quia Pater ex omnibus illarum eum bonificat &c., & est illud idem, quod sunt actus earum, in quantum est Filius: unde cùm hoc ita sit, secundùm quòd in supradictis partibus probatum est, igitur per similem modum Filius DEI produxit humanam Naturam cum bonitate, magnitudine, duratione, potestate & cum omni nobilitate, quæ, in quantum est Homo, convenit creaturæ; Humanitas autem Filii DEI fuit creata in forma & materia, & Filius in eodem tempore induit illam formam & materiam per modum conjunctionis & indivisibilis unitatis; quoniam sicut Pater est una eadem Essentia cum Filio, quia DEUS Pater & DEUS Filius sunt una eadem bonitas &c., ita in Filio DEI Natura humana facta est eadem Persona cum Filio, eò quia Filius suâmet Unitate Personæ induit materiam & formam, & in ipso consistit materia & forma, & fiunt in ipso conjunctio & unio materiæ & formæ: & sicut per relationem & distinctionem actuum dignitatum Pater & Filius sunt distinctæ Personæ (nam Pater est idem, quod omnes actus divinarum Dignitatum, in quantum est Pater, & Filius est idem, quod omnes actus dignitatum, in quantum est Filius; & hoc idem sequitur de Sancto Spiritu) ita Persona Filii est distincta in duas Naturas, videlicet in divinam & humanam; quia divina Natura est ipsa Persona Filii, qui est finis, & in se fecit conjunctionem & unionem materiæ & formæ humanæ Naturæ, & humana Natura est materia & forma, videlicet Anima & corpus & conjunctio, quæ tendunt ad suum finem, *hoc est, unionem Personæ Filii, in quo fuit informatus & productus Homo, sicut filius à patre recipit suam formam & suum esse; & ideo per hanc similitudinem potest intelligi modus, per quem Filius DEI fuit incarnatus.

2. In hac secunda similitudine intendimus declarare modum, per quem Angelus productus est in suum esse: tunc, quando DEUS creavit Angelum, creavit DEUS tres naturas, scilicet recolentiam, intelligentiam & volentiam; his in unum conjunctis constituit esse angelicum, ut Angelus recoleret, intelligeret & amaret: unde cùm hoc ita sit, secundùm quòd *in Libro de Angelis* manifestis rationibus demonstravimus, sicut ex his supradictis potentiis esse angelicum fuit constitutum, in quo natura ipsarum trium conservatur, ita Filius DEI in Utero gloriosæ Virginis MARIÆ creavit Corpus & Animam & Unionem Corporis & Animæ; & quoniam finis horum trium fuit, quòd essent una Persona in Filio DEI, & non in se ipsis sinè ipso, & quia Persona non potest esse sinè perfecto fine, ideo tres Naturæ fuerunt eadem Persona in Persona Filii DEI, qui est earum finis: quoniam sicut Angelus factus est persona per conjunctionem trium naturarum, quæ ad suum finem fuerunt ordinatæ in esse unius Personæ, ita Anima & Corpus & Conjunctio Animæ & Corporis JESU Christi consecutæ sunt suum finem ad essendum una Persona in Filio DEI; & ideo diversificatur finis Naturæ humanæ Christi à fine Angeli; quia finis Naturæ Christi fuit, eam esse unam Personam in alio, sed finis Angeli est, suas tres naturas principales esse unam personam, videlicet unum esse, per conjunctionem in unitate unius personæ; & ideo per hanc similitudinem potest considerari modus, per quem Filius DEI fuit incarnatus.

3. In hac tertia similitudine intendimus declarare modum, per quem Persona hominis pervenit in esse isto modo: Anima est creata ex nihilo, & habet inclinationem ad corpus, ut illi possit esse forma, & in illo possit operari; corpus autem habet naturalem appetitum recipiendi complementum & vitam ab Anima: & ideo finis amborum est, quòd sit una persona; veruntamen de Humanitate JESU Christi non fuit ita, quia Anima & Corpus habuerunt naturalem appetitum essendi Homo in Filio DEI; finis autem eorum fuit & est, quòd in ipso & cum ipso sint una eadem Persona: & quia Filius in se complevit finem eorum, idcirco produxit Hominem in se ipso, ipso Filio existente unâ eâdem Personâ cum Homine sinè alia distinctione Personæ; & hoc fuit, quia Anima & Corpus obtinuerunt suum finem & conjunctionem in Persona Filii DEI, sinè Persona cujus Filii non habuissent appetitum essendi Persona per se existens; & hoc ideo, quia finis fuit unus & idem in Filio: sed quia Persona Christi ex pluribus essentiis est unita, ideo plures naturæ sunt in ea, scilicet DEI & Animæ & corporis simul, quâlibet earum retinente suum esse secundùm essentiam & proprietatem, ex quibus tribus est unum esse tantùm, videlicet Persona JESU Christi.

4. In hac quarta similitudine breviter volumus declarare, per quem modum & naturam elementum producitur in esse corporis naturalis; ignis enim recipit siccitatem à terra tribuens aëri suum calorem; in receptione autem siccitatis in igne recipit ignis frigiditatem, quam aqua tribuit terræ, & ignis recipit humiditatem, quam aër tribuit aquæ, & recipit calorem proprium, quem in aërem primò immiserat, & ipsum invenit alteratum: & iterum in tantum ille calor in aërem revertitur, & hoc toties per mixtionem, motum & reversionem, quousque fit digestio materiæ, per quam forma & materia procedunt; & ita ex materia digesta & ex forma mota de potentia ad actum fit Suppositum elementatum, quod est unum, in quo sunt quatuor elementa composita & simplicia; composita autem secundariò sunt in eo, in quantum mixta & digesta sunt in materia & forma specificata; simplicia verò sunt in eo, in quantum permanent in potentia, nec potest recipi tota eorum quantitas in supposito aggregato: unde in his, quæ in *Principiis Philosophiæ* probavimus, potest per hanc similitudinem considerari Incarnatio Filii DEI: quia sicut elementa conservant suam naturam in elementato, & insimul sunt in eodem supposito, quod est unum esse aggregatum ex duabus naturis vel essentiis, scilicet ex materia & forma, illo supposito existente transmutato in speciem alienam distinctam à specie elementorum, quæ non sunt illa species, ita per similem modum Filius DEI creavit Animam JESU Christi, & ex materia gloriosæ Virginis MARIÆ produxit per virtutem suppositum, & uno eodem instanti sinè primo & ultimo conjunxit & univit sibi Corpus & Animam Christi, & Natura Filii DEI per ipsummet à Natura Hominis est aliena, sicut corpus panni compositum ex materia & forma transmutatur in chlamydem, ut sit materia substans formæ chlamydis; & sic deviavit Persona Filii DEI à cursu naturæ, & in Persona aliena retinuit naturam & esse humanum, neque Filius DEI est transmutatus à sua Natura, sicut elementa simplicia quoad suam simplicitatem non transmutantur in speciem alienam, licèt, quando sunt composita, in eam transmutentur: unde per hanc similitudinem potest considerari & contemplari sanctissima Incarnatio Filii DEI.

5. Cùm secundùm opus naturale jam dede-

rimus aliquas similitudines ad demonstrandam Incarnationem DEI, nunc in hac quinta & ultima similitudine artificialiter proponimus declarare modum ejusdem Incarnationis videlicet isto modo: chlamys potest prædicari de panno, & è converso, affirmando, chlamydem esse pannum, & è converso, ad significandum, quòd de Christo potest dici, DEUS est Homo, & è converso: quia sicut chlamys est pannus, quia substantialis forma & materia panni substant formæ seu figuræ chlamydis, quæ forma est accidentalis, ita finis materiæ & formæ est accidentalis, & sic Persona Filii DEI induit formam & materiam Humanitatis Christi, Personâ Filii DEI permanente substantiali, Personâ illius Hominis permanente accidentali; sed finis, quare Persona Filii DEI induit Naturam humanam, est ad manifestandum suum finem substantialem: nam sicut pannus est chlamys, quia se vestivit formâ chlamydis, ita DEUS est Homo, quia se vestivit formâ hominis; & sicut chlamys est pannus, quia in panno habet suum esse, ita DEUS est Homo, quia in esse divino & in Persona divina habet suum esse & suam perfectionem; & sicut in esse panni & chlamydis sunt distinctæ formæ, videlicet forma substantialis & forma artificialis & accidentalis, ita in Persona Filii, qui est Christus, sunt distinctæ naturæ, sed una Persona tantùm, in qua conservatur quælibet suarum Naturarum.

Nunc de modo Incarnationis Filii DEI breviter tractavimus, secundùm quòd parvitas nostri intellectûs in significatione exemplorum potuit sustinere; „ quæ exem-„ pla, licèt inter cæteras rationes repræsen-„ tent hanc glorioſissimam Incarnationem, „ non tamen altitudinem realitatis ipsius In-„ carnationis possunt comprehendere; veruntamen quantum potuimus, illam per exempla breviter duximus totis viribus intellectûs.

QUARTA PARS,

In qua probatur, DEUM non assumpsisse Carnem, nisi de sola Virgine tantùm.

AD probandum, quòd DEUS non assumpserit Carnem nisi ab una benedicta Muliere Virgine tantùm, discurrit noster intellectus per divinas Dignitates,

considerans divinam *Voluntatem*, quâ concordante cum ipsis Dignitatibus intendimus probare istam partem.

De Voluntate, Bonitate & Incarnatione.

1. VOluntas Personæ Filii DEI est una, & ejus Bonitas est una, & convenit, in humana Natura, quam assumpsit, esse unam voluntatem, unam bonitatem, ut ambæ Naturæ, videlicet divina & humana, sint magis similes in unitate; nam si Filius DEI esset incarnatus in pluribus humanitatibus, illius unitas per voluntatem & bonitatem esset minùs similis pluribus humanitatibus, quàm uni tantùm: unde cùm Filius DEI habeat infinitam magnitudinem unitatis, voluntatis & bonitatis, convenit, quòd ejus justitia, voluntas & bonitas huic sufficiant, per quod major similitudo unitatis sit inter Naturam divinam & humanam: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Magnitudine & Incarnatione.

2. DEUS Filius est finis totius finis creaturæ, & convenit, illum, cum quo ipse est eadem Persona, esse finem omnium hominum; igitur si Filius est una Persona cum multis hominibus, omnes alii homines se habent ad plures fines diversos, (ita loquendo) & quantò magis finis hominum multiplicatur numero, tantò minor est quilibet finis ipsorum, qui cum Filio DEI sunt eadem Persona; & hoc ideo, quia homines, quorum quilibet habet suum finem proprium, habent diversos Dominos, quilibet suum, & sic finis cujuslibet eorum diversificatur; & quia voluntas Filii DEI est infinitè magna per bonitatem &c., idcirco convenit, quòd cum justitia diligat majorem finem hominis, cum quo est eadem Persona: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Æternitate & Incarnatione.

3. PEr diversificationem materiarum fit diversificatio formarum; & ideo si Filius DEI cum multis hominibus esset eadē Persona, esset diversitas Personæ inter unum hominem & alium in Persona Filii DEI, in qua conveniret esse multas Personas hominum, & çonveniret, inter illos homines non esse diversitatem Personarum; & sic omnes essent unus homo; quod est contradictio existens contra voluntatem & æternitatem, quæ non possunt convenire in contradictione: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Potestate & Incarnatione.

4. SI Potestas Filii DEI non posset producere tantam potestatem creatam in una humanitate, quantam in pluribus, haberet imperfectionem magnitudinis in bonitate, æternitate &c.; si verò potestas potuit creare tantam potestatem in uno homine, quantam in pluribus, & non voluit illam producere in illo Homine, cum quo est eadem Persona, potestas Filii habuit avaritiam potestatis in quolibet illorum hominum, cum quibus est eadem Persona; & sic avaritia contrariatur largitati, voluntati & potestati justitiæ, quod est impossibile, maximè cùm justitia, largitas, voluntas & potestas in DEO sint unum & idem: ergò Filius DEI assumpsit Carnem de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Sapientia & Incarnatione.

5. SEcundùm differentiam naturæ est major differentia inter Filium DEI & hominem, quàm inter hominem & hominem; si autem Filius DEI per Incarnationem esset id, quod plures homines sunt, esset minor differentia in unitate Personæ divinæ & multarum humanitatum, quàm inter unum hominem & alium, non existente uno altero, posito, quòd Persona Filii DEI in quocunque homine esset; quod est impossibile: quia si esset possibile, voluntas vellet, quòd sapientia sciret id, quod nescit, & sapientia sciret id, quòd nollet voluntas; & quia hoc est impossibile, per hanc impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI non assumpserit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Virtute & Incarnatione.

6. SI Filius DEI fuisset incarnatus in multis mulieribus, Anima, cum qua ipse esset eadem Persona, esset forma omnibus corporibus, quæ non haberent nisi unam Animam; nam per maximam unitatem voluntatis cum sapientia, & è converso, uniren-

tur omnes voluntates & sapientiæ plurium Christorum in una voluntate & in una sapientia, neque esset nisi una sola Anima unita ex pluribus Animabus & composita; quod est impossibile: si verò sunt plures Animæ eædem in Persona cum Filio DEI, nec voluntates essent unitæ in una sapientia, & è converso, esset in illis defectus unitatis per magnitudinem bonitatis &c.; & hoc est impossibile: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Veritate & Incarnatione.

7. VOluntas voluit, Filium DEI esse incarnatum, ut per ejus Incarnationem veritas ejusdem Filii meliùs esset manifesta-10. ta hominibus; sed si Filius DEI esset una Persona cum multis hominibus, voluntas vellet, quòd multi homines eam demonstrarent; nam ejus demonstrationi non sufficeret unus homo; & in quolibet homine, cum quo Filius DEI esset una Persona, esset imperfectio demonstrandi veritatem; per quam imperfectionem esset imperfecta voluntas per magnitudinem veritatis in unitate Personæ; & quia hoc est impossibile, per hanc impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI non assumpserit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Gloria & Incarnatione.

8. INcarnatio Filii DEI fuit causa in parte, ut Beatis esset instrumentum & medium, quibus gloriam Filii DEI cognoscerent & amarent; quia si fuissent plures Christi, essent multa objecta diversa & media, quibus voluntates, sapientiæ & gloriæ Beatorum 11. essent confusæ, qui per multos homines unitos cum Filio DEI non possent ita perfectè cognoscere Filium, sicut per unum hominem tantùm, in quo esset tota gloria & voluntas, quæ possent esse in pluribus Christis; & hoc per se manifestè est probabile: & quia divina voluntas & gloria sunt idem in magnitudine bonitatis, æternitatis, potestatis &c., per hoc demonstratur, Filium DEI non assumpsisse Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Perfectione & Incarnatione.

9. TAnta perfectio non posset esse in infinitis Diis, quanta in uno DEO tantùm; nam unus DEUS infinitus potest esse infinitæ bonitatis &c., sed multi Dii non possunt esse: unde sicut unus Filius potest sufficere, in quantum Filius habet omnem perfectionem, sic convenit necessariò, quòd ipse in uno homine, cum quo possit esse eadem Persona, possit sufficere omni fini, propter quem voluntas vult, ipsum Filium cum illo homine esse unam Personam; & cùm hoc ita sit secundùm perfectionem voluntatis per bonitatem, magnitudinem &c., ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Justitia & Incarnatione.

FIlius DEI est unus, & decet, eum esse unam Personam cum uno homine tantùm; nam voluntas prohibet affirmare plures Deos præter unum: unde si plures homines essent DEUS, dicerentur homines DEUS, & DEUS homines; & quia multò melior affirmatio est dicere, DEUM esse hominem, & è converso, quàm DEUM esse Homines, & homines esse DEUM, ideo convenit, justitiam justificare id, quod voluntas vult prædicari meliùs de sua Incarnatione & prædicatione: præterea post Resurrectionem in novissimo die judicii essent in una Persona divina multi homines judicantes, quorum judicium non esset ita conveniens fieri per multas personas, quæ cum DEO sint unitæ, sicut per unam Personam divinam & humanam: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Largitate & Incarnatione.

VOluntas vult, quòd largitas largiatur donum illi Naturæ humanæ, cum qua Filius DEI est una Persona, & hoc tam largiter, quantum perfectionis & nobilitatis humana Natura potest recipere; & hoc voluntas vult, quia est idem cum largitate in magnitudine bonitatis, potestatis, virtutis, perfectionis & nobilitatis: & ideo si largitas largiretur multis humanis naturis perfectionem & nobilitatem, quas potest largiri uni humanæ naturæ tantùm, repugnaret magnitudini voluntatis, bonitatis, potestatis & perfectionis; nam hoc donum largitatis potest esse majus in uno homine, quàm si dividatur in multos homines: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Simplicitate & Incarnatione.

12. PErsona Filii DEI est una & simplex, & Incarnatio illi meliùs convenit per unitatem unius Naturæ humanæ, quàm per pluralitatem; & hoc est ratione suæ simplicitatis, quam convenit esse unam Personam cum uno solo homine, non autem cum multis: & quia voluntas & simplicitas sunt eadem Essentia & magnitudo per justitiam, nobilitatem, sapientiam & perfectionem, ergò per hoc demonstratur, Filium DEI non assumpsisse Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Nobilitate & Incarnatione.

13. QUoniam in DEO omnes ejus Personæ & dignitates sunt infinitæ, & actus earum intrinseci sunt infiniti, convenit, in illo unam æqualitatem esse, carentem omni majoritate & minoritate; veruntamen quia convenit, omnem creaturam esse terminatam, convenit, unam majoritatem nobilitatis esse in aliqua creatura super omnes alias majoritates, quæ per creaturas sunt in nobilitate; & hoc vult voluntas secundùm justitiam & nobilitatem: unde, si illa majoritas habet totam majoritatem & maximam nobilitatem, quæ potest esse in creaturis, convenit, esse unam Naturam humanam, in qua DEUS est Homo; nam si essent plures, essent æquales nobilitates in multis hominibus, & in quolibet homine esset minoritas nobilitatis, per quam minoritatem divina voluntas diligeret nobilitatem in qualibet natura humana, cum qua esset eadem Persona; & hoc est impossibile & contra magnitudinem voluntatis, nobilitatis: ergò Filius DEI non assumpsit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Misericordia & Incarnatione.

14. SUprà probatum est in præcedentibus peccatum originale, & per consequens Recreatio, & probata est Incarnatio, & probanda est Nativitas & Passio, & consequenter cæteri Articuli Domini JESU Christi: unde si multi homines essent una Persona cum Filio DEI, omnes nobis largiti essent misericordiam in recreatione & ablutione nostri ab originali peccato, nec unus eorum posset tantum satisfacere, quantum primus Homo potuit peccare, qui cum Filio DEI non fuit una Persona: & quia divina voluntas habet omnem perfectionem in misericordia, in magnitudine & nobilitate, ergò per hoc demonstratur, quòd Filius DEI non assumpserit Carnem nisi de sola Virgine tantùm.

De Voluntate, Dominio & Incarnatione.

15. SI Filius DEI in multis hominibus esset incarnatus, essent multi Domini & multæ mortes & resurrectiones ab eis, & ipsi omnes essent ex una tribu & una æqualitate, in uno tempore & in uno loco nati & mortui, & resurrexissent à mortuis, & etiam colerentur mirâ solennitate & honorarentur; nos autem non nisi unum recolimus, quem colimus, & credimus simpliciter solum esse: unde si plures essent, quàm unus, injuriaretur omnibus, cùm ille unus super cæteros honoraretur; hoc autem esse non consentiret divina voluntas, quæ cum justitia, nobilitate & dominio est unum & idem in Persona Filii DEI: igitur manifestè appareret, divinam Personam Filii non nisi in uno solo Homine assumpsisse Carnem.

QUINTA PARS, In qua probatur, Filium DEI non esse incarnandum, sed incarnatum.

HAnc præsentem Partem convenit probare per sedecim Dignitates nostri Domini DEI, ad quarum unam, videlicet ad *Perfectionem* cæteræ reducuntur, concordando quamlibet earum cum ipsa, secundùm quòd convenit ordinare; & ideo secundùm ordinem de Bonitate primò dicemus, & sic de cæteris.

De Perfectione, Bonitate & Incarnatione.

1. DE necessitate convenit, Bonitatem DEI & Incarnationem Filii DEI insimul convenire, cùm bonitas sit idem cum Filio in perfectione; si autem DEUS non fuisset incarnatus, sed esset incarnandus, bonitas disconveniret cum Incarnatione in perfectione, cùm omnes Judæi, Saraceni & Gentiles negent, DEUM incarnatum vel incarnandum esse, & omnes Christiani affirment & credant firmiter, illum esse incarnatum: quia si esset incarnandus, nulla mulier posset esse bona nec justa, in qua DEUS posset assumere Carnem; cùm universaliter omnes homines, qui nunc sunt vel erunt, de quacunque lege sive secta sint, essent in errore, nec Incarnatio esset in perfectione, si esset incarnandus: ergò jam est incarnatus.

De Perfectione, Magnitudine & Incarnatione.

2. PErfectio habet majorem operationem in Magnitudine, quàm in parvitate; igitur si DEUS esset incarnandus, omnes Judæi, Christiani & Saraceni essent illi contrarii in Fide: per quam contrarietatem magnitudo & perfectio non haberent tantam concordantiam per incarnationem, quantam habent, si est incarnatus, Christianis non obstantibus ejus Incarnationi; nec Christiani sunt in errore, qui fuerunt, & nunc sunt; & erunt in errore, priusquàm incarnetur, si adhuc esset incarnandus: sed quia magnitudo & perfectio habent majorem concordantiam, si Filius DEI est incarnatus, quàm si esset incarnandus, & quia in justitia & veritate voluntas vult id, per quod perfectio & magnitudo meliùs conveniunt, ergò jam est incarnatus.

De Perfectione, Æternitate & Incarnatione.

3. SIcut divina bonitas habuit magnitudinē similitudinis in Incarnatione DEI, producendo magnum bonum ex ipsa, ita Æternitas de se dedit similitudinem per convenientiam & idoneitatem temporis in Incarnatione; nam in illo tempore, quando Filius DEI voluit assumere Carnem, Miracula DEI erant magis credibilia, quàm in tempore hodierno; & illud tempus etiam erat magis propinquum Prophetis, qui administratione Sancti Spiritus olim miris locutionibus prædixerunt Adventum illius, quàm sint hodierna tempora & futura; cùm autem simus in tempore rationum, & illius Adventum conveniat esse per signa mirabilia, igitur secundùm quòd æternitas dat similitudinem suæ perfectionis in perfecto tempore, convenit, Filium DEI jam esse incarnatum, qui cum æternitate & perfectione est unum & idem.

De Perfectione, Potestate & Incarnatione.

4. IN DEO Potestas & Perfectio sunt unum & idem; si autem Filius DEI est incarnatus, ejus potestas potuit cum justitia salvare Fideles Christianos, qui in hoc mundo vixerunt, & eos, qui nunc sunt, & erunt in compendio hujus vitæ; & sicut à primis Fidelibus Christianis, ita à modernis & futuris Fidelibus poterit DEUS cognosci, diligi & honorari, qui si non esset incarnatus, omnes, quotquot fuerunt, sunt & erunt, priusquàm assumpsit Carnem, fuerunt, sunt & erunt in errore, nec potest tam perfectè cognosci, nec diligi, nec honorari, quàm si fuit incarnatus: & ideo quia potestas & perfectio DEI conveniunt, & quia ejus voluntas & justitia sunt idem in magnitudine cum perfectione & potestate, ergò DEUS est incarnatus.

De Perfectione, Sapientia & Incarnatione.

5. PEr differentiam materiarum fit differentia formarum; igitur si DEUS non fuit incarnatus, conveniet, illam formam & materiam esse in ejus Incarnatione, quas nos Christiani credimus fuisse in eo, si fuit incarnatus, & convenit, quòd Catholica Ecclesia exerceat illam eandem ordinationem & regulam, quas nunc tenet, quæ esset subjecta falsitati & errori, si Filius DEI esset incarnandus; sed quia sapientia & perfectio in DEO sunt unum & idem, & sapientiæ convenit diligere & ordinare suum effectum, igitur cùm nec in materia nec in forma esset differentia, sapientia esset in DEO imperfecta, si sinè aliqua culpa & sinè deviatione formæ & materiæ permitteret, tot homines esse subjectos perditioni, cùm sapientia DEI in perfectione sit unum & idem cum justitia, misericordia, largitate, magnitudine & bonitate: ergò DEUS est incarnatus.

De Perfectione, Voluntate & Incarnatione.

6. QUemadmodum uni formæ conveniunt multæ formæ, & uni puncto multæ lineæ, ita conveniunt uni fini multa principia, per quod probatur, finem esse nobiliorem principiis: unde si DEUS non esset incarnatus, sed incarnandus, sequeretur, quòd multa principia & media æqualia & similia se haberent ad multos fines contrarios, & non tantùm ad unum, existentibus similibus & æqualibus principiis & mediis Incarnationis DEI his, qui in hac moderna Ecclesia Catholica sunt, quos non possumus

considerare nec credere minùs nobiles illis, qui in alia Ecclesia Catholica futuri essent, si Filius DEI esset incarnandus; & sic voluntas discordaret fines in bonitate contra perfectionem, cum qua est unum & idem in bonitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit incarnatus.

De Perfectione, Virtute & Incarnatione.

7. VIrtus Animæ diversificatur in suis potentiis, sicut sensitiva potentia in quinque sensibus corporalibus; veruntamen ex hac diversificatione non sequitur, contrarietatem virtutis esse inter unam potentiam & aliam Animæ, nec inter unum sensum & alterũ corporis; & hoc est propter perfectionem virtutis: sed quia veritas & falsitas sunt contrariæ, & quia veritas est virtutum, & falsitas vitiorum, ideo est impossibile, Adventum Christi posse esse tam perfectè similem virtuti, modernâ Ecclesiâ Christi exi- 10. stente subjectâ falsitati, si Christus adhuc non venerit, quàm si venerit; nam convenit, propter differentiam & contrarietatem falsitatis & veritatis diversificari Adventum Filii DEI, & Adventum contrariari huic, quod sacrosancta Romana Ecclesia credit de Adventu Christi: & sic sequitur, si Christus est venturus, ejus Adventum non esse in tanta perfectione, in quanta est, si venit; cùm ejus Adventus non possit considerari in majori excellentia essendi, quàm per Fidem Catholicam Romanæ Ecclesiæ consideratur: ergò Christus jam venit, maximè cùm perfectio & virtus DEI sint unum & idem in potestate, nobilitate per bonitatem, magnitudinem &c.

De Perfectione, Veritate & Incarnatione.

8. SI DEUS adhuc non esset incarnatus, sequeretur, quòd, quando incarnaretur, & ejus Adventus ubique per universum mundum gentibus prædicaretur, ejus Adventui non esset credendum, cùm per eundem modum aut similem aliàs prædicatum fuerit, & illi creditum: & ideo, quia veritas & perfectio habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, & quia magnitudo & credibilitas conveniunt, & parvitas & incredibilitas (quarum concordantiam convenit ita esse, ut veritas & falsitas ab invicem sint magis remotæ, & fortiùs adversentur) ergò Filius DEI jam est incarnatus.

De Perfectione, Gloria & Incarnatione.

9. PErfectio & Gloria habent concordantiam in justitia & largitate & misericordia per bonitatem, magnitudinem &c.; & ideo viæ introitûs gloriæ habent majorem concordantiam in progressu & festinatione, quàm in tardatione: unde si DEUS adhuc non esset incarnatus, viæ haberent majorem concordantiam cum perfectione & gloria in tardatione, quàm in festinatione; quod est impossibile & contra justitiam, largitatem & misericordiam, quæ per bonitatem, magnitudinem &c. sunt idem cum perfectione & gloria: ergò Filius DEI jam est incarnatus.

De Perfectione, Justitia & Incarnatione.

MAnifestum est, quòd in Romana Catholica Ecclesia multi Homines Religiosi, Clerici & Sæculares sint in excellenti conversatione vitæ; & fuerunt multi homines justi, qui per Martyrium se tradiderunt morti pro venerando Nomine Christi, quorum solemnitates Populus Christianus celebri memoriâ veneratur: quare si DEUS adhuc non esset incarnatus, sequeretur, suam justitiam & perfectionem discordare cum illa perfectione & justitia, quæ fuerunt in iis, qui tormenta passi sunt, ût suprà dictum est, & causa esset contraria effectui in bonitate, magnitudine &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI jam sit incarnatus.

De Perfectione, Largitate & Incarnatione.

11. MAnifestum est, quòd Largitas, quæ similia dona largitur, meliùs possit concordare in uno dono, quàm in altero; nam convenit, illam meliùs concordare cum illo dono, quod priùs largitur, & ex quo plus perfectionis sequitur, quàm cum illo dono, quod ipsam retardat à plus largiri, & ex quo, priusquam ab illa datur, non sequitur plus indigentiæ & imperfectionis: unde si DEUS adhuc esset incarnandus, sequeretur, quòd largitas & suum largiri non convenirent in tanta perfectione, sicut si fuit incarnatus; & quia largitas & perfectio sunt idem in magnitudine per bonitatem & misericordiam, ergò Filius DEI jam est incarnatus.

De Perfectione, Simplicitate & Incarnatione.

12. SImplicitas habet majorem concordan- 14. tiam cum perfectione, quàm cum compositione; & ideo si DEUS adhuc non fuit incarnatus, convenit, id esse in perfectione, per quod futurus modus Incarnationis illius sit magìs diversus & magìs contrarius ipsi modo, per quem eum jam advenisse credimus; quia si hoc non esset ita, sequeretur, quòd esset in imperfectione id, per quod divina simplicitas haberet majorem concordantiam cum perfectione, quàm cum compositione; & hoc est impossibile: ergò DEUS jam est incarnatus.

De Perfectione, Nobilitate & Incarnatione.

13. OMne id, quod de principio per medium transit ad finem, qui est perfectio, est in majori nobilitate, quantò propinquius est fini; cùm finis sit in majori nobilitate, quàm principium: unde si DEUS est incarnatus, convenit, nos esse propinquiores fini, propter quem est incarnatus, quàm si esset incarnandus, cùm principium sit prius, si fuit incarnatus, quàm si est incarnandus: & quia perfectio & nobilitas habent unam eandem magnitudinem in bonitate, justitia & largitate, ergò DEUS est incarnatus.

De Perfectione, Misericordia & Incarnatione.

14. SI DEUS non est incarnatus, usus parcentis Misericordiæ DEI est magìs remotus ab usu justitiæ punientis, quàm si est incarnatus; & quia in usu misericordiæ & justitiæ est perfectio per bonitatem, magnitudinem & largitatem, igitur convenit, DEUM esse incarnatum, ne sequatur, quòd perfectio misericordiæ & justitiæ DEI sit in majori magnitudine per largitatem in remotione, quàm in propinquitate; quod est impossibile: ergò DEUS est incarnatus.

De Perfectione, Dominio & Incarnatione.

15. SI DEUS est incarnatus, dæmon citiùs perdidit suum dominium, quod exercebat super genus humanum, quàm si DEUS esset incarnandus: unde quia divinum Dominium cum omni perfectione convenit, dominium verò dæmonis cum omni perfectione disconvenit, convenit, quòd id, per quod dominium est in majori magnitudine perfectionis, sit in veritate, & oppositum illius in falsitate: ergò DEUS est incarnatus.

INCIPIT
SEPTIMA DISTINCTIO,
QUÆ EST

De Nativitate nostri Domini JESU Christi.

PRobatum est in supradicta Parte, DEUM esse incarnatum, per cujus Incarnationem bene sequitur, eum esse natum, cujus Nativitas per antecedens evidenter probabilis est; veruntamen quòd Christus sit natus ex beata & gloriosa MARIA semper Virgine, intendimus probare per Dignitates nostri Domini DEI, conferendo quasdam cum aliis; & ideo servando ordinem hujus Libri primò dicemus de Bonitate, & sic de cæteris.

De Bonitate & Nativitate.

1. DEUS Filius oritur ex DEO Patre, qui est DEUS, ût jam probavimus, in cujus originem non cadunt tempus, quantitas, locus & motus; & quia Filius DEI est una eadem Persona cum Filio Hominis, scilicet Virginis, idcirco per unitatem duarum Natu-

Naturarum, quæ est unius Personæ, convenit per virtutem Filii DEI, Filium Hominis nasci in uno instanti, transeundo de uno loco in alterum sinè omni violatione Virginitatis spiritualis & corporalis; quia si hoc non esset ita, bonitas esset in magnitudine contra naturam & nobilitatem Filii DEI & Hominis, & magnitudo haberet parvitatem in bonitate, quæ non bonificaret in Filio Hominis nobilitatem, quæ super naturam illi convenit, cùm ipsam habeat ipso existente unâ Personâ cum Filio DEI; & quia est impossibile, quòd magnitudo DEI habeat parvitatem in bonitate, & è converso, ergò Filius DEI natus est ex Matre Virgine.

De Magnitudine & Nativitate.

2. MAximum principium, maximum medium & maximus finis, quæ creatura à DEO potuit recipere, sunt in Filio Hominis, qui Filius est una eadem Persona cum Filio DEI; & ideo convenit, Nativitatem Filii Hominis esse majorem in magnitudine bonitatis &c., quàm ullam nativitatem creatam: unde si Filius Hominis esset natus violando Virginitatem suæ glorioſissimæ Genitricis, divina magnitudo esset in parvitate bonitatis, potestatis &c.; cùm omnis violatio seu corruptio sit in parvitate: & quia est impossibile, magnitudinem Filii DEI esse in parvitate bonitatis, ergò Filius DEI natus est ex Matre Virgine.

De Æternitate & Nativitate.

3. QUælibet divinarum Dignitatum apposuit suam similitudinem in Incarnatione Filii DEI, sicut bonitas DEI, quæ in Incarnatione apposuit bonitatem creatam, & magnitudo magnitudinem creatam bonitatis &c.; & ideo æternitas, quæ est duratio, voluit in Incarnatione apponere suam similitudinem, eò quòd ordinavit, Filium DEI nasci DEUM & Hominem sinè omni corruptione Virginitatis suæ Genitricis: si autem æternitas DEI non conservasset Virginitatem suæ Genitricis inviolatam, æternitas repugnasset suæmet similitudini; cujus repugnantia esset contra similitudinem, quam bonitas & magnitudo DEI posuerunt in Incarnatione Filii DEI: sed quia talis repugnantia & contrarietas est impossibilis, per hanc impossibilitatem demonstratur, Filium DEI esse natum ex Matre Virgine.

De Potestate & Nativitate.

4. IGnis secundùm potestatem naturæ transit ad aquam per medium, quod est aër; cùm autem Filius DEI per omnia loca & extra omnia loca sit essentialiter sinè omni impedimento suæ essentiæ in collocatis, & Filius Hominis sit una & eadem Persona cum Filio DEI, igitur per hoc medium, quod est Filius DEI, qui erat & est intus & extra gloriosam Virginem, potuit transire Filius Hominis, permanente ipsâ Virgine inviolatâ; quia si hoc non esset possibile, aër in transitu ignis ad aquam esset medium magis potens inter ignem & aquam, quàm esset Filius DEI inter unum locum & alterum in Filio Hominis; & hoc est impossibile, cùm potestas ejusdem Filii DEI sit unum & idem cum infinitate bonitatis, magnitudinis, æternitatis &c.: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Sapientia & Nativitate.

5. SEcundùm operationem naturæ vegetativum vivit in sensitivo, sicut cibus per conversionem vivit in sensitivo, & sensitivum vivit in rationativa hominis, in qua vivit potentia sensitiva; & quoniam in Filio DEI vivit Filius Hominis, eò quòd in ipso est DEUS & Homo, idcirco Filius Hominis transit in sapientiam in Filio DEI, ex quo vivunt omnes Angeli; & justorum Animæ, quæ sunt, & quæ erunt, ex eo vivent; nec omnes habent tantam sapientiam, quantam Filius Hominis unitus DEO: & ideo, quia Anima & Corpus Filii Hominis sunt una eadem Persona in Filio DEI, divina voluntas voluit per justitiam, magnitudinem & nobilitatem, quòd Corpus Filii Hominis in nobilitate, virtute & bonitate transcenderet operationem naturæ in Nativitate Filii, qui transcensus non esset, si Virginitatem violasset; & magnitudo sapientiæ haberet suam similitudinem in Anima Filii Hominis, sed Corpus Filii esset in sua Nativitate sinè similitudine bonitatis &c., & magnitudo sapientiæ repugnaret largitati & nobilitati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De

De Voluntate & Nativitate.

6. VOluntas cujuslibet hominis per spiritualem potestatem movet suum corpus quocunque vult; & quia non potest illud movere per aërem, seu per alia corpora, deficit ei potestas; sed si voluntas illius esset ita perfecta potestas, sicut est in se perfecta voluntas, tunc posset adinstar volantis avis per aërem movere suum corpus, & posset illud facere transire per omnem parietem sinè corruptione parietis, voluntate odiente illam corruptionem: unde, quia Filius DEI, qui est perfecta voluntas & perfecta potestas, est eadem Persona cum Filio Hominis, de necessitate convenit, quòd possit facere illum transire de loco in locum sinè corruptione gloriosæ Virginis.

De Virtute & Nativitate.

7. SEcundùm potestatem naturalis Virtutis
„ in simplici medicina operatur natura
„ sic, quòd substantia immittat suam virtu-
„ tem ad curandam infirmitatem; illa ta-
„ men substantia remanet in stomacho ho-
„ minis, qui recipit potionem: igitur si sub-
stantia sinè corruptione loci immittit suam virtutem in unum locum, ipsâ remanente in altero, bene sequitur, quòd Filius DEI, qui est Creator substantiæ & virtutis, possit facere substantiam & virtutem Filii Hominis transire de loco in locum sinè omni violatione Virginitatis gloriosæ Virginis: & quoniam virtus Filii DEI influit justitiam in voluntatem Filii Hominis, qui dilexit Virginitatem suæ Genitricis diligentis Castitatem & Virginitatem, ergò Filius DEI est natus ex Matre Virgine.

De Veritate & Nativitate.

8. VEritas & magnitudo DEI sunt eadem Essentia & Natura, & ideo veritas & magnitudo retinent suam similitudinem in creaturis; nam major magnitudo veritatis est in opere existente supra naturam, quàm in opere naturali; cùm divinum Opus intrinsecum sit supra cursum naturæ creatæ: unde cùm sinè corruptione naturæ sit supra naturam nativitas hominis, convenit, veritatem ibi esse in majori magnitudine, quàm in cursu naturæ; & ideo, quia Filius DEI, qui est eadem natura cum veritate & magnitudine, est eadem Persona cum Filio Hominis, est impossibile, eum esse contra magnitudinem veritatis in Filio Hominis, quia esset contrarius magnitudini suæ similitudinis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Gloria & Nativitate.

9. GLoria perfecta non potest in se continere hominem sinè ipsius corpore glorificato; quia convenit, quòd voluntas gloriosi hominis moveat corpus, quò vult, & hoc uno instanti, uno momento per omnem locum, nullo impedimento obstante: igitur cùm omnes hæ conditiones conveniant omni corpori glorificato in gloria, quantò magis ergò convenit corpori, quod est una eadem Persona cum Filio DEI, quòd possit nascendo progredi de loco in locum sinè omni violatione gloriosæ Virginis suæ Genitricis, cùm gloria, magnitudo, potestas, justitia & bonitas in DEO sint unum & idem.

De Perfectione & Nativitate.

10. IN omni eo, quod habet corruptionem, convenit esse aliquam imperfectionem; & quia omne id, quod fuit in Incarnatione Filii DEI, fuit in perfectione, idcirco justitia perfectionis per suam magnitudinem voluit, quòd Christus nasceretur, & quòd sua Nativitas nullam corruptionem produceret, ne in ipsius beata Genitrice alteraretur nec violaretur Virginitas, & ne in Nativitate esset imperfectio, quæ contrariatur perfectioni: ergò Filius DEI natus est ex Matre Virgine.

De Justitia & Nativitate.

11. INcarnationem Filii DEI jam probavimus per justitiam bonitatis, magnitudinis &c., quæ Incarnatio cursum naturæ superavit; quia si Nativitas Christi esset per cursum naturæ, nec esset in ea aliquid superans cursum naturæ, justitia conveniret cum principio divinæ Incarnationis, sed repugnaret Nativitati, eò quòd Nativitas esset in minoritate per corruptionem, Incarnatio DEI verò in majoritate per Conceptionem: & quia principium Conceptionis & Nativitas se habent ad eundem finem, ergò Filius DEI est incarnatus ex Matre Virgine.

De Largitate & Nativitate.

12. QUoniam divina Largitas est infinita & æterna, potest plus largiri, quàm natura creata & avaritia ei possint resistere; & quia largitas potuit largiri virtutem Filio Hominis, cum quo est eadem Persona, quòd sinè corruptione Virginitatis ex utero beatæ MARIÆ Virginis nasceretur, ideo si Filius DEI non esset natus sinè corruptione Virginis, avaritia seu imperfectio potestatis essent in largitate DEI, quæ isto modo haberet parvitatem & magnitudinem in se ipsa; & hoc est impossibile & contradictio: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Simplicitate & Nativitate.

13. EX simplicibus elementis nascitur suppositum per materiam & formam sinè corruptione illorum; illud suppositum verò devenit in alienam naturam & speciem, in qua quodlibet elementum conservat suam propriam naturam: unde quia hoc ita est secundùm opus naturæ, & quia ex opere naturali & miraculoso potest sequi major concordantia bonitatis, magnitudinis &c., quàm ex opere naturæ tantùm, idcirco convenit, quòd divina Simplicitas, quæ cum Filio Hominis est una eadem Persona, possit in opere naturæ ad se attrahere suam similitudinem, scilicet ortum Filii sinè corruptione Matris; quia si hoc non posset vel non vellet facere, sequeretur, quòd elementa (quæ, quantum possunt, simplificant suos effectus ad suas similitudines) haberent majorem virtutem simplificandi & assimilandi, quàm divina Simplicitas; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Nobilitate & Nativitate.

14. IN omni opere, quod fecit Filius DEI, quando assumpsit humanam Naturam, fuit Nobilitas per bonitatem &c.; & ideo in illius Nativitate ipsius Genitrix nullam corruptionem nec dolorem sensit in suo partu; quia si sustinuisset aliquam corruptionem & aliquem dolorem, imperfectio haberet magnitudinem in nobilitate per bonitatem, voluntatem, perfectionem, justitiam, sapientiam &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Misericordia & Nativitate.

15. DIvina Misericordia inter cæteras mulieres prælegit MARIAM Virginem, ut effici mereretur Mater DEI & nostri Domini JESU Christi: unde sicut in homine exaltatur imaginativa, sensitiva & vegetativa super potentias irrationalium, quarum exaltatio est propter rationem, quæ est in homine, ita & multò meliùs convénit in beata Virgine, quòd misericordia DEI, quæ elegit & prælegit ac exaltavit illam in tam nobili opere, exaltaret illam in partu, & in omnibus, quæ ad eum pertinent, cujus partum fecit excellentem super omnes alios partus; quia si non ita factum esset, sequeretur, quòd misericordia repugnaret magnitudini & nobilitati; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd Filius DEI sit natus ex Matre Virgine.

De Dominio & Nativitate.

16. MAnifestum est, Filium DEI esse Dominum totius naturæ creatæ, natura autem in omnibus creaturis obedit suo Domino & Creatori; quia si hoc non esset ita, sequeretur, quòd divina voluntas esset in parvitate per dominium, & in magnitudine per potestatem; sed hoc esset contra justitiam, simplicitatem & nobilitatem, quod est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd, si ante & post Nativitatem Filii Hominis Mater permansit Virgo inviolata, meliùs per hoc divina voluntas manifestet magnitudinem dominii, quod est super cursum naturalem, quàm si post Nativitatem Filii Virgo esset violata: ergò Filius DEI est natus ex Matre Virgine.

INCI-

INCIPIT OCTAVA DISTINCTIO, QUÆ EST De Passione nostri Domini JESU Christi.

IN hac octava Distinctione sequimur modum, per quem plures Articulos nostræ Fidei in præcedentibus probavimus; quæ Distinctio est de Passione nostri Domini JESU Christi: & sic probando per hunc modum secundùm ordinem primò dicemus de Bonitate DEI, & sic de cæteris.

De Bonitate & Passione.

1. DUobus modis producitur in hoc mundo prosperitas, quorum unus est sinè labore, & alius cum labore; illa prosperitas, quæ est sinè labore, est, sicut in homine, qui sinè labore comedit & habet placita in suis comestionibus; alia prosperitas est cum labore, sicut in homine laborante, ut possit comedere & habere delicias: & ideo convénit, similes duos modos in Christo fuisse, ut haberet suum opus in magnitudine sinè parvitate, producente Filio DEI nostram prosperitatem sinè labore, & producente Filio Hominis eandem cum labore, scilicet cum paupertate, afflictionibus, & angustiis mortis, ad hoc, ut bonitas DEI conveniret cum magnitudine, cum qua non conveniret in Filio DEI & Hominis sinè labore & morte: ergò Christus est passus & mortuus.

De Magnitudine & Passione.

2. OMnes Dignitates habuerunt majorem patientiam per mortem Christi in sua similitudine, quàm si non esset mortuus; quia bonitas Filii DEI per hoc habuit magnam patientiam in magnitudine bonitatis Filii Hominis, & magnitudo DEI habuit magnam patientiam in magnitudine Filii Hominis, & in magnitudine passionis ejus; & hoc idem sequitur de omnibus Dignitatibus, quæ cum ipsa sunt eadem Persona in Filio DEI, in quantum producunt tantam suam similitudinem, quantam Filius Hominis potest recipere: unde cùm hoc ita sit, & quia magnitudo DEI est eadem Essentia & Natura cum omnibus Dignitatibus, & quia DEUS est patiens, igitur per majorem patientiam significatur, Filium Hominis fuisse crucifixum & mortuum: quia si hoc non esset ita, magnitudo non esset in omnibus similitudinibus divinarum Dignitatum, in quibus similitudinibus fuisset privatio magnitudinis per bonitatem &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, Christum esse passum & mortuum.

De Æternitate & Passione.

3. TOta Incarnatio Filii DEI fuit ad significandam nobilitatem divinarum Dignitatum; & quoniam magnitudo per nobilitatem est in omnibus Dignitatibus, convénit, quòd Filius Hominis moreretur ad manifestandum, æternitatem Filii DEI, qui cum Filio Hominis est una Persona, non esse corruptibilem; quia sicut simplicitas DEI voluit, quòd Filius DEI incarnaretur, ad manifestandum, eam non componi, nec alterari, ita æternitas voluit, quòd Christus moreretur, ad manifestandum, Deitatem esse impassibilem & immortalem; & si Christus non fuisset mortuus, æternitas non manifestaret suam immortalitatem per tantam magnitudinem: ergò Christus est passus & mortuus.

De Potestate, & Passione.

4. DIvina Potestas posuit suam similitudinem in Incarnatione Filii DEI, per quam Filius Hominis devénit in potestatem Filii DEI una Persona, Filio DEI tribuente Filio Hominis majorem potestatem, quàm omni creatæ potestati; per quam majorem potestatem Filius Hominis habuit potestatem sentiendi tantam passionem ad delendum originale peccatum, quod erat in tota

humana ſpecie, quanta fuit culpa peccati; & ideo niſi Chriſtus eſſet crucifixus & mortuus, magnitudo eſſet in ejus poteſtate per potentiam, & parvitas per actum; & hoc eſt impoſſibile & contra bonitatem & juſtitiam, quæ cum poteſtate ſunt eadem Perſona: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum.

De Sapientia & Paſſione.

5. PAter in Divinis de tota ſua poteſtate diligit Filium, & ideo dat ei totam ſuam Sapientiam, Entitatem, Eſſentiam & Naturam; & quoniam Filius DEI fuit eadem Perſona cum Filio Hominis, voluit in tota magnitudine ſuæ poteſtatis ab eo diligi; & idcirco dedit ei totam ſuam eſſentiam, entitatem, naturam, ſapientiam &c. ad eſſendum cum illo una eadem Perſona: igitur convenit, quòd Filius DEI det in ſe ipſo majorem doctrinam, quam poſſit nobis dare, ad cognoſcendum & diligendum Filium DEI, & ad ſerviendum & benedicendum illi; quæ major doctrina non eſſet per voluntatem in ſapientia illius, ſi odiviſſet ſuſtinere paſſionem & mortem.

De Voluntate & Paſſione.

6. VOluntas Filii DEI in tota ſua magnitudine dilexit hominem, in quantum fecit, illum eſſe unam eandem Perſonam cum ſe ipſo, & fecit eum nobiliorem cæteris creaturis, & voluntas Filii Hominis in tota ſua magnitudine dilexit Filium DEI, in quantum cum illo potuit eſſe eadem Perſona, & habere totam perfectionem illius; qui Filius Hominis ad laudandum & extollendum ſuum honorem voluit mori; & ſi non voluiſſet mori, non dilexiſſet eum tantúm, quantúm dilexit, quia voluit mori; quia eſſet illi diſſimilis, repugnans magnitudini voluntatis, juſtitiæ & nobilitatis: per quam diſſimilitudinem eſſet inconveniens, illum eſſe unam eandem Perſonam cum Filio DEI: ergò Chriſtus eſt paſſus & mortuus.

De Virtute & Paſſione.

7. VIrtus, quæ eſt ſinè principio & ſinè medio in toto ſuo fine, videlicet in ſua perfectione, eſt major virtute exiſtente continuâ per principium, medium & finem; & hæc virtus continua eſt major, virtute exiſtente per duos terminos in medio diſcretè: unde cùm hoc ita ſit, maxima virtus, quam Filius DEI potuit habere ad honorandum ſupremam Virtutem, fuit, quòd in hoc mundo daret totam ſuam Virtutem ad honorandum DEUM; quam non dediſſet, ſi non voluiſſet mori: ergò Chriſtus eſt paſſus & mortuus.

De Veritate & Paſſione.

8. PRobatum eſt in præcedente Diſtinctione, quòd DEUS aſſumpſerit noſtram naturam; & quoniam divina Veritas in Incarnatione DEI poſuit ſuam ſimilitudinem, quam convenit eſſe per magnitudinem, cùm veritas ſit idem cum magnitudine DEI, idcirco voluit magnitudo virtutis increatæ & creatæ, Chriſtum eſſe crucifixum & mortuum ad meliùs manifeſtandum veritatem ſuæ Incarnationis, quæ meliùs fuit manifeſtata per mortem, quàm ſinè morte: igitur manifeſtum eſt, Chriſtum fuiſſe mortuum; quia ſi non fuiſſet mortuus, magnitudo veritatis repugnaret magnitudini Incarnationis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum.

De Gloria & Paſſione.

9. SI Chriſtus fuit mortuus, in ejus morte manifeſtatur magnitudo cœleſtis gloriæ, & magnitudo infernalium tormentorum, & manifeſtatur parvitas gloriæ & pœnæ temporalis hujus mundi: unde ſi Chriſtus odiviſſet mori, odiviſſet manifeſtare ſupradictam magnitudinem & parvitatem: & quia in voluntate Chriſti eſt & fuit magnitudo per gloriam, bonitatem, æternitatem &c., eſt impoſſibile, voluntatem Chriſti eſſe contra manifeſtationem magnæ gloriæ: ergò Chriſtus eſt paſſus & mortuus.

De Perfectione & Paſſione.

10. SI anima aſini haberet tantam Perfectionem, quantam habet Anima hominis, eſſet perſona cum corpore, cum quo deficit eſſe perſona; & quia perfectio Filii DEI eſt eadem Perſona cum Filio hominis, convenit, quòd in Filio Hominis nulla ſit imperfectio, per quam deficiat eſſe una eadem Perſona cum Filio DEI: unde ſi Filius DEI non voluiſſet mori ad honorandum DEUM & redimendum humanum genus, imperfectio ſuæ voluntatis eſſet contra perfectionem Filii DEI, cum quo Filius Hominis eſt una eadem Perſona; & ſic Filius DEI cum imperfectione voluntatis eſſet eadem Perſona cum Filio Hominis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Chriſtum eſſe paſſum & mortuum.

De Juſtitia & Paſſione.

11. UT Filius Hominis eſſet in Filio DEI, convénit, Juſtitiam juſtificare per totas duas Naturas diſtinctas, quæ ſunt in eadem Perſona; & ideo convénit, quòd divina juſtitia per totam bonitatem, magnitudinem &c. daret ſuam ſimilitudinem in Filio Hominis ita fortiter, ſicut illam potuit dare, ut Filius DEI poſſet incarnari, qui non potuiſſet aſſumere Carnem, ſi juſtitia in Incarnatione illius potuiſſet ponere majorem ſimilitudinem, quàm poſuit; quia convenit, eſſe tam magnam ſimilitudinem duarum Naturarum, quòd non poſſit eſſe major, ad hoc, ut Unitas Perſonæ poſſit eſſe in illis duabus Naturis; quam unitatem convenit eſſe tantam, quantam divina juſtitia poteſt juſtificare per magnitudinem bonitatis &c.: unde ſi juſtitia humanæ Naturæ non eſſet, per voluntatem diligendo, Chriſtum mori, ad honorandum Filium DEI, juſtitia per voluntatem haberet parvitatem, per quam ſua Humanitas, id eſt, voluntas naturæ humanæ non poſſet eſſe una Perſona cum Filio DEI; quia divina Voluntas diligeret parvitatem juſtitiæ; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum.

De Largitate & Paſſione.

12. FIlius DEI ſe totum dedit ad eſſendum una Perſona cum Filio Hominis, & Filius Hominis ſe totum dedit ad ſerviendum Filio DEI; & ideo divina Largitas informavit ſuam ſimilitudinem in Filio Hominis, per cujus informationem facta fuit unio duarum Naturarum; nam ſi Filius Hominis ſe non voluiſſet dare ad honorandum Filium DEI, per avaritiam eſſet diſſimilis ſimilitudini Filii DEI: per quam diſſimilitudinem Filius DEI non potuiſſet aſſumere humanam Carnem; ſi verò Filius Hominis fuiſſet coactus mori, ſua voluntas fuiſſet coacta à magnitudine avaritiæ & nobilitatis; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, Chriſtum fuiſſe paſſum & mortuum.

De Simplicitate & Paſſione.

13. QUando aliquis habet aliquam ſeptem virtutum in actu, & cæteras ſex in habitu, quælibet earum, quæ ſunt in habitu, tribuit ſuam ſimilitudinem virtuti, quæ eſt in actu; & hoc ideo, quia quælibet earum eſt propinqua in natura & ſimplicitate illi virtuti, quæ eſt in actu: unde cùm divina Simplicitas, quantúm poteſt, informet ſuam ſimilitudinem in humana Natura, cum qua eſt eadem Perſona, convenit, totam Naturam Filii Hominis converti ad diligendum & honorandum divinam Naturam; in quam honorationem & dilectionem non fuiſſet converſa, ſi Chriſtus odiviſſet pati mortem.

De Nobilitate & Paſſione.

14. TAnta eſt nobilitas Filii Hominis in nobilitate Filii DEI, quòd conveniat, omne id eſſe in veritate, per quod quilibet fidelis ſe magìs ſentit obligatum ad honorandam & diligendam nobilitatem Filii Hominis: unde ſi Filius Hominis non fuiſſet mortuus, & quilibet ſentiret ſe magìs obligatum ad honorandum & diligendum eum, ſi fuiſſet mortuus, quàm ſi non fuiſſet mortuus, ſequeretur, eum non eſſe tam dilectum in ſua nobilitate à Filio DEI, ſicut ſi eſſet mortuus; & hoc eſt impoſſibile, ne Filius DEI diligat Filium Hominis in parvitate per bonitatem &c.: ergò Chriſtus eſt paſſus & mortuus.

De Miſericordia & Paſſione.

15. SI Chriſtus ad ſalvandum ſuum populum ſuſtinuit Paſſionem & Mortem, populus poteſt per hoc habere majorem ſpem in ejus Miſericordia, quàm ſi non voluiſſet mori; & quia major miſericordia non poteſt contradicere majori ſpei, quia miſericordia influit ſpem, & quia miſericordia eſt idem cum magnitudine bonitatis &c., ergò Chriſtus eſt paſſus & mortuus.

De Dominio & Paſſione.

16. JUſtitia eſt Domini, & neceſſitas eſt populi, quòd Dominus det cauſam & occaſionem ſuo ſervo ad virtutes contra vitia: unde cùm juſtitia Filii Hominis ſit magna per bonitatem &c., ſequitur, quòd, quantúm Dominus pro ſuo populo ſe humiliat ad paupertatem, paſſionem & mortem, tantúm ſit cauſa & occaſio ſuo populo ad virtu-

tes contra vitia: igitur si Christus pro suo populo sustinuit paupertatem, vituperia, passionem & mortem, justitia justificat per magnitudinem in bonitate &c.; & si non ita passus esset, justitia justificaret in Filio Hominis per parvitatem in bonitate &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, Christum fuisse passum & mortuum.

INCIPIT
NONA DISTINCTIO,
QUÆ EST
De Descensu Christi ad Inferos.

QUoniam hæc Distinctio est probabilis per divinas Dignitates, idcirco per eas breviter eam intendimus probare, secundùm quòd intellectus poterit sufficere, commiscendo in hac probatione unam Dignitatem cum alia isto modo.

1. Quia non fuit conveniens, Animam Christi sinè Corpore ascendere ad Cœlos, & quia Christus est una eadem Persona cum Filio DEI, qui est bonitas, bonitas Filii voluit, Animam Christi descendere ad inferos, ut liberaret Justorum Animas ab infernali carcere; nam dum Anima Christi fuit separata à Corpore, ubi potuit dare majorem utilitatem, eò perrexit, scilicet ad inferos propter sanctorum Patrum liberationem.

2. Quia Magnitudo Filii DEI est idem cum bonitate, manifestavit se magnam in bonitate, æternitate &c., in quantum manifestavit, se esse unam Personam cum Filio Hominis, Naturâ illius Hominis in diversis partibus existente.

3. Quia in loco, in quo Animæ sanctorum Patrum patiebantur pœnam, Anima Christi nullam passionem habuit, idcirco Æternitas, quæ est impassibilis, demonstravit in illo loco in sua impassibilitate impassibilitatem Animæ Christi.

4. Potestas Filii Hominis fuit demonstrata per potestatem Filii DEI in maxima magnitudine, quia Corpus Christi patiendo mortem potuit delere culpam generalem in vegetativa & sensitiva potentia humanæ speciei, & ejus Anima potuit delere culpam in potentia memorativa, intellectiva & volitiva per suam potestatem conjunctam & unitam potestati Filii DEI.

5. Sapientia Filii DEI in sapientia Filii Hominis specificavit, quòd per Corpus Christi patiens mortem in Cruce deleatur peccatum corporale, & quòd per Animam Christi deleatur peccatum spirituale, absolvendo sanctorum Patrum Animas à carcere infernali.

6. Voluntas, quæ cum magnitudine est eadem Persona, voluit, Animam Christi descendere ad inferos, ut sanctis Patribus ostenderet majorem amorem, & majus odium discredentibus Adventum Christi.

7. Virtus divina per hunc Articulum demonstravit suam magnitudinem in hoc, quòd Persona Filii DEI & Filii Hominis semper fuerit una & eadem, licèt Corpus Christi esset separatum ab Anima, & hoc demonstravit ipsa eadem virtus DEI, ut manifestaretur, Corpus & Animam Christi non esse per se Personam, nisi in Persona Filii DEI tantùm, quia cum illa & per illam sunt una eadem Persona.

8. Divina Veritas se meliùs manifestavit justis & peccatoribus, quia Anima Christi descendit præsentialiter ad inferos.

9. Gloria, ad quam sancti Patres ducti fuerunt, & pœna, in qua injusti remanserunt, meliùs fuerunt manifestatæ in magnitudine, quia Anima Christi descendit ad inferos ad liberandum justos, & non injustos.

10. Finis, id est, Perfectio, porpter quem justi fuerunt salvati, inde magis manifestè & magis perfectè demonstratur, & etiam finis, propter quem Filius DEI fuit incarnatus.

Justitia

11. Justitia divina jussit sanctos Patres descendere ad inferos, eò quòd primi Parentes fuerunt inferiores culpâ & peccato; convénit autem, ipsam justitiam illos ad salvationem reducere cum illa Natura, in qua fuit deleta culpa.

12. Magnitudo divinæ Largitatis fuit in hoc descensu Christi per bonitatem &c., & propter largitatem convenit, Animam Christi descendere ad inferos, ut in hoc suo descensu magnitudo largitatis se manifestaret.

13. Simplicitas divina se manifestavit per omnes Dignitates, quia in hoc descensu Christi ad inferos quælibet earum habuit suam similitudinem; & hoc in rationibus hujus Articuli manifestè apparet.

14. Nobilitas Creatoris & Creaturæ fuit manifestata in hoc descensu, quia in nobilitate Filii DEI Anima Christi portas inferi prostravit, & omnia, quæcunque voluit, ibi fecit secundùm suam justitiam & misericordiam.

15. Misericordia Domini se demonstravit per magnitudinem bonitatis &c., quæ si non descendisset ad inferos cum Anima Christi, magnitudo, quam habet per bonitatem &c., fuisset in absentia Animabus sanctorum Patrum, quæ in inferis erant detentæ.

16. Factâ Redemptione statim secundùm justitiam Anima Christi fuit usa suâ possessione per Dominium, & ut in sua possessione dominaretur, voluit descendere ad inferos, & liberavit Animas sanctorum Patrum ab alienis manibus, & in præsentiam summi DEI Patris eos mirabili consortio secum duxit, in quorum consortio mereamur vivere per omnia sæcula sæculorum.

Per has supradictas rationes combinando & concordando unam Dignitatem cum alia, & sequendo earum conditiones, artificialiter facta est probatio supradicti Articuli.

INCIPIT
DECIMA DISTINCTIO,
QUÆ EST
De Resurrectione nostri Domini JESU Christi.

AD probandum hunc Articulum convenit, generaliter probari Resurrectionem, quia si omnes homines resurgent à mortuis, bene sequitur, Christum resurrexisse à morte; quia si non surrexit, sequitur contrarietas in divinis Dignitatibus; quæ contrarietas est impossibilis, & manifestè per se est probabilis. Per divinas Dignitates mediante divino auxilio possumus probare Resurrectionem, & ad hoc conamur totis viribus intellectûs, concordando unam Dignitatem cum alia (ût ita loquamur) & servato ordine, ût in præcedentibus, de Bonitate primò dicemus, & sic de cæteris.

De Bonitate & Resurrectione.

1. IN quantò majori magnitudine vita est in altero sæculo, quàm in hoc præsenti per bonitatem, tantò fortiùs convenit, divinam bonitatem informare suam similitudinem in suo effectu secundùm alterum sæculum, quàm secundùm hoc sæculum, cùm bonitas & magnitudo sint idem cum sapientia, voluntate, justitia & nobilitate; & ideo, si Resurrectio nihil est, sequitur, quòd bonitas DEI magis influat suam similitudinem in minus bonum, quàm in majus contra magnitudinem sui ipsius & justitiæ &c.; (cùm in homine sit plus boni, quàm in Anima per se tantùm) & quia supradicta contrarietas est impossibilis, per illam demonstratur Resurrectio.

De Magnitudine & Resurrectione.

2. IN supradictis probatum est, Filium DEI esse incarnatum, qui est intelligibilis & amabilis in Carne, quam assumpsit; quia si hoc

si hoc non esset ita, ejus Incarnatio esset in parvitate bonitatis &c., repugnans magnitudini bonitatis; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, Humanitatem esse intelligibilem & amabilem in magnitudine bonitatis, æternitatis &c.; quæ intelligibilitas & amabilitas nihil essent, si Resurrectio nihil esset.

De Æternitate & Resurrectione.

3. SI Resurrectio est, Æternitas per hoc sibi fortiùs assimilat in duratione rerum corporalium similitudinem creaturarum magìs nobilium, quàm minùs nobilium; si autem Resurrectio nihil est, sequitur totum oppositum hujus; quia si Resurrectio nihil est, sol & lapis sunt similiores æternitati, quàm homo, qui est creatura nobilior sole & lapide, qui sunt sinè scientia & voluntate: & quia est impossibile, æternitatem repugnare per suam voluntatem magnitudini justitiæ, nobilitatis &c. & magnitudini suæ similitudinis, per hoc demonstratur, Resurrectionem esse.

De Potestate & Resurrectione.

4. DE divina Potestate & de potestate naturæ potest sequi perfectius opus, quàm de potestate naturæ tantùm; & quia natura non haberet potestatem restaurandi corruptum suppositum in eodem numero, convenit, quòd DEUS restauret hominem in eodem numero super potestatem naturæ: unde si Resurrectio nihil esset, non esset, in quo operaretur divina potestas super naturam per tantam magnitudinem bonitatis &c., quanta est Resurrectio, nec potestas Animæ post mortem hominis esset in potentia sensitiva & imaginativa, & divina potestas omninò repugnaret suæ similitudini, & in magnitudine suæ similitudinis repugnaret magnitudini similitudinis bonitatis, æternitatis &c.; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De Sapientia & Resurrectione.

5. SI Resurrectio nihil est, sequitur, quòd causa finalis rerum corporalium sit cessatio motûs & separatio rerum spiritualium à corporalibus, vel quòd motus sinè fine sit ad aliquem finem, qui nullo tempore sequatur; & quodlibet istorum duorum est inconveniens & impossibile, sicut manifestè apparet per Sapientiam divinam: quia si res corporales habent suum finem in cessatione motûs & separatione Animæ à corpore, elementatum inanimatum & immobile esset nobilius, quàm elementatum animatum & mobile; quod est impossibile: & ideo si rebus corporalibus esset finis, quærere suum finem, & nunquam possent eum attingere, essent in principio & medio nobiliores, quàm in fine; & hoc est impossibile & contra magnitudinem, quam sapientia DEI habet in se ipsa per bonitatem &c.: per quam impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De Voluntate & Resurrectione.

6. SI Resurrectio nihil esset, perfectio humani corporis esset major in privatione, quàm in esse, & imperfectio esset major in esse, quàm in privatione; quia ortus corporis esset per principium, & ejus vivere per medium, & finis ejus esset mors; sed quia causa finalis est major & nobilior, quàm principium & medium, cujus majoritas & nobilitas diligitur à divina Voluntate, quæ ipsum finem sic ordinavit & voluit, idcirco convenit, Resurrectionem esse; quia si non esset, divina voluntas diligeret per majorem magnitudinem principium & medium, quàm finem & perfectionem; & hoc est impossibile & contra magnitudinem & similitudinem voluntatis: per quam impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De Virtute & Resurrectione.

7. PEr Virtutem naturæ vegetativum vivit in sensitivo, & sensitivum in rationali, sicut panis & vinum transmutantur in carnem & sanguinem, quæ habent vitam sensitivam existentem in Anima rationali, quæ illi est forma: unde cùm natura habeat hanc virtutem, convenit, quòd homo habeat virtutem durandi sinè fine in similitudine cujuslibet Dignitatis divinæ, per quam similitudinem exaltatur virtus naturalis, & quælibet divina Dignitas habet suum usum virtutis in sua similitudine; & ideo si Resurrectio nihil esset, quædam virtus in opere naturæ magìs exaltaret alteram virtutem influendo in ea suam similitudinem, quàm divina virtus, quæ dominatur super naturam; & quia hoc est impossibile & contra magnitudinem, quam virtus habet per bonitatem &c., per hanc impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De

De Veritate & Resurrectione.

8. COnvenit, cum divina Veritate concordare omne id, per quod homo fit magìs virtuosus, & magìs contrarius vitiis; quia si hoc non esset ita, sequeretur, quòd divina Sapientia sciret parvitatem in sua virtute, in quantum repugnaret magnitudini creatæ virtutis; & quia divina virtus & justitia sunt idem per magnitudinem cum sapientia, si Resurrectio est, homo habet majorem fidem, spem &c., quàm si nihil esset: igitur per hoc demonstratur, Resurrectionem esse; quæ si non esset, esset in falsitate id, per quod homo magìs potest contrariari vitiis; & hoc est contra magnitudinẽ veritatis: per quã contrarietatẽ demonstratur Resurrectio. 12.

De Gloria & Resurrectione.

9. OMnis Anima est creata ad aliquẽ finem; si autem Resurrectio nihil est, nullus homo est creatus ad perpetuum finem, ad quem creatur rationalis Anima, quæ est pars hominis, & sequeretur, si Resurrectio nihil esset, quòd pars se haberet ad majorem & nobiliorem finem, quàm suum totum; quod est impossibile & contra magnitudinem gloriæ &c., quæ conveniret cum parvitate contra magnitudinem justitiæ per gloriam &c.; hoc autem est impossibile: cujus majus impossibile, quod possit esse, est, divinam justitiam esse contrariam magnitudini gloriæ &c., quæ habet naturam resuscitandi homines: ergò per hoc demonstratur Resurrectio. 13.

De Perfectione & Resurrectione.

10. PErfectio & esse habent concordantiam, & imperfectio & privatio; & ideo omnis finis corruptibilis habet concordantiam cum imperfectione & privatione; igitur si Resurrectio nihil esset, non esset finis rerum corporalium, in quo esse & perfectio possent habere concordantiam, & corruptio haberet majorem similitudinem cum imperfectione & privatione, quàm perfectio cum imperfectione & esse; & hoc est impossibile & contra similitudinem, quam divina perfectio infundit de se ipsa in suum effectum per magnitudinem bonitatis &c.: ergò Resurrectio est. 14.

De Justitia & Resurrectione.

11. JUstitia & injuria, meritum & culpa contrariantur, justitia verò & meritum, injuria & culpa concordant; & quia in hoc mundo pro culpa patimur pœnam sensualem, si corpus hominis non habet culpam, justitia repugnat merito, & injuria culpæ; quod est impossibile: igitur, quia culpa est per corpus, quæ culpa est contra infinitam & æternam justitiam, propter hanc contrarietatem convenit, perpetuò puniri culpam, & dari merito retributionem; quæ punitio & retributio non essent æternæ sinè Resurrectione, nec justitia se manifestaret per tantam magnitudinem bonitatis &c.: ergò Resurrectio est.

De Largitate & Resurrectione.

OMnes creaturæ habent naturaliter appetitum ad primam causam, quia per illam bonificantur & sustentantur; & hoc est propter magnam influentiam, quam causa tribuit suo effectui, secundùm quòd effectus ab illa potest recipere similitudinem: unde si Resurrectio nihil esset, largitas influeret in suum effectum per avaritiam & parvitatem contra magnitudinem bonitatis & sui ipsius, quia creaturæ possent recipere majorem similitudinem largitatis à causa, quàm causa influeret in effectum; sed quia est impossibile, divinam largitatem influere in effectum per avaritiam &c., per hanc impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De Simplicitate & Resurrectione.

MAnifestum est, hominem magìs simpliciter esse subjectum virtutibus & vitiis, quàm ejus Animam per se, vel quàm ejus corpus per se, igitur plùs remunerandus vel plùs puniendus est homo, quàm Anima vel corpus ejus; idcirco si Resurrectio nihil est, homo & nemo magìs simpliciter remunerandus est, & homo & nemo magìs simpliciter puniendus; & hoc est contradictio & impossibile, ad hoc, ut simplicitas & justitia fortiùs conveniant per suum effectum in magnitudine, quàm in parvitate: ergò Resurrectio est.

De Nobilitate & Resurrectione.

SI Resurrectio nihil esset, sequeretur, quòd omnes res corporales consequerentur suum finem & nobilitatem in se ipsis; & si hoc ita esset, sequeretur, quòd omne elementatum corruptum reverteretur in eundem numerum infinitè, mundo tamen existente æterno, qui habet principium, secundùm quòd probatum est: & quia supremæ Glo-

riæ esset ignobilitas, si res corporales reciperent suum finem in se ipsis, mundo existente æterno, ergò Resurrectio est.

De Misericordia & Resurrectione.

15. MUltis justis infertur in hoc sæculo injuria à multis peccatoribus, & multi justi in hoc sæculo patiuntur paupertatem, ægritudinem, vituperia & labores, & multi injusti in hoc sæculo sunt honorati & divites; unde cùm hæc omnia sint in multis hominibus usque ad mortem, si Resurrectio nihil esset, sequeretur, quòd justitia & misericordia haberent concordantiam in parvitate contra magnitudinem, & essent idem in magnitudine bonitatis &c. cum parvitate sui ipsius; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur Resurrectio.

De Dominio & Resurrectione.

16. COnvenit, omne id esse in creaturis, per quod manifestatur, divinum Dominium esse in magnitudine, & convenit, omne id non esse in creaturis, per quod sequitur oppositum; cùm id, quod habet dominium super creaturas, sit unum & idem cum magnitudine: & ideo si Resurrectio est, per illam fortiùs manifestatur magnitudo dominii, corpore glorificato durante in æternum sinè cibo & potu, & corpore culpabili è contra existente in æternum in igne & passione: unde si Resurrectio nihil est, magnitudo divini dominii non est manifestabilis: ergò Resurrectio est.

INCIPIT

XI. ET XII. SEU ULTIMA DISTINCTIO.

PRIMA

De Ascensu nostri Domini JESU Christi.

SECUNDA

De Die Judicii.

HÆc Distinctio est probabilis per se & per supradicta antecedentia; veruntamen nitimur eam probare sub compendio per divinas Dignitates, commiscendo unam divinam Dignitatem cum alia isto modo.

Quoniam Bonitas est magnitudo in Divinis, & iste locus terrenus habet concordantiam cum parvitate & malitia secundùm comparationem supremi Cœli, convenit, Filium Hominis, qui est eadem Persona cum Filio DEI, qui est bonitas & magnitudo, ascendere in supremum Cœlum: & quia ille locus est æternus, & iste corruptibilis, æternitas, quæ est essentia permanens, apposuit in Ascensu suam similitudinem, & potestas hoc potuit facere, quia Filius Hominis potest in Filio DEI, qui est ipsa suprema Potestas; & sapientia scivit, quòd fuerit conveniens, hoc ita esse propter nobilitatem loci; & sicut sapientia hoc scivit, ita voluntas voluit complere: in hoc autem Ascensu virtus fuit usa suâ similitudine, quia locus cœlestis est in superiori virtute, iste verò locus in inferiori: veritas etiam, quæ in cœlo est magis manifestabilis, verificavit hunc Ascensum, ut locus & gloria haberent æqualem concordantiam, cùm ille sit locus corporis glorificati, quia corpus invenit suam perfectionem in illo, & ille locus est finis, in quo omne corpus glorificatum invenit suam perfectionem; & quia justitia posuit omnem perfectionem & suam similitudinem in Filio Hominis, quia est Filius DEI, justificavit, Filium Hominis esse ad dextram Patris, hoc est, esse unam Personam cum Filio cœlestis Patris, qui semet ipsum in suo Filio fortiùs revelat Sanctis in gloria in illo loco, quàm in altero: largitas in hoc sanctissimo Ascensu

su habuit suam similitudinem, nam illa conveniret cum avaritia, si repugnaret huic sanctissimo Ascensui, & significaret, divinam simplicitatem esse compositam ex largitate per bonitatem, & ex avaritia per largitatem; & hoc est impossibile: propter quam impossibilitatem nobilitas, quæ est idem cum simplicitate & largitate, præparavit & dedit nobilem locum Filio Hominis secundùm nobilitatem, quæ illi convenit, & secundùm locum, qui convenit ad suppliciter exorandum Filium DEI, ut in Filio Hominis secundùm magnitudinem suæ misericordiæ agat cum peccatoribus pro illis rogando Patrem, amore scilicet existente cum Sancto Spiritu in Patre & Filio & inter utrumque; & ideo Filius Hominis ascendit ad cœlos, existens omnipotens Dominus in altitudine Filii DEI, qui cum Patre & Sancto Spiritu est Dominus dominans super omnes creaturas.

Quòd noster Dominus JESUS Christus veniet judicare bonos & malos.

HIc ultimus Articulus Fidei Catholicæ in divina Justitia est probabilis per divinas Dignitates, quocirca quantum nobis divina gratia tribuet auxilium intellectûs ad cognoscendam concordantiam divinarum Dignitatum, cum *Justitia* intendimus probare Articulum, prosequentes per ordinem: ideo de bonitate primò dicemus, & sic de aliis.

De Bonitate, Justitia & Die Judicii.

1. BOnitas divina habet majorem magnitudinem in JESU Christo, quàm in omnibus creaturis, cùm JESUS Christus ex duabus Naturis sit una Persona (ût probatum est) & quoniam in Divinis Pater & Sanctus Spiritus per Essentiam sunt idem cum Filio, & Filius est bonitas, magnitudo &c., & quia in illa Persona est Filius Hominis cum potentia vegetativa, sensitiva & intellectiva, propter hoc omnis natura increata & creata participat cum JESU Christo, & quia omne bonum, quod est, exiftit in Creatore & creatura, convenit, justitiam velle, quòd illa bonitas, quæ est major, ferat sententiam, cùm sit idem cum bonitate & magnitudine, à quibus esset distincta, si JESUS Christus non ferret majorem sententiam, quæ possit ferri per magnitudinem & æternitatem in creaturis: ergò noster Dominus JESUS Christus veniet judicare bonos & malos.

De Magnitudine, Justitia & Die Judicii.

2. JUstitia potest esse major in Magnitudine, quàm in parvitate, & ideo sententia potest esse major in magnitudine Judicis, quàm in parvitate; & quia convenit, Sententiam novissimi Diei, quæ sententia durabit sinè fine, esse magnam, convenit, in magnitudine Judicis judicium esse magnum; & quia in Divinis Filius est æqualis Patri & Sancto Spiritui, & Filius Hominis est in majori magnitudine per nobilitatem potestatis &c., quàm omnes creaturæ, de necessitate convenit, Christum esse Judicem, qui nisi sit Judex, injuriabitur magnitudini in justitia, quæ sunt unum & idem; & hoc est impossibile: per quam impossibilitatem demonstratur, quòd noster Dominus JESUS Christus veniet judicare bonos & malos.

De Æternitate, Justitia & Die Judicii.

3. IN divina Æternitate justitia & misericordia sunt unum & idem per magnitudinem; & ideo convenit, quòd per magnitudinem misericordiæ Judex ferat sententiam, scilicet, quòd justi habeant æternam gloriam, licèt non meruerint illam habere, cùm illorum merita non possint coæquari divinæ gloriæ, imò convenit, quòd misericordia DEI suppleat ea, quæ eorum merita non possunt adimplere: & quia divina justitia est in illa eadem divina magnitudine, in qua per æternitatem est misericordia, convenit, quòd justitia peccatores judicet ad æternam pœnam, quia æternitati, bonitati & infinitati peccaverunt: unde cùm æternitas sit in Filio DEI eadem Persona cum Filio Hominis, & JESUS Christus sit Filius DEI & Hominis, noster Dominus JESUS Christus veniet judicare bonos & malos.

De Potestate, Justitia & Die Judicii.

4. FIlius Hominis potest magis bonificare, magnificare &c. in omnibus hominibus per Filium DEI, quàm altera creata potestas, & Filius DEI melius potest influere suam similitudinem in Filium Hominis, quàm in cæteros homines; & ideo convenit, quòd ille, qui est Filius DEI & Hominis, in novissimo Die ferat sententiam, cùm habeat majorem

jorem poteſtatem bonitatis, magnitudinis &c., quàm aliqua creatura: quia ſi hoc non ita eſſet, ſequeretur, quòd juſtitia repugnaret ſibi ipſi cum magnitudine bonitatis &c.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus veniet judicare bonos & malos.

De Sapientia, Juſtitia & Die Judicii.

5. SApientia & juſtitia habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, ſcilicet, quòd in Filio DEI meliùs conveniant, quàm in Filio Hominis, qui in Filio DEI eſt eadem Perſona cum Sapientia & Juſtitia Filii DEI: unde ſi ſapientia & juſtitia habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, convenit, quòd ille, qui eſt Filius DEI & Hominis, ferat ſententiam, quæ major eſt omni ſententiâ; quia ſi hoc non ita eſſet, ſequeretur, quòd ſapientia & juſtitia non haberent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus veniet judicare bonos & malos.

De Voluntate, Juſtitia & Die Judicii.

6. IN JESU Chriſto ſunt duæ Voluntates, videlicet increata & creata, in voluntate autem increata convenit ferri ſupremam Sententiam, quam exſpectamus; ſi autem increata voluntas non vellet, hanc ſententiam ferri à creata voluntate, vellet contra magnitudinem largitatis per magnitudinem avaritiæ & invidiæ, quæ repugnant juſtitiæ: unde cùm hoc velle ſit per injuriam, & voluntas velit, in Filio DEI Filium Hominis eſſe unam eandem Perſonam, qui Filius DEI eſt illa eadem divina voluntas, ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Virtute, Juſtitia & Die Judicii.

7. VIrtus divina eſt per tantam magnitudinem bonitatis &c., quòd ab ea omne meritum producitur, nec ab illa aliqua culpa derivatur; & ideo convenit, quòd hæc virtus ferat ſupremam Sententiam extremæ Diei: & quia in ipſa virtute Filius Hominis eſt eadem Perſona per Filium DEI, qui eſt ipſa eadem virtus, juſtitia vult, quòd JESUS Chriſtus, qui eſt DEUS & Homo, judicans ferat ſententiam, ut ſententia ſit major in magnitudine per virtutem increatam & creatam, in qua eſt juſtitia per magnitudinem bonitatis &c. exiſtendo in ſuamet magnitudine, & concedendo tantam virtutem creatam, quòd poſſit ſcire omne bonum & omne malum, & per virtutem, in qua eſt eadem Perſona, poſſit retribuere pro bono, & punire pro malo; & quia virtus & juſtitia ſunt eadem magnitudo &c., ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii judicabit bonos & malos.

De Veritate, Juſtitia & Die Judicii.

8. MEritum non conveniret cum Veritate, nec falſitas cum culpa, ſi juſtitia nihil eſſet, nec juſtitia eſſet aliquid, ſi juſtificare nihil eſſet; & quia juſtitia eſt, convenit, quòd ſit juſtificare & judicare, retribuendo bonum juſtis, & malum injuſtis; & quia juſtitia & veritas idem exiſtentes ſunt eadem Perſona Filii DEI, & Filius Hominis eſt eadem Perſona in Filio DEI, convenit, juſtitiam juſtificare, & veritatem verificare per Filium DEI & Hominis dantem ſententiam, & oſtendentem ſenſualiter per formam & materiam, & intellectualiter per veritatem, poteſtatem &c. ſe & ſuam Crucem & Vulnera, quæ pro nobis paſſus eſt, ut ejus ſententia in quolibet homine meliùs verificetur; ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Gloria, Juſtitia & Die Judicii.

9. OMnis intellectualis Gloria Sanctorum eſt & erit in Natura divina & humana JESU Chriſti, & ſenſualis erit in Corpore ejusdem JESU Chriſti per viſum, laudes & honores; & hoc convenit eſſe per magnitudinem juſtitiæ, quæ eſt ejusdem eſſentiæ cum bonitate &c. Filii DEI, qui ſibi conjunxit & univit Naturam humanam, ſecundùm quòd probatum eſt: unde cùm hoc ita ſit, ſi juſtitia contradiceret, quòd Chriſtus ferret ſententiam, contradiceret magnitudini gloriæ, quæ ſe manifeſtat in Chriſto; & hæc contradictio eſt impoſſibilis: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De

De Perfectione, Juſtitia & Die Judicii.

10. PErfectio habet majorem magnitudinem in fine, quàm in principio & medio; & hoc ideo, quia divina perfectio poteſt influere majorem gratiam in finem, quàm in principium & medium: unde cùm hoc ſæculum ſit principium & medium, aliud verò ſæculum, in quo vivendum eſt ſinè fine, ſit finis, & divina juſtitia in hoc ſæculo ſingulariter judicet homines, modò unum, modò alterum, convenit, quòd in fine eos ſimul & ſemel judicet, ut finis habeat perfectionem, quæ illi convenit; & quoniam Filius DEI aſſumpſit Carnem propter finem, ſcilicet propter intentionem æterni ſæculi, convenit, quòd illa ſententia, quæ erit lata propter illum finem, ſit lata à DEO & Homine, ut juſtitia ſit in fine per magnitudinem, quæ convenit cum perfectione: ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Largitate, Juſtitia & Die Judicii.

11. LArgitas divina dedit ſuam ſimilitudinem in Incarnatione Filii per tantam magnitudinem, quanta potuit recipi in Incarnatione; nam largitas in Incarnatione ſe communicavit ad participandum cum omnibus creaturis per gratiam & naturam; & in hoc, quòd Filius DEI Filium Hominis dedit morti propter ſalvationem humani generis, communicavit in illa morte totum humanum genus: & ideo ſi Filius DEI & Hominis non daret toti humano generi ſententiam, in qua largitas ſe plùs communicat, quàm in altera ſententia, juſtitia repugnaret ſuæ magnitudini & magnitudini bonitatis &c.; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, quòd noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Simplicitate, Juſtitia & Die Judicii.

12. JUſtitia facit, eſſe concordantiam inter DEUM & hominem per virtutes, & contrarietatem per vitia; & ideo virtutes habent concordantiam cum DEO & homine, vitia verò ſunt contra DEUM & hominem; per hanc autem concordantiam & contrarietatem virtutes & vitia ſunt magis contraria in majori ſimplicitate, quàm in minori: & ideo convenit, quòd DEUS & Homo, qui inter omnes homines eſt nobiliſſimus, ſit juſtus Judex omnium & ſingulorum hominum tam juſtorum, quàm injuſtorum, ut major ſimplicitas virtutum ſit magis contraria ſimplicitati vitiorum: ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Nobilitate, Juſtitia & Die Judicii.

13. NObilitas & juſtitia habent concordantiam, & vilitas & injuria; & ideo disconvenit omni judici fraus & dolus, quæ conveniunt cum injuria contra juſtitiam, quæ convenit cum nobilibus geſtis ſive factis & honoribus: & ideo cùm nobilius & honorabilius opus, quod potuit recipi in creatura, fuerit divina Incarnatio, & conveniat, noviſſimam ſententiam audiri & intelligi, convenit, hanc ſententiam promulgari per intellectualitatem & ſenſualitatem magis nobiles, non autem minùs nobiles; & hoc convenit eſſe, ut in ſententia ſit magnitudo per juſtitiam & nobilitatem: ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Miſericordia, Juſtitia & Die Judicii.

14. SI Miſericordia nihil eſſet, ſpes nihil eſſet; & quia miſericordia & ſpes habent majorem concordantiam in magnitudine, quàm in parvitate, convenit, quòd juſtitia & miſericordia DEI ſint eadem Eſſentia in magnitudine, aliàs miſericordia & ſpes fortiùs convenirent in parvitate, quàm in magnitudine; & hoc eſt impoſſibile: per quam impoſſibilitatem demonſtratur, noviſſimum Judicem eſſe DEUM & Hominem, qui debet monſtrare ſuam ſententiam omnibus hominibus; illum verò convenit eſſe DEUM, ut juſtitia & miſericordia ſint eadem magnitudo; illum etiam convenit eſſe Hominem, ut homines habeant majorem miſericordiam & ſpem: ergò noſter Dominus JESUS Chriſtus in Die Judicii veniet judicare bonos & malos.

De Dominio, Juſtitia & Die Judicii.

15. DOminium, quod DEUS habet in ſuo effectu, eſt cum juſtitia, & per juſtitiam exiſtit in magnitudine bonitatis &c.; & quia Filius DEI per creationem, & Filius

Hominis per satisfactionem & passionem, quam pro suo populo sustinuit, est Dominus, qui Filius Hominis etiam est Dominus, cùm habeat excellentiorem & nobiliorem bonitatem, quàm cæteræ creaturæ, & quia justitia & Dominium conveniunt, convenit, quòd ille sit DEUS & Homo, qui erit lator illius supremæ Sententiæ, in qua omnes homines singulariter & universaliter judicabuntur.

De Fine hujus Libri.

PEr gratiam & auxilium nostri altissimi, glorioſi & omnipotentis Domini DEI explicit iste Liber Articulorum Catholicæ & Orthodoxæ Fidei, „ in quo (ût subjunxi„mus in primo Prologo) si fortè in aliqua „ parte vel partibus hujus Libri erravimus „ per improprietatem vel insufficientiâ vo„ cabulorum seu dictionum, vel per falsam „ aut debilem translationem sententiarum, „ sive per aliqua, quæcunque illa sint, in „ quibus non erravimus scienter, sed so„ lùm per ignorantiam, subjicimus humi„ liter Correctioni Sacrosanctæ Romanæ „ Ecclesiæ: *cùm autem iste Liber in se contineat quàm plurimam utilitatem ad cognoscendum & diligendum DEUM & Dominum omnipotentem per infusam Scientiam*, „ & nos in eo „ longo tempore & studio laboraverimus, „ desiderantes ex toto corde & sperantes, ut „ per eum multi Infideles ab errore & cæci„ tate liberentur, & ab infernali via reducantur in viam veritatis, idcirco cum destructio cujuslibet rei valde dilectæ, quæ fert commodum super omnia commoda gentibus universis, sit multùm odiosa, abhorremus & timemus acediam, invidiam, avaritiam, superbiam, hypocrisin & vanam gloriam, & submittimus istum Librum conservationi & custodiæ nostri Domini JESU Christi & gloriosæ Virginis ejus Genitricis & omnium Angelorum & Sanctorum supernæ gloriæ, & omnium Virorum sanctæ conversationis, qui in hoc mundo desiderant ignorantibus monstrare viam veritatis, & cognitionem & amorem nostri Domini JESU Christi.

Amen.

INDEX

INDEX

Librorum, Distinctionum, Partium, Articulorum & Capitum Secundi Tomi.

LIBER DE GENTILI ET TRIBUS SAPIENTIBUS.

Prologus. pag. 1
De Narratione. 2

LIBER PRIMUS.

De DEO & Resurrectione.

Prima Arbor. 6
Quòd sit Resurrectio. 8
Secunda Arbor. 10
Tertia Arbor. 12
Quarta Arbor. 14
Quinta Arbor. 16

LIBER SECUNDUS.

De Fide Judæorum.

ART. 1 Quòd DEUS sit unus. 21
2 De Creatione. 24
3 Quòd Lex à DEO fuerit data Moysi in monte Sinai. 28
4 Quòd Messias sit venturus. 31
5 De Resurrectione. 33
6 De Die Judicii. 34
7 De Paradiso. 36
8 De Inferno. 39

LIBER TERTIUS.

De Fide Christianorum.

ART. 1 De Unitate DEI. 41
2.3.4 De Trinitate. 42
5 De Creatione. 53
6 De Recreatione. 53
7 De Glorificatione. 56
8 Quòd Christus sit conceptus de S. Spiritu. 58
9 Quòd Christus sit natus ex MARIA Virgine. 61
10 Quòd Christus sit crucifixus. 64
11 Quòd Christus descenderit ad Inferos. 66
12 Quòd Christus resurrexerit. 68
13 Quòd Christus ascenderit in Cœlos. 69
14 De Judicio. 70

LIBER QUARTUS.

De Fide Saracenorum.

ART. 1 De Uno DEO. 73
2 De Creatione. 73
3 Quòd Mahometus sit Propheta. 74
4 De Alcora. 76
5 De Interrogatione hominis mortui in sepulchro per Angelum. 77
6 De Morte omnium rerum, excepto DEO. 78
7 De Resurrectione & ejus Modo. 80
8 Quomodo Mahometus exaudietur. 80
9 Quomodo Gentes debeant reddere Rationem. 82
10 Quòd ponderabuntur Merita & Culpæ. 84
11 De Via Paradisi & Inferni. 85
12 De Paradiso & Inferno. 87
De Fine hujus Libri. 89
De Oratione Gentilis. 89
De Commeatu, quem tres Sapientes acceperunt à Gentili. 92
De Verbis, quæ tres Sapientes dixerunt in Regressu. 93

LIBER DE S. SPIRITU.

Prologus. pag. 1

PRIMA PARS.

CAP. 1 De majori Distinctione divinarum Personarum. 2
2 De majori Concordantia divinarum Personarum. 2
3 De majori Unitate Divinæ Essentiæ. 3
4 De majori Perfectione divinarum Personarum. 3
5 De majori Opere divinarum Personarum 3
6 De majori Gloria. 4
7 De majori Merito. 4
8 De majori Demonstratione. 4
9 De majori Vita. 5
10 De majori Prædicatione. 5

SECUNDA PARS.

CAP. 1 De majori Distinctione divinarum Personarum. 6
2 De majori Concordantia divinarum Personarum. 6
3 De majori Unitate divinæ Essentiæ. 7
4 De majori Perfectione divinarum Personarum. 7
5 De majori Opere divinarum Personarum. 8
6 De majori Gloria. 8
7 De majori Merito. 9
8 De majori Demonstratione. 9
9 De majori Vita. 9
10 De majori Prædicatione. 10

LIBER DE QUINQUE SAPIENTIBUS.

Prologus. pag. 1

PRIMA PARS.

Disputatio Latini & Græci.

Quòd Sanctus Spiritus procedat à Patre & Filio. 4
De Ordinatione & Positione communi Græci & Latini de DEO. 5

SECUN-

SECUNDA PARS.

Disputatio Latini & Nestorini.

Quòd in JESU Christo non sit nisi una Persona tantùm. 18

TERTIA PARS.

Disputatio Latini & Jacobini.

Quòd in Christo sint duæ Naturæ. 24

QUARTA PARS.

Disputatio Latini & Saraceni.

Quòd in DEO sit Trinitas & Incarnatio. 31

DISTINCTIO I.

De Trinitate.

CAP. 1 Quòd in DEO sit Pluralitas. 31
2 Quòd Pluralitas sit in Paternitate, & Filiatione & Spiratione. 38
3 Quòd Pluralitas sit in tribus Personis tantùm. 39
4 De Objectionibus & Solutionibus. 41

DISTINTIO II.

De Incarnatione.

CAP. 1 Quòd Persona Filii DEI assumpserit nostram Humanitatem in Unitate Personæ. 44
2 De Objectionibus & Solutionibus. 48
Petitio Raymundi. 50

LIBER MIRANDARUM DEMONSTRATIONUM.

Prologus, pag. 1

PRIMUS LIBER.

In quo probatur, quòd Intellectus habeat Possibilitatem, quòd per necessarias Rationes intelligat Articulos Sanctæ Fidei Catholicæ. 2

CAP. 1 De Fide & Ratione. 2
2 De Significatione S. Trinitatis in Anima. 3
3 De Essentia & Operatione DEI in Intellectu & Lapide. 3
4 De Differentia inter Intellectum & Lapidem. 3
5 De majori Nobilitate Intellectûs & Voluntatis. 4
6 De majori & minori Triangulo. 4
7 De Alteratione Actûs & Potentiæ. 5
8 De Trinitate & Unitate. 5
9 De Veritate DEI & Creaturæ. 5
10 De Potestate Intellectûs & Voluntatis. 5
11 De Alteratione Fidei & Intelligere. 5
12 De tribus Statibus Creaturarum. 6
13 De majoritate Finis. 6
14 De Demonstratione miraculosa. 6
15 De Prædestinatione & Præscientia. 7
16 De majori Possibilitate intelligendi. 7
17 De Demonstratione naturali & supernaturali. 7
18 De Demonstratione Formæ & Materiæ. 7
19 De Cognitione S. Trinitatis per Cognitionem Creatoris. 8
20 De Possibilitate intelligendi ante & post peccatum Adami. 8
21 De Fine Incarnationis. 8
22 De Transcendentia Intellectûs & Voluntatis super Phantasiam. 8
23 De prima & secunda Intentione. 9
24 De Intelligere hujus & alterius mundi. 9
25 De Operatione Ignis & Intellectûs. 10
26 De Scientia & Ignorantia. 10
27 De Fide & Spe & Incarnatione. 10
28 De Lumine & tenebris. 10
29 De majori & minori Lumine. 11
30 De Materia, Forma & Motore. 11
31 De Differentia Servitutis & Significationis Intellectûs & Voluntatis. 11
32 De Differentia & Concordantia Intellectûs & Voluntatis in Objecto. 12
33 De Differentia Hominis & Bruti. 12
34 De Ascensu & Descensu Luminis. 12
35 De Apprehensione & Comprehensione. 13
36 De Unitate & Trinitate Creaturarum. 13
37 De Servire & Intelligere. 14
38 De majori & minori Necessitate. 14
39 De Illuminatione Voluntatis per Intellectum. 14
40 De Differentia, Concordantia & Contrarietate Intellectûs & Voluntatis. 15
41 De Concordantia Officii Intellectûs & Voluntatis. 15
42 De Acu magnetica & Magnete. 15
43 De Igne & Aqua. 15
44 De Objecto sensuali & intellectuali. 16
45 De Mediatè & Immediatè. 16
46 De Theorica & Practica. 17
47 De Vegetativa & Sensitiva. 17
48 De Generatione & Corruptione. 17
49 De Sono, Voce & Auditu. 18
50 De Virtute visiva sensuali & intellectuali. 18

SECUNDUS LIBER.

In quo probatur per necessarias Rationes Existentia & Unitas DEI.

Prologus. 19
CAP. 1 De Bonitate & Magnitudine. 20
2 De Bonitate & Æternitate. 21
3 De Bonitate & Potestate. 21
4 De Bonitate & Sapientia. 22
5 De Bonitate & Amore. 23
6 De Bonitate & Virtute. 24
7 De Bonitate & Veritate. 25
8 De Bonitate & Gloria. 27
9 De Bonitate & Perfectione. 29
10 De Bonitate & Justitia. 30
11 De Bonitate & Dominio. 31
12 De Bonitate & Simplicitate. 33
13 De tribus Gradibus Demonstrationis necessariæ. 35
14 De Appetitu naturali. 37
15 De Simili & Dissimili. 38
16 De Anima & Corpore. 38
17 De Operatione miraculosa & de Operatione naturali. 39
18 De Synonimia. 40
19 De Accidente. 41
20 De Resurrectione. 42
21 De primo Principio. 43
22 De Alteratione. 44

23 De Peccato. 45
24 De Sustentatione. 46
25 De Quantitate. 48
26 De Affirmatione & Negatione. 49
27 De Demonstratione, quæ est supra Naturam. 50
28 De Intelligere & Imaginari. 51
29 De Possibilitate & Impossibilitate. 53
30 De Tempore & Motu. 54
31 De Frui & Uti. 56
32 De Unitate & Pluralitate, & Simplicitate & Compositione. 57
33 De suprema Operatione. 59
34 De Potentia. 61
35 De Differentia, Concordantia, Contrarietate & Æqualitate. 62
36 De Primo & Ultimo. 63
37 De Misericordia & Misericordiato. 65
38 De Majoritate & Minoritate. 66
39 De prima & secunda Intentione. 67
40 De Forma. 69
41 De Actualitate. 71
42 De Justitia & Misericordia. 73
43 De prima Causa. 74
44 De Donare. 76
45 De Servire. 78
46 De Culpa & Pœna. 79
47 De Libertate. 80
48 De Esse & non Esse. 81
49 De Contrarietate. 82
50 De Amante, Amore, & Amato. 84

TERTIUS LIBER.

In quo probatur per necessarias Rationes, quòd in DEO sit Trinitas.

Prologus. 85
CAP. 1 De Opere Bonitatis. 86
2 De Opere Magnitudinis. 88
3 De Opere Æternitatis. 90
4 De Opere Potestatis. 91
5 De Opere Sapientiæ. 94
6 De Opere Amoris. 97
7 De Opere Virtutis. 99
8 De Opere Veritatis. 102
9 De Opere Gloriæ. 104
10 De Opere Perfectionis. 106
11 De Opere Simplicitatis. 107
12 De Opere Libertatis. 109
13 De DEO, Creatura & Operatione. 111
14 De Differentia, Concordantia & Contrarietate. 112
15 De Principio, Medio & Fine. 113
16 De Majoritate, Æqualitate & Minoritate. 115
17 De Affirmatione, Negatione & Dubitatione. 116
18 De Necessitate. 117
19 De Generatione & Corruptione. 118
20 De Unitate & Trinitate. 119
21 De Participatione. 121
22 De Contradictione. 122
23 De Similitudine. 123
24 De Humilitate & Superbia. 125
25 De Vita & Morte. 126
26 De Vita & Magnitudine & Duratione. 127
27 De Infinitate & Fine. 128
28 De Subsistentia. 129
29 De Generatione & Processione. 131
30 De prima & secunda Intentione. 132
31 De Habere. 133
32 De Ordinabili. 134
33 De Abstracto & Concreto. 136
34 De Eligibili. 138
35 De Credibili & Intelligibili. 139
36 De Apprehensibili & Comprehensibili. 141
37 De Causa efficiente & finali. 142
38 De Materia & Forma. 143
39 De Essentia & Proprietatibus. 145
40 De Convenientia & Inconvenientia. 148
41 De Laudabili. 150
42 De Actu & Potentia. 151
43 De Creatione. 152
44 De Salvatione & Damnatione. 153
45 De Prædestinatione. 154
46 De Numero. 156
47 De Consideratione. 157
48 De Consequentia & Relatione. 159
49 De Compositione. 160
50 De Possibilitate & Impossibilitate. 162

QUARTUS LIBER.

In quo probatur per necessarias Rationes Incarnatio & Adventus nostri Domini DEI JESU Christi.

Prologus. 165
CAP. 1 De majori Bonitate. 166
2 De majori Potestate. 168
3 De majori Sapientia. 170
4 De majori Amore. 172
5 De majori Virtute. 174
6 De majori Veritate. 175
7 De majori Gloria. 177
8 De majori Perfectione. 180
9 De majori Justitia. 181
10 De majori Misericordia. 184
11 De majori Humilitate. 186
12 De majori Patientia. 188
13 De Fide. 190
14 De Spe. 192
15 De Charitate. 193
16 De Justitia. 195
17 De Prudentia. 196
18 De Fortitudine. 198
19 De Temperantia. 199
20 De Sacrificio Altaris. 201
21 De Causa efficiente. 203
22 De Causa materiali. 204
23 De Causa formali. 205
24 De Causa finali. 207
25 Utrùm Messias venerit vel venturus sit? 208
26 De Conceptione nostri Domini JESU Christi. 209
27 De Nativitate nostri Domini JESU Christi. 211
28 De Passione nostri Domini JESU Christi. 213
29 De Anima JESU Christi, quæ descendit ad Inferos, ad hoc, ut inde liberaret illos, qui in illum speraverunt. 214
30 De Resurrectione nostri Domini DEI JESU Christi. 215
31 De Assumptione nostri Domini DEI JESU Christi. 216
32 Quomodo probetur, quòd noster Dominus JESUS Christus judicabit. 218

33 De Peccato Originali. 219
34 De Recreatione. 220
35 De Terminatione. 222
36 De Simplicitate & Compositione. 223
37 De Vita Contemplativa & Activa. 224
38 De Appetitu Naturali. 226
39 De Prædestinatione & libero Arbitrio. 227
40 De Unitate & Pluralitate. 229
41 De Secretis. 230
42 De Gratum esse. 231
43 De Rogare & Honorare. 233
44 De Specie. 234
45 De Relatione & Consequentia. 235
46 De Possibilitate & Impossibilitate. 236
47 De Prædicatione. 238
48 De Sancta Ecclesia. 240
49 De Dare. 241
50 De Quatuor Quæstionibus generalibus. 242

LIBER DE XIV. ARTICULIS FIDEI.

Prologus. pag. 1

PRIMA DISTINCTIO.
De Divina Unitate.

PRIMA PARS,
In qua probatur, DEUM esse. 3

SECUNDA PARS,
De Realitate & supremis Dignitatibus. 39

TERTIA PARS,
In qua probatur, esse unum DEUM tantùm. 43

SECUNDA DISTINCTIO.
De Patre, Filio & S. Spiritu.

PRIMA PARS,
De Pluralitate 50

SECUNDA PARS,
De Generatione & Processione in Divinis. 91

TERTIA PARS,
De Modo generandi & procedendi. 99

QUARTA PARS,
De Æqualitate in Divinis 106

QUINTA PARS,
De Numero Trinitatis in Divinis. 112

TERTIA DISTINCTIO.
De Creatione Mundi. 122

QUARTA DISTINCTIO.
De Recreatione Mundi.

PRIMA PARS,
De Peccato primi Hominis. 154

SECUNDA PARS,
De Originali Peccato. 155

TERTIA PARS,
De Recreatione. 156

QUINTA DISTINCTIO.
De Glorificatione. 158

SEXTA DISTINCTIO.
De Incarnatione.

PRIMA PARS,
De Potestate. 160

SECUNDA PARS,
De Justitia. 164

TERTIA PARS,
De Modo, per quem fit Incarnatio Filii DEI. 167

QUARTA PARS,
In qua probatur, DEUM non assumpsisse Carnem nisi de sola Virgine tantùm. 169

QUINTA PARS,
In qua probatur, Filium DEI non esse incarnandum, sed incarnatum. 172

SEPTIMA DISTINCTIO.
De Nativitate nostri Domini JESU Christi. 175

OCTAVA DISTINCTIO.
De Passione nostri Domini JESU Christi. 179

NONA DISTINCTIO.
De Descensu Christi ad Inferos. 182

DECIMA DISTINCTIO.
De Resurrectione nostri Domini JESU Christi. 183

UNDECIMA DISTINCTIO.
De Ascensu nostri Domini JESU Christi. 186

DUODECIMA DISTINCTIO.
De Die Judicii, quando noster Dominus JESUS Christus veniet judicare bonos & malos. 187

De Fine Libri. 190